RERVM GERMANICARVM SCRIPTORES

varii,

Qui res in Germania & Imperio sub FRIDERICO III. MAXIMILIANO I. Impp. memorabiliter gestas illo ævo litteris prodiderunt.

TOMVS SECVNDVS.

EX BIBLIOTHECA

MARQVARDI FREHERI,

Consiliarii Palatini,

Primum Editus,

NVNC DENVO RECOGNITVS.

Curante

BURCARDO GOTTHELFFIO STRUVIO,

CONSILIARIO ET HISTORICO SAXONICO.

ARGENTORATI,

Sumptibus JOHANNIS REINHOLDI DULSSECKERI,

ANNO MDCCXVII.

Magnificis, Nobiliſſimis & Prudentiſſimis,

DVVMVIRIS, SEPTEMVIRVMQVE COLLEGIO, ET AMPLISSIMO DECVRIONVM ORDINI REIP. NORIMB.

VEtus querela eſt, Patres ampliſſimi, quod non Germaniæ quantum aliis gentibus, Romanæ potiſſimum, & Græcæ, ſcriptorum fuerit, quorum opera geſta eius & decora poſteritati innotuiſſent. Vetus: ſed neſcio an valde mira, vel etiam ſatis æquo animo accipienda. Quid enim monſtri, non ſuppetere, quæ ſi etiam aliqua extiterunt, æſtimata & conſeruata non fuerint? Quod vt de caſcis illis Germaniæ incultæ temporibus non replicemus, an non in ſuperioribus ſæculis, quibus accepta Imperii maieſtate maximè efflorvit, eſt deplorandum? quibus ut ſui ſubinde ſcriptores minimè defuerunt, ita neſcio quo tunc in precio habiti, certè à poſteris velut data opera neglecti planiſſimè periiſſent, niſi à paucis demum annis cultiſſimo hoc æuo, eruditorum patriæque amantium hominum improbo ſtudio velut è rogo & fatillla erutæ reuixiſſent. Vel ſæculum illud patrum memoriam præcedens, quo grauiſſimi Principes, FRIDERICVS & MAXIMILIANVS imperarunt, conſiderate: notandum in primis & memorabile, ob multas rerum miraſque vices, quas dudum parturientia fata ad magnam totius prope humani generis mutationem ingenti niſu ediderunt. Dum iſthinc capto Byzantio & exciſo Orientali imperio, dimidio propemodum Orbi vaſtitas & barbaries inducitur: hinc noſtra Teutonia, totaque ferè Heſperia & Triones, graue Tiberis iugum peroſa, conceptos diu gemitus erumpere motuſque iuſtos audere cœpit; quos continuò ingens illa prudentibus dudum præuiſa, non nullis etiam prædicta conuerſio, quæ non minus verè ac illa olim ſub Conſtantino FELIX TEMPORVM REPARATIO dici poſſit, eſt ſubſecuta: cui mox omnis etiam ciuilium artium elegantia & commoditas acceſſit, inſtauratis linguarum ſtudiis, & Palladiis ſcholis inſtitutis, typographia quoque & omni mechanica, felici ingeniorum certamine excogitata. Neque ita modò mutata rerum facie, velutique ſenio exuto mundus renouari viſus eſt: ſed & ſimul magna ſui parte ſubitò augeri, longinquis & eatenus ignotis quibuſdam inſulis, regionibus, imò mundis diuerſo Sole calentibus detectis, ditiſſimaque penu præter omnem opinionem aperta; & commerciorum, nauigationum, expeditionum noua materia data. Planè vt felix illud Auguſti ſeculum (qui adeo Friderico illo Cæ-

ſare imperii diuturnitate ſimiliorem non habuit) renatum videretur. Neque vetò tum ceſſabat erudita ſcriptorum diligentia, non indigenarum tantùm, ſed exterorum quoque, ad quos tantus rerum noſtrarum ſplendor non diffundere ſe non poterat: quique adeo ea tempeſtate ad ſtyli accurationem veterum imitatione primulùm conuerſi, alii perpetuis annalibus ſeriem rerum condere, alii ſingula per partes exequi certabant: nihilo tamen benigniore præ anterioribus fortunâ vſi. Quos ideo nunc demum ſtudioſiùs conquiſitos, & quantum fieri potuit integritati reſtitutos, cum reipublicæ & poſteritatis gratiâ in publicum ſeu emittere ſeu remittere pararem; cuius auſpiciis tam vtile inſtitutum adgrederer, ne ſemel quidem cum amicis in conſilium eundum putaui. Cum enim ſuperiori collectioni nobiliſſimæ Vindelicum metropoli oblatæ, iſtam iam tum promiſſam iuſta ſerie adnectere, ſimilibuſque patronis commendare par eſſet; quæ alia occurrebat Reſpublica illi coniunctior? quæ hac honoris delatione dignior? quæ tantum de patre meo meiſque omnibus merita? Planè vt, ſi à patre patria dicenda eſt, pro altera patria illam nos habere libenter meritò profiteamur, in qua tot annos honeſtiſſima functione ornatus, & in dignatione habitus vir optimus ætatem tranquillam exegit, vitamque clauſit. Quem affectum nuper ipſa magis etiam fouit & excitauit, cum ab illius funere me apud vos hoſpitem nullo non honoris & beneuolentiæ genere prolixè acciperetis. Neque iam hoc loco quis expectet, vt in laudes Vrbis veſtræ & reipublicæ vela pandam: quæ non tantùm fœcundiora olim ingenia exercere meruere, & his ipſis in ſcriptoribus non ſemel locum inuenere; ſed ad remotarum quoque gentium noticiam penetrauere; vt apud Atticos homines vix ſatis rerum locorumque gnaros, magno & prope inuidendo elogio ΠΟΛΙΣ ΕΤΔΑΙΜΩΝ celebrata legatur. Et ideo æuo, quo ſi inter cæteras vrbes caput altè efferebat, ad id tamen magnificentiæ culmen non excreverat, quod nunc ſingulari Superûm fauore obtinens, ſapientum virorum iudicio inter prima Germaniæ ornamenta, Imperii robora, artium & omnis elegantiæ præſidia habetur. A quo ſplendore ſi huic etiam operi (noſtro ferè dixiſſem, quod nos quidem prope ſepultum eruimus, diſiectum recollegimus, ſitu ſqualidum expoliuimus) ſtricturam aliquam quæram, & vt in viſenda illa Bibliotheca veſtra afferuatum à ſecundo deinceps interitu ſecurum degat, procurem; ritè & ordine facere optimo cuique videri potero, neque ipſi (ſi prudentiam & humanitatem veſtram noui) auſum improbabitis ſcio. Vos itaque, Ampliſſimi Patres, vt qualecunque mei in vos & ciuitatem veſtram cultus & affectus monumentum boni conſulatis, veſtrumque illum fauorem & benevolentiam tot argumentis compertam mihi meiſque, ſi meremur, deinceps conſeruetis; per ipſum, quod priuata charius vobis eſſe ſcio, publicæ rei decus rogo & obteſtor. Bene valete. E Plinianis, Non. Mart. Anno Chriſti MDCII.

MARQVARDVS FREHERVS.
Conſiliarius Palatinus.

AD NOBILISSIMVM VIRVM,

MARQVARDVM FREHERVM,

CONSILIARIVM PALATINVM,

GERMANIÆ SVOS SCRIPTORES

RESTITVENTEM.

VT non eſt auro ſuus uſus honorve, latente
Dum terra tegitur ſordidiore ſinu;
Sed pretii demum tunc nomen & omen adimplet,
Vi venit inque oculos ſæpius inque manus:
Sic nulla vtilitas, nulla eſt ſua adorea Libris,
Bibliothecarum quos malè carcer habet.
In pœnam ſolùm veniunt, ſi viuere verum eſt,
Membratim caries quos edit atque ſitus:
Quosque velut geminato hinc blatta hinc tinea rodit
Compede, dum fiant nil niſi nigra cinis.
Ergo tuum meritum quantum eſt ac quale, tot vltrò
Qui ſimul Auctores luce FREHERE beas?
Omnimodò magnum. Nam quod Germania, ab annis
Mille ferè, propius ſit modò nota ſibi;
Cernat & in ſpeculo monumenta foriſque domique
Geſta ſubinde ſago, geſta ſubinde toga;
Omne FREHERE tuum eſt: hoc eſt, tibi debet, in iſto
Qua ſit anus ſenio, ne videatur anus:
Illo ſed, ſupra Phœnicem, vere vireſcat,
Temporis in quam nil iura ſecunda queant.

IANVS GRVTERVS.

IAm verò & gerere, & geſtas Germania nouit
Scribere res: olim faciens digniſſima ſcribi,
Non ſcribens, breuibus nimirum promptior haſtis
Quam calamo, nec Cæſar erat, vel Cæſare ſi quis
Maior, Teutonicæ genti damnoſior hoſtis,
Quam tenebroſa fuit geſtarum Obliuio rerum.
Hanc, gentis miſerata, procul noſtro exigit orbe
Vindex HISTORIA: *illa alma ſanctiſſima nutrix*
Mnemoſynes, cuius templo tua fama FREHERE
Aureolis in ſcripta notis ſuſpenditur, atque
Mutitur ad ſeros ceu conſecrata nepotes.
Ipſa tibi laudemque ſuam titulóſque reſignat
HISTORIA: *vt qui ſcripta ſitu ſenioque ſepulta*
Eruis, & Patriæ manifeſta in luce reponis,
Abſtruſi teſtis veri, lux temporis & dux,
Vitaque Germanis veniens celebreris in ævum.

BARTHOLOMÆVS KECKERMANNVS,
Dantiſcanus.

TEVTONICÆ gentis, decus, & Mauortia ſacla,
Dignaque Germanis libera verba viris;
Et conſulta piè patri gnatoq;, duobus
Cæſaribus, vates quos vetuêre mori;
Pontificumque artes, pietatis, fallere laruâ
Mortales ſolitas, Auſonidumque dolos,
Eruis ex chartis dum culte FREHERE vetuſtis,
Et Regum archiuis, autographiſque Ducum:
Rem magnam præſtas, pro qua, ſi cætera deſint,
Non deerit gratæ poſteritatis honos.

SIMON STENIVS,
Lomacenſis.

AVCTORES HISTORIARVM QVI HOC TOMO SECVNDO CONTINENTVR.

BENEVENVTI DE RAMBALDIS Imolenſis, Liber Auguſtalis, vitas Cæſarum à C. Iulio vſque ad Wenceslaum Imp. ſummariè complectens. Cum ſupplemento Æneæ Syluii vſque ad Fridericum III. Imp. *(quod tamen quia nondum ad nos peruenit, eius loco Egnatianam Epitomen vſque ad Maximilianum I. Imp. ſuppoſuimus.)* Fol. 1.

ÆN. SYLVII ad Alphonſum Regem Siciliæ ſuper connubio Friderici & Leonoræ, oratio gratulatoria. Fol. 23.

M. IACOBI MOZII, Legati Cæſarei, coram Alphonſo Rege Portugalliæ pro filia eius Leonora Friderico Cæſari deſponſanda: & eodem tempore ad Imperatricem tunc futuram, in præſentia Regis & ſui parlamenti, habita oratio. *Ex m. f. noſtro.* Fol. 31.

ÆN. SYLVII Oratio pro coronatione Friderici III. Regis Rom. ad Nicolaum V. PP. cum petitione pro congregando Concilio generali. *Ex m. f. Palat.* Fol. 34.

EJ. Oratio ſuaſoria eodem tempore habita ad Nicolaum V. PP. vt Fridericum Cæſarem in Turcos paſſagium parantem, modis omnibus adiuuare velit. *Ex ms. Palat. multo correctius edita, quàm olim inter epiſtolas Æn. Syluii.* Fol. 38.

THADÆI QVIRINI, Patricii Veneti, ad Fridericum III. Imp. Româ à coronatione venientem, nomine ſuæ Reipublicæ oratio gratulatoria. *Ex ms. Palat.* fol. 42.

Alia oratio pro Vicario Cremonæ, ad eundem Imp. Fridericum III. aduentantem, habita penes Lauretum Anno 1452. Fol. 44.

MICHAELIS APOSTOLII, BYZANTINI Oratio panegyrica Græca ad Fridericum Imp. Ariſtonymi Byzantini nomine ſcripta, circa annum 1457. *Ex ms. Palat. cum verſione Latina Bart. Keckermanni.* Fol. 47.

NICOLAI LANCKMANNI DE FALCKENSTEIN de Friderici III. Imp. & Eleonoræ Portugalliæ reginæ deſponſatione, benedictione & coronatione: tum de Maximiliani Regis eiuſque ſororis Kunegundæ natiuitate, hiſtoriola ex variis litterarum monumentis & fragmentis concinnata. *Ex ms. primum edita.* Fol. 51.

ÆNEÆ SYLVII, de his quæ Friderico III. Imperante in Germania & per totam Europam memorabiliter geſta ſunt, vſque ad annum MCCCCLVIII. commentarius. *Veterum Codicum collatione multo quàm antea emendatior, atque etiam auctior.* Fol. 81.

DE SIGISMVNDI Ducis Auſtriæ honorabiliſſimo aduentu ad Conſtantiam ciuitatem Alemaniæ, anno 1459. epiſtola Venturæ de Peruſio Pontani ad Stephanum de Nardinis Protonotarium &c. *Ex ms. noſtro.* Fol. 171.

SIGISMVNDI, Ducis Auſtriæ, eiuſque aduocati GREGORII HEIMBVRG, appellatio & apologia contra cenſuram & excommunicationem Pii II. PP. anno 1460. interpoſita. *Correctiora ex ms. noſtris.* Fol. 183.

DE LEODIENSIVM diſſidio cum epiſcopo ſuo Ludouico Borbonio, & de Leodii ciuitatis excidio lamentabili anno 1468. narratio hiſtorica, è Iacobi Picolominei Cardinalis Papienſis Commentariorum libro IV. *Romana editio correctior.* Fol. 261.

DE CAROLI Burgundiæ Ducis laudibus & victoriis, nec non Leodienſium clade & excidio, incerti Auctoris epiſtola, tractatui de cuſtodia Principum, præfixa. *Ex ms. noſtro.* Fol. 278.

DE FRIDERICI III. Imp. in Italiam profectione votiua, & honorifico ad Vrbem aduentu, quidque ibi cum Paulo II. PP. anno 1469. egerit, narratio elegans é Iacobi Picolominei Cardinalis Papienſis Commentariorum libro VII. *Romana editio correctior.* Fol. 284.

AVGVSTINI PATRICII de Comitiis Imperii ſub Friderico Imp. III. apud Ratiſpo-

Ratiſponam celebratis anno MCCCCLXXI. commentariolus. Fol. 288. IO. ANTONII CAMPANI ad Iacobum Cardinalem Papienſem, ex eiſdem Comitiis, de rebus ibi geſtis Epiſtolæ familiares. *Editio Romana correctior.* Fol. 292.

De Congreſſu Friderici III. Imp. & Caroli Ducis Burgundiæ apud Treucrin anno 1474. hiſtoriola perelegans è Gallico, Rodulpho Agricola Friſio interprete. Fol. 302.

RHODIORVM militum magiſtri, Petri Danbuſſoni, de ſeruata vrbe præſidioque ſuo, & inſigni contra Turcas victoria, ad Fridericum III. Imp. relatio, Anno 1480. *Ex veteri illius temporis editione, in Bibl. Palat.* Fol. 305.

SIXTI PP. IV. Paſſagium, ſiue Bulla exhortans Principes Chriſtianos ad ſacram expeditionem in Turcas ſuſcipiendam, miſſa Philippo Palatino anno 1481. *Ex ms. Palat.* Fol. 310.

MATTHIÆ CORVINI Hungariæ & Bohemiæ Regis Oratorum ad Principes Imperii Noribergæ congregatos; pro auxilio contra Turcas ſerendo imploratio, anno 1482. Fol. 315.

Ejuſdem de denegata audientia & ope querela, ad Henricum Epiſcopum Ratiſponenſem ſcripta anno 1483. *extat apud Andream Presbyterum Ratiſpon. in chronico Bauariæ, ſub illo anno.* Fol. 319.

IO. TRITHEMII Hiſtoria Belli Bauarici, ex Annalibus Hirſaugienſibus. Fol. 321.

M. ANTONII TORQVATI Prognoſticon de Europæ euerſione: quod Matthiæ Regi Hungariæ direxit anno 1480. vſque ad annum 1538. Euentibus inſignioribus, quos ibi prædixit, ad marginem annotatis. Fol. 383.

APOPHTEGMATA Imperatorum Romanorum Rudolphi, Caroli IV. Sigismundi, Alberti, Friderici II. per Poggium Florentinum, Æneam Syluium, & Henricum Bebelium conſignata. Fol. 394.

FRIDERICI III. Imp. Epiſtolæ aliquot. *Quibus cum tempore, & amicorum ope, plures accedere poterunt.* Fol. 402.

Eiusdem Friderici Imp. formula precationis ad Deum, pro Imperii incolumitate. *Extat apud Bruſchium in Monaſteriis Germaniæ.* Fol. 404.

HERMOLAI BARBARI, Zachariæ F. legati Veneti, ad Fredericum Imp. & Maximilianum Regem Rom. recens creatum, principes inuictiſſimos, oratio gratulatoria, habita anno 1486. Fol. 408.

Q. ÆMYLIANI CIMBRIACI Poetæ & comitis Palatini, Encomiaſticon ad Diuos Cæſs. Fredericum Imp. & Maximilianum Regem Rom. lib. V. Quibus præcipue electio prædicti Regis, reſque eorum geſtæ apud Brugas Flandrorum anno 1488. celebrantur. *Hæc cum ſcholiis etiam Iac. Spiegelii excuſa audio.* Fol. 415.

D. CONRADI WENGERI Canonici Btixinenſis, de bello inter Venetos & Sigiſmundum Auſtriæ Archiducem geſto anno 1487. Commentarius. Fol. 445.

PALLANTIS SPANGEL Oratio extemporalis habita ad Maximilianum Rom. Regem, cum anno 1489. apud Philippum Comitem Palatinum Heidelbergæ pernoctaret, nomine Vniuerſitatis ibidem. Fol. 459.

VDAL. ZASII ad eundem Oratio habita Vniuerſitatis Friburgenſis nomine. *Extat inter alias eiuſdem orationes, commentario Feudali ſubiectas.* Fol. 466.

IASOMIS MAYNI I. C. Equitis Romani, Cæſarei & Ducalis Senatoris, ac Ducalem legatum in Germania agentis, ad Sereniſſ. Maximilianum Rom. Regem, in auſpicatiſſimis eius & Blancæ Mariæ Mediolani Vicecomitis nuptiis, Epithalamion proſa ſcriptum. Fol. 468.

PANDVLPHI COLLENVTII I. C. & Equitis, Ferrariæ Ducis legati, ad Auguſtiſſimum Principem Maximilianum Cæſ. Rom. regem, Oratio dicta Iſpruchis in auditorio Cæſaris. Fol. 476.

HENRICI GLAREANI Heluetii, Poetæ Laureati, ad Maximilianum Imp. Panegyricon. Fol. 481.

LITTERÆ credentiales & inſtructio Ambaſiatoris Regis Poloniæ ſuper irruptione Turcorum in eius dominium ad conuentum Principum ſub Maximiliano Rege, in Friburgo exhibitæ & præſentatæ, Anno 1498. *Ex ms. Palat.* Fol. 484.

PRIVILEGIVM & erectio Collegii Poëtarum & Oratorum in Viennenſi Gymna-

Gymnaſio per Maximilianum Imp. anno 1501. cum Panegyrico de eadem re Vincentii Longini Eleutherii Sileſitani. Fol. 488.

IOH. FRANCISCI PICI MIRANDVLÆ Domini & Concordiæ Comitis Stauroſtichon, de myſteriis dominicæ Crucis paſſim in Germaniam delapſis anno 1503. ad Maximiliannm Aug. Fol. 493.

HENRICI BEBELI Ecloga triumphalis de victoria Cæſaris Maximiliani contra Bohemos. Fol. 507.

LVDOVICI HELIANI, Vereellenſis, Regis Francorum Oratoris, in conuentu Germanorum Principum apud Auguſtam anno 1510. Oratio in Venetos inuectiua perelegans. *Ex Iohannis Tritbemii Abbatis Annalium Hirſaugienſium volumine II. deſumpta.* Fol. 522.

MICHAELIS COCCINII, Tubingenſis, de bello Maximiliani Imp. cum Venetis geſto anno 1511. Commentarius. Fol. 537.

IOH. PIERII VALERIANI, de honoribus D. Matthæo Langio Epiſcopo Gurcenſi, & Cæſareo totius Italiæ vicario, Vrbem ingredienti habitis, anno 1512. ad Petrum Criſpum epiſtola. Item Panegyris eidem Epiſcopo dicata per Ianum Franciſcum Vitalem Panormitanum. Fol. 569.

HIERONYMI NOGAROLI Comitis, ad Maximilianum Aug. pro Vicentinis oratio, habita ad illum pro templi foribus, cum à Patauina obſidione Vicentiam veniſſet. Fol. 583.

IOHANNIS CVSPINIANI, Præfecti vrbis Viennenſis, Diarium de congreſſu Cæſ. Maximiliani Aug. & trium Regum, Vladislai Hungariæ, Ludouici Bohemiæ, & Sigiſmundi Poloniæ, apud Viennam Auſtriæ anno 1515. Fol. 587.

RICARDI BARTHOLINI Hodœporicon ſiue itinerarum Reuerendiſſ. D. Matthæi Cardinalis Gurcenſis, Coadiutoris Saltzburgenſis &c. Quæque in conuentu Maximiliani Cæſ. Aug. & Sereniſſimor. Regum Vladislai, Sigiſmundi ac Ludouici memoratu digna geſta ſunt: multis inſignibus Orationibus, Epiſtolis, Carminibus inſertis. Fol. 613.

GRAVAMINA Germanicæ Nationis contra ſedem Romanam, cum remediis & auiſamentis ad Cæſ. Maximilianum, & cum eiusdem edicto. Fol. 673.

IACOBI WIMPHELINGII, Seleſtadienſis Theologi, de Germanicæ nationis & Imperii grauaminibus contra ſedem & curiam Romanam, tractatus Maximiliani Cæſ. juſſu ſcriptus. Fol. 684.

Eiuſdem ſuper eodem argumento contra Æneæ Syluii Cardinalis Senenſis tractatum Replicæ, ad Albertum Archiepiſcopum Moguntinum ſcriptæ anno 1515. Fol. 686.

LEONIS X. PP. Legatorum oratio coram Imp. Maximiliano & ordinibus Imperii, pro colligendis decimis in expeditionem contra Turcas, anno 1519. Et huic oppoſita viri cuiuſdam clariſſimi diſſuaſoria, Ne Principes in decimæ præſtationem conſentiant. Fol. 698.

IACOBI MANLII, Friburgenſis, Cæſarei Hiſtoriographi & Conſiliarii Epiſtola duorum actuum anno 1518. in vrbe Auguſta celebratorum narrationem continens. I. Inueſtituræ Cardinalitiæ dignitatis Alberto Brandenburgico Archiepiſcopo Moguntino collatæ. II. Gladii & pilei per Pontificis legatum Maximiliano Imp. oblati, Fol. 705.

ORATIO funebris in depoſitione Cæſ. Maximiliani in oppido Welſſ Auſtriæ, præſentibus Matthæo Cardinale Saltzburgenſe, Epiſcopo Tergeſtino, aliiſque Prælatis & Nobilibus, per F. Iacobum Fabrum Auguſtanum Prædicatorem habita 16. Ianuar. anno 1519. Fol. 717.

GEORGII SAVROMANI ad Auguſtos Principes Carolum V. Imp. electum & Ferdinandum germanum, poſt Maximiliani Cæſ. eorum aui obitum Oratio. Fol. 743.

PETRI ÆGYDII in eundem Threnodiæ, cum ſcholis Spiegelii, & alia quædam eo pertinentia. Fol. 760.

VDALRICI ZASII I. C. ſuper eodem Oratio funebris, habita Friburgi Id. Febr. Anno eodem. Eiuſdem Oratio in funere illuſtriſſ. Blancæ Mariæ coniugis Cæſareæ. Fol. 770.

E LAONICI CALCOCONDYLÆ, ATHENIENSIS, HISTORIA GRÆCA RERVM TVRCICARVM, LIB. II. *

p. 36. ed. Parisiensi.

LOCVS INSIGNIS GERMANIÆ DESCRIPTIONEM continens.

Cum Verſione recenſita, & Commentariolo.

Ἀγγελία δὲ ἀφίκετο αὐτῷ, ὡς ὃι Παίονες ἡγουμένου Σιγισμόνδου Ῥωμαίων βασιλέως τε καὶ αὐτοκράτορος, καὶ Κελτοὶ καὶ Γερμανῶν ἐκ ὀλίγοι συνδέγησαν ὡς ἐπ' αὐτὸν ἐπιόντες καὶ τὸν τε Ἴστρον παρεσκευάζοντο διαβήναι, καὶ Δάκας δὲ γένος ἐκ ἀγεννὲς ἕχοιεν μετ' αὐτῶν, τῆς τε ὁδῦ ἡγουμένες, ἣ τ' ἐσήγησιν τῦ ἔρκτῦ ποιεμένες. Σιγισμῦνδος δὲ ἦτος, ὁ ὕδη Παιαζήτῃ ἔρκτυόμενος, ἡγεμόντε Γερμανῶν τὴν ἀρχὴν ἐτύγχανεν ὢν ἀεὶ Βιέννην τὴν πόλιν τὰ πολλὰ διατρίβων, καὶ χώρας τῶν ταύτῃ Γερμανῶν ἄρχων ἁ Φαύλης, Παίονων μετὰ ταῦτα ἀρξαγομένων σφίσιν αὐτὸς τε βασιλεὺς ἀυ ἅμα καθεζῆκει Παιόνων, καὶ τῆς Γερμανῶν χώρας ἡγεμών. ἡ δὲ Γερμανία ἄρχεται μὲν ἀπὸ τε Πυρήνης ὄρες, ὅθεν καὶ ὁ Ταρτησσὸς ῥέων, ὕδη τὸν πρὸς ἑσπέραν ὠκεανόν. καὶ ἔςι μὲν ἡ ἄνω Γερμανία, ἀφ' ὅσον δὴ πρόσθεν καθήκει ἐς τε Κωλωνίαν καὶ Ἀργεντύνην, πόλεις ἄτω καλουμένας· τὰ δὲ ἐντεῦθεν καθήκει ὕδη ὠκεανόν, τὸν πρὸς Κελτικήν τε ὕδη δεξιὰ καὶ πρὸς δασίαν ἐπ' ἀριστερά, ὡς ὕδη τὰς Βρεττανικὰς νήσες. Ἔςι δὲ καὶ ὑπὸ Ἴρρε Γερμανία ἀπὸ Βιέννης πόλεως, ἐπ' αὐτὸν δὲ ἐς Ταρτησὸν πρόσθεν χώρης· καὶ ὕδη Βοΐαν τὰς πολεμίες. εἴη δ' ἂν ἀπὸ Βιέννης ἐς Ὠκεανὸν ἀνδρὶ εὐζώνῳ πέντε καὶ ἕκοσιν ἡμερῶν ἀνύσαι κ' μῆκος κ' δὲ πλάτος εἴη ἂν καὶ πλέον τούτων βραχὺ ἀπὸ τῆς Κελτικῆς ὕδη τὴν Δακίαν χώραν. Εὐνομεῖται δὲ ἡ χώρα αὕτη μάλιςα δὴ τῶν πρός τε ἄρκτον τε καὶ ἑσπέραν, πασῶν τῶν τκύτῃ χωρῶν ἅμα καὶ ἐθνῶν, ἐς τέ πόλεις πεφανεῖς καὶ εὐδαίμονας, καὶ ὑπὸ σφῶν αὐτῶν ἐς τε ἰσοδίαιτον εὐθυνομένας διηρημένας, καὶ ἐς τυραννίδας καὶ ὑπὸ ἀρχιερεῦσι ταττομένας τοῖς ὑπὸ τε Ρωμαίων μεγάλε ἀρχιερέως καθιςαμένοις. καὶ πόλεις μὲν ἐς ἰσοδίαιτον εὐνομεμένας εἶναν αὕτας ἄν σε τῇ ἄνω καὶ τῇ κάτω Γερμανίᾳ, Νόβεργον πόλις εὐδαίμων, καὶ Ἀργεντύνη, καὶ Ἀμπέργον, καὶ ἀρχιερεῖς τασσόμενας, Κωλωνία, Βιέννη ἡ ἐς τὴν κάτω Γερμανίαν ἴσα, καὶ ἄλλαι μὲν ἐκ ὀλίγαι πόλεις, ἀποδίδυσαι τὰ τῶν ὀλίγῳ τινὶ, ἀμφὶ τὰς μυρίας. ἐς δὲ τυραννίδας τρεῖς μάλιςά πη διέλοι τίς τῆς Γερμανίας ἡγεμόνας, τῆς τε Ἐτζιλείης πόλεως, καὶ Αὐρείας, καὶ Βλέννης, τῆς ἄνω Γερμανίας γενομένης. ἔςι δὲ γένος τῦτο μέγα, καὶ ὕδη πολυ διῆκον τῶν κ' τὴν οἰκουμένην, μετάγε Σκυθῶν τῶν Νομάδων δεύτερον. ὡς εἰ ταὐτὸ φρονοίη καὶ ὑφ' ἑνὶ ἄρχοντι ἡγεμόνι, ἀμάχητόν τε ἂν εἴη καὶ

al. συμβασιλεύσας.

al. Δακίαν.

* al. διηρημένας.

al. Νυρέμβεργ.

Tomo II.

INterim autem nunciatum eſt Paiazeti, Pannonnes duce Sigiſmundo Romanorum Rege & Imperatore, & Gallos Germanosque non paucos in vnum collectos bellum ipſi inferre decreuiſſe, iamque Iſtrum tranſire parare, allectis & Dacis, hominum genere non ignobili, qui viæ ſint duces, exercitumque ducant in hoſtilem regionem. Sigiſmundus ille, qui copias aduerſus Paiazitem ductanit, primò Germanorum fuit Imperator, & plerumque moratus eſt Viennæ, imperitans ibi Germanorum regioni haudquaquam malæ. Poſtea allectis Pannonibus, horum Rex, Germanorumq; regionis Dux creatus eſt. Germania incipit à monte Pyrenæo, inde Tarteſus * fluuius fluit in Oceanum, verſus Occidentem. Et Germaniæ pars, qua itur verſus Coloniam, & Argentinam, vrbes ſic dictas, ſuperior Germania nuncupatur. Hinc pertingit ad Oceanum Gallicum, verſus dextram, at verſus ſiniſtram patet Pytidaſtiam * vſque ad Britannicas inſulas. Dicitur quoque Germania ea regio, quæ ab Iſtro procurrit, procedens à Vienna vſque ad Tatteſum flumen, & ad Pragam Boëmorum. Longitudo à Vienna Oceanum vſque, tantum ſpatii complectitur, quantum vir agilis itinere viginti quinq; dierum conficere poteſt. Latitudo eſt maior, etiamſi quis ingrediatur iter breuiſſimum à Gallia Celtica verſus Daciam * regionem. Iſta natio gubernatur melioribus legibus, quàm vlla earum vel reginnum vel gentium, quæ reſpiciunt vel Septentrionem vel Occidentem. Diſcreta eſt in vrbes præclaras & florentes, quæ propriis legibus & quàm proximè ad æquitatem accedentibus reguntur. Diuiditur & in principatus, ſubiectaque eſt ſacerdotibus & Epiſcopis adhærentibus Romano Pontifici. Vrbes quàm maximè ad æquitatem conſtitutæ in ſuperiore & inferiore Germania ſunt, Noreberga vrbs opulenta, Argentina, & Ampergum, * quæ reguntur ab Epiſcopis, Coloniaque à Vienna in inferiorem Germaniam recedens. Sunt & aliæ vrbes non paucæ, propemodum ducentæ, quæ in paucis quibuſdam à prædictis differunt. In tres Principatus quis diuidere poſſet vniuerſus totius Germaniæ ducatus, videlicet Atziliæ vrbes, & Auſtriæ, & Blenæ, quæ in ſuperiori Germania ſita eſt. Genus hoc hominum magnum eſt, longè latèque per vniuerſum orbem imperat; magnitudineque ſecundum poſt Scythas Nomades habetur. Itaque

f. Recenſus.

* Dacian vel Daniam.

* Daniam.

* *f.* Hamburgum.

ſi con-

ſi concordiæ ſtudioſi eſſent, & ſub vno degerent Principe, planè eſſent inuicti, mortaliumque fortiſſimi. Sunt quantum ad corpora attinet, per quàm ſani, vt qui ſub Septentrionali ætatem agant plaga, & circa mediterraneum iſthic mare nullius rei indigentes. Nec eſt gens (quod ſciam) quæ melioribus regatur Legibus. Nec ibi fæuit peſtis, quæ ex corrupto naſcitur aere, maximeq; infeſtat Orientales, plurimoſque ibi habitantes perdit: neque alii morbi, qui æſtiuo autumnaliq; tempore reliquis mortalibus graues ſunt, Germaniæ incolas lædunt. Terræ motus rari memoratu digni eam regionem quatiunt. Pluuia præ cæteris regionibus æſtiuo tempore in iſta regione vberrima conſpicitur. Victu moribuſque Romanos imitantur, nec cætera quiſquam ab his differunt. Nec eſt vlla gens quæ ſuperſtitioſius Romanorum religionem colat, maximè qua Occidenti propinqua eſt. Monomachia apud eos vel maximè celebris eſt. Congrediuntur autem non equis inſidentes, verùm, terræ inſiſtentes. Nec facile inuenias gentem ad machinas teliquaque opera bellica magis idoneam. In artibus omnibus prætogatiua maxima gaudent. Quidam credunt, tormenta bellica & bombardarios ab iſta gente initio demonſtratos, & hinc totum petuaſiſſe orbem, vt paucæ gentes bombardis nunc careant. Reliquorum fructuum, præterquam olei & ficuum, regio iſta feraciſſima perhibetur. Pannonia, quæ & Vngaria, incipit à Vienna Germanorum oppido, & verſus Orientem, ſecundum Iſtrum procedens attingit Dacas & Triballos: verſus Septentrionem excurrit ad Boemos, quos Cechios nuncupant. Habet Paõnia & Principes, verùm ſinguli patrias tegunt regiones, ſubiecti tamen Regi ſuo certis quibuſdam legibus & conditionibus. Regem de ſuo corpore admodum rarò conſtituunt: verum plerumque accerſitur ex Boemorum regia familia, aut petitur à Germanis, aut Polonis, aut ab aliis gentibus finitimis. Germanos motibus armorumque cultu teſerunt. Cæterùm ſequuntur victus rationem intemperantiorem quemadmodum Germani & Galli. Religionem ſectantur Romanorum. Hoc hominum genus eximiæ fortitudinis eſt, mirumque dictu quanta audacia & animoſitate bella gerant. Ctcant de ſua gente quendam de numero Principum, qui reliquorum primus in regiam aſcenderit, eumque œconomum ſiue procuratorem aut adminiſtratorem, nec Principem nominant. Lingua vtuntur quaſi peculiari, quæ nihil commercii cum lingua Germanorum & Boemorum Polonorumque habere deprehenditur. Quidam tradunt eos antiquitus Getas extitiſſe, ſedesque habuiſſe quas inſederint, ſub monte Hæmo: tandemque pulſos à Scythis conceſſiſſe in eam regionem quam nunc tenent. Quidam putant eos quondam Dacos fuiſſe. Ego autem quænam ipſorum origo ſit, dicere non poſſum. Præterea cum ſibi dederint iſtud nomen, vt Pannones vocentur, ſicque appellentur ab Italis, non

πολλῷ κράτιςον. ὑγιεινότατον δὲ ὄν, ἅτε ὑπὸ τὴν ἀρκτῶαν μοῖραν τεταγμένον καὶ ἅτε τὴν ταύτῃ μάλιςα τῇ μεσόγειον θαλάτῃ οὐ πάνυ τι ἀπεσχωμένης. εὐνομεῖται μάλιςα δὴ ἐθνῶν ὧν ἡμεῖς ἴσμεν. ἅτε λοιμοῦ, ὃς δὴ ὑπὸ τῆς τῶ ἀέρος σήψεως ἐπιγενομένης μάλιςα ἐπιφοιτῶν τοῖς ἐῴοις ἀπάλυσι πολύ τι μέρος τῶν ταύτῃ οἰκίμων οὔτε ἄλλων δὴ νόσων τῶν ἐς ἡμᾶς πάντοτε εἰωθότων, θέρεός τε καὶ φθινοπώρε, ἐπιφοιτῶν τῶν χαλεπόντων αὐτοῖς θαμὰ, ὥςτε καὶ ἱκανόν τι ἀπογίνεσθαι τὰ γένεα τάτε. ἀτε σάκει, ὅ τι καὶ ἄξιον λόγε ἴσε. δὲ θέρεος μάλιςα δὴ ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ. πολιτεύεται δὲ κἀ ταύτα Ῥωμαίοις, ὅς τε διαιταν καὶ ἤθη τετραμμένον, συμφερόμενον τὰ ἄλλα Ῥωμαίοις, καὶ ἐς τὴν θρησκείαν Ῥωμαίων, μάλιςα δὲ τῶν περὶς Ἑσπέραν δεσιδαιμονέν. νομίζεται δὲ παρὰ τάτοις καὶ μονομαχία, μάλιςα δὲ τῶν ἄλλων ἐθνῶν ὥςτε γῆθαν ουδὲ ἐφ' ἵππων ἀλλήλοις μονομαχεῖν. τὸ δὲ γένος τᾶτο δεξιώτατον ἐς τε μαχανας ὂν καὶ ἐς τὰ πολεμικὰ ἔργα, καὶ ἐς πάσας τὰς τέχνας πολύ τι εὐδοκιμεῖ. Φέρει δὲ ἡ χώρα αὐτη πλὴν ἐλαίε καὶ ἰσχάδων τἄλλα πάντα ἐκ ἐλάσσω τῶν ἐς τὴν ἄλλην χώραν φερομένων. εἰσὶν δέ τινες καὶ τηλεβόλες τὲ καὶ τηλεβολίσκες ὑπὸ Γερμανῶν ἀρχὴν ἀποδεδεγμένες ἐς ἄλληλες, ἀφεῖθεν καὶ ἐς τὴν ἄλλην οἰκεμένην. Παιονία δὲ ἄρχεται ἀπὸ Βιέννης τῆς Γερμανῶν πόλεως, καὶ ἔθνη μὲν ἓω τῶ Ἴςρω συμπεσέσα, καθήκει ἔθνη Δακῶς τε καὶ Τριβαλές, ἔθνη δὲ ἄρκτον, ἔθνη Βοίμας τὲς Κεχὲς καλεμένης, καθήκει. ἔνεισι δὲ ἄρχοντες ταύτῃ τῇ χώρᾳ, ἄρχων δὲ ἕκας τῆς πατρώας χώρας καὶ ὑποτασσόμενος τῷ βασιλεῖ αὐτῶν, ἐς ὅσον νομίζεται σφίσι. νομίζεται δὲ ἐπὶ ῥητοῖς. καὶ ἔθπχωρίῳ μὲν βασιλεῖ ἀ πανύτοι χρῶνται. ἐπάγονται δὲ ἡ ἀπὸ Βοίμων, τᾶ βασιλείε οἴκε, ἡ ἀπὸ Γερμανῶν, ἡ Πολόνων, ἢ καὶ ἄλλων τῶν ταύτῃ ἐθνῶν. συμφέρονται δὲ Γερμανοῖς, τάτε ὅπλα, καὶ τὴν ἐς τὰ ἤθη αὐτῶν δίαιταν. ἐς τὸ ἀβροδίαιτον ἀποκλίνοντες, ἧ Φασὶ Κελτὸς καὶ Γερμανὲς. νομίζει δὲ κἄ ταυτὸ Ῥωμαίοις τὰ ἐς θρησκειαν γένος. δὲ τᾶτο ἄλκιμον, καὶ ἐς μάχας τόλμη ἀσχρώμενον ἔθνεσι. ποιεῖνται δὲ καὶ ἔθπχωρίων τινα τῶν ἀρχόντων τὰ πρῶτα ἐς τὴν βασιλείαν ἀνήκοντα, καὶ οἰκονόμον δὲ ὄντα, καὶ μηδὲ ἄρχοντα ὀνομάζουσι. Φωνῇ δὲ χρῶνται ἰδιαμῇ παραπλησίᾳ ἑτέρῳ τινὶ τῶν γενῶν, ἀλλ' ἄλλη τὸ παράπαν, διεγνώσθη τῆς Γερμανῶν τε καὶ Βοίμων, καὶ Πολόνων. εἰσὶν δὲ τίνες τάτες, οἱ μὲν Γέτας γενέθαι τὸ παλαιὸν, καὶ ἔθπ * τὸν Αἷμον οἰκοῦντας ὑπὸ Σκυθῶν κακωθέντας, ἀναχωρῆσαι ἐς τηνδὲ τὴν χώραν ἣν καὶ νῦν οἰκῆσιν. οἱ δὲ Φασὶ Δάκας γενέσθαι. ἐγὼ δὲ ὁποῖόν, ἄντε ἔη τὸ γένος τᾶτο τὴν ἀρχὴν, ἐκ ἂν ἔτων χαδίως εἰπεῖν ἔχοιμι. τ' ὄνομα μὲν τοι τᾶτο, ἀπὸ τεσφῶν αὐτῶν καὶ ὑπὸ Γετικῶν καλεμένης, ἃ πανύτοι καλῶς ἔχοιμι ἑτέρῳ τινὶ ὀνόματι καλεῖν τάτες. ὅτι δὲ αὐτοῖς βασίλεια ἐν Βάθλη πόλει εὐδαίμονι παρὰ τὴν Ἴςρον. Σεγισμοῦνδον δὲ τὸν Βιέννης τῆς Γερμανῶν πόλεως ἡγεμόνα ἐπαγόμεγον.

* al. ὑπὲ

ὑσν. οὗτοι δὲ οἱ Παίονες βασιλέα τε σφίσιν αὐτοῖς καθίσασαν, καὶ τῷ τὴν ἀρχὴν ἐπέτρεψαν αὐτῷ ἀμφὶ θεῖναι, ὡς ἔχοι ὅπῃ τὸ ἀσφαλέστερον. ἔτος μὲν οὖν ἐπέστε τὴν Παιόνων παρέλαβε βασιλείαν, διεπρεσβεύετο πρὸς τὸν Ῥωμαίων ἀρχιερέα, συνέθη τε ὄντα αὐτῷ καὶ ὑπηκόειον ὡς τὰ μάλιστα, ὥστε ὅπλοφιλεῖναι αὐτῷ αὐτοκεφάτορα Ῥωμαίων γενέσθαι. τοῦτο μὲν οἱ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεῖς τοῖς * κελτῶν βασιλεῦσι τὸ πρῶτον ἐπεδώσαν, ἀμφὶ τὰς πολεμίας, ἃς φασὶ τε καὶ ἀνδρειότατα πρὸς τὰς ἀπὸ Λιβύης ἀμβάντας ὅπῃ Ἰβηρίαν βαρβάρους καὶ τὰ πολλὰ τὴς Ἰβηρίας καταζεψαμένους αὐτὰς μετὰ δὲ ταῦτα ὅπῃ τῆς Γερμανῶν ἡγεμόνας μετενήνεκται ὁ ψῆφος τῷ Ῥωμαίων ἀρχιερέως. Σιγισμοῦνδον ὡς ὑπισχνοῦτο ὁ ἀρχιερεὺς τήν τε ἀξίαν ταύτην ὅπιτιθέναι, καὶ ὃν μετεπέμπετο ὅπῃ τοῦτο, ὥρμητο μὲν ὅπῃ Ἰταλίαν ἀμφὶ τῆς Ἐνετῶν χώρας. ἔτοι μέν οὖν ὡς ἐπύθοντο Σιγισμοῦνδον ἀμφὶ τῆς χώρας αὐτῶν τὴν πορείαν ποιούμενον, ἀπέμψαν ἄγγελον πρεσβευσοντες αὐτῷ, μὴ διέναι ἀμφὶ τῆς χώρας αὐτῶν. ὁ δὲ οὐκ ἔφη πείσεσθαι ἂν μὴ γῆν αὐτὰς παρωμένης ἴεγῳ ἀμφικωλύσαι ἀμφιπορευόμενον, παρεσκευάζοντο μὲν οὖν οἱ Ἐνετοὶ στρατὸν καὶ διεκώλυον. ὡς δὲ ἤνθετο κωλυόμενος, παρετάξατο ἐς μάχην καὶ συνέβαλε τῷ Ἐνετῷ στρατῷ καὶ ἀπεγένετο αὐτῷ οὐκ ὀλίγα τε στρατεύματος, τραπομένῳ τε ἐς φυγὴν, καὶ μόλις ἀμφυγόντι τὰς ἐναντίας. ἔτος μὲν δὴ ἐπὶ τε ἀπέγνω τὴν δι Ἐνετῶν πορείαν, ἀπῆει ἀμφὶ τῆς ἄνω Γερμανίας ἐς τὸν Λεγυρίας τύραννον ἀφικόμενος, ἐντεῦθεν δὲ ἐς Ῥώμην παρεγένετο, καὶ βασιλεύς τε καθιζήσει ὑπὸ τὰ μεγάλα ἀρχιερέως ἐς τοῦτο ἀποδειχθεὶς· μετὰ δὲ ταῦτα ἐδέητο τε τὰ ἀρχιερέως συμβαλέσθαι ἐς τὴν ὅπῃ τὸν βάρβαρον αὐτῷ ἐκστρατείαν γινομένην· ἠτεῖτο δὲ αὐτὸν χρήματα τε καὶ ἄνδρας· ὁ δὲ πρὸς τε τὸν Κελτῶν βασιλέα ἀμπρεσβευσάμενος καὶ πρὸς τὸν Βεργουνδίας τύραννον, διεπράξατο δοθῆναι ἐς ὀκτωκισχιλίας καὶ στρατηγὸν τῆς Βεργανδίας ἡγεμόνος ἀδελφόν. παρεσκευάσατο μὲν ἔν ᾗ αὐτὸς συλλέξας στράτευμα ἀπὸ Γερμανῶν ὅτου ἠδύνατο μισθωσάμενος. ὡς ἤδη αὐτῷ τε τὰ εἰς τὸν πόλεμον παρεσκεύαστο, ἐξέλαυνε λαβὼν τάς τε Παίονας καὶ Δάκας τῆς ὁδοῦ ἡγεμόνας εὐθὺ τὰ Ἴστρα ὅπῃ Παιαζίτην. διεπρεσβεύσατο δὲ καὶ πρὸς τὰς Ἰταλῶν καὶ Ἰβήρων ἡγεμόνας, χρηματίζοντος δὲ τοῦτο αὐτῷ τὰ ἀρχιερέως, αἰτέοντος χρήματα καὶ ἄνδρας. καὶ χρήματα μὲν ἐπεπόμφει αὐτῷ ἱκανὰ ὁ ἀρχιερεύς, ἄνδρας τε. ὁ μὲν οὖν Παιαζίτης, ὡς ἐπύθετο ὅπαντα οἱ Σιγισμοῦνδον τὸν Ῥωμαίων αὐτοκράτορα, σὺν πολλῷ στρατεύματι ἐλαύνοντα, ἀναλαβὼν τὸν τῆς Εὐρώπης τε καὶ Ἀσίας στρατὸν ἅπαντα, ἀντέστη ὅπῃ Ἴστρον ᾗ ἐδύνατο τάχιστα πορευόμενος. στρατοπεδευσαμένῳ δὲ αὐτῷ ἀπὸ τὰ Ἴστρου, ὅπῃ σταδίας τεσσαράκοντα, οἱ Κελτοὶ αὐθάδες τε ὄντες καὶ ἀγνώμονες ὡς τὰ πολλὰ, ἀξιοῦντες σφῶν αὐτῶν μόνων τὴν νίκην γενέσθαι, ὁπλισάμενοι ἐπῆσαν πρότεροι ὡς ἀναστασόμενοι τὰς βαρ-

decorum fore ratus ſum, ſi aliud ils impoſoero nomen. Regia eorum eſt Buda, vrbs flotentiſſima, Iſtro adiacens. Sigiſmundum autem Germanorum Imperatorem agentem Viennæ vocantes Pannones declarauerunt Regem, eique tradiderunt regnum vniuerſum, & quæ ad regni curam pertinent, vt omnia ſic ordinaret, quemadmodum putaret ea fore commodiſſima. Hic vt primum regium honorem iniit, legatos miſit ad Romanum Pontificem, * iam ante ſibi familiarem & neceſſimdine deuinctum, rogans vt ſuom conſenſum præſtaret, quo Romanorum declararetur Imperator. Imperatoriam dignitatem Romani Pontifices primò contribuere Galliarum regibus, propter hoſtes * ex Libya in Iberiam tranſuectos fortiter cæſos, & ob Iberiam à barbaricis incurſionibus liberatam. Poſtmodum eligendi Romanum Imperatorem poteſtas translata eſt à Pontifice ad Germanos. Sigiſmondus cum eam dignitatem ſe daturum reſpondiſſet Pontifex, accerſitus & vocatus eſt à Pontifice, vt Imperatoriam dignitatem acciperet. Sigiſmundus Romam proficiſcens iter faciebat per Venetorum regionem. Hi, vt primùm nunciatum eſt Sigiſmundum per ipſorum regionem traoſitum facere, miſerunt nuncium qui moneret, vt ipſorum regione excederet. Hic oocio Venetorum parere neglexit, niſi cerneret eos te ipſa traoſitum prohibituros. Veneti igitur congregato exercitu vim facere parabant Sigismundo, niſi conſeſtim ſua diſceſſiſſet regione. Vt cognouit Venetos id moliri, copias in aciem edoxit, & cum Venetorum exercitu prælium commiſit. Amiſit autem in eo prælio non modicam exercitus partem, ipſeque io fugam compulſus, ægrè quò minus caperetur, fuga euaſit. Cum iam plaoiſſimè deſperaret, ſe poſſe per Venetorum regionem adire Romam, iter flexit io ſuperiorem Germaniam perueniitque ad Liguriæ * Priocipem. Hinc iter Romam inſtituit. Quò cùm veniſſet, Imperator à Pontifice Maximo conſaluratus eſt. Poſtea rogauit Pontificem Maximum auxilium, qno adiutus, expediooncm contra Barbaros ſuſceptam conficere poſſet. Flagitabat autem pecuniam, viroſque. Pontifex legatione miſſa ad Gallorum Regem Burgundiæque Ducem effecit, vt ſibi darentur octo milia militum: belli autem ducem accepit Burguodiæ Ducis frartrem. Sigismundus qooque ſe ad bellum patabat, conſcribens exercitum ex Germanis, quoſcunque potuit mercede conducens. Cum iam ad bellum ſatis ſotet inſtroctus, aſſumtis Pannonibus & Dacis, qui itinera mooſtrarent, tecta que pet Iſtrum contra Paiazitem copias duxit. Legatos quoque miſit, conſolente id Pontifice Maximo, ad Hiſpanorum Italorumque Pooocipes, petens ad iſtam expeditionem milites & pecuniam. Pontifex quoque milites miſit, & pecuniam ſoppeditauit. Paiazites quàm primum didicit Sigiſmundum Romanorum Imperatorem magnis copiis ſtipatum, aduerſum ſe pergere; accepto Europæ Aſiæque

* Eugenium IV.

* Saracenos.

* Philippum vicecom. Mediolani.

exercitum, ſumma celeritate obuiam profectus eſt hoſti vſque ad Iſtrum, cæteraque communiuit ab Iſtro ſtadiis quaſi quadraginta. Galli autem (vt ſunt audaces, plerumque verò imprudentes) cum cuperent victoriam ſuam facere, arma capiunt, barbaroque aggrediuntur, quaſi eos primo impetu domituri. Tandem cùm prælium varinque maxima virtute ferueret, Galli fugam ineunt, incitatiſſimoque curſu cum agerentur ad ſuos, inſequentibus Turcis, & Sigiſmundi militibus admixtis atrox prælium coortum eſt. Cùm acriter inſtarent Turci, etiam Pannones & Germani fugæ Gallorum ſe ſociant. Feſtinantibus autem iis Iſtrum tranſire, maxima pars exercitus flumine abſumpta eſt. Facta eſt cædes maxima Gallorum & Pannonum pereuntium. Dux Burgundiorum qui totius belli Imperator electus erat, ab hoſtibus captus eſt: capti ſunt & alii Pannones, Gallique plurimi. At Sigiſmundus in maximum vitæ diſcrimen adductus, vixque hoſtis manus, quo minus caperetur, effugiens, trirememq; quæ in flumine erat, conſcendit, Byzantiumque ad Græcorum Imperatorem nauigauit. Cum plurima cum iſto Rege diſſeruiſſet, & quæ volebat expediuiſſet, domum reuerſus eſt.

βάρους. μάχης δὲ καρτερᾶς γενομένης, τρέπονται οἱ Κελτοὶ, καὶ φεύγοντες ἀνὰ κράτος καὶ κάνι κόσμῳ ὅπλοις ἐπὶ τῷ σφετέρῳ στρατεύματι ὑπεσπωμένων τῶν Τούρκων, ἐνταῦθα ἀνὰμιξ γενομένων αὐτῶν, ὡς ἐπέκειντο οἱ βάρβαροι, τρέπονται ἅμα τούτοις, οἵτε Παίονες καὶ οἱ Γερμανοὶ. ἐπεγομένων δὲ εἰς τὴν τῦ Ἴστρου λάβασιν, ἀπώλετο πολλὰ τὰ στρατεύματος καὶ τὸν ποταμόν. ἐγένετο δὲ φόνος πολὺς ὀλυμένων τῶν Κελτῶν καὶ Παιόνων ὑπὸ τῶν ἐναντίων, καὶ ὁ Βουργουνδίων στρατηγὸς ἑάλω, καὶ ἄλλοι ἐκ ὀλίγοι Παιόνων τε καὶ Κελτῶν. ὁ μὲν οὖν Σιγισμῦνδος λαμπνδυνεύσας τὰ ἔσχατα, καὶ αὖθις βραχὺ ἀλῶναι λαφύγων, ἐμβὰς εἰς τεμέρη τῦ τὸν ποταμὸν ἔπλευσε Βυζάντιον πρὸς βασιλέα Ἑλλήνων. εἰς λόγους δὲ ἀφικόμενος τῷ Βυζαντίῳ βασιλεῖ, καὶ χρηματίσας αὐτῷ ὅσα ἐβέλετο, ὤχετο ἀποπλέων ἐπ' οἴκου.

COMMENTARIVS.

LOCUS hicce Laonici Athenienſis ut ad honorem Germanæ gentis inſigniter pertinet, ita tot & tam inſignibus mendis non tam à librarijs (quorum quidem culpæ trium Codicum Palatinorum mss. collatione mederi, quantum licuit, anniſi ſumus) quàm ipſo ſcriptore, homine non in Germania noſtra hoſpite, ſed planè ignota loquente, quæ ſola auditione neſcio vnde accepiſſet, oppletus eſt, vt multum dubitarem, an eum licet anxiè quæſitum & deſcriptum in hanc collectionem admittere, nedum in eo ſcholiis explicando aliquid operæ ponere vellem. Sed vtut ipſe tanti non videretur, tanti quidem viſa eſt patria Germania, quam neque iſta hominis exotici commendatione defraudaremus. In qua quidquid veri eſt, neceſſe eſt à vulgatiſſima fama rerum pluſquam notoriarum (vt vulgo loquuntur) & toto orbe compertarum fuiſſe profectum. Quo in genere ſcholia ſcribenti non difficile fuiſſet plura etiam congerere, niſi modum tenere præclarius putaſſemus. Cæterum alicubi etiam in his ſalebris pedem hæſiſſe nihil mirum, orbatis præſertim ductore illo, qui ſolus inde expedire poterat: LEUNCLAVIO inquam noſtro, horum ſcriptorum peritiſſimo; quique adeo totum iſtum Laonicum ſua manu, dum hîc verſaretur, diligenti cura deſcripſerat. Quanto (heu) redimerem, vel horulam vnam ſuper hoc loco cum eo ſermones contuliſſe! Sed ad rem.

Σιγισμῦνδος.) Iam vel hoc miror rectè ſcriptum, cum apud alios Græcos nomina noſtra miris modis lancinata video: Ἀλμάργος, Δολοῖμος, Ρομπέρτος, Σφενδοσλάεος: in quibus vix recognoſcas noſtrum Henricum, Lodouicum, Rupertum, Wenceslaum.

Πυρηνίης ὄρεος, ὅθεν καὶ ὁ Ταρτησὸς ῥέων.) Ex Pyrenæo ſane, Celticæ regionis monte Tarteſum defluere auctor eſt Ariſtoteles 1. Meteor. à quo Tarteſum oppidum nomen traxiſſe, ſcribit Stephanus de Vrbibus. Eſt id oppidum Hiſpaniæ non procul Gadibus ad fretum Herculeum, teſte Plinio lib. 3. cap. 1. Strab. lib. 3. Liuio lib. 8. Dec. 3. Sed quid huic cum Germania? Quid Laonico in mentem venit, vt Germaniam vſque ad Pyrenæos montes extenderet, quos certum eſt diſcriminare Galliam ab Hiſpania, ita vt Alpes Italiam à Germania. Sine ambagibus, Rhenum voluit dicere patrem fluuiorum Germaniæ, quem & pro ipſa Germania ponere ſolebat antiquitas: cuius propemodum nullus ſcriptor, qui Germaniæ res attigerit, non meminit: cuius hîc quoque nullam mentionem fieri mirum eſſet, vbi tamen ſit adſitarum vrbium, Coloniæ, Argentinæ. Sed cur pro hoc flumen illud Iberum? Quid mirum in homine Græco, qui totius Heſperiæ vnum tantum montem Pyrenæum, vnum flumen Tarteſum putauit. Nimirum & Nonnus, auctor non paulo eruditior, Rhenum noſtrum Iberum vocat, duobus Dionyſiacorum locis, pag. 397. & 747. quem locum attigi in Originibus. Palatin. cap. 3, Dicet quis: At Rhenus non ſe infundit Oceano occidentali, (vt hîc de Tarteſo dicitur) ſed Germanico? Ita quidem, ſi per Occidentalem intelligas Atlanticum: ſed tamen nihil prohibet, quo minus etiam Germanicus dicatur Occidentalis reſpectu Thraciæ aut vicinarum regionum, vbi egiſſe videtur Chalcondyles, quantumuis nonnihil ad Aquilonem declinet. Imo verò (ſi rem exactè conſideremus) mare Germanicum pars & ſinus eſt Oceani occidentalis, Germaniæ, Britanniæ, & Daniæ littoribus clauſus. Sed regeret alius, quid Rheno cum Pyrenæis montibus, à quibus tota Galliarum longitudine diſtat? Reſpondeo. Quid Iſtro cum Pyrenæo Celtico? vnde eum oriri non tantum Ariſtoteles ſcribit loco prædicto, ſed etiam Herodotus in Euterpe. Cum tamen vtriusque fluuij origo ſit

in

in Alpibus Rhæticis: quod etiam è Græcis Strabo benè nouerat, & Dionyſius Alexandrinus, interprete Priſciano:

Incipiunt Alpes: quibus exit gurgite vaſto
Oceani rumpens glacialis littora Rhenus.
Hunc prope conſurgit fons Iſtri flumine longo.

Néque oeſcimus, eſſe etiam Pyrenæos Germaniæ, & ſummam partem Alpium, qua Oeniponte Tridentum iter eſt, montem Pyrenæum dici, vulgo etiamnum der Brenner. De quo cum plura annotet Ortelius in Theſauro, Baſſi tantum epigramma adſcribere placet, interprete Stuckio noſtro:

Saxa Pyrenæi, & depreſſa vallibus Alpes,
Qua Rheni fontes haud procul aſpicuit.

Séd hoc emplaſtrum neque Ariſtoteli Herodotoque obduci poteſt, propter ἐπίθετον Celtici: neque etiam Laonico noſtro, ob Tarteſi mentionem, de quo nunquam guſtavit hæc Germania. Sed fatendum quod res eſt. Nimirum in omni nomine Germanico mirificè cæcutit, hallucinatur, impingit, labitur Græcia. Vt cum Stephanus Byzantius Francos populos facit Italiæ, auctorem dicti adducens Parthenium: cum Arrianus non procul ab Ionio Germanorum ſedes deſignat: quos aliosque lapſus notauit Irenicus lib. 9. Exegeſ. German. cap. 3. &c. 4.

Ἡ ἄνω Γερμανία.) Alia diuiſio primæ & ſecundæ Germaniæ in veteri Notitia Imperii: item in diſtributione Metropoleon. Sed inuat huius locum inſignem, quateous Germaniam concernit, apponere ex veteri Cod. S. Galli. *Prima prouincia Germaniæ habet ciuitates numero II. Metropolis ciuitas Agrippina, id eſt Colonia. Ciuitas Tungris. Secunda prouincia Germaniæ habet ciuitates numero VI. Metropolis ciuitas Mogonciacus. Ciuitas Argentoracenſis, id eſt Strasburg. Ciuitas Nemetis, id eſt Spira. Ciuitas Wangionum, id eſt Wormatia. Ciuitas Wirtzburgenſis. Ciuitas Conſtantia. Caſtrum Rubilocus, quod Eihſteti dicitur. Ciuitas Auguſta Vindelicorum, id eſt Anuesſpurch Prouincia Rhætiorum, id eſt Noricus ripenſis ſuper Danubium, ſiue Noricus mediterranea habet ciuitates numero VI. Metropolis ciuitas Iuuano, id eſt Salzburg. Ciuitas Regino. Ciuitas Patauia. Ciuitas Frigiſienſis. Ciuitas Noua. Ciuitas Sabionenſis. Prouincia Sequanorum habet ciuitates numero VII. Metropolis ciuitas Vezontio. Ciuitas equeſtris, id eſt Auenticus. Ciuitas Baſilienſis. Ciuitas Vindonenſis. Ciuitas Argentarienſis. Ciuitas Ebritunenſis. Ciuitas Rauracenſis.*

Περὶ Δαϛίαν.) Sic legit ms. vnus: alius vero σκυθίαϛίαν, tertius denique πυρηναϛίαν, vnde monſtrum regionis interpres fecit, Pyridaſtiam. Sed ſi ſuperior de Tarteſo expoſitio valet, legendum videtur Περὶ Δανίαν vel Δανίαν: notum eſt enim ſuperiori ævo *Daciam* vulgò dictam & ſcriptam (licet malè) quæ hodie Dania. Vt ſit ſenſus, Germaniam inferiorem (cuius tamen poſt ſuperioris factam mentionem expreſsè hîc non meminit) Oceanum attingere: qui ex ſiniſtra quidem parte (nam & hoc emendaodnm eſt,) Gallias ex dextra veto Daniam alluat: & obiectas quaſi medio io Oceano Britannicas habere inſulas. Et confirmat quod paulo poſt loogitudinem Germaniæ à Galliarum fioibus ad Daniam vſque protendit.

Βεάγαν τὰς πολαμίας.) Sic quidem omoes msss. Palatini. Interpretem apparet legiſſe Βεάγαν τῶν Βοίμων vel Ποίμων. Senſus erit, iter Vienoa facientibus Tarteſom (id eſt Rhenum) verſus, oſtia eius ſcilicet, Pragam Bohemorum eſſe tranſeundam. Cæterum Laonicus hic contra omnium aliorum auctorum morem, longitudinem Germaniæ à meridie in Septentrionem, à Vienna Auſtriæ in Oceanum vſque Germanicum protenſam facit: latitudinem vero ab extrema ora Galliæ in Daniam ſecundum littora maris Germanici ab Occidente verſus Orientem. Nam (vt & hoc obiter) vbi duo Codices, alter quidem Δανίαν, alter vero Δαϛίαν, ibi tertius melius habet Δανίαν.

Ἀνδρὶ εὐζώνῳ.) Non noſtris iam hominibus, aut vix certe. Nimirum veteres, præſertim Græci, Aſiatici, Orientales, agilitate & pernicitate pedum excellebant. De quorum etiam curſoribus quæ leguotur, fidem noſtram hodie ferè ſuperant. Vide Lipſ. centur. 3. epiſt. 59.

Ἐυνομεῖται ἡ χώρα αὕτη μάλιϛα.) Repetit hoc infra mox: εὐνομεῖται μάλιϛα δὴ ἐθνῶν ὧν ἡμεῖς ἴσμεν. Æneas Syluius in Germania cap. 68. *Vidimus iudicia veſtra: & concilius veſtris quæ republica gerebantur, ſæpius interfuimus. Omnia & prudenter & grauiter adminiſtratis, nec facile à recto tramite deflectimus. Nec vobis ciuiles leges, nec jura deſunt pontificalia: littera quoque & omnia bonarum artium ſtudia apud vos florent.* At olim Germaniæ nulla à re mioos laodis erat, quàm à legibus. Nam quæ ſuper ſuot caſcæ majorum noſtrorum leges, plane inter prima Germanicæ antiquitatis monumenta cenſendæ, Alemanicæ, Boiaticæ, Saxonicæ, Francicæ, & aliæ; præterquam quod verbis aſperæ, etiam re ipſa longius à ſumma illa æquitate re ceduot: tanquam à Mauortiis profectæ nationibus, quæ potius manus ferro quàm ex inre conſerere, & in caſtrenſibus armis quàm ſubtili iurjs indagatione operam ponere conſueuiſſent, & (vt Enniano verbo vtar) *Bellipotentes erant magè quàm ſapienti potentes.* Quamquam pro hac legum incuria alia, & quidem maior, illis laus ſuccedebat, quod (vt Tacitus ait) *plus apud illos boni mores quàm apud*

alios ipſa leges valerent. Donec tandem orbe Romano ad occidentem Solem ſubacto, cum impetio etiam leges tanquam illius inſtrumeotum accipiendum, eoque ceu freno ad prouincias illas regendas vteodum arbitrati ſuot. Vnde io Gothorum primum, dein Longobardorum, tandemque Francorum leges multa ex Romanis translata videmus: quod Carolinarum præſertim legum volumen ſatis loquitur, neque Ius ipſum Saxonicum diſſimulare poteſt. Ioſtioiani autem legislatioocm integram per molta ſæcula Germania noo agoouit, imo nec habuit aut vidit: vt nec aliæ Occidentis prouinciæ, quod alibi demonſtrauimus. Primum Lotharium Saxonem Imp. repertis Amalphi vrbe Apuliæ Pandectis, ius illud in lucem & uſum reuocaſſe fama eſt, Irnerio ſuaſore, cuius Vrſpergenſis meminit, notatus & ipſe à Sigonio libro 14. de regno Ital. De quo etiam nos alibi latius.

Τὰς ἐπὶ Ῥωμαίων.) Hoc ad differentiam Græcæ Eccleſiæ, quæ Papam non agnoſcebat. In Germaniæ & Heſperiæ totius Epiſcoparos primatum & ſuperiotitatem vſurpabat Roma. Hinc illa Diocœſeon diſtributio, taxæ, pallia, &c.

Νόεσιγον, Ἀμπίσγον.) Nomina urbium miſerè habita: quippe Græcis hominibus dictu ſcriptuque planè difficillima. In mentem veoit ſimilis locus Beniamini Tudelenſis in Itineratio, qua parte Germaniam attingit, quam olim *Aſchenaz* dictam apud ſuos notat, de quo Druſ. 1. Animaduerſ. cap. 41. *Ha ſunt*, ioquit ille, *apud Germaniam regiones, in quibus Iſraelitarum collegia ſunt, juxta fluuium Moſellam & Kompbilinas* (Confluentiam intelligit) *& Odrantab. & Kuna, & Kotania, & Bmga, & Garmezza* (Germersheim puto) *& Maſtberan.* Et paulo poſt: *Sunt præterea Aſtranburk* (ſotte Strasburgum) *& Dauirasburk* (quod de Auguſta noſtra Vindelica feliciſſimè exponit, eximium eius columen & decus M. Vellerus lib. VI. terum Vindelic.) *& Mandatrab, & Peſſinghes, & Bamburk, & Sar, & Raſenburk, quæ regni etiam finis eſt. Inde autem & vlterius regio Bohemi eſt, quæ nunc Praga dicitur, eſtque Sclauonia terra inutium.* Forte & populorum ciuitatumque oomina aliquando mutata euariant. Quis populos illos Germaniæ iam nouit, quos enumerat Gregorius PP. III. in quadam epiſtola: *Vniuerſis optimatibus & populo prouinciarum Germaniæ, Thuringis, & Theſis, & Borthacis, & Niſtreſis, Vnedredis, & Lognais, Sudnodis, & Graffeltis, vel omnibus in Orientali plaga conſtitutis.* Non iam mitot Panegyriſtæ oauſeam, horrentis vel ad nomina noſtra: *Quid memorem*, inquit Nazarius, *Bracteros; quid Chamanos, quid Cheruſcos, Vangionas, Almanos, Tubantes? Bellicum ſtrepunt nomina, & immanitas barbaria in ipſis vocabulis adhibet horrorem.*

Πόλις εὐδαίμων.) Magnum elogium, magnum. Ἐυδαίμονας pagos quoſdam io Hyrcania dictos Diodorus ſcribit, ob ficuom aliorumque fructuum miram abundaotiam. εὐδαίμονες χῶραι ſont apud Appianum in Parthicis. εὐδαίμονες ioſulæ circa Arabiam Felicem ſunt Agatharchidi. Sed & Romani Felicem Iuliam, Felicitatem Iuliam; colonias, lacus, legiones Felices ſuas haboerunt. Hoc epitheti Norìbergæ Laonicus tribuit, & ſoli. Vnde æſtimare licet, quæ nunc temporis celebritas & ſplendor vrbis fuerit: quæ tamen poſtea multis modis aucta & amplificata eſt. Proxime huius ævum Æneas Syluius Cardinalis Senenſis ad Martinum Maiorem IC. ſcribens, non parcis laudibus εὐδαιμονίαν illam nobis explicat: *Norìcorum oppidum*, inquit, *flumine Regniſia* (Pegneſo dicendum) *interfetlum, nam hodie Franconibus datur, præterire non poſſumus; Duc rogamus*, (nam hioc vxorem duxiſti, caſtiſſimam æquè ac pulchram) *quænam facies huius vrbis? qui ſplendor, qua amœnitas, quæ delitia, qua forma regiminis? quid illic ad ciuitatem omni ex parte perfectam deſiderare quiſpiam potuerit? Quis venientibus Franconia inferiori & procul ſpectantibus eius vrbis aſpectus, quæ mœſtias? quod decus ab extra viſentibus, quis intus nitor platearum, quæ domorum munditiæ? Quid S. Sebaldi templo magnificentius, quid ſplendidius D. Laurentii delubro? Quid arce regia vel ſuperbius vel munitius? quid foſſa, quid mœnibus illuſtrius? Quot ibi ciuium ædes amœnas regibus dignas. Cuperent tam egregiè Scotorum reges quàm mediocres Norimberga ciues habitare.* Idem in Europa cap. 39. poſtquam diſceptauit, Franconiæ an Bauariæ ſit accenſcoda: *Ipſi Norimbergenſes nec Bauoarii, nec Francones videri volunt, ſed tertium quoddam ſeparatum genus. Vrbs ea nobilis magnificis operibus publicis ac priuatis ornata eſt: amne Pegnitio interlabente, in agro ſterili & arenoſo condita: atq; ob eam rem induſtrioſo populo. Omnes enim aut opifices ſunt, aut negociatores. Hinc multæ illis diuitiæ, & magnum in Germania nomen. Aptiſſima Imperatorum ſedes, libera vrbs, & in medio fermè Germaniæ ſita.* Sed latius eam deſcribit Ioannes Cochlæus Noricus, in de ſcriptione German. c. 4. & Cooradus Celres Protacius, Heliuſque Eobanus Heſſus poëta, ſingnlaribus libellis, hic verſu, ille proſa, celebrandam ſibi ſumſerunt. Sed Iulii Cæſaris Scaligeri, diuini hominis, aureos de ea verſus omittere hoc loco non poſſum. digoos quus vel deſcribeodo ediſcam. In Vrbibus, lemmate Nuremberga.

Diua mihi extremi da munera ſacra laboris,
Non tamen extremo conſpicienda loco.

Sed

Sed velut abdutto veneramur in ordine cœtum,
Hic vbi naturæ fine quieuit opus.
Non potes æthereis deducere ſedibus aſtra:
Inuenes tibi quæ Norica terra dabit.
Hunc ſibi corruptas terras Aſtræa relinquens
Fatali ſtatuit fide tenere locum.
Quis putet horrifico ſociatas Marte Camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe, & Phœbi felicia tempora lauté:
Sanctaq; ſit valido fœdere cuncta fides.
Omnibus ex iſtis ne tu, ut dempſeris vnum,
Addere quin poſſis omnia magna, tuum eſt.

Quod autem Noricæ vrbis *ἰσοδίαιτον εὐνομίαν* Laonicus, & reipublicæ formam Syluius commendant, ſuffragantem ex recentioribus ſcriptoribus habent Bodinum de Republica libro 2. cap. 6. vbi magiſtratuum & officiorum ordines (quàm liquidò, non dicam) exponit: & Stephanum Pighium elegantiſſimum ſcriptorem, in Hercule Prodicio pag. 146. magnis magnæ vrbis decora digno calamo exequentem: qui vterque eruditorum manibus teruntur. Neque plures illuſtrando Soli faces adhibere animus eſt, aut locus.

Ἀμπέργον.) Amberga metropolis eſt Palatinatus ſuperioris in Bauaria, elegans & ampla ciuitas: ſed nullo tamen modo cum Noriberga (quam Codices tres Palatini hoc loco conſtanter Νόξεργον ſcribunt) aut Argentina conferenda: neque par illis, neque ſecunda. Melius itaque cum interprete Hamburgum intellexerimus, quæ ciuitas eſt diuitiis ſplendida, populo potens, & commerciis longinquis celebris: ſuaderis Hanſatici (quod vocatur) ciuitatum hodie caput. Eadem ſedes Epiſcopalis olim fuit, & Eccleſia Hamburgenſis antiquitus metropolis omnium Aquilonarium: de quo Crantzius in Metropoli. Quod autem Laonicus iis ciuitatibus quæ ἀρχιερέα habeant, Noribergam etiam accenſet, fallitur: nam Epiſcopum proprium nunquam habuit, diœceſi Bambergenſi incluſa, vt Syluius ſcribit in Europ. capite 39.

Ἀμφὶ τὰς ἑξήκοντα.) Vt minimam quidem. Certe prope centenas, ſaltem imperiales, enumerat Matricula (quæ vocatur) Imperii. De quibus ita Æneas in Germania: *Comitatus etiam quas vocant liberas, quod Imperatori ſolum ſubiiciuntur, cuius iugum inſtar eſt libertatis. Nec profectò vſquam gentium tanta libertas eſt, quantâ fruuntur huiuſcemodi ciuitates. Nam populi quos Itali vocant liberos, his potiſſimùm ſeruiunt, ſiue Venetias ſpectes, ſiue Florentiam, aut Senas: in quibus erues, præter paucos qui reliquos ducunt, loco mancipiorũ habentur: cum nec rebus ſuis vti vt libet, vel fari audeant quæ velint, & grauiſſimis opprimantur pecuniarum exactionibus. Apud Germanos omnia lætæ ſunt, omnia iocunda: nemo ſuis priuatur bonis: ſalua cuique ſua hereditas eſt. Nullis niſi nocenti magiſtratus nocent: nec apud illos factiones, ſicut apud Italas vrbes graſſantur. Sunt autem ſupra centum ciuitates hac libertate fruentes: nam & in Rheno, & in Danubio multæ ſunt: & maris proximæ, quas appellant Stagnales: quamplurimæ & in mediterraneis: aliæ quæ ſimul fœderatæ iniurias principum proprijs armis propulſant.* Sed quid de centum vrbibus dicimus? Cum centum pagos integros Sueuia ſiue Alemania olim habuerit, Cæſare & Tacito teſtibus. De quibus ſcripſimus in Origin. Palatin. cap. 5.

Ἐς τυραννίδας τρεῖς.) Mira Germaniæ diuiſio, quam non credo alibi apud quemquam ſcriptorem reperiri: & alioquin etiam ſi non inepta, certè obſcura, ipſis Germanis vix intelligenda aut diuinanda. Quæ enim iſta Etzilia? Aquileia enim, & Auguſta Acilia, quas Clauſerus interpres in margine notauit, vrbes ſunt, non præfecturæ aut principatus: ſed & huius nomen dudum exolevit. Si quid coniectare hoc loco licet (vbi autem magis impune licebit) pro Ἐτζιλείης ſubſtituere geſtiam Ἑλβετίης vel Ἑλουετίης. Heluetiorum certè gens ab omni æuo, illa etiam tempeſtate, robore & virtute inter Germanos facilè prima.

Αὐστρίας.) Huius metropolin Viennam iam ſupra tetigit Laonicus: & ipſa Auſtria tum florens, plures iam Auguſtos orbi Chriſtiano tulerat, & cum rerum potientem Sigiſmundum.

Βλένης ἀπὸ Γερμανίας ῥωμαίης.) Quæ iſta Blena? Blennus ipſe auctor noſter, & ſi quis ei fidem habet. Et Bauariam quidem (quam Clauſerus in margine notat) libenter hinc exſculperem: ſi ſatis eſſet primam & vltimam vetiusque vocis litteram conuenire. Sed & amicos in conſilium miſi. Alius pro Βλένης mallet Βοήμης vel Βοημίας, quam neſcio an Germaniæ adſcribere voluiſſet Laonicus: alius Βολγίης vel Βολγίας, non abludente Germanico nomine Fleming ab iſta Βλένη ſi illud æque conueniret, ἀπὸ Γερμανίας ῥωμαίης. Equidem locum conclamatum, quod olim ægris deſperatis facere ſolebant, in triuio depono: & publicæ pietati, aut fortunæ ſuæ committo.

Τέτος τὰ τρία μέρη.) Toti enim Triones (vt Sidonius loquitur) in hanc effuſi: verè officinam gentium. Nazarius in panegyr. ad Conſtantinum M. *Iacet in latere Galliarum aut in ſinu*

tuo

tuo fuſa Barbaria, per ſe ipſa potens natio, & poſt Romanam magnitudinem in terris fecunda. Locus inſignis, & ad Germaniæ honorem vnicus, cui ſecundum Latinus homo locum tribuat à Roma cui alius prouincialis nihil ſimile nihil ſecundum aſſentabundus dixerat. Sed vereor lupum cauda teneri, & hanc laudem nobis extortam iri à Perſis: quibus non paullo promtius hoc elogium dediſſet homo Romanus, quàm Germanis, qui absque juſto principatu diſtracti in plures gentes, interque ſe diſcordes. Et ſi ex animi mei ſententia roger, cum poſtremo editore non hæreus ita legam: *Iacet in latere Galliarum aut in ſinu tuo fuſa Barbaria Perſe, ipſa potens natio & poſt Romanam magnitudinem in terris fecunda, amicitiam tuam, Conſtantine Maxime non minus trepidè quam amabiliter petiuerunt. Nulla in terris tam ferox natio eſt, qua te non metuat aut diligat.* Hoc modo pulcrè & verborum ſtructura & ſenſus conſtant. Sed & Germanicum Parthis aut Perſis plerunque iungi ſolent: vtrique hoſtes populi Romani. *l. hoſtes. 24. D. de capt. & poſtlim.* Themiſtius oratione V. In numis Victoria viſitur inſcribens clypeo palmæ affixo: VIC. GER. & in aliis: VIC. PAR.

Σκυθῶν τῶν Νομάδων δεύτερον.) Hiſce & Strabo Germanos comparat lib. 7. περὶ δ' ἀπὸ τῶν θερμάτων ἡ πλείη, καθάπου τοῖς Νόμασι, ὥστ' ἐκεῖνος μιμέμενοι &c.

Εἰ ἑαυτὸ φρονέη, καὶ ὑφ' ἑνὶ ἄρχοντι ἠγαμένη.) Æneas Syluius in Germania cap. 72. *Plura litatem Principum Philoſophi abhorrent: vos ea gaudetis. Nam quamus Imperatorem & regem & dominum veſtrum eſſe fatemini, precario tamen ille imperare videtur, nulla eius potentia eſt. Tantum ei paretis quantum vultis, vultis autem minimum. Libertas omnibus in communi placet, neque ciuitates, neque Principes, quod ſuum eſt Imperatori præbent: nulla illi vectigalia, nullum erarium. Quiſque ſuæ rei moderator & arbiter eſſe vult. Hinc diſcordia inter vos crebra, & aſſidua bella graſſantur: ex quibus rapina, incendia, cades, & mille malorum emergunt genera: quemadmodum ibi intervenire neceſſe eſt, vbi plura dominantur capita.* Petrus de Andlo lib. 1. de Imper. Rom. cap: vlt. *Confidenter loquor, ſi Germani Principes Imperatori, tanquam aduocato Eccleſiæ, fideliter aſſiſterent, prout temporibus antiquis conſueuerunt; omnis profectò poteſtas contraria videretur parua. Tunc non ſolum Græcia, ſed Ægyptus & Chaldæa contremiſceret, ac vltimæ regiones Saracenorum trepidarent. Protendente nempe aquila Romanorum ab Europa alas ſuas, nec gryphones Aſia atque Africa ſatis tuta erunt.*

Οὔτε σείει.) Idem de Gallia ſcribit Plinius. Terræmotus tamen plurimos Annales ſubinde annotant. Sed nimirum frequentiores & vehementiores in Aſia & Oriente, vbi ciuitates etiam integras euerterunt.

Πολιτεύεται δὲ ταῦτα Ῥωμαίοις.) Ita iamdudum Agathias de Francis: καὶ πολιτείᾳ ὡς τὰ πολλὰ χρῶνται ῥωμαϊκῇ καὶ νόμοις τοῖς αὐτοῖς καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως ἀμφί τε τὰ συμβόλαια καὶ γάμους καὶ τὴν τῶ θείω θεραπείαν νομίζουσιν. Et vt alcius rem repetamus, Florus lib. 4. cap. 12. *Mores noſtros magis quam arma ſub imperatore Druſo ſuſceperant.* Et verè ex perpetuis cum Romanis bellis, quæque accedunt, legationibus, fœderibus, quin & commerciis, multum ſubinde & ad linguam & vitam Germani traxerunt. Quid qnod & deductæ in noſtras oras Romanorum coloniæ, & per connubia mixtus ſanguis; & exportati Romam captini, ſerui; ſtipendia apud Romanos facientes milites, Principum ſatellites, communem vtriuſque gentis linguam vitamque fecerunt. Nec ſolum in Romanis prouinciis Germani indigenis miſceri cœperunt, ſed verò in ipſa Germania, præſertim circa limites, Romani noſtris aſſueſcere didicerunt. Vnde in vetuſtiſſimis legibus patriis, Salica Tit. 43. §. 7. *Si Romanus homo poſſeſſor, i. quires in pago vbi commanet, proprias poſſidet, occiſus fuerit, is qui eum occidiſſe conuincitur, 111. den. culpabilis iudicetur. Si quis Romanum tributarium occiderit, &c. & aliis paſſim: Si Romanus homo &c. Si Francus homo &c.* Quibus ipſis in legibus ſane vetuſtiſſimis, præter quod Latino vtcunque ſermone ſcriptæ ſunt, complura etiam ſubinde veluti veſtigia & ductus à Romanis deriuatæ iuſtitiæ obſeruare licet. Tandem euerſo & direpto per Germanas nationes imperio, Gothi, Longobardi, Franci, Romanorum & victores & ſucceſſores, mores quoque eorum, ritus, ceremonias, formulas, & nil non ſibi aſſumſerunt. Et poſt hos veri illi Germani, Sueui inquam, & Saxones, cum Reges & Cæſares Romanorum audirent, veterem illam Latialem maieſtatem & cothurnum omni ſtudio affectabant: vt de Othone III. Imper. Ditmarus ſcribit lib. 4. antiquas conſuetudines Romanorum iam ex parte magna deletas reuocantem, pleraqne ad veterum Principum imitationem feciſſe: adeo vt etiam ad menſam in ſemicirculum formatam (quam *Sigma* veteres vocabant) & editiore loco poſitam ſolus ſederet. Neque alia cauſa linguam etiam Latinam in omnibus publicis actibus & tabularum monumentis conſcribendis noſtri Cæſares per aliquot ſæcula religioſe conſeruarunt: & leges tandem Romanas à Iuſtiniano compoſitas in ſcholas & tribunalia induxerunt: ceu vtrumque certiſſimum veteris illius Romanitatis ſignum, & ſtantis adhuc Imperii argumentum. Sigismundi certe tempore, qno iſta Laonicus ſcripſit, Germania miris modis exculta nihilo Italiæ cedebat, συμφερόμενος (vt ipſe loquitur) τὰ ἄλλα Ῥωμαίοις. Addo & Græcis ipſis, reſtante iam tum Agathia: ἔχουσι δὲ καὶ ἄρχοντας ἐν ταῖς πόλεσι, καὶ ἱερεῖς, καὶ τὰς ἑορτὰς ὁμοίως ἡμῖν ἐπιτελοῦσι. ὡς ἐν βαρβάρῳ γένει ἡμᾶς ἀκριβῆ δοκεῖν σφόδρα εἶναι πεπαιδεῦσθαι καὶ ἀστειότατοι. οὐδέν τε ἧσσον τὸ

τὸ λίγαλάττον ἢ μόνον τὸ βαρβαρικὸν ἢ φωλῆς, ἢ τὸ ἢ φωνῆς ἰλίγζον, ἄγνμαι δὲ αὐτοὺς ἐς τὰ μάλιςα ἴγωγε, τῶν τε ἄλλων ὤνεχεν ἀγαθῶν, ἢ τῆς ἐς ἀλλήλας δικαιοσύνης τε καὶ ὁμονοίας.

Καὶ ἐς τὰς θρησκείαν Ῥωμαίων δεισιδαιμονεῖν.) Germania primitus ſimplice Chriſti doctrina imbuta temporibus Apoſtolorum (vt in Irenæo legimus) primam inſtitutionem fideliter ſeruauit. Vt Hilarius, Ambroſius & Hieronymus teſtantur. Et iamdudum Agathias de Francis ait: χριςιανοὶ ἅπαντες τυγχάνουσιν ὄντες, ἢ τῇ ὀρθοτάτῃ χρώμενοι δόξῃ. Neque verò id beneficium Latinis magis quàm Græcis debuiſſe, eleganter ſcribit Walafridus Strabo cap. 7. vbi exponit, vnde Eccleſiam & domum Dei Theotiſci Kirche voceut: quem locum tanti eſt adſcribere: *Si autem quæritur*, inquit, *qua occaſione ad nos veſtigia hæc Græcanitatis aduenerint, dicendum eſt Barbaros in Romana Republica militaſſe, & multos prædicatorum Græca & Latina locutionis peritos, inter has beſtias cum erroribus pugnaturos veniſſe, & eis pro cauſis multa noſtros quæ prius non nouerant, vtilia duxiſſe: præcipuèque à Gothis qui & Getæ, cum eo tempore quo ad fidem Chriſti (licet non recto itinere) perducti ſunt, in Græcorum prouinciis commorantes noſtrum, id eſt. Theotiſcum ſermonem habuerint; & (vt hiſtoriæ teſtantur) poſtmodum ſtudioſi illius gentis diuinos libros in ſua locutionis proprietatem tranſtulerint. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quaſdam Scytharum gentes, maximè Tomitanos, eadem locutione diuina hactenus celebrari officia.* Demum circa annum Domini DCCXXX. Epiſcopus Romanus iſtuc miſit quendam Winofridum, aliàs Bonifacium, cum mandato introducendi traditiones Eccleſiæ Romanæ, quod conceptis verbis iurauit Gregorio II. ob hoc meritum pallio ab illo remuneratus, vt ex eorum Epiſtolis cognoſcere eſt, quæ extant Tomo III. Conciliorum. & can. Anteceſſor. 101. cum ſeq. XI. q. III. Inde *Apoſtolum Germaniæ* illum poſteri vocarunt, quod ordinem & ceremonias Romanas, potius quàm Chriſtianiſmum (quo iam dudum ante imbuta erat, & tunc Britannis quibuſdam doctoribus ſincerius vtebatur) illi attulerit: quibus aliquot poſtea infelicibus & damnatis caligine ſæculis eſtvſa. Neque tamen omnibus θρησκείαις (vt author noſter loquitur) vel ἐθελοθρησκείαις & δεισιδαιμονίαις æquè vt Romani, Germani & Franci ſunt delectati: non certè Imaginum cultu, de quo Synodos quaſdam, & Caroli M. inſigne opus habemus, & locum memorabilem Nicetæ Acominati, cum Fridericus Imp. eluſis Græcorum inſidiis Philippolin occupaſſet, Alemannos ab Armeniis, qui ſoli in vrbe remanſerant, non vt hoſtes, ſed vt amicos exceptos: ἐπειδὴ καὶ ἀγχρῶντας, inquit ille abundans in ſuo ſenſu, τοῖς Ἀρμενίοις Ἀλαμαννοὶ καὶ ὧν τῶν αἱρέσεων τὰς πλείας ἀλλήλοις συμφέρουσαι· ἀμφοτέρους δὲ ἐπίσης ἡ τῶν ἁγίων εἰκόνων ἀσεβοκλυσία ἀπηγορεύσαι, καὶ τοῖς ἀζύμοις καὶ τὰς ἱεροτελεσίας ἀμφότεροι κίχρηνται, καὶ ἄλλα ἅττα ὀρθοδόξοις χρυσωνύμοις ἀπόβλητα ἔτοι σφαλόμενοι τὰ ὀρθοῦ τρεῦσιν ὡς ἔννομα. Nimirum iam tum magna pars hominum in Germania, de Eccleſiæ Romanæ auctoritate, totoque ſacerdotio, de variis dogmatibus ab ea traditis, purgatorii potiſſimum & tranſſubſtantiationis, diuerſum liberè ſentire cœperat: contra quos ſub Cathari nomine inuidia ſcriptus eo ævo liber extat Ecberti Monachi, & conſtitutiones Cæſarum ſimul & Pontificum, Auth. Gazaros. C. de hæreti. & ferales perſecutionum pleni ſunt Annales. Sed & ſub ipſo Sigiſmundi imperio, quo hæc Laonicus ſcripſit, nutare Cleri & Pontificis auctoritas magnopere viſa eſt, non tantum conciliis Conſtantienſi & Baſilienſi concuſſa & labefactata, vt ipſe Imperator reformationem ingentem pararet, ſed maxime Wiclefi & Huſſi doctrina ſparſa & inualeſcente. Et iam in Wiclefi articulo IX. ita legitur: *Poſt Vrbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam: ſed vtendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.* Vnde factum eſt, vt ſeruitutis impatiens, & grauaminum quibus opprimebatur, Germania pertæſa, paulatim colla iugo ſubduceret: cujus motus initia iam in hujus Tomi ſcriptoribus obſervare licet.

Μονομαχίαι.) Velleius Paterculus lib. 2. ibi de Quintilio à Germanis cæſo, narrat eos ſimulatè egiſſe gratias, *quod lites ipſorum Romana iuſtitia finiret, feritaſque ſua nouitate incognita diſciplinæ mutaſceret, & ſolita armis diſcerni* (inquit) *iure terminarentur.* Idipſum apparet in veteri lege Alemannorum, Tit. 44. §. 1. *liceat illi alii cui crimen impoſuit, cum Spada ſe idoneare contra illum alium.* Et Tit. 56. §. 1. *ſequatur eum ſacramento cum nominatis V. aut eum Spada tracta pugna duorum: ſi poteſt adquirere aut per ſacramentum aut per pugnam, illa pecunia poſt mortem mulieris retrò nunquam reuertatur.* Præſertim verò Tit. 84. *Quando parati ſunt ad pugnam, tunc ponant ipſam terram in medio, & tangant ipſam cum Spathis ſuis, cum quibus pugnare debent: & teſtificentur Deum creatorem, vt cujus ſit juſtitia, ipſius ſit & pugna & victoria.* Donec hoc probationis & purgationis genus per duellum, tam frequens in Longobardicis, Francicis, Saxonicis legibus, per Canones ſublatum ſuit; ita vt per conſtitutiones Principum ludus gladiatorius. Quod cum dudum ante Laonici noſtri ævum factum fuerit, exiſtimo eum hoc loco potius de exercitatione illa loqui, qua Germana pubes feſtiuis diebus, per varia armaturæ genera, haſtas, gæſa, enſes retuſos, pugiunculos ligneos, publico ſpectaculo inſeruiens (neque eo ſemper innoxio) decertat. In qua vetus illud propemodum recognoſcas Taciti in Germania: *Exercitatio artem parat, ars decorem. Non in quæſtum tamen & mercedem: quamuis laſciuia precium eſt voluptas ſpectantium.*

Δεξιώτατον ἐς τὰ μηχανὰς) In machinis omnigenis, automatis, graphide, cælatura, ingenio & felicitate Germania cæteras nationes præcellit, & in ea cæteras vrbes Noriberga, industrioſo populo ſæta (vt ſupra ex Ænea Syluio relatum) & ingeniorum parens. *Artificum in ea ingenia, ait Cochlæus, nedum Germani, ſed Itali quoque ac Galli, extremique mirantur Hiſpani, eoſque perſæpe requirunt, & eorum opera longiſſimè mittuntur.* Extollitque Albertum Durerum pictorem incomparabilem, Iohannem Neuſchelium tubarum exſculptorem pariter & inflatorem, Petrum Fiſcherum ſuſorem & cælatorem metallorum, Erhardum Ettlaub & Petrum Hele horologia fabricantes. Sed omittere non poſſum elegantem locum nobiliſſimi poetæ Galli, Gulielmi Salluſtii Bartaſii lib. 6. Hebdomatis.

Que dirayie de l'aigle,
Dont vn docte Alemant honora noſtre ſiecle?
Aigle qui deslogeant de la maiſtreſſe main
Alla lomber deuant d'vn Empereur Germain:
Et l'ayant rencontré, ſoudain d'vne aiſle accorte
Se tournant, le ſuiuit iuſqu'au fueil de la porte
Du fort Norembergeois: que le pilliers dorés
Les tapiſſés chemins, les arcs elabourés,
Les fouldroyans canons, ni la ieuneſſe iſnelle,
Nile chenu Senat n'honoroient tant comme elle.

Cuius miraculi Petrus etiam Ramus in præfatione libri II. Mathematic. meminit, idque Iohanni de Monte regio attribuit.

Πολεμικὰ ἔργα.) Quid Romani atletes machinæque omnes poliorceticæ, aut etiam Græcorum ille ignis marinus (qui *Chelandria* apud Zonaram & Nicetam vocatur) ad Germanorum ſulminea tormenta illa pyrio puluere diſploſa, murorum turriumque peſtem certiſſimam? De quibus Æn. Sylu. in Germania cap. 67. *Rideant neceſſe eſt reliquas armorum officinas, qui publica Teutonicorum armamentaria viderit. Tot ibi maiores baliſtæ, tot catapultæ, tot arietes, tot inſolitæ magnitudinis ænea tormenta viſuntur, quas vocant Bombardas: quorum & ipſi Teutones reperto-res habentur.* Huttenus in eleganti Idyllio De non degeneri Germania:

Nam quæ fidereas vocalis machina turres
Deiicit, ac ſolidas impulſu concutit arces
Mœniaque ac ſpiſſos æqueſtio pondere muros
Æquat agris, ſternitque domos, & deſtruit vrbes;
Prodiit à nobis, ...

Hæc eleganti voce τηλεβόλας & τηλεβολίσκους nominat, qua etiam Laſcaris vtitur: eorumque inuentionem Germanis tribuit Laonicus, quod & pluribus repetit lib. 5. fol. 379. Plura de Bombardis Polydor. Vergilius lib. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 18. Guibert. Coſtanus in Polyhiſtore cap. 9. Wimpheling. in epitome German. cap. 64. & Munſter. Coſmograph. lib. 3.

Ἐς πᾶσας τὰς τέχνας εὐδοκιμεῖ) Alio mutata à veteri illa rudique Germania: facile vt appareat (quod Tullius 1111. Tuſcul. de ſuis hominibus ait) noſtros omnia conſequi potuiſſe, ſimul ut velle cœpiſſent. De omnium ſolertiſſimo & vtiliſſimo inuento Typographiæ Laonicus mentionem facere non potuit, quod poſt eius demum ætatem ſub Friderici III. imperio natum eſt, vt annotauit Wimpheling. in Epit. German. cap. 65. & Polydor. lib. 2. cap. 7. Hadrian. Iunius in Batauia.

Φέρει τ' ἀλλὰ πάντα) Etiam metalla omne genus, quod olim Tacitus negauit. Sed de his alibi. Illud de volucribus noctilucis mirum Dionyſio & Solino annotatum, riſu dignum eſt.

Quod paſcit volucres (mirum) fulgentibus alis
Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.

Ἐπὶ Βοίμους τοὺς Κελτούς) Quod Vogariam conterminam facit Bohemiæ, inde eſt, quod ſub Bohemis Morauos eoam comprehendit, qui ſub diti regno Bohemiæ Vogariam attingunt. Quod verò ait Bohemos dici Cechos, ab ipſorum & Polonorum lingua eſt, quibus Bohemus *Czech* vt Vngarica *Czéh* appellatur; Czita pronunciato, quomodo Tſch in *Tſchudus*. Quod nomen à Czecho rege primo gentis conditore duxiſſe feruntur. Quomodo à Lecho primo duce auctoreque ſuo, Poloni à Ruthenis cæteriſque Slauis *Lechii* & *Lechitæ* appellantur, ut Alexander Guagnius annotauit. Hoc loco præterire non poſſum Nemitzos, quos Celticam nationem eſſe & Conſtantinopoli militaſſe Zonaras & Glycas ſcribunt: ἦσαν ὑπὲρ τὴν πύργον πρὸς τῇ πύλῃ τῆ πόλεως ἡ χαροὶα καλεῖται φυλάσσοντες Νέμετζοι (ἔθνος δὲ οἱ Νέμετζοι Κελτικὸν) ἔτοι λάθρα τοῖς περὶ τὰς Κομνηνὰς ἐκοινολογήσαντο περὶ προδοσίας τῆ πόλεως. Et ſtatim: ἀπὸ τῶ Νεμίζων. Atque iterum: ὑπὸ τῶν Νεμίτζων. Gentem Gallicam interpres vertit, & tamen in Indice Germanos ſubodoratus eſt, adeoque Nemetes Rheni accolas. Leunclauius autem noſter in Glyca

da

adoram annotauit, Tenrones Sclauorum lingua *Nemitzos* vocari. Et Ortelius quoque in Theſauro pro *Niemecbus* id eſt, Germanis habendos cenſet.

Συμφέρονται δὲ Γερμανοῖς) Hoc quoque fide Laonici ſit, Vngaros cum Germanis iisdem armis & moribus vti.

Ἀπό τε σφῶν αὐτῶν) Quod hîc ſcribit, Vngaros ſua ipſorum lingua Pannones dici, neſcio an olim verum fuerit; hodie certe non eſt. *Magiar* diſſyllabam Vngaris Vngarus dicitur: *Magiarok*. Vngari.

Ῥωμαίων ἐχχισρέα) Eugenium IV. cuius in Epitaphio idipſum legitur:

Iſtius ante ſacros ſe prabuit, alter ab ortu
Alter ab occaſu, Cæſar vterque pedes.
Alter vt accipiat fidei documenta Latina,
Alter vt aurato cingat honore caput.

Τοῖς Κελτῶν βασιλεῦσι) Ita omnino legendum: & pro Celtis vel Gallis, Francis potius dicendum. Neque id tam merito liberatæ à Saracenis Hiſpaniæ, (quod putat Laonicus) quàm defenſæ ipſius Italiæ & Romæ. Luitprando enim Longobardorum rege Romam obſidente, Gregorius III. PP. non iam ad ſolitum auxilium Imperatoris Conſtantinopolitani (quem ob electas templis imagines communione & imperio priuauerat) confugit, ſed ad principes Francorum Gallias tenentium, vbi Carolus Martellus Francus palatii magiſter erat: cuius rogatu Luitprandus obſidionem ſoluit. Pippinus Martelli filius, Childerico domino ſuo ignauo monaſterio incluſo, anno DCCLIII. curat ſe eligi, & ad Zachariam dicti Gregorii ſucceſſorem mittit: qui accepti beneficii memor mox annuit, & omnes Childerico fide obſtrictos abſoluit. c. alius. 15. q. 6. Dehinc Carolus M. Pippini filius rogatus ab Hadriano (c. hortatu. 23. q. 8.) Deſiderium Longobardorum regem inſigni bello deuicit, regnumque illud deleuit, anno DCCLXXVI. Deinde poſt complures annos inuocatus à Leone III. Româ (quod ibi dominatum vſurparet) expulſo, eum in ſedem teſtituit: à quo viciſſim Imperator declaratus eſt, & coronatus Romæ die Natalis Domini anno DCCCI.

Μετενήνεκται ὁ ψῆφος) A Latinis audirione accepit Laonicus, de translatione imperii, & inſtituto Electorum. Quod non miror: cum etiam Conſtantini donationem Photius ponat in Nomocanone. Fuit autem imperium hereditarium in ſtirpe Caroli Magni per centum viginti annos, vſque ad Conradum primum: qui moriens anno DCCCCXX. vltro detulit imperium ad Henricum Aucupem Saxonum Ducem, cum quo bellum iniuſte gerebat. In familia huius Henrici I. (de quo eſt c. conſtitutio. Diſt. 63.) hæreditarium fuit imperium vſque ad Ottonem III. pronepotem eius: qui carens filiis, in comitiis imperialibus Principum ſeptem Electores inſtituit, & vt Francofordiæ electio fieret: approbante Gregorio V. Papa, natione & ipſo Saxone. Itaque anno MIII. Henricus Bauariæ Dux iuxta illam conſtitutionem primus, & huius nominis ſecundus electus fuit. Hæc C. M. in addit. gl. ad c. venerabilem. De election. & Clem. 1. De iureiur.

Iam verò (lubet enim hanc digreſſiunculam adnectere) etſi Carolus ille Magnus non tantum iure belli, quod cum Longobardis ἀμυνόμενος geſſerat, & S. P. Q. R. voluntate, & Pontificis coronatione verus & legitimus (ſi quis vnquam alius) effectus eſſet Imperator; ſed transactione inſuper cum Irene Auguſta, eamque ſequutis Nicephoro & Baſilio Impp. interpoſita, certiſque terminis Imperii inter eos diuiſione facta ius ſuum ahunde confirmaſſet, ideoque legati Byzantini eum Βασιλέα palam ſalutaſſent, & omnino ita inter ipſos conuentum diuque obſervatum eſſet, vt æquo iure Byzantini & noſtri Auguſtos adeoque fratres ſe appellarent: paulatim tamen inuida & ambitioſa illa natio noſtris Cæſaribus eum titulum detrahere conata eſt, & ſuos ſoles Βασιλεῖς & αὐτοκράτορας Ῥωμαίων in diplomatis & numiſmatis proſcribere, Dominoſque orbis terrarum iactare: noſtros autem *Latinos* tantum, & *Alemanos Francoſque*, & Cæſarem noſtrum non minus inepto quàm nouo commento ῥῆγα Αλαμανίας ἢ Φραγγίας. Vnde factum eſt, vt à noſtris viciſſim paria reponentibus non aliter quàm *Græcorum Reges*, & *Conſtantinopolitani Imperatores* dicerentur, vt apud Helmoldum. Othonem Friſing. Petr. de Vineis & alios videmus. Et quis ſine ſtomacho legat Græculum Henrico Imp. ita obgannientem: ὡς εἰ κυρίῳ κύριος καθεσθείη, ἓ βασιλεὺς ἀναδέδεται βασιλέων, ὅπως μονοαρχίαν ἀπεβάλετο; καὶ κύριος δοείη τῶν κύκλῳ δυναστείων, τὰς Αντωνίνας καὶ Αὐγούστας τῷ Δεσποτικῷ Φαντάζόμενος, καὶ πρὸς τῶν ὀκείνων ἀρχὴν ἐκτείνον τὴν ὅφεσιν, ἠμιμερῆ φθεγγόμενος κατ' Αλόξανδρον τὰ τῆδε πάντα ἐμά. Is eſt Nicetas Choniates. Quid quod Friderico Imp. tranſitum exercitui ſuo petenti (quod Godefridus noſter Colonienſis annotauit ſub Anno 1187.) Byzantinus per teſponſales ſuos demandauit: *Se poſt Deum eſſe dominum dominantium. Quod ſi regnum Romanorum dare vellet in manus eius, & ab eo loco domini recipere, conductum ei daret per terras ſuas, & mercatum ſufficiens.* Quaſi non noſtri potius à veteri Roma, quam illi à Noua ſua Conſtantina (quam nec ipſam abſque Gothorum ope ſtructam ſurrexiſſe, Iornandes in Geticis autor eſt) nomen Principatus ſui & Antoninorum Auguſtorumque ſucceſſionem deducerent? & ſi vel Roma re-

licta (quod etiam antiqui Principes nnn raro fecerunt, Mediolanum, Treverin, Lutetiam Romæ præferentes) alibi habitare præoptaſſent; atqne adeò Romam alteri habitandam vltrò ceſſiſſent, ut quondam Zeno Imp. Theodnrico Gotho; non potius aula & cnmitatus Cæſaris, & vbi curiam celebrat (vt noſtri ſcriptores loquuntur) denique vbi Cæſar eſt, Roma haberi debuiſſet. Ita enim ſatis viſum eſt, vt Germania poſtquam inde ab vrbis auſpiciis eius inimica & æmula, non minus quam Chartago, Romanam virtutem perpetuis bellis exercuiſſet, & quàm auida à Romanis expetita, GERMANICI titulum præ aliis à terra triumphata magis quàm victa affectantibus, tam inſuperabilis ſemper reſtitiſſet, limitemqne victoriarum quem excedere non magis quam Parthicum Perſicumque poſſet, ad Rbeni & Danubii fluenta eis præfixiſſet: tandem verſa vice ipſa vltro Romaniam immiſſis procellæ more immenſis populorum millibus adgrederetur: neque tantum omnes ad occidentem prouincias Romanis extorqueret, quibus ceu inductis ex ſe colonis in hodiernum diem ſub diuerſis nominibus Francorum, Longobardorum, Gothorum, Angliorum, Burgundorum, Nortmannorum dominatur; vt iam tota Europa nil aliud quam magna quædam Germania videatur: ſed verò Italiam ipſam & vrbem dominam Imperii ſedem, vi & armis non ſemel occuparet; tandemque titulo & dignitate Imperii legitimè potiretur. Ita vt Imperium Romanum, quod Germanos capere non potuit, illorum virtute captum; & qui hoſtes olim Romanis, nunc victores; quod olim Barbaricum Romanis, vt ipſi præ ſe ferebant, deſpicatui, re autem vera formidini fuit, id nunc artibus & moribus cultiſſimum ſedes & arx Imperii factum ſit. Quod ſi etiam ditionis vtriusque amplitudinem inſpicere libeat, quamuis ea ad hanc quæſtionem non pertinet (quid enim? ſi vel ad eas anguſtias Imperium redigatur, non dicam vt Germaniam, quam olim ſolam deſiderabat, iam ſolam habeat: ſed vt ſolum *quantum ſub Tetio populus Romanus arabat*; eòue minus Romanum foret?) certè porrecta Germaniæ vt ſpatio terræ nulli vnquam regioni cesſerunt, ita nec bodie viribus, armis, artibus aut ingeniis cuiquam habitati orbis prouinciæ vel hilum concedant: & Occidentis imperium, ſi cum Germania ſede Principis cætera ſocia regna, quæ ceu coloniæ ex illa gentium officina prodierunt, & alterutrius linguæ Teutonicæ metæ aut Latinæ corruptæ conſortio nobiſcum tenentur, eodemque iure Romano nobiſcum communiter vtuntur, coninngantur; quantum tandem Græciæ toti imperioque Eoo, etiam vbi illud integerrimum & florentiſſimum fuit, concedet? Siue autem vtriuſque vires & potentiam conferamus, an Francorum illis Regibus potentiſſimis, Carolo præſertim tot populorum victori & dominatori fortiſſimo & ſapientiſſimo, vllus Græcorum par eſſe potuiſſet? Quoties Germani cum per tanta terræ pelagique interualla bello ſacro Saracenos in Aſia petere, & terram illam (quam vocant) ſanctam Græcorum ignauia dudum amiſſam magna ex parte recuperare poterant, vel in tranſitu Byzantinis Regibus terrori & formidini fuerunt? Nonne verò illnrum principatus ſub Alexio Angelo Germanis tributarius factus, & vectigal inde Αλαμανικὸν vocatum Græcis homiuib. indictum? ad quod conficiendum nec quidem priorum Imperatorum thelauris nec ſepulchris parcitum fuit. Cum Henricus Friderici Barbatoſſæ filius fœcialibus ad illum miſſis Romanas prouincias omnes ab Epidamno vſque ad Theſſalonicam repetens & Germanis in Palæſtina militantibus auxilia naualia mitti iubens, ni imperata facerent, bellum præſens denuntiaret: quod Chnniates prolixè deſcribit. Quid quod non multis poſt annis ipſum Imperium eiuſque regia ſedes Conſtantinopolis à Germanis Balduino Flandro dnce occuparum; Græcis interea Niceam & Trapezuntem in anguſtias coactis; & plus quinquaginta annis ab illius poſteritate poſſeſſum fuit. Non addam, illos imperiis ſuis, & Niceno, & Trapezuntino, & Byzantino tandem à Turcis citius exutos, ſunditusque exciſos & deletos: contra quos Germana virtus hactenus inuicta non tantum patriam tutam præſtiterit, ſed & cæteris Heſperiæ prouinciis contra immaniſſimæ gentis eluuionem velut muri aggerisque vicem fuerit: quod totum illud non ab humanarum virium oſtentatione, ſed ſola diuina ope pendere agnoſcamus. Cum autem imperia & regna, ſi non iuſta, nil niſi magna ſint latrocinia; in promptu fuerit diiudicare, vter borum legitimi principis nomen melius tueretur: illéne qui plerumque nulla iuſta neque ſucceſſione neque electione, ſed aliquando magicis fortibus, aliisque malis artibus affectata tyrannide, vero principe (ſi vel frater ſit) aut ſica venenóue peremto, aut (vt mitius) elucificato vel caſtrato, aut (vt miniſſimè) tonſo & in monaſterium detruſo imperium male arripit, peius gerit, peſſimè & ſimili exitu rurſus amittit: vel ſorte non dicam fœminarum, ſed (quod indignius) Eunuchorum nntn & libidine, aliquando & factionum theatricarum impetu, non nunquam etiam ipſorum hoſtium & barbarorum atqne adeo Turcarum voluntate & minis, ad ſceptra extollit, quorum omnium exempla in Græcorum biſtoriis ſunt obuia: an verò ille potius, qui ſapientiſſimo & libertimo Antiſtitum ptincipumque ſummorum conſilio, ob virtutis ſpectatæ meritum & alti generis indolem electus, ſactis cerimoniis & exquiſitis ſolennitatibus more maiorum initiatus, conceptis verbis Eccleſiæ & patriæ fidem ſuam obſtringens, popnlo adclamante rite renunciatur, trina coronatinne ſancitur; atque ita legitimè ceu Dei mann in ſolio collocatus, vt præſens in terris numen colitur pariter & timetur. Iure igitur hoc Germano Romanum imperium, tot hactenus ſapientibus, fortibus, moderatis principibus gubernatum, non tantum

legiti-

legitimum & inſtum, ſed verè (quod vocatur) ſacroſanctum, ideoque Deo charum & Θεοφρούρητον cenſetur: & ab omnibus Chriſtiani orbis populis regibusque huic non grauaom faſces ſubmittenobus honoratur: taleque ad finem mundi duraturum propbetarum oraculis creditur. Cum in altera illa ad Euxinum pootum ſepticolli Roma, & imperitantes ipſi Neronum potius Claudiorumque quàm Conſtanoni (cuius nomen affectabant) ſucceſſores variis morum damnis & vitæ flagitiis, in ſocios perfidia, perniciali inter ipſos diſcordia, inſanda crudelitate, & tragicis ſceleribus, adeoque aperta impietate: & eorum exemplo corruptus (vt fit) populus eo diſſolutionis, nequitiæ, infamiæ prolaberetur, vt pro Noua Roma & Sione (nam & boc titulo ſibi blandiebantur) nooa potius Sybaris & Sodoma vel ipſis teſtibus eſſet dicenda. Quam peruerſionem fatalis eius interitus & excidium iuſto Adraſtiæ iudicio eſt conſecuta. Poſtquam enim cum vicinis omnibus populis, iam velut iutaris & diuinitus immiſſis hoſtibus, ab Occidente Vandalis, Gothis, Bulgaris, Valachis, Myſis, Hunnis, Auaribus, Seruiis, Triballis, Patzinacis, Roſſis, Vris; ab Oriente verò Perſis, Abaſgis, Iberis, Arabibus, Armeniis, tandem Turcis & Saracenis omnium acerrimis, tanquam capitis reus beſtiis obiectus diu uaria fortuna fuiſſet conflictatum; plerumque verò aut magna ſtrage attenuatum, aut ad duriſſimas dependendi tributi conditiooes adactam: non tantum fines illos imperii olim laõſſimi exteriores perpetua quaſi alluuione arroſos, amiſſis ſubinde optimis quibusque prouinciis magis magiſque contrahere neceſſe habuit, ſed vix tandem pomœria ſua, imo mœnia portaſque tutari potuit. Itaque cum aliquot obſidiones Conſtantinopolis, ab Aoaribus, Saracenis, Genueoſibus, atque etiam in ciuilibus bellis paſſa, inſto pœnitendi tempore elapſo nihilo interim euaderet melior; ſed veluti obligato ſibi diuino auxilio inuincibilem ſe & Θεοφρούρητον iactaret; tandem a Deo deſetta (quod Leo Imp. dudum in quodam vaticinio prælagierat) vt à Conſtantino primo condita, ita ab vltimo amiſſa, immaniſſimæ Turcarum genõ pertinaciter obſidionem vtgenti, nunquam ſatis deplorando orbis Chriſtiani damoo conceſſit. Nobis interea manifeſto exemplo, vt dum in illis errorum ſuperſtitionumque colluuiem, bonarum legum cootemtum, diſciplinæ diſſolutionem, inteſtinas diſcordias, aulæque & cleri corruptelas, & perditos denique populi mores ootamus; obuia io pleriſque noſtrorum temporum ſimilitudine, niſi de pœnitentia ſerio cogitemus, ab eiſdem cauſis pares exitus animo præcipiamus. Quæ quidem hoc loco paullo ſuſius diſſerere, quaodo eo ipſo æuo cuius hic varios ſcriptores repræſentamus, ea Byzantini imperii euerſio contigit, & à multis illorum annotata reperietur, non alienum potauimus.

DE NON DEGENERI STATU GERMANORUM.

Heroicum perelegans

VLRICI HUTTENI EQ. FRANCI.

RHENIGENAS *populos, & robuſtiſſima mundi*
Pectora, quiſquis auis atque à virtute priorum
Degenerâſſe putas, non æquo remque diesque
Arbitrio pendis. Liceat cum tempore priſco
Præſentem conferre ſtatum. Non ſemper in armis
Eſſe licet, mollem non ſemper amare quietem.
Alternas iuuat ire vices, belloque remiſſos
Tuta quies animos, paxque inter poſita reſoluunt.
Nec tu erede Deos ita nos intendere contra,
Vt rerum inuideant ſummam, & faſtigia nolint
Germanos, orbiſque caput molemque tenere.
Tunc cum tempus erat gerere arma, & cogere gentes,
Expugnare vrbes, regumque infringere faſtus;
Fecimus egregiè, motiſque indulſimus armis.
Nunc placidas artes, pacemque admittere curis
Eſt opus, atque animos tranquillum aduertere in vſum:
Dum Sophiæ fruges, cultumque, & quaslibet artes,
Poſt tot geſta virûm, noſter quoque calleat orbis.
Ergo adit Italiæ quiſque loca, vt adferat inde
Ingenij cultum, & Latiæ commercia linguæ,

Græcorumque artes : nimirum illa ampla parentum
Cum ſatis eniteat geſtarum gloria rerum.
Nec minus hoc Ducibus curæ eſt : dant præmia doctis
Paſſim, Academias ſtatuunt, et honoribus augent
Altiloquos vates, ac Muſica Sacra profeſſos :
Ingeniisque fauent manſueta fruge colendis.
Sunt tamen interea, ſi qua interceſſerit illis
Cauſſa recens ſtudiis, qui priſca negocia tractent.
Iamque itcrum fines Italorum & Martia regna
Cæſar adit, motoque animo ſeſe obtulit armis,
Vt Venetûm luxus, vanamque vbi preſſerit iram
Oſtendat, pacem qui admiſerit, arma præroſas
Non etiam timuiſſe minas, potuiſſe in vtramque
Eſſe animo conſtante vicem. Iam diſcimus artes,
Scribimus, & ſerum nos commendamus in æuum :
Famaque compertum eſt quantum res adiuuet iſtas.
Quæ cum cura leuis noſtris maioribus eſſet,
Acta ducum tacuit : nec quid Germania rerum
Egerit, inuictâque manu quas ceperit vrbes,
Quos dederit leto Reges, & vicerit hoſtes,
Scire datur. Neque enim ſcriptis calamoque vacabant
Vtiliora armis corda, & præſtantibus actis.
Maluit illa ætas, quam ſcribere, nitier armis
Ædereque inſigneis, quas ſcriberet altera, pugnas.
Quod ſi noſtra forent victuris geſta libellis
Scripta, velut Latia, velut ampla volumina Graiæ
Cernimus hiſtoriæ ; non tantum hæc vltima ſcirent
Sæcula Teutonicas Alpino in vertice pugnas,
Cymbrorumque manus, & quas tum fœmina ſtrages
Miſcuerit, fractumque dolis non viribus hoſtem,
Ter victasque acies Italas, Orbisque retuſum
Ingenti terrore caput, Romamque timentem,
Feralemque vrbis planctum ; quæ caſtra cohortes
Syllani dederint, quas Cæpio ſenſerit iras,
Vtque fuga turpi patrias repetiuerit arces
Manlius, attrita qua deſperatio Romæ :
Quale Dionæo confectum à Cæſare bellum,
Qua vixdum viſi fuerit victoria Rheni,
Mentitaque fuga, & cœpti ſolatia pontis :
Vindice vt Arminio celeris prope rura Viſurgis
Romanas acies miro Germania motu
Quintiliumque ducem conciderit : vnde hiroſtræ
Contigerint Aquilæ traducti inſignia regni,
Excuſſumque iugum : non tantum hæc tempora noſſent,
Quo tum Roma metu noſtrorum expauerit iras,
Pramia quæ belli nec non qua laude Cheruſci
Re bene tum geſta tulerint, & gloria quæ ſit
Ereptum imperium, compreſſa ſuperbia faſtus
Italici, pulſumque nefas, vt libera tandem
Teutona gens falſos poſſet videre triumphos,
Quos egit Caligæ notus cognomine Cæſar,
Tunc vbi ſe rutulis aquabant nigra capillis
Tempora, & Auſoniis ſtridebant barbara linguis

Murmu-

Murmura, vbi currus ſimulata trophæa pudendis
Pone ſequebantur, fingentemque iſta præibat
Plebs ſua victorem Germanum imitata ſuſurrum.
Non hæc clarorum præter tot millia patrum
Cognita facta forent : ſciremus vt ordine geſta
Et quæ bella ſient, nec gens tantum vlla loquacis
Scriberet hiſtoriæ. Nunc cum facere inclyta nobis,
Scribere ſors aliis dederit, Germania tantas
Perdiderit pugnas, & quæ clariſſima quondam
Confecit lateant, obſcura in nube feratur
Quæ patribus virtus fuit aut quæ gloria : nemo
Poſſit ab antiquo Germanam extendere laudem :
Attigerint nullos veterum monimenta nepotes,
Idque errore patrum. Nos, quo ne obliuio noſtri
Temporis obſcuret ſi quid memorabile geſtum eſt,
Scribere tentemus, cultumque inhiemus ad iſtum :
Vtque hæc eſſe olim poſſimus laude ſuperbi,
Bella remittamus ; quantumque à Marte licebit,
Ocia Muſarum & placidas vigilemus ad artes :
Vt non ſit mirum, ſi ſegnius arma feramus.
Nec ferimus ſegnes : quia iam prudentia maior,
At furor eſt levior : nec qui nos prouocet hoſtis,
Contigit his annis. : Si quis volet, inferat vltro
His bellum populis, requiem tentetque ſupinam :
Sentiet vltrices in ſe concurrere vires,
Comperietque hanc nos pacem formaſſe, rudeſque
Erudiiſſe animos, ſtudioque acuiſſe ſequeſtro.
Sentiet horribiles non fruſtra exire Sueuos,
Atque etiam lingua Francos verbiſque timendos,
Terribiles equitum turmas, & fulmina belli,
Vindelicaſque Aquilas, atque ebrietate feroces
Saxoniæ populos, nec egentem viribus Heſſum,
Et nunquam domitum Rhenum totieſque petitum,
Et medias gentes, quarum nunc gloria maior
Quam fuit illa vetus. Cui ſi quem temporis huius
Pœnituit ſortiſque ſuæ, præconia laudum
Attribuit meliore loco ; præſentia ſordent
Dura quibus Fortuna venit, cui proſpera non ſunt
Tempora, Felices primos vocat, vltima damnat.
Si ſumus imbelles, priſcaſque amiſimus artes ;
Cur non noſtra venit Romani irrumpere Gallus
Æmulus imperii ? cur non ſeſe Itala tellus
Eripit his titulis, nobiſque ſubeſſe recuſat ?
Cur non cuncta petens animo Mahumeticus hoſtis
Audet in has vires ? Certè haud hoc tempore quiſquam
Bella gerit, qui non noſtris ſe viribus armet.
Nos Aſiæ reges, Tanaiſque ferocia regna,
Et fera Turcarum manus, Aſſyriæque tyranni,
Sarmata nos Parthique legunt : nos Perſia diues,
Ante aciem ſtatuit, nos vltima regna ſequendis
Affectant caſtris, nos vltimus appetit orbis.
Nos penes eſt ſtudium armorum : nos iſta docemus,
Nos facimus : per nos alij faciuntque ſciuntque.

Indicunt

Indicunt alii, iurantque in bella viciſſim:
Nos gerimus. vincit, Germano milite quiſquis
Bella gerit: noſtra eſt hac gloria, ſolaque noſtra eſt.
Quid dicam mores ita nulla in gente pudicos?
Quanquam aliquas dederint, quod noſtras polluit vrbes
Molliculi labes Itali: quanquam improba Roma
Venerit in ritus, ſpurciſque infecerit iſtud
Acre libidinibus, caſtrum corruperit omne
Roma, ſacerdotum luxus vitamque ſuprmam
Pontificum non tam ipſa ferens, quam femine ſparſo
Gentibus immittens. Quid dicam vt in vrbibus ipſis
Tot veniant cultus, tot opes, tam ſplendida cuncta,
Vt nulli nobis aufint certare priores!
Nos etiam argentum, nos nobile mittimus aurum,
Nos legimus gemmas, & ſuccina priſca recenti
Sperniimus inuento: tanta eſt induſtria, tantum
Creuimus ingeniis. Et adhuc quis fingit ab horum
Degenerafſe patrum virtute illuſtribus actis.
Cum videat cultuſque nouos, poſſitque vetuſtam
Barbariem votis odiſſe, hæc tempora votis
Omnibus amplecti. Nam quâ non aſpera quondam
Dicta magis tellus, alia eſt nunc: omnia gignit,
Vina etiam pulchrumque crocum, veſteſque ſuperbas,
Velleraque & fruges confertim, atque omne metallum.
Præterea (vt fingis) donec deſedimus iſto
In torpore pigri, dumque has tractauimus artes;
Hac in ſegnitie interea quadam egimus omni
Ingenio veterum maiora ac laude parentum.
Obiice deſidiam, torporem, & molle quietum
Obiice luxr edax. nos quaſdam inuenimus artes,
Quarum nulla ſatis laudem celebrauerit etas.
Nam qua ſidereas vocalis machina turreis
Deiecit, ac ſolidas impulſu concutit artes,
Mœniaque & ſpiſſos aggeſto pondere muros
Æquet agris, ſternitque domus, & deſtruit vrbes?
Prodiit à nobis. Nós primi excudimus ære,
Exſculptis mænſura notis tot ſæcla, tot annos,
Omne genus ſcripti, Vatum æternosque labores.
Quaque diu nemo perituris ſcribere chartis
Poſſet, & in multas ita paſſim ſpargere gentes;
Per nos una dies in mille volumina profert.
Quod tantum eſt, vt ſi cunctas perpenderis artes,
Italia quas aciet Latiumque exercet. acumen,
Inuenias omnes hac utilitate minores.
Nunc quiſque innumeros etiam de paupere turba
Exiguo parat ære libros & munere noſtro
Conſequitur decus ingenium, paruoque labore
Omnia vel per ſe, qua longo addiſceret uſu,
Et vigili cura ſomnoque carentibus horis,
Imbibit. hoc tantum eſt, vt quod nunc omnia plenis
Sunt congeſta libris, vt quod nunc oppida doctos
Cuncta viros referunt; quod nulla vsa barbara tellus,
Quin animum colat, & ſecundis artibus ornet;
Solis deberi nobis nemo neget uſquam.
Eſſe rudes igitur quisquam nos ducat & iſtam
Segnuer ætatem ducs, vel in ocia lapſos;
Dum ſinat hanc nobis, vbi ademerit omnia laudem.

BENE-

BENEVENUTI
DE
RAMBALDIS
LIBER AUGUSTALIS.

UNIVERSITY
OF MICHIGAN

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

IMolenſis patria, quod Romaniæ oppidum erat; hic Beneuenutus Inſignis dicitur Orator, Poëta, atque Hiſtoricus idque pro more Italorum. Vixiſſe illum tempore Wenceslai, certum eſt, cum quo non ſolum librum hunc Auguſtalem finit, ſed ipſum etiam hodie, ſiue ſuo tempore regnare dicit: Liber hic Auguſtalis vitas Cæſarum in Compendio exhibet, breuiter quidem, ſatis tamen accurate, ita, vt Libelli Memorialis inſtar eſſe poſſit. Hunc Franciſci Petrarchæ Operibus videmus adnexum, & quidem in Veneta editione ſub finem hæc adiiciuntur: *explicit liber Auguſtalis Beneuenuti de Rambaldis cum pluribus aliis opuſculis Franciſci Petrarche, Impreſſis Venetiis impenſis Domini Andree Torreſani de Aſula, per Simonem de Luere: Anno Incarnationis Chriſti MCCCCCI. die XXVII. Marcii feliciter.* Hinc, reliquis Petrarchæ editionibus eundem æque videmus adiectum. Separatim eundem prodiiſſe

dicit Voſſius,* & qui eum ſequitur Zeilerus,** Beneuenutus hunc librum ad Wenceslaum ſaltim perduxit, ſub quo etiam deceſſit. Continuauit equidem illum Æneas Syluius, prout ipſe in epiſtola ſua ad Antonium Cardinalem Hilenſem ipſius Europæ præmiſſa teſtatur. Hoc tamen Æneæ ſupplementum cum ad Freherum non venerit, prout ipſe in Syllabo Scriptorum Tomo huic ſecundo præmiſſo ait, eius loco ex Io. Baptiſtæ Egnatii epitome reliquos Impp. ad Maximilianum I. vsque adiecit.

* *de Hiſtor. lat. lib. III. c. III. p. 538.*

** *Hiſtor. Celebr. Tom. II. p. 222.*

BENEVE-

BENEVENVTI DE RAMBALDIS IMOLENSIS,

In

Librum ſuum Auguſtalem,

PRÆFACIO

Ad originibus pietateque inſignem virum, NICOLAVM principem Ateſtenſem.

Ptas Clariſſime Marchio, Heroicarum cultor virtutum, poſſe faciliter & citò internoſcere bona & mala Principum Romanorum, vt vtrorumque fine notato cautior fias eminenti in ſpeculo exemplorum. Parebo libens, & calculantis more rem magnam breui ratione ſummabo. Quia non modicum confert commoditatis, ad cognitionem rerum geſtarum, præſertim poſtquam venit tempus gratiæ, quo Rex vniverſi & Vrbem & Orbem totum ad vnam voluit redigi Monarchiam, noſſe annos quibus quisque Principum imperauit; non per modum narrantis, ſed potius numerantis, ſingulorum tempora breuiter, imò tranſcurrenter perſtringam lucido cum ſermone. Eſt autem vtiliter præſciendum, quòd omnes Hiſtoriarum ſcriptores Catholici, ſiue in obſequium fidei, ſiue ob aliam cauſam ſicut Oroſius in Ormeſta mundi, & alii plures, incipiunt deſcriptiones à Cæſare Auguſto: quia ſub eo Chriſtus naſci dignatus eſt, à quo incepit primitiua Eccleſia, vel quia diutius imperauit, & ſalubrius Rempublicam gubernauit. Vnde videntur velle, quod C. Iulius Cæſar fuerit potius quidam præcurſor Imperii, ſicut Baptiſta fuit præcurſor Domini. Omnes verò gentiles Hiſtorici incipiunt à Iulio Cæſare, ſicut Suetonius & alii multi, quos magis ſequi intendo, quia non aliud quàm veritatem tradere poſteris curauerunt.

BENEVENVTI DE RAMBALDIS, P. 1.
ORATORIS POETÆ ET HISTORIOGRAPHI
C. LIBER AVGVSTALIS.

C. IVL. CÆSAR.

PRIMVS igitur qui Romanorum arripuit imperium, fuit Iulius Cæſar, Lucii F. valentiſſimus omnium principum, qui in vigore animi non habuit parem, nec ante ſe, nec poſt ſe. Hic vixit annis LVI. Imperauit autem poſt finem bellorum ſuorum annis tribus, & ſeptem menſibus. Interfectus eſt in medio Senatus, viginti tribus vulneribus.

CÆS. OCT. AVGVSTVS.

CÆS. AVGVSTVS, dictus Octouianus, à natiuitate pronepos Cæſ. & filius adoptatiuus, ſucceſſit illi in Imperio. Hic fuit fœlicitſſimus omnium principum priorum, & poſteriorum: nam alta prouidentia ſua, imperauit prudenter & laudabiliter, tot annis quot Cæſar vixerat, ſcilicet LVI. De quibus regnauit XII. cum Antonio & Lepido III. vir, reliquum ſolus, cum magna pace & tranquillitate orbis, clauſo templo Iani, & vixit annis LXXV. XXV. diebus. Mortuus eſt fœliciter apud Nolam ciuitatem Campaniæ.

TIBERIVS NERO.

TIBERIVS priuignus Auguſti ex Liuia, adoptatus ab eo, hæres fuit imperii. Hic (vt ait Plinius) fuit triſtiſſimus hominum, fenex fœdiſſimus, omni turpitudine luxuriarum & ebrietatum: fuit tamen ſtrenuus victor in iuuentute, de quo dicit Oroſius, quod ex manſuetiſſimo principe conuerſus eſt in ſæviſſimam beſtiam, cum non impetraſſet in Senatu, quod ipſe pro Deo haberetur. Mortuus eſt graui morbo vel veneno. Vixit annis LXXVIII. imperauitque XXIII.

C. CÆS. CALIGVLA.

CAIVS CALIGVLA, pronepos Tiberii, natus ex Germanico filio Druſi, qui fuerat frater ipſius Tiberii. Hic fuit iuuenis peſſimus omnium (excepto Nerone) omni ſcelere contaminatus; qui vixit annis viginti & octo, imperauitque annis tribus, menſibus decem, diebus octo. Interfectus coniuratione ſuorum, triginta vulneribus, & turpiter tractatus.

CLAVDIVS CÆSAR.

CLAVDIVS nepos Tiberii, natus ex Druſo, patruus C. Caligulæ, indifferens fuit, & varius multum, qui à prima ætate fuit ſemper infirmus, vilis & triſtis. Vnde cum debuit ſuccedere Tiberio in imperio, Caius fuit ſibi prælatus. Fuit tamen ſatis vtilis ſed infortunatus in vxoribus, de quarum vna Meſſalina, ſcribit Cornelius Taeitus, & Iuuenalis dicentes:

Et laſſata viris nondum ſatiata receſſit.

Altera vero Agrippina mater Neronis, quæ ipſum Claudium venenauit in fungis. Claudius vixit annis ſexaginta quatuor, imperauitque quatuordecim.

DOMITIVS NERO.

NERO de gente Domitia, priuignus Claudii, & gener eius, adoptatus fraude Agrippinæ. Hic fuit nequiſſimus omnium, hoſtis humani generis, & ideo iudicatus eſt hoſtis à Senatu. Interfecit ſe pugione, quarto milliario longe ab Vrbe, cum imperaſſet annis paulo minus quatuordecim. Vixitque annis triginta duo, & familia Cæſarum in Nerone defecit.

p. 2.

SERGIVS GALBA.

GALBA ſenex, de nobili ſtirpe Sulpitiorum, ſeptimus poſt Neronem, vir vitioſus, commiſit ſe totum regendum vitioſiſſimis ſeruis. Vnde omnibus odioſus, occiſus eſt in foro à militibus Otthonis, cum imperaſſet menſibus ſeptem, vixitque annis ſeptuaginta tribus.

M. SALVIVS OTTO.

OTTO octauus Imperator, fuit nobilis homo, natus ex equite Romano: non poterat eſſe bonus, quia fuerat familiariſſimus Neroni: fuit tamen militibus dilectiſſimus. Qui victus à Vitellio, ſe occidit pugione, cum imperaſſet nonaginta diebus, anno ætatis ſuæ LVII.

VITELLIVS.

VITELLIVS nobilis, de gente Vitelliorum, vir profundæ gulæ & crudelis, qui à pueritia fuit educatus inter meretrices Tiberii vituperatiſſime: occiſus in furore populi, inter omnia ludibria & tormenta, Regnauit menſibus octo, vixitque annis LVII. & nota quod Oroſius Ottonem, & Vitellium abiicit de numero principum Romanorum.

VESPASIANVS.

VESPASIANVS nobilis, de gente Flauia; ſucceſſit decimus in imperio Vitellio, cum eſſet dux belli Iudaici pro Nerone. Hic fuit ſapiens, ſenex & vtilis Reip. qui vixit annis ſexaginta nouem, menſibus tribus, & diebus ſeptem. Imperauit annis decem, & mortuus ex fluxu ventris.

TITVS VESPASIANVS.

TITVS Veſpaſiani filius, clariſſimus omni virtute, glorioſiſſimum triumphum duxit de Iudæis ſimul cum patre, quia ſimul ambo imperauerunt, vt dicit Plinius optimus teſtis, qui aſſcribit Veſpaſiano. Et hic amore omnium tenuit imperium ſolus annis duobus, menſibus duobus, & diebus XX. vixitque annis XLI. & mortuus eſt febre, cum magno planctu omnium.

DOMITIANVS.

DOMITIANVS filius Veſpaſiani, frater Titi, hoſtis virtutum, patris & fratris; crudelis, ſanguinarius; perſecutor muſcarum, & Chriſtianorum, & Iudæorum, qui vixit annis XLV. imperauit quindecim, occiſus à ſuis in camera.

COCCEIVS NERVA.

NERVA ſenex ſatis nobilis, honeſtus & modeſtus, contrarius Domitiano, factus eſt Imperator, opera occiſorum eius: qui adoptauit Traianum in filium, propter egregiam eius virtutem. Vixit annis ſeptuaginta duobus, imperauit anno vno, & mortuus eſt morte naturali.

VLPIVS TRAIANVS.

TRAIANVS ortus Romæ, cuius antiqui fuerunt Hiſpani, optimus fuit omnium Auguſtorum, ſummæ iuſtitiæ, elementiæ & ciuilitatis, qui vir diuinus, mirabili virtute & fœlicitate Romanum imperium ſatis infirmatum magnifice ampliauit. Hic vixit annis ſexaginta octo, menſibus octo, & quatuor diebus, imperauitque annis octodecim, menſibus ſex, & mortuus eſt ex fluxu ventris.

ÆLIVS ADRIANVS.

ADRIANVS (vt ſcribit Spartianus) natus ex conſobrino Traiani, filius adoptiuus eius, cuius fuerunt maiores in Italia, temporibus Scipionum? vir magnæ ſcientiæ, maximæ eloquentiæ, nunc crudelis, nunc clemens; qui plus percurrit prouincias Romani imperii, quam aliquis alius Imperator. Adrianus vitæ tædio afflictus petebat occidi, & mortuus eſt anno ætatis LXXII. menſe V. cum imperaſſet annis XXI. menſibus XI.

ANTO-

ANTONINVS PIVS.

ANTONINVS PIVS, gener Adriani, & filius adoptiuus, vir forma pulcher, inſignis ingènio & eloquio, magnæ literaturæ, moderatiſsimus & benigniſsimus, qui Romanum imperium plus ſtuduit conſèruare, quam ampliare, habens illud in ore Scipionis: *Malo vnum ciuem ſeruare, quam mille hoſtes occidere.* Antoninus periit anno ſeptuageſimo, imperauit annis viginti tribus, mortuus eſt ex febre, quaſi dormiens.

ANTONINVS VERVS. p. 3.

ANTONINVS Verus gener Pij, ſucceſſit ei in imperio, cum Lucio fratre ſuo. Iſti duo fratres primi ſimul vocati ſunt Auguſti. Iſte Verus ſapientiſſime celauit & ſupportauit vitia fratris, qui regnauit ſecum annis vndecim. Fuit enim magnus Philoſophus, ſanctitate vitæ omnibus præponendus, nunquam mutans vultum: qui vir tantæ virtutis poterat dici felix, ſi vxorem Fauſtinam & Filium Commodum non habuiſſet. Imperauit annis XVIII. vixit LXI. & mortuus eſt à morbo.

ANTONINVS COMMODVS.

ANTONINVS Commodus, filius Veri, paternarum virtutum hoſtis, crudelis, luxurioſus, qui à pueritia fuit toto corpore omni turpitudine fœdatus, treœntas meretrices, & totidem pulchros pueros habens in palatio, inſamator omnium, ac omnibus incommodus: cum imperaſſet tredecim annis, ſtrangulatus fuit, eum magno commodo omnium.

HELVIVS PERTINAX.

PERTINAX factus Imperator, mandato Senatus, fuit genere ignobilis, ex patre libertino; ſed moribus nobilis, ſenex venerabilis, temperatus, contrarius Commodo. Reputatus eſt auarus, dilectus populo, & militibus odioſus. A quibus occiſus eſt in domo ſua, opera Iuliani, vixitque annis 60. & menſibus ſex, & 25. diebus.

IVLIANVS DIDIVS.

IVLIANVS Didius poſt Pertinacem aſſumpſit imperium, qui fuit nepos Iuliani Magni iuriſconſulti, quod magis nobilitauit eum: cuius antiqui fuerunt de Mediolano. Iulianus fuit pareiſſimus hominum, miſerrime viuens, vnde odioſus populo, deſertus ab omnibus, priuatus eſt imperio, auctoritate Senatus, & in palatio occiſus: vixitque annis quadraginta ſex, & menſibus quatuor. Imperauit duobus menſibus, & diebus quinque.

SEPTIMIVS SEVERVS.

SEVERVS ſolus in numero principium fuit ex Africa; qui vir fortis, magna bella geſſit, terribilis S. P. Q. R. ſed militibus amabilis, qui maius ſtipendium dedit, quam aliquis Imperator. Hic tantum annonæ reliquit in morte, quod ſufficere poterat vrbi ſeptem annis, dando LXXV. millia modiorum in die. De quo dixit Senatus: *Quod nunquam debuiſſet naſci, vel nunquam mori.* Vixit annis LXXIX, Mortuus eſt in Britannia; eum imperaſſet annis XVIII.

ANTONIVS CARACALLA, BASSIANVS.

BASSIANVS filius Seueri, dictus Antonius Caracalla, ſucceſſit patri in imperio, aſperior eo, luxurioſus multum, qui Papinianum magnum Iuriſconſultum trucidari fecit, quia reprehendebat eum, quod duxerat Iuliam nouercam ſuam in vxorem. Hic imperauit annis quaſi ſex, & occiſus eſt apud Charras, inſidiis Macrini præfecti, anno ætatis ſuæ XLIII.

OPILIVS MACRINVS.

MACRINVS occiſo Baſſiano, arripuit imperium, homo omnium vitiorum, viliſſime natus, & viliſſimus ſeruus ſub Commodo: fuit crudelis, ſanguinarius, inuentor nouarum mortium, ſed poſt annum ſui imperii fuit occiſus, apud Antiochiam ab Heliogabalo.

VARIVS HELIOGABALVS.

VARIVS HELIOGABALVS, reputatus filius ſupra ſcripti Baſſiani, ex Semitama vulgatiſſima meretrice, ad cuius voluntatem fecit omnia turpia, impurior omni beſtia, occiſus eſt coniuratione militum, & deiectus in cloacam ſtercorariam,

rariam, & mater cum eo, digniſſima tali filio luxurioſo, prodigo, cœnoſo; qui non eſt nominandus homo, ſed vpupa fœdiſſima. Imperauit annis tribus.

ALEXANDER SEVERVS.

ALEXANDER filius Varii Heliogabali, natus ex Mammea Chriſtianiſſima muliere, accepit imperium ad remedium generis humani, qui iuuenis virtuoſiſſimus, purgatis ſordibus Heliogabali, Remp. ſalubriter gubernauit conſilio Vlpiani, qui fuit legalis ſcientiæ princeps. Habuit iſte Alexander omnes dotes naturæ, fortunæ; & vitam bonorum principum metrice ſcripſit. Vixit annis triginta nouem, menſibus tribus, diebus duodecim. Imperauit annis tredecim. Occiſus eſt in Gallia, à militibus opera Maximini, quod indigniſſimum viſum eſt. Nam omnes boni principes vt plurimum benè mortui ſunt, & mali male.

P. 4. *MAXIMINVS.*

MAXIMINVS natus de originc Thraciæ, ex patre & matre Barbaris, ſine auctoritate Senatus, à militibus appellatus eſt Auguſtus, qui fuit magnus vt gigas, fortiſſimus, ferus, aſper & ſuperbus, nullum animal eo crudelius fuit in terris: vnde milites in Africa feecrunt Imperatorem Gordianum ſenem grauiſſimum, ſed Maximinus occiſo Gordiano, & filio eius iuuene, veniebat contra Romam fulminans. Senatus vero territus, fecit tres Imperatores contra eum, ſcilicet Pupienum, Albinum & Gordianum paruulum, nepotem Gordiani ſenis interfecti. Maximinus vero apud Aquileiam occiſus eſt à militibus, cum filio ſuo, eum imperaſſet annis tribus.

GORDIANVS.

GORDIANVS tertius, qui appellatus fuerat Auguſtus à Senatu, eum Pupieno & Albino, illis occiſis fraude militum, qui iam imperauerant duobus annis, ſolus tenuit imperium valde puer. Cui nihil deficiebat niſi ætas, amabilis & gratioſus. Hic cum bella fœliciter gereret in Oriente; conſilio Miſithei ſoceri ſui viri prudentiſſimi, occiſus fuit à militibus fraude Philippi Arabis, dicentis: *Quod puer neſciebat regere imperium.* Imperauit annis ſex.

PHILIPPVS.

PHILIPPVS de Arabia, poſt Gordianum factus imperator, Philippum filium fecit partiepem regni. Qui de vili genere natus, ſuperbe imperauit annis ſeptem, nihil laudabile fecit, niſi quod fuerit primus Imperator Chriſtianus, & ambo in tumultu militari interfecti ſunt, fraude Decii, patet Veronæ, filius Romæ. Et hic nota quod omnis Auguſtus eſt Cæſar; ſed non è conuerſo. Nam Cæſar eſt electus à principe, vel exercitu; Auguſtus vero confirmatus à Senatu.

DECIVS.

DECIVS de Pannonia natus, vir induſtria militari ſtrenuus, occiſis Philippis, inuaſit imperium, quod tenuit annis tribus, & ipſe eum filio, quem Cæſarem feecrat, occiſus eſt in medio Barbarorum, cum bellum pararet contra Æmilianum, qui in Mœſia rebellauerat. Crudelis fuit contra Chriſtianos.

GALLVS HOSTILIANVS.

GALLVS HOSTILIANVS, poſt mortem Decii ſucceſſit in imperio, cum filio ſuo Voluſiano, quod tenuit annis vix duobus, quo tempore perſecutionem fecerunt in Chriſtianos, & peſtis generaliter fuit vbique.

LICINIVS VALERIANVS.

VALERIANVS ab exercitu appellatus Auguſtus, volente populo & gaudente Senatu, quia fuit vir nobilis ſanguine, ſcientia clarus, glorioſus eloquentia. Et hic verificatur dictum Ariſtotelis, *Vbi plurimum de virtute, ibi minimum de fortuna, & è conuerſo.* Sed infelicisſimus fuit omnium, nam captus à Rege Perſarum, in miſera ſeruitute conſenuit: ſuſtinens ſemper in tergo Regem, cum aſcenderet equum. Hic vixit annis LXX. imperauitque annis ſex.

GALLIENVS.

GALLIENVS filius Valeriani, qui iam erat Cæſar, factus eſt Auguſtus à Senatu loco patris. Qui luxurioſus marcens otio, ſe totum dedit voluptatibus, ne-

glecto patre, & imperio. Vnde 30. Tyranni inuaſerunt imperium. Fuit tamen poeta clarus, vnde cum ſemel celebraret nuptias, tenens ſponſum & ſponſam per manus, dixit iſtos mirabiles verſus:

Ite ſimul pueri, pariter ſudate medullis
Omnibus inter vos, non murmura veſtra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oſcula conchæ.

Imperauitque annis XI.

CLAVDIVS.

CLAVDIVS ſecundus, Imperator factus de voluntate Senatus, dicitur habuiſſe in ſe bona omnium principum, ſicut virtutem Traiani, pietatem Antonini, prouidentiam Auguſti. Hic victis fœliciter Gothis, mortuus eſt ex infirmitate familiari, virtutibus ſuis cœlum petiit, cum imperaſſet quaſi duobus annis. Quo mortuo Quintilianus frater eius, vir optimus imperium tenuit ſolum 17. diebus, & occiſus eſt.

AVRELIANVS. p. 5.

AVRELIANVS natus ex paruis parentibus Barbaris, fuit vir fortiſſimus, & in omni genere armorum exercitatus à pueritia, qui magna bella geſſit in Oriente, & muros Vrbis plus ampliauit, quam aliquis alius ante, vel poſt. Sed clementiam non habuit, quæ eſt prima virtus principum. Triumphus eius fuit glorioſiſſimus. Nam Zenobiam magnanimam mulierem, quæ magnifice vendicauerat ſibi Syriam, duxit ante currum triumphalem, ligatam multis cathenis aureis. Imperauit annis quinque, menſibus VI. occiſus fraude notarij ſui apud Byzantium.

TACITVS.

TACITVS V. Conſ. ſenex & grauis, factus eſt Imperator cum ſumma concordia & longa deliberatione militum, Senatus & populi; ſpatio ſex menſium, temperatus, ſobrius, lectione librorum delectatus. Non fecit magnifica propter temporis breuitatem, quia tantum ſex menſibus imperauit, morbo perijt.

FLORIANVS.

FLORIANVS frater eius ſibi ſimilis. Imperium tenuit duobus menſibus, & occiſus eſt inſidiis militum.

PROBVS DE PANNONIA.

PROBVS de Pannonia oriundus, de ciuitate Syrmienſi, nobiliore matre, qui vere probus iudicio omnium bonorum factus imperator, Remp. quietiſſimam, & ſecuriſſimam reddidit, nobiliſſimis virtutibus clarus; ſub magnis ducibus Valeriano, Aureliano & Claudio, multa bella geſſit fœliciter & probiter, terror Barbarorum. Ideo finaliter occiſus eſt apud Syrmium, quia nimis eos grauabat præliis & laboribus, anno imperii ſui V.

CARVS.

CARVS Romanus vel Mediolanenſis, viſus eſt militibus dignus imperio, poſt mortem Probi, & tamen medius fuit inter principes bonos & malos. Hic capta ciuitate Carrarum in Perſia, longius procedendo cum exercitu fulminatus eſt, cum imperaſſet annis duobus. Carus habuit duos filios Cæſares, quorum minor Numerianus, magnus Orator & Poeta, ſine pari tempore ſuo, occiſus eſt proditione Apri ſoceri ſui, qui volebat occupare imperium. Maior autem nomine Carinus contaminatiſſimus omnium, victus & occiſus eſt à Diocletiano.

DIOCLETIANVS.

DIOCLETIANVS, cum bonus princeps quæreretur, occiſo Numeriano, conſenſu omnium appellatus eſt Auguſtus, vir magnanimus, prudens, alti conſilij, qui dicebat, *Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Cum autem ſolus libere imperaret, ſubito ortis magnis bellis, Diocletianus fecit Auguſtum Maximianum, quem à principio fecerat Cæſarem, & elegit Cæſares Conſtantium patrem Magni Conſtantini & Galerium. Poſt multas victorias bellorum, Diocletianus ſenex reduxit ſe primum ad vitam priuatam, apud Salonas ciuitatem Dalmatiæ patriam ſuam. Et Maximianus coactus ab eo, idem fecit apud Mediolanum:

num: & Diocletianus in Oriente, & Maximianus in Occidente crudelius perſecuti ſunt Chriſtianos, quam Valerianus & Decius, Aurelianus & cæteri. Diocletianus venenum bibit anno ætatis LXVIII. cum imperaſſet annis decem.

CONSTANTIVS.

CONSTANTIVS & Galerius Cæſares, facti Auguſti, diuiſerunt imperium inter ſe. Nam Conſtantius contentus Gallia & Hiſpania, cæteras prouincias collegæ ceſſit. Conſtantius ex patre Eutropio nobili Romano, fuit vir optimæ conſtantiæ & ciuilitatis, omnibus amabilis & venerabilis: qui mortuus eſt in Britannia, anno imperij ſui XIII. relicto Conſtantino filio ex Helena.

GALERIVS.

GALERIVS cum imperaſſet Illyrico, milites prætoriani Romæ fecerunt Imperatorem Maxentium, filium Maximiani, contra quem Galerius miſit quendam Seuerum, qui cum incredibili multitudine obſedit Romam, & tamen proditione ſuorum à Maxentio fugiens occiſus eſt, & Maxentius confirmatus in imperio: factus eſt ſæuiſſimus tyrannus. Galerius vero poſt multa mala quæ fecerat in Chriſtianos, dum putaret venire in Italiam; morbo faſtidiendo putrefactus, cum vermes inceſſabiliter emitteret de corpore, cruciatus impatiens, manu ſua ſe interfecit, anno imperij ſui X. Imperauit ſolus annis duobus.

p. 6. *M. FLAVIVS CONSTANTINVS MAGNVS.*

CONSTANTINVS Magnus Conſtantij filius, omni virtute refulgens, optimis principibus comparandus, rogatus à S. P. Q. R. vt eiues ſuos liberaret à ſeruitute crudeliſſimæ beſtiæ, Maxentii, conuocatoque Licinio, qui imperabat in Hiſpania, cum magno apparatu belli venit contra Maxentium; quem magno prælio vicit, & Maxentius fugiens ſuffocatus eſt in Tyberi. Conſtantinus cum magna gloria intrauit Vrbem. Poſtea Licinium ſibi rebellem, ſæpe victum, tandem occidi fecit. Conſtantinus itaque omnium victor, Eccleſiam Romanam reformauit, fidem Chriſtianam confirmauit, ſedem imperii tranſtulit in Græciam, vbi fecit ſecundam Romam. Conſtantinus eum magna virtute & fortuna proſpertima imperauit XXX. annis, menſibus X. diebus XI. vixitque annis LXVI. & mortuus eſt feliciter.

CONSTANS.

CONSTANS & Conſtantius filij Conſtantini occiſo fratre eorum Conſtantino, tenuerunt ambo imperium. Conſtans prauus Arrianus perſecutus eſt Catholicos, ſed poſt multa prælia geſta contra Perſas, factus omnibus intolerabilis, occiſus eſt anno imperii eius XIX. ætatis vero anno XXX.

CONSTANTIVS.

CONSTANTIVS poſt fratrem ſolus tenuit imperium annis ſex, temperans & placidus, quamuis Arrianus. Hic Iulianum conſanguineum ſuum fecit Cæſarem, & ſororium ſuum, & miſit in Gallias, qui elatus victoria inuaſit imperium in Italia, Conſtantio occupato bellis Parthorum, Conſtantius vero rediens contra eum mortuus eſt in via, anno ætatis ſuæ XLV.

IVLIANVS.

IVLIANVS ſucceſſit ſolus in imperio, vir liberalis, literatus, eloquens, memorioſus, cupidus gloriæ. Fuit tamen ingratus contra Conſtantium, & perfidus contra fidem; vnde vocatus eſt apoſtata, quia ſolus poſt Conſtantinum receſſit à fide Chriſtiana, & Chriſtianos odio habuit, quibus interdixit officia & ſtudia ſcientiarum. Iulianus vixit annis XXXII. Imperauit anno vno, menſib. VIII. transfixus telo in deſerto Parthiæ, ab vno milite ignoto.

IOVINIANVS.

IOVINIANVS de Pannonia oriundus, electus eſt Imperator ab exercitu Iuliani: qui corpore pulcher, lætus animo, exercitum quem Iulianus fecerat paganum, fecit Chriſtianum, & reduxit ſaluum ex periculo magno. Mortuus octauo menſe imperii ætatis eius XXXIII.

VALENTINIANVS.

VALENTINIANVS de Pannonia, qui receſſerat à Iuliano, quia verus Chriſtianus erat, factus eſt imperator à militibus nolens, vir pulcher, prudens, probus, ſimilis Hadriano, & Aureliano: qui fratrem ſuum Valentem, & Gratianum filium fecit Auguſtos. Hic vir perfectus, poſt multa bella mortuus eſt, ſubita ſanguinis effuſione, anno imperii XI. ætatis vero LV. Quo mortuo Valens tenuit imperium in Oriente, Gratianus in occidente.

VALENS.

VALENS imperator in Oriente, tanquam Arrianus, perſecutus eſt catholicos Chriſtianos, vnde præcepit vt Monachi militarent. Sed infeliciſſime bellum gerens cum Gothis, perdito exercitu, ipſe vulneratus ſagitta, fugiens in vilem caſam, viuus crematus eſt igne, cum imperaſſet quaſi annis IV.

GRATIANVS.

GRATIANVS poſt mortem patrui imperauit annis VI. qui iuuenis gratus, catholicus & fidelis, contra Alemanos fœliciter pugnauit; ſub quo Italia tota receſſit à perfidia Arrianorum. Gratianus videns multas gentes infeſtas Romano imperio, elegit in Imperatorem orientis Theodoſium nobiliſſimum Hiſpanum: qui vir XXXIII. annorum, Tartaros terribiles debellauit, & cæteris hoſtibus conciliatis, glorioſus fuit apud Conſtantinopolim.

VALENTINIANVS II.

VALENTINIANVS ſecundus, frater Gratiani imperauit in Occidente, Theodoſio imperante in Oriente. Iſte vir bonus, expulſus de Gallia à Maximo tyranno. Theodoſius tyrannum potentem cum paruo apparatu fœliciter vicit apud Aquileiam, & captum decapitauit. Valentinianus ergo reſtitutus in regno p. 7.
Occidentis, cum in pace regnaret, ſtrangulatus eſt apud Viennam, fraude Arbogaſti comitis ſui, cum imperaſſet annis VIII.

THEODOSIVS MAGNVS.

THEODOSIVS Magnus, cum iam imperaſſet XIII. annis cum Gratiano & Valentiniano fratribus, ſolus remanſit in imperio annis tribus, in Oriente & Occidente. Iſte fuit optimus imperator Chriſtianorum, ſimilis Traiano, à quo originem traxit, de quo mirabiles laudes fecit Ambroſius, cuius auxilio expulit Arrianos de Mediolano. Theodoſius contra Eugenium, qui vſurpabat imperium in Galliis, confidens virtute CHRISTI, illius auxilio ſuppliciter inuocato, in Alpibus ruit in prælium, & ſubito orta vi ventorum cum crudeli tempeſtate contra hoſtes, Theodoſius victor cum parua cæde ſuorum, Eugenium captum interfecit. De qua re memoriam facit Claudianus Florentinus poeta paganus, vt refert Auguſtinus de ciuitate DEI. Theodoſius anno ætatis L. fœliciter mortuus eſt apud Mediolanum, relictis duobus Auguſtis filiis ſuis, Arcadio & Honorio.

ARCADIVS.

ARCADIVS ſucceſſit patri Theodoſio in imperio Orientis, & Honorius in imperio Occidentis, ambo viri boni, non degenerantes à patre. Anno vero imperii Rhadagaiſus rex Gothorum, cum infinita multitudine Barbarorum miſerabiliter victus à Romanis, fame & frigore occiſus eſt, Romæ captiuis more pecudum venditis. Arcadius vero anno imperii eius XIII. mortuus eſt, apud Conſtantinopolim, relicto filio ſuo Theodoſio in imperio Orientis.

HONORIVS.

Alaricus Gothus. HONORIVS qui iam XIII. annis imperauerat cum fratre ſuo, poſtea imperauit cum Theodoſio minore annis XV. ſub quorum imperio Alaricus Rex Gothorum cepit Romam cum furore, & ſpoliauit: parcens tamen fugientibus ad templa Sanctorum. Sub iſto Honorio multa bella ciuilia, & externa terminata ſunt in Occidente, cum immodico ſanguine; ipſe vero occiſus eſt Romæ ſine filiis.

THEODOSIVS MINOR.

THEODOSIVS MINOR filius Arcadii, mortuo Honorio regnauit in Oriente, annis XXVII. cum iam poſt mortem patris regnaſſet annis XIII. & cum patre viuente annis

annis octo. Hic Valentinianum conſobrinum ſuum fecit Auguſtum, & generum ſuum, qui in occidente regnauit XXV. Tempore huius Theodoſii Carthago crudelius capta eſt à Genſerico Rege Wandalorum, quam Roma ab Alarico, quia Genſericus non pepercit eccleſiis. Theodoſius mortuus eſt apud Conſtantinopolim, & ſepultus cum patre ſuo Arcadio.

VALENTINIANVS III.

VALENTINIANVS tertius in Occidente tenuit imperium quinque annis, poſt mortem Theodoſii, cum quo imperauerat annis XXV. & Martianus ſucceſſit Theodoſio, tempore iſto, quo Attila ille potens & terribilis, cum multis Regibus & gentibus barbaris de Pannonia veniens, Italiam crudeliter afflixit, Venetamque prouinciam, & Lombardiam, Aquileia primo euerſa. Tunc autem facta eſt ciuitas Venetiarum à fugientibus ſæuitiam Attilæ. Valentinianus autem timore vel inuidia occidit Elium, ducem bellicoſiſſimum Romani exercitus in Gallia, qui ſolus erat victor Attilæ, cuius morte ruit imperium & ſalus occidentis. Ipſe quoque Valentinianus anno ſequenti occiſus eſt Romæ, ab vno milite Elii, cum iam annis viginti-quinque rexiſſet imperium. *Venetie.*

FL. VALERIVS MARTIANVS.

MARTIANVS qui iam quinque annis imperauerat cum Valentiniano, poſt mortem eius imperauit annis duobus; quo tempore Genſericus rex Wandalorum veniens ex Africa cum Mauris, cepit Romam, & eam rapaciter ſpoliauit, ſimiliter Capuam, & Campaniam. Martianus vero anno ſeptimo ſui imperii, occiſus eſt coniuratione ſuorum apud Conſtantinopolim. *Genſericus Vandal.*

LEO.

LEO in Conſtantinopoli inuaſit imperium, qui Leonem filium ſuum regni Orientis fecit conſortem. Quo tempore imperium Occidentis à multis laceratum eſt: nam quidam Maiorianus inuaſit imperium apud Rauennam, & ita alii multi: Rauenna enim eo tempore Gothorum potentiſſima erat. Leo vero anno imperii ſui XVII. mortuus eſt in oriente.

ZENO.

p. 8. ZENO imperator Leonis gener, ſucceſſit illi in imperio. Quo tempore Odoacer veniens cum forti exercitu, de vltimis finibus Pannoniæ, obtinuit regnum Romæ cum tota Italia. Quod cum tenuiſſet quatuordecim annis, Theodoricus Rex Gothorum veniens de Græcia cum auctoritate Zenonis, vir ſtrenuiſſimus, victo Odoacro obtinuit Romam, cum tota Italia. Zeno vero in Græcia cum imperaſſet annis XVI. mortuus eſt, Similis Papyrio Curſori in velocitate pedum. *Theodoricus Gothus.*

FL. VALERIVS ANASTASIVS, DICOROS.

ANASTASIVS poſt Zenonem adeptus eſt imperium, qui factus hæreticus pertinax, cum non poſſet reuocari ad fidem ſanctam, iuſto iudicio Dei fulmine percuſſus, periit, anno imperii ſui XVII. Quo tempore Theodoricus glorioſe regnavit in Italia circa annos XL.

IVSTINVS MAIOR.

IVSTINVS MAIOR ſucceſſit Anaſtaſio, qui vir catholicus & pius, in partibus Orientis omni ſtudio nomen Arrianorum quærebat extinguere. Sed Theodoricus minatus eſt ei, quod niſi reſtitueret Arrianos, ipſe in Italia omnes populos gladio necaret. Iuſtinus vero ex compaſſione Arrianos dimiſit in pace. Ipſe vero Iuſtinus cum imperaſſet annis vndecim, in pace quieuit Conſtantinopoli.

IVSTINIANVS.

IVSTINIANVS Iuſtini ſororis filius ſucceſſit illi in imperio, qui iuſtiſſimus princeps, Romanum imperium armis & legibus reparauit. Nam per Beliſarium virum bellicoſſimum debellauit Perſas, qui inuaſerant fines Romanos, Africam liberauit de manibus Wandalorum, atque Italiam de manibus Gothorum, vbi Neapolim receptantem Gothos crudeliſſime exterminauit, nulli parcens. Poſtea Narſes Eunuchus iterum Romam liberauit de manibus Totilæ regis Gothorum, quem

interfecit. Iuſtinianus vero leges Romanas mirabili breuitate reformauit, qui mortuus eſt fœliciter, cum imperaſſet annis XXXVIII.

IVSTINVS MINOR.

IVSTINVS MINOR, nepos Iuſtiniani, ſucceſſit in imperio, qui fuit homo auarus, rapax, impius & hæreticus. Propter quod Narſes, qui per inuidiam fuerat illi falſo accuſatus, odio & timore Auguſtæ, quæ minabatur reducere eum inter mulieres, fecit venire Longobardos de Pannonia in Italiam; qui cœperunt Mediolanum, Papiam, & quaſi totam Lombardiam. Iuſtinus cum imperaſſet annis vndecim, alienatus mente mortuus eſt, relicto Tiberio Cæſare.

TIBERIVS II.

TIBERIVS ſecundus ſucceſſit in imperio Iuſtino, qui fuit recte contrarius illi; vir largus in pauperes, Chriſtianus perfectus, ſapiens & iuſtus, qui theſauros Iuſtini male acquiſitos, pauperibus errogauit, & de Perſis magnam prædam habuit. Iſte Tiberius moriens, reliquit hæredem imperii Mauricium, data ſibi filia in vxorem, cum imperaſſet ſeptem annis.

MAVRICIVS.

MAVRICIVS gener Tiberii, primus ex Græcis habuit imperium, vir vtilis Reipublicæ, cuius tempore magnum diluuium fuit in Italia apud Vrbem & Veronam. Mauricius vero anno ſeptimo imperii ſui occiſus fuit, cum duobus filiis ſuis à Phoca.

PHOCAS.

PHOCAS occiſor Mauricii & filiorum, obtinuit imperium. Qui prius conſtituit: *Quod Romana Eccleſia eſſet caput omnium Eccleſiarum*, cum prius Conſtantinopolitana ſupremam ſe nominaret. Phocas vero, cum imperaſſet quinque annis, priuatus ſimul vita & imperio ab Heraclio, qui Africam regebat.

HERACLIVS.

HERACLIVS ſucceſſit Phocæ in imperio, cum filiis ſuis Conſtante & Conſtantino ſecundo ex illa familia. Quo tempore Mahometus peſtilentiſſimus draco in Arabia fecit ſectam ſuam, ab Oriente in Occidentem venenum ſuum diſſeminans, cum peſſima deſolatione fidei Chriſtianæ. Iſte Heraclius factus hydropicus, mortuus eſt anno imperii ſui XXXI.

Mahometus.

CONSTANTINVS II.

CONSTANTINVS ſecundus cum fratre Conſtante iura ſuſcepit imperii. Qui crudelis raptor, veniens in Italiam, Romam ſpoliauit omnibus ornamentis ſuis: deinde in Sicilia fecit inauditas crudelitates, & rapinas. Ibi tandem occiſus eſt à ſuis in balneo, cum regnaſſet annis viginti octo. p. 9.

CONSTANTINVS POGONATVS III.

CONSTANTINVS tertius ſuperioris filius, ſucceſſit illi in imperio: qui vir bonus & catholicus, multum confirmauit fidem Chriſtianam contra hæreticos, & mortuus eſt in pace cum regnaſſet annis viginti ſeptem.

IVSTINIANVS II.

IVSTINIANVS ſecundus, filius Conſtantini tertij, de familia Heracliorum, ſucceſſit in imperio, qui liberauit Africam de manibus Sarracenorum. Fuit tamen ſchismaticus, & infeſtus populo Romano. Imperauit quoque annis decem. Et hic nota, quod omnes Principes poſt mortem Heraclii vsque ad Carolum Magnum, fuerunt de ſtirpe eius.

LEONTIVS.

LEONTIVS expulit Iuſtinianum prædictum de regno, quem relegauit in Pontum, imperauit annis tribus, deinde regnum perdidit, ut ſtatim dicetur.

TIBERIVS III. APSIMARVS.

TIBERIVS tertius inſurgens contra Leontium arripuit regnum, eumque tenuit in cuſtodia toto tempore ſui imperii, qui regnauit annis ſeptem.

IVSTINIANVS II.

IVSTINIANVS ſecundus prædictus, qui relegatus fuerat à Leontio ſecundo, recupera-

cuperauit Imperium ; & continuo iugulari fecit in publico Leontium , qui expulerat eum , & Tyberium qui inuaſerat imperium Leontij. Iſte quidem multa magnifice fecit, ſed contra eum quidam Philippicus (relegatus ab eo) creatus Imperator ab exercitu, apud Conſtantinopolim vicit, & occidit ipſum Iuſtinianum, cum imperaſſet annis ſex cum filio ſuo Tyberio.

PHILIPPICVS BARDANES.

PHILIPPICVS dictus Bardanes , ſuccedens Iuſtiniano à ſe occiſo, priuatus eſt regno & oculis ab Anaſtaſio, cum imperaſſet anno vno, & menſibus ſex, qui fautor fuit hæretieorum.

ARTEMIVS, QVI ET ANASTASIVS.

ANASTASIVS ſecundus (dictus Artemius) priuato vita Philippico , tenuit imperium, ſed exercitus eius elegit Theodoſium imperatorem , licet inuitum, anno tertio imperii eius, eum eſſet fautor Catholicorum.

THEODOSIVS ATRAMITENVS.

THEODOSIVS tertius factus Imperator à militibus , Anaſtaſium graui prælio vicit; quem captum fieri fecit ſacerdotem, ipſe vero Catholicorum amicus, anno imperauit vno.

LEO ISAVRVS SEV CONO.

LEO tertius ſucceſſit Theodoſio in imperio : qui Conſtantinum filium ſuum fecit regni conſortem , quo tempore fuit Conſtantinopolis longa obſidione miſerabiliter afflicta à Sarracenis. Hic Leo prauus fuit , qui imagines Mariæ & ſanctorum in publico fecit igne cremari, & tamen imperauit annis XXV.

CONSTANTINVS COPRONYMVS.

CONSTANTINVS quintus prædicti Leonis filius, peior patre , dictus eſt perſecutor Eccleſiæ , qui multos religioſos & vere Catholicos occidit , vacans impie magicis artibus: attamen regnauit annis vigintiquinque. Quo tempore Pipinus pater Caroli Magni vicit in Italia Aiſtulphum Regem Longobardorum. *Pipinus Francus.*

LEO.

LEO quartus filius Conſtantini quinti , imperauit in Oriente poſt eum annis quinque , dignus patre ſuo ſuccedere in vitiis.

CONSTANTINVS ET HIERENE MATER.

CONSTANTINVS ſextus Leonis filius imperauit cum matre Hirene , qui poſtea matre priuata , regnauit ſolus annis quinque. Mater vero cæcauit filium, & ſola regnauit quinque annis : & tunc imperium Romanum, quod fuerat in
p.10. Oriente à primo Conſtantino vſque ad iſtum vltimum, terminatum eſt. Nam *Imperij diuiſio.*
facta eſt diuiſio Imperii, vt imperium Occidentale ſolum diceretur Romanorum, & Orientale diceretur Græcorum; & tunc imperium Romanorum tranſiuit ad Francos.

CAROLVS MAGNVS.

CAROLVS Magnus Pipini filius , victo Deſiderio rege Longobardorum in Italia apud Papiam, veniens Romam , electus eſt Imperator à S.P.Q.R. & confirmatus à ſummo Pontifice , quia adiutor erat Eccleſiæ. Hic fuit optimus princeps Chriſtianorum , qui terram ſanctam occupatam à Sarracenis , & imperium in Oriente & Occidente recuperauit , vbi tunc fœmina praua Hyrena regnabat in Oriente, totam Hiſpaniam liberauit , maximus Romanæ Eccleſiæ pugil, & protector fidei Chriſtianæ. Carolus vixit annis LXXI. & mortuus eſt fœliciter, cum regnaſſet annis XLVII. & imperaſſet annis XIV.

LVDOVICVS PIVS.

LVDOVICVS PIVS Caroli Magni filius , ſucceſſit patri in imperio , ſuperatis duobus fratribus ſuis. Hic fuit vir inuictus, ſed plus clemens, ſobrius & temperatus , vltra omnes patiens, nullis vincibilis malis: qui & viuente patre , cum regnaret, & poſt mortem cum imperaret , magnifica multa geſſit. Deuotiſſimus Chriſtianus, non diſſimilis patri. Vixit annis ſexaginta quatuor , imperauit annis XXV.

LOTHA-

LOTHARIVS.

LOTHARIVS Ludouici Pij filius imperium arripuit, non faciens partem regni fratribus ſuis, ſecundum ordinatam diuiſionem patris: vnde contractis virib. inaudita ſtrage Francorum, pace fracta, Lotharius imperauit in Italia. Hic anno quinto decimo imperii ſui diuiſo filiis regno factus eſt Monachus, & mortuus eſt fœliciter, qui fuerat violentus in vita.

LVDOVICVS II.

LVDOVICVS ſecundus Lotharij monachi filius, imperauit annis XXI. qui ſiue triſte, ſiue infœlix bellum habuit cum Carolo fratre ſuo, crudeliter regnante ſuper Francos, turpiter victus eſt, & nihil magnificum gerens, mortuus eſt in Italia, & in Mediolano videtur ſepultus. Dicitur quoque quod Italiam ſapienter & pacifice rexerit.

CAROLVS II. CALVVS.

CAROLVS ſecundus dictus Caluus, filius Ludouici Pij, & patruus Ludouici ſecundi, & frater Lotharii, ſucceſſit Ludouico ſecundo in imperio; vir lepore timidior, fugere quam fugare paratior: dictus eſt Groſſus vel Simplex, qui multa monaſteria fabricari fecit, ac etiam dotauit. Veneno vero extinctus, cum imperaſſet anno vno & menſibus nouem.

CAROLVS CRASSVS III.

CAROLVS minor nomine tertius, Ludouici Germanorum regis filius, & nepos eiusdem Caroli Calui, Imperium in Italia tenuit, Galliam & Germaniam poſſedit pacifice. Robertum ducem Normandiæ victum, de ſacro fonte leuauit, & filiam ſuam dedit illi in vxorem. Hic anno imperii duodecimo deficiens animo & corpore, repudiatus eſt à magnatibus regni, Arnulpho facto imperatore: anno vero ſequenti, idem Carolus mortuus eſt.

ARNULPHUS.

ARNVLPHVS ex Carolorum progenie, hic Normandos mirabili cæde deleuit, Romam cepit; tandem longa ægritudine diſſolutus, à pediculis roſus eſt: ſic fœlix prælio, infœlix morbo periit, anno imperii ſui XI.

LUDOVICUS III.

LVDOVICVS tertius Arnulphi filius, ſucceſſit patri in imperio, quod tenuit annis X. non fœlicior patre: nam ſub eo defecit Imperium de progenie Carolorum, cum non iuuaret Eccleſiam more maiorum ſuorum, contra Longobardos infeſtantes Eccleſiam. Et tunc diuiſum eſt Imperium, quia aliqui imperauerant in Italia, ſicut quatuor Berengarii; aliqui in Alemannia, ſicut Conradus & Heinricus vſque ad Ottonem I. qui vtrobique imperauit. Ludouicus perſecutus eſt Berengarium in Italia, captus apud Veronam, cæcatus dicitur, cum imperaſſet annis X.

BERENGARIUS.

BERENGARIVS I. imperante Ludouico tertio, imperauit in Italia, tantum quatuor annis. Hic fuit vir prudens, & ſtrenuus in armis, qui & bellum cum Romanis geſſit.

CONRADUS. p. 11.

CONRADVS Alemanus ſucceſſit Ludouico tertio in imperio, ſed nec ipſe peruenit ad benedictionem in Italia, ideo non ponitur inter Principes: vir tamen ſapiens, fortis & victor fuit. Hic imperauit annis ſeptem, & moriens coram Principibus regni deſignauit Regem Heinricum, filium Otthonis ducem Saxonum.

BERENGARIUS II.

BERENGARIVS ſecundus, imperauit annis nouem in Italia, cui pauca memoranda aſcribuntur.

HEINRICUS.

HEINRICVS poſt Conradum imperauit in Alemannia, annis XVIII. vir bonus & ſimplex, qui genuit Otthonem primum. Et iſte Heinricus non computatur

tatur inter Imperatores, quia non regnauit in Italia, nec operam dedit vt Italiam de manibus Tyrannorum liberaret.

BERENGARIVS III.

BERENGARIVS III. tempore præfati Heinrici imperauit Italicis, annis VII. ſub quo magnum ſchiſma fuit in Italia: nam Vgo rex Burgundiorum, inuitatus ab Italicis, pugnauit cum Berengario, & victor regnum Italiæ tenuit tribus annis, & relicto Lothario filio redijt in Galliam.

LOTHARIVS VGONIS.

LOTHARIVS Vgonis Burgundionis filius, imperauit in Italia annis duobus, de quo pauca ſcribuntur.

BERENGARIVS IV.

BERENGARIVS IV. poſt Lotharium regnauit annis XII. cum Alberto filio ſuo apud Mediolanum. Iſte vir ferox, nimium tyrannice premebat Italiam, ſed finaliter victus ab Otthone primo; mortuus eſt miſere in exilio in Alemannia, & Albertus miſerrime in Corſica. Et nota quod omnes à Berengario primo vſque ad iſtum vltimum, non videntur poſſe dici vere nec proprie Imperatores.

OTTO I.

OTTO I. Heinrici filius, ex Germanorum gente, primus ex Teutonicis ſolus obtinuit imperium Occidentis; & poſt eum ſoli Teutonici imperauerunt uſque ad præſens tempus. Hic vir probus & potens, ſœliciter reformauit Italiam, ſpiritaliter & temporaliter, liberando Eccleſiam à manibus Ioannis Papæ XII. qui turpiter tractabat eam, & Italiam traxit de manibus Berengarij IV. qui impie premebat eam. Otto vero imperauit annis XXXV. ſecundum Sigisbertum, & ſecundum alios annis XII. & mortuus eſt ſenex valde, relicto eiuſdem nominis filio.

OTTO II.

OTTO ſecundus filius primi, ſucceſſit patri in imperio & virtute; qui vir acer in armis, ſagax ingenio, imperium ſœliciter confirmauit. Nam Romanos proceres ſæpe rebelles vocatos ad conuiuium cinxit armatis, & nocuos ſecuri percuſſit, reliquos epulari conuiuio iuſſit, imperauit quoque annis IX.

OTTO III.

OTTO tertius filius ſecundi, ſucceſſit patri in imperio. De quo dictum eſt:

Otto, poſt Otto, regnauit tertius Otto.

Hic fuit vir iuſtus & conſtans, qui Creſcentium potentem Romanum in caſtello ſancti Angeli obſeſſum, diu tandem poſt multa tormenta fecit decollari, & Antipapam introductum per eum ludibrioſe tractavit. Ipſe etiam vxorem ſuam viuam fecit igne cremari, quia falſo accuſauerat militem innocentem, imperauitque annis XIX. & mortuus eſt ſine liberis. Et Imperatores ex poſt per electionem, & non per ſucceſſionem creati ſunt.

HEINRICVS. I.

HEINRICVS primus accepit imperium poſt Ottonem tertium, Bauariæ dux, filius Heinrici ducis, qui fuit natus ex Heinrico fratre primi Ottonis. Hic vir honeſtiſſimus, multa bella in Germania proſpere geſſit, & in Italia contra Ardonium, qui electus erat rex à Longobardis. Stephanum Regem Hungariæ fecit Chriſtianum cum gente ſua, opera ſororis ſuæ, quam dedit illi in vxorem, imperauitque
p. 12. annis XXII. licet aliqui dicant XII. Aliqui etiam vocant iſtum Heinricum ſecundum, quia habent reſpectum ad Heinricum ſuperiorem: ſed quo ad Teutonicos, denominatur primus. Hic ſiquidem finem ſuum ſancte & ſœliciter fecit.

CONRADVS I.

CONRADVS I. nobilis ex gente Francorum vit, nepos ſuperioris Heinrici, peruenit ad imperium auctoritate ipſius Heinrici, & Electorum opera. Qui vir ſtrenuus, veniens in Italiam, coronatus eſt apud Mediolanum, & Romam, & ſiluit terra in conſpectu eius. Sed tandem indignatus contra Archiepiſcopum, dum im-

pugnaret Mediolanum, mortuus eſt anno XV. imperii ſui. Alij tamen dicunt quod imperauit annis XX.

HEINRICUS II.

HEINRICVS II. gener Conradi prædicti, & filius adoptiuus fuit, hæres patrimonij & imperii, potius faro quam à propoſito. Hic fuit vir aptus imperio, iucundus, lætus, bellator, qui Wandalos ſubegit, conterminos Sueuis Hungaros vicit. Pandulphum principem Capuanum cepit; multa dabat pauperibus, expulſis ioculatoribus à curia ſua. Qui charus omnibus cum floreret imperio, migrauit à ſeculo anno XVII. imperij, relicto filio paruulo ſui nominis.

HEINRICUS III.

HEINRICVS III. ſecundi filius ſucceſſit patri in imperio, vir impius, qui imperauit annis quinquaginta, inuidens gloriæ proborum virorum, Eccleſiæ hoſtis: & propter multa mala geſta eius, fuit electus Rodulphus dux Saxonum contra eum, quem tamen Heinricus atrociſſimo bello vicit, ſed infelicem finem habuit. Nam filius eius aſſumpta corona imperii, inſurgens contra eum inuaſit ipſum bello; & pater Leodij latens, & pauper mortuus eſt, & excommunicatus.

HEINRICUS IV.

HEINRICVS IV. tertii filius, arripuit patri imperium, ſub colore ſuccurrendi Eccleſię & imperio, contra iura naturæ & hominum: & tamen ipſe fuit hoſtis Eccleſiæ, licet reconciliatus. Quo tempore claruit inclyta Comitiſſa Maitildis in Lombardia, & Robertus Guiſcardus in Sicilia. Hic Heinricus mortuus eſt ſine liberis, cum regnaſſet annis XV.

LOTHARIUS III.

LOTHARIVS III. (qui & Lutarius dictus eſt) cum magno conſenſu, & conſilio electus eſt Imperator, hic dux Saxonum ſapiens, & induſtrioſus. Fuit amicus & deuotus Eccleſiæ, pollens diuitiis & victoriis magnis, imperauit fœliciter annis XI.

CONRADUS II.

CONRADVS ſecundus, nepos Heinrici quarti ex ſorore, qui imperium affectauerat ante Lotharium, ſucceſſit illi in imperio. Hic vir optimus paſſagium fecit, collecta magna multitudine cruceſignatorum; & poſt aliqua proſpere geſta virtute magna, tandem inconſulte preſſus inopia victualium, multa millia ſuorum amiſit, & reuerſus in regnum, obiit cum imperaſſet annis XV.

FREDERICUS I.

FREDERICVS I. nepos Conradi ſecundi, defuncto patre ſuo, Romanum ſuſcepit imperium, de nobiliſſima domo Sueuiæ, vocatus eſt Barbaruſſa. Hic vir ſtrenuiſſimus Mediolanum ciuitatem florentiſſimam, cum auxilio Papienſium, & multorum Lombardorum euertit. Sæpe fuit infeſtus Eccleſiæ, & Alexandrum Papam perſecutus eſt: apud Venetias victus, pacem fecit. Tandem cum iuiſſet in ſubſidium Terræ ſanctæ, ſuffocatus eſt in quodam flumine. Imperauit magnifice annis XXXII.

HEINRICUS V.

HEINRICVS V. filius Barbaruſſæ imperauit poſt patrem, qui fuit maritus Conſtantiæ monachæ, filiæ Guilhelmi optimi regis Siciliæ, ſub cuius titulo inſulam cepit. Fuit ſtrenuus & aſper more patris, & aliquanto infeſtus Eccleſiæ. Mortuus eſt in Sicilia, & ſepultus apud Panormum; relicto Frederico filio infantulo, & Philippo fratre ſuo, ad gubernationem regni, cum imperaſſet annis VII. & menſib. V.

OTTO IV.

OTTO quartus dux Saxoniæ, defuncto Heinrico electus & coronatus eſt Imperator, cum magno fauore Lombardorum. Sed continuo contra iuramentum iura Eccleſiæ occupauit? contra quem electus eſt Fridericus ſecundus iuuenis, p. 13.
cum auxilio Philippi tertij Regis Francorum, à quo tandem debellatus, mortuus eſt Otto miſere, cum imperaſſet annis duobus? ideo non ponitur inter Principes.

FREDE-

FREDERICVS II.

FREDERICVS ſecundus, natus ex Henrico quinto, & Conſtantia monacha vetula, fuit potentiſſimus imperator Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Hieruſalem & Sueuiæ, quo nullus magnificentior tenuit Romanum imperium, à Carolo magna citra. Fuit armorum ſtrenuus, linguarum peritus, rigoroſus, luxurioſus, Epicureus, nihil curans, vel credens niſi temporale. Fuit malleus Romanę Eccleſiæ, cum multis pontificibus bellum habuit, pręcipue cum Gregorio nono; tandem virtute Innocentii quarti Januenſis excommunicatus, victus & fugatus eſt de Lombardia, nec ſibi proficere potuit potentia. Vixit annis LVII. imperauit annis XXX. Male mortuus eſt in regno Apuliæ in oppido Ferentino, præſente ſolo Manfredo ex filiis ſuis. Poſt cuius mortem vacauit imperium circa annos XXIV.

CONRADVS.

CONRADVS filius Frederici ſecundi, electus adhuc viuente patre, poſt mortem eius regnauit annis quaſi duobus. Sed Manfredus frater eius naturalis venenato Conrado, tenuit regnum Siciliæ magnifice annis XIII. & Carolus ſenior victor Manfredi & Conradi nepotis eius regnauit annis XVI. Hic Conradus caruit imperiali benedictione, ideo non dicitur Imperator.

RODULPHUS.

RODVLPHVS comes de Auenſperg, genere Germanus, poſt longam vacationem imperij electus eſt Rex Romanorum, & confirmatus eſt à Gregorio X. in fauorem Terræ ſanctæ. Hic fuit vir prudens in agendis, in armis ſtrenuus, iuſtus, Deum timens, ciuilis & parcus; & tamen licet regnauerat XX. annis, nunquam viſitauit Italiam vt minabatur; implicitus multis agendis in regno Alamanniæ. Nam regem Bohemiæ Ottacarum diuitem & potentem, dedignantem obedire ſibi duriſſimo prælio vicit; quo occiſo, dedit filio pacem, & filiam ſuam in vxorem.

ADULPHUS.

ADVLPHVS comes de Naſſau, genere Germanus, in Romanorum Regem electus eſt: ſed non benedictionem, nec coronationem receepit in Italia. Hic fuit vir magnanimus, contra quem Albertus Rodulphi prædicti filius inſurgens, ipſum bello vicit. Nam Adulphus magis viribus, quam conſilio vtens occiſus eſt, cum regnaſſet annis IV.

ALBERTVS.

ALBERTVS dux Auſtriæ, Rodulphi filius, victo & occiſo Adulpho, electus eſt in Romanorum Regem ab Electoribus, & à Bonifacio Papa famoſo petiit venire ad benedictionem & Coronationem. Cui Boniſacius magnanimus tyrannus ſacerdotum reſpondit: *Ipſum indignum imperio, quia occiderat proditione dominum ſuum Adulphum in prælio*, & tenens coronam in capite, & ſpatam ad latus dixit: *Ego ſum Cæſar.* Tamen poſtea orta grauiſſima diſcordia inter Philippum Regem Franciæ & ſe, confirmauit Albertum, & vocauerat eum. Hic Albertus cum regnaſſet annis X. interfectus eſt ab vno nepote filio fratris.

HEINRICVS. VI.

HEINRICVS hoc nomine ſextus, genere Germanus, partus Comes de Luzenburgo; factus eſt Imperator; & veniens in Italiam, coronatus eſt Romæ cum difficultate, obſiſtente ſibi ſapientiſſimo rege Roberto. Hic vir prudens, iuſtus, honeſtus, catholicus, dilectus omnibus, ſedatis ſollicite diſcordiis Alamanniæ, alto animo diſponebat reformare potentem Italiam, vt ſic facilius redimeret Terram ſanctam, ſi fata permiſiſſent; & ſperabatur dominus omnium in breui, cum magno fauore Lombardorum & Tuſcorum. Sed Bononia & Florentia, cum quibuſdam aliis obuiaucrunt ſibi; vnde opera Florentinorum (vt in fama fuit) venenatus apud Bonconuentum caſtellum Senarum, * optimus Imperator, cum imperaſſet annis IV. menſibus VIII. & diebus XVIII. nunquam elatus proſperitate, nunquam dciectus aduerſitate, anno Domini M. CCC. XIII. mortuus eſt.

* *Hunc locum citat Conr. ad. Venet. in vita huius Imp. ſub fin.*

CAROLUS IV.

CAROLVS quartus de Luzemburgo, nepos ſupraſcripti magni Heinrici, ex Joanne Bohemiæ Rege factus Imperator, coronatus eſt Romæ ſine reſiſtentia. Hic fuit vir peritus literarum & multarum linguarum, aſtutus & ſagax, qui regnum Bohemiæ optime reformauit. Sed in Italia victrices Harpyias præ ſe ferens loco aquilarum, & Baccho immolans, nihil memorale geſſit. Nam cum maximo potentatu veniens, opera & fauore Vrbani quinti, terribilis omnibus primo apparuit; p. 14. ſed cito cum magna pecunia, ſed maiore infamia reuerſus eſt ad patriam. Humilis Imperator mortuus eſt ſenex, cum imperaſſet annis viginti.

WENEZESLAUS CAROLI FILIUS.

WENEZESLAVS ſupraſcripti Caroli filius, viuente adhuc patre electus eſt Imperator, hodie regnat. Hic iuuenis, robuſtus venator, quid facturus ſit ignoro, cum minatur ſe venturum ad Italiam. Sed non venias (precamur te) ſi non vincis laude genitorem tuum: quanquam aliud in te ſperamus, cum præſentia primi Cæſaris vix ſufficeret ad compeſcenda mala, quibus miſera vndique laceſſitur Italia temporibus tuis. Sed imperium orbis cœlum verſat, & illud quondam potens veneratum gentibus & Regibus Romanum Imperium, prefiguratum in tibiis ferreis, cui nihil olim defuit, niſi modicum Orientis: nunc (proh dolor) nihil poſſidet niſi modicum Occidentis.

ADDITIO. *Sequentes Imperatores ad ſuam vſque ætatem continuando adiecerat Æneas Syluius Cardinalis Senenſis, vt ex eius epiſtola ad Antonium Cardinalem Ilerdenſem ſcripta anno* 1458. *& Europæ præfixa apparet. Sed quia ea non extant, ſupplementi loco Egnatii Epitomen (qui etiam non paulo æquior iſto Rambaldo noſcitur) ſubiicere viſum eſt.*

ROBERTUS BAVARUS.

QVVM Weneeslao ſuffectus eſſet Robertus Bauariæ Dux, nihil ille antiquius habuit, quam vt Florentino populo gratificaturus ad comprimendam Galeacii Vicecomitis potentiam in Italiam tranſcenderet. Cæterum ad Benacum Galeacii copiis congreſſus, facile repellitur: vnde mox ad Venetos deflectens magno ab his honore excipitur: inde ſoluens, in caſſum Florentinis adnitentibus ne Italia excederet, in Germaniam retro abiit, paci religionique vacaturus, vita functus anno Imperii X.

SIGISMUNDUS.

OPTIMVM haud dubio Principem ac nobiliſſimum Germania nobis imputet; & qui ſi ad pacis artes, quibus excelluit, parem belli felicitatem addidiſſet, Carolis & Othonibus æquari potuit: Nam puer adhuc per Mariam vxorem ad Pannonici regni ſpem euocatus, mox adoleſcens Weneeslao fratre (quod parum vtilis haberetur) à ſe capto, Bohemiæ regnum hæreditarium aſſequitur: ſed & Alberto vita functo omnium votis Imperator deſignatur. Hic igitur Pannonia potitus à Ludouici morte, cui Maria ſuperſtes filia fuit, duas ac XXX. Regulas ſecuri percuti iubet, quod regiæ puellæ aduerſati eſſent. Vnde illi tanta mox gentis inuidia conflata, vt poſt vxoris mortem captus, necanduſque magis quam aſſeruandus, foeminæ, cuius maritum ille interfecerat, ſit traditus. Ille vero maieſtate oris & blanda oratione dimiſſus, hinc Boëmiam petit, quam non ſine labore vix tandem obtinuit, longo ab his bello ac difficili petitus, ſæpe etiam acie ab his victus. Nec Italica expeditio vna alteraue in nos Tauriſino agro peruaſtato felicior: nam Pippus eius dux & ipſe mox tota Venetia ac Foroiulio Venetis armis expellitur. Hinc quia grauius periculum à Turcis imminebat, qui iam magnæ Europæ parti ſeſe inſinuarant, Gallicis etiam Philippi Burgundi copiis accinctus, ab Amurate Turcarum Principe graui prælio victus, caſtris exuitur. Cæſis magna ex parte ducibus, & Philippo capto, ipſe Byzantium fugiens, mox Venetæ claſſis occurſu, cui

Æn. Syl. Europ. cap. 1.

Laon. Chalcocand. lib. 2.

Thomas

Thomas Morenicus præerat, incolumis de fuga vix euaſit. Quæ clades ignominioſiorne an funeſtior fuerit, haud ſatis explicem. Diſcordiâ certe noſtrâ victor hoſtis, Adrianopolin ſe recepit: & hæc foris. Quantum autem pace præſtiterit, præter generis nobilitatem (quæ haud dubie clariſſima fuit, tot ſummorum Principum ſerie) & præter inſignem corporis proceritatem ac imperatoriam plane indolem, affuit illi liberalitas ac munificentia, quanta in nullo antea principum, religionis ac pietatis augendæ ſtudium incredibile, multarum etiam linguarum ſcientia, & in his linguæ Latinæ ſtudium excelluit: quare doctos homines imprimis fouit, & dignitatibus etiam amplis honeſtauit. Accuſauit ſæpe Germanos Principes, qui Latinas odiſſent literas. A quibus reprehenſus quandoque, quod doctos homines foueret, ſed humiles genere: *Ego*, inquit, *eos amo quos natura alios anteſtare facile voluit.* Illud autem nulla vnquam ætas obliuiſcatur, quod triennium magnam Europæ partem ipſe peragrarit, dum Principes Chriſtianos ac Pontifices adit, quo ſchiſma Chriſtiano nomini calamitoſiſſimum tolleretur. Nec alterius Principis opera magis enituit in vera pietate vindicanda, quare ita effecit, vt reiectis adulterinis tribus, qui Barionæ ſedem inuaſerant, Oddo Columnius magno omnium conſenſu pontifex declararetur. Parem operam Eugenio in Baſilienſi ſynodo tollenda præſtitit; à quo tamen prius contemptim pene habitus, ac vix poſt ſextum menſem, quam Senis fuerat, imperii corona donatus eſt. Hic
p. 15. vero Princeps egregius quum ſine virili prole deceſſiſſet, Albertum Auſtriæ ducem, filiæ maritum & vtriuſque regni hæredem reliquit, anno imperii XXVII.

ALBERTUS.

NEMO vnquam maiore ſpe ad imperium venit. Et ſane conceptam animis hominum opinionem haud fruſtratus eſſet, ſiquidem toto biennio quo præfuit, Morauos ac Sarmatas (qui hodie Poloni ſunt) intra ſuos fines quieſcere compulit. Ptaſconem Boëmum factionis hæreticæ caput, ita attriuit, vt tota Boëmia ſibi cederet. In Turcas autem profectus, Synderouiam caſtellum ad Danubii ripam munitiſſimum obſidentes, dum copias in itinere maiores expectat, oppidani deditionem fecere; ipſe Auſtriam repetens apud locum cui longa villa eſt nomen, dyſenteriæ morbo confectus eſt, Ladislao filio ſuperſtite.

FRIDERICUS III.

PACIS atque otii ſtudioſiſſimus Fridericus extitit: quam tenore perpetuo annos quatuor ac quinquaginta (tot enim rerum potitus eſt) coluit, ſeu fatum id fuerit, quietiore Germania quam multis retroactis ætatibus; ſeu prudentia verius id Principis effecit, Ille vero nihil ab initio antiquius habuit, quam tuendæ pacis ſtudio tumultus, qui oriebantur, ſedare: quare & ſeditionem mouentes Auſtrales facile compeſcuit, & bellum à Matthia Pannorum Rege illatum compoſuit. Quin etiam in Flandros mouens, qui Maximilianum Cæſarem aſſeruarant, recepto filio, paucorum pœnâ contentus, omnem diſcordiarum fomitem ſuſtulit. Ducta igitur Heleonora Luſitanici ſanguinis, quam in Italiam tranſcendiſſet ad Nicolaum Pontificem profecturus, ab eo nullo non honoris genere excipitur, illi & vxori coronâ Imperii impoſita. Hinc Neapolin diuertit in Alphonſi gratiam, cuius Heleonora perneceſſaria erat. Nec minore apparatu à Venetis (eius enim vrbis inuiſendæ incredibili deſiderio flagrabat) obuiam illi itum, quos exinde ſumma ſemper amoris ac beneuolentiæ ſignificatione dilexit. Eius etiam opera Amadeus Allobrox, qui ſe pro Pontifice gerebat, Baſilienſi Concilio innixus, in ordinem ſe redegit. Iterum Paulo pontifice, priuati pene more voti reus Romam petiit: quo damnatus retro ad ſuos abiens, quieſcente Germania, tandem imperii anno quarto ac quinquageſimo naturæ conceſſit, Maximiliano filio Cæſare prius declarato.

MAXIMILIANVS.

SVPERERAT mihi Maximilianus Imperator, quem pater octauo antequam moreretur anno, Cæſarem deſignandum curarat: magnus bello princeps, & pace præclarus, cuius eximia bonitas, liberalitas ſumma, & Chriſtianæ pietatis cultus præcipue commendantur. Accedunt ad haſce animi dotes, oris probitas, ſtatura quadrata (in qua tamen imperatoria maieſtas eluceat) corpus validum ac robuſtum, idemque laboris atque operis patientiſſimum, par victus frugalitas, & ex eo valetudo proſperrima. De hoc autem cum adhuc viuat, Tranquillum, Plutarchumque ac veteres alios ſcriptores æmulatus, nihil eſt quod addam. Deus faxit vt quod illum agitare ſemper animo Vincentius Quirinus aſſerebat (qui legatum Venetum egit apud illum) ſumma cum laude ex ſententia conficiat. Neque enim iuſtius vllum eſt bellum, quam quod pro religione ſumitur: & ea denique vera æternaque gloria Principum noſtrorum exiſtimari debet, quam res præclare in hoſtes fidei geſtæ commendant.

AENEAE SYLVII, IACOBI MOTZII ALIORUMQUE ORATIONES AD HISTORIAM FRIDERICI III. FACIENTES.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Diuerſas hic exhibemus Oratiõnes, Friderici III. Hiſtoriam plurimum illuſtrantes, quas ex MStis Palatinis potiſſimum hauſit Freherus. Has cum fine ordine, nec auctoribus ſi Motzium excipias, adlegatis inſeruerit Freherus, nunc melius ordinamus, atque auctoribus ſuis vindicamus. Prima quam exhibemus Oratio ÆNEÆ SYLVII eſt, ad Alphonſum Sapientem, Siciliæ, ſeu potius, Neapolitanum Regem directa, ad quem anno 1458. a Friderico Imp. miſſus fuerat, pro deſponſanda Friderico Eleonora, cuius Avunculus erat, dictus Alphonſus. De hac teſtis eſt optimus Io. Gobellinus * rerum Pii II. vel Æneæ Syluii interpres, dum in Commentariis ſuis ſcribit. *Æneas inter hæc ad eccleſiam Tergeſtinam cum ſe recepiſſet, in anno iubilæi reuocatus ad Cæſarem cum Gregorio de Populoſa & Michaele de Plenauilla Alfonſum regem Aragonum & Siciliæ iuſſus eſt petere matrimonium Cæſaris nomine cum Leonora regis Portugalliæ ſorore, vt ibi contraheret: nam legati Portugallenſes eo conuenerunt. Quam rem diebus quadraginta tractatam, cum denique conclusiſſent, coram rege, Cardinale Morinenſi apoſtolico legato, Clinenſi, Calabriæ, Sueſſæ, Scleſiæque ducibus, & magna prælatorum, comitumque multitudine, in curia noui caſtri Neapolitani, de nobilitate, virtuteque, contrahentium Orationem habuit, quæ poſtmodum a multis conſcripta eſt.* ** Hæc igitur illa ipſa eſt oratio, quam nunc exhibemus, quæ potiſſimum in laudibus Friderici atque Eleonoræ efferendis conſiſtit.

Altera Oratio eſt JACOBI MOTZII ad Alphonſum V. Luſitaniæ Regem habita, pro Eleonora, Eduardi Regis filia, Alphonſi ſorore, Friderico III. Imp. deſponſanda. Poſtquam enim deſponſationis negotium in aula Neapolitana iamdum fuiſſet decretum, mittebantur, Jacobus Motzius & Nicolaus Longimannus a Falckenſtein utrique ſacerdotes, vt per verba de præſenti negotium conſummarent, prout ipſe non ſolum in hac oratione ſua teſtatur Motzius, ſed & Æneas Syluius, Princeps legationis Neapolitanæ in Hiſtoria Friderici III. *** dicens: *quod autem in diem dictam Leonora mare non intrauit, in cauſa fuerunt Jacobus Motius & Nicolaus*

---

* *Comment. Pii II. lib. I. Cap. XVI.*

** De eadem legatione agit etiam ipſe Æneas Syluius in Hiſtoria Friderici III. p. 39. ſcribens: *Fridericus quoque Eneam Epiſcopum Tergiſtinum, qui illo in tumere ad Senenſem Eccleſiam patriamque ſedem tranſlatus eſt, ac Georgium Volkestorfium, de quo ſupra retulimus, & Michaelem Tulendorfium Secretarium, eo direxit; vt & matrimonium ſuo nomine cum regia Virgine contraherent, & uter ſibi ad coronam ſuſcipiendam in Italia præpararet.* Atque in Oratione ſua ad Nicolaum V. Papam, eadem narrat. Idem dicit Fugger *Lib. V. Cap. VII. n.* 1.

*** *Pag.* 65.

colaus, Sacerdotes: qui ad dandum ſibi annulum miſſi; cum inter eundum latrones incidiſſent, in præfixo tempore Portugalliam, attingere nequiuerunt. Eundem nominat Gerhardus a Roo: dum ait: * *inter hæc ſponſa ipſius Eleonora, poſt longam maris iactationem ex Hiſpania aduecta, ad Liburnum Hetruriæ portum appulerat, vnde Nicolaum Longimanum a Falckenſteiu ſacerdotem, qui cum Iacobo Motzio legatus ad ipſam venerat, Cæſari obuiam mittit.* Id quod etiam Fuggerus ** confirmat & quam infra ex MSto exhibemus, Hiſtoria deſponſationis Friderici cum Eleonora, Cæſareæ quoque legationis mentionem facit, Ioannes Mariana, *** legatorum vero nomina reticet. Quod autem ſacerdotes miſſi fuerant, rationem etiam reddit Motzius, eo quod ex mente Papalium, inter ſacramenta referendum ſit matrimonium, quorum ſacerdotes ſaltem putat eſſe participes. In hac autem Oratione & Regem Alphonſum, ipſamque adloquitur Eleonoram. Inter ſingularia Orationis eſt referendum, quod virginem regiam adpellat *Super-Illuſtrem*, regi titulum Maieſtatis tribuit. Immo ipſa hæc deſponſatio per procuratorem, nouo mihi videtur facta ſuiſſe exemplo.

Tertia Oratio iterum eſt ÆNEÆ SYLVII pro Coronatione Friderici III. Romana & celebratione Concilii Generalis in Germania ad Nicolaum I. directa. Hanc Gobellinus **** explicat, de Ænea dicens: *hinc ad ſummum pontificem reuerſus circa finem iubilæi*, (1450.) *in conſiſtorio publico contractum coniugium manifeſtauit: ſequenti anno Cæſarem ad coronationem venturum dixit: Concilium quod Galli petebant in Francia, diſuaſit.* Singulas has partes complectitur hæc oratio, quam etiam Theatro Comitiorum ſub Friderico III. inſeruit Müllerus *****.

Quarta Oratio iterum eſt ÆNEÆ SYLVII, quam etiam, nomine non adiecto, inſeruerat Freherus. De hac ipſe Æneas auctor eſt, dum in Hiſtoria Friderici III. ****** ait: *Æneæ deinde commiſit, in publico conſiſtorio vt ſtatum Chriſtianorum, qui per Syriam, Ægyptum, Aſiam, Græciamque ſub Soldani magnique Turci imperio opprimuntur, exponeret; vtque Hungari proximis annis horrendas clades perpeſſi eſſent. Timendum eſſe Conſtantinopoli, cæterisque Ciuitatibus Græciæ Chriſtianam fidem habentibus, ſuccurrendum oppreſſis, diceret, Paſſagium ſuaderet, operas atque vires Imperii in ipſum negotium offerret. Quibus de rebus adeo efficaciter Æneas verba facit, vt pluribus circumſtantibus lacrimas extorſerit. Cuius orationis, quoniam futuri præſcia fuiſſe videtur, inſerere hæc loco tenorem, non alienum putaui.* Sequitur inde ipſa oratio. De eadem dicit Io. Gobellinus: ******* *Redeunte Cæſare, conſpectuique Maximi Præſulis, ac ſacri ſenatus, ſe reſtituente, vice ſua Æneas duas orationes in auditorio publico recitauit, in altera gratias egit ſummo ſacerdoti atque Cardinalibus pro maximis, quæ Cæſari præſtiterant beneficiis, in altera, vt generale paſſagium aduerſus Chriſtiani nominis inimicos indiceretur, atque inſtrueretur; Papam hortatus eſt, ne Chriſticolæ per Græciam, & Orientem amplius vexarentur.* Quale etiam Nicolaus reſponſum dederit, ipſe exhibet Æneas ſcribens: ******** *Nicolaus vbi reſponſum dedit, primum quæ facta eſſent in honorem Cæſaris, & digna & bene merenti præſtita, minora*

* *Hiſt. Auſtr. lib. V. p. 115.*
** *Libr. V. cap. VII. p. 574.*
*** *Hiſt. Hiſpan. lib. XXII. cap. X. Friderico Cæſari per legatos expetenti Eleonora Luſitani Regis ſoror promiſſa coniux, data ſponſalia Oliſipone quinto Idus Auguſti, die Lunæ, mox puella nauibus miſſa longa & difficili nauigatione Piſas Senasque in Hetruriam peruenit.*
**** *Lib. pag. 17.*
***** *Lib. II. cap. I.*
****** *Pag. 86.*
******* *Lib. I. pag. 21.*
******** *Hiſt. Friderici III. pag. 90.*

tamen fuiſſe, quam merita, dixit. Eccleſiam nunquam Imperio ſacro tam gratam eſſe poſſe, quam debeat, paſſagium; de quo locutus eſſet Æneas, laudandum opus, dignumque Cæſare multum præ ſe ferre pietatem eius rei Apoſtolicæ ſedi maximam curam eſſe: ſe verbis Æneæ veluti quibusdam ſtimulis vehementer commotum in ea re minime torpere. Conſulendos tamen eſſe cæteros Chriſtianæ Religionis Principes, eorumque auxilia in tantum opus quærenda: quos ſi beneuolentes inuenerit, relaturum ſe Cæſari, atque tum ſanctum negotium ſummo conatu aggreſſurum. Reperitur eadem hæc Oratio inter Æneæ Syluii epiſtolas * eodem tenore, ac Frehertus eandem expreſſit. Reperitur quoque iſta inter Nicolai Reuſneri Orationes Turcicas. ** Aſt, dum ipſe Æneas in hiſtoria Friderici III. *** eandem paullo immutatam exhibuerit, ipſum hic loci ſecuti ſumus.

Quinta Oratio THADEI QUINNI eſt, Patricii Veneti, habita ad Fridericum III. Imp. antequam Venetorum vrbem ingrederetur. Poſt coronationem enim Romæ an. 1452. peractam, Fridericus, dum in Germaniam redire pararet, Venetias venit, dum, præmiſſis XX. Senatoribus, in Venetorum finibus hac ipſa oratione fuit exceptus, quod ex ipſius verbis patet: *huius igitur communis gaudii & publicæ lætitiæ nuntii ex Senatorum numero XX. ad Imperatoriam Maieſtatem tuam præmiſſi ſumus, tibique & fortunæ ac Serenitati tuæ non ſolum pro confirmato & auito Imperio publice congratulamur, ſed omni laude proſequendum putamus.* Aſt dum propius ad vrbem accederet Fridericus, ab ipſo Duce cum flore nobilitatis fuit exceptus. Sic enim Gerhardus a Roo. **** nos docet: *his peractis, Fridericus Sueuorum ac Imperii ciuitatum comitatu abs ſe dimiſſo, ipſe cum reliquo ſecundo Eridani fluuio Venetias nauigauit. Cum propius ad vrbem veniſſet, obuiam habuit Franciſcum Foſcarum, Venetorum principem, Bucentauro inuectum cum trecentis ſenatoribus & flore nobilitatis.* Idem in Hiſtoria Friderici latius adhuc exponit Æneas Syluius, ***** & Fuggerus, ****** Præmiſſum autem Venetias fuiſſe Auguſtum ex ipſa hac oratione diſcimus: Scripta autem ea eſt magna erga Imp. reuerentia, magna verborum grauitate. *******

Sexta Oratio nomine *Vicarii Cremonenſis* ad Imp. aduentantem, penes Lauretum fuit habita. Auctorem cum Freheto ignoramus, rector vero Cremonæ illo tempore dicitur Ioannes Tolentinas. ******** Prædicat Orator virtutes Friderici, nec tamen adeo graui vel iucundo utitur ſermone.

Septima Oratio MICHAELIS APOSTOLII eſt; rogatu Ariſtonymi Byzantini ad Fridericum III. Imp. ſcripta. Erat hic Apoſtolius Byzantinus Orator illorum temporum, cuius præter alia, extant Paroemiæ, cum Petri Pantini verſione & notis editæ. Miſſus autem circa annum 1457. fuerat ab Ariſtonymo Byzantio, Megadis filio, vno ex Græcorum Proceribus, qui Fridericum animaret ad eripiendam e Græcorum manibus Græciam. Potiſſimum autem in laudibus Friderici nimis, potentia Turcarum euehenda, & Græcorum clade & vaſtitate a Turcis accepta verſatur.

ORA-

* Inter opera *Baſileæ* 1551. *f.* Coniunctim impreſſa *num.* 399. *pag.* 928.
** *Vol. II. pag.* 1.
*** *Pag.* 86.
**** *Hiſt. Auſtr. lib. V. extunte.*
***** *Pag.* 96.
****** *Lib. V. c. VIII.*
******* Reperitur illa etiam in Goldaſti Politicis Imperialibus *cap. XXI.* pag. 972.
******** Prout diſcimus ex Ludouici Cauitellii Annalibus Cremonenſibus *ad annum* 1451.

p.18.

ORATIO I.

ÆNEÆ SYLVII AD ALPHONSVM, SAPIENTEM SICILIÆ REGEM SVPER CONNVBIO FRIDERICI ET ELEONORÆ ORATIO GRATVLATORIA.

QVAMVIS grandes materias (vt inquit Ieronymus) ingenia parua non ſufferant, conandum tamen eſt mihi, ſereniſſime Princeps rexque victorioſiſſime, quæ per hos dies tuæ Maieſtatis auctoritate ſponſalia ſunt concluſa, his qui adſunt exponere. Cum de rebus ad Imperatoriam ſublimitatem pertinentibus loqui nulli magis incumbat, quam legatis imperatoriis. Audiat igitur tua Serenitas, oro, audiant & circumſtantes, precor; etſi non mihi (neque enim mereor) rei ſaltem de qua ſermo fiet, aures accommodent, quæ magna eſt, admirabilis, rara, honeſtiſſima. De nobiliſſimo namque matrimonio loquar, altiſſimo, potentiſſimo, incomparabili. Regia virgo Romano Imperatori promiſſa, Leonora infans Portugaliæ, excellentiſſima nobilium puellarum, neptis tua chariſſima, diuo Cæſari Friderico Romanorum regi Auguſto, pio, felici atque triumphatori deſponſata eſt. Ingens affinitas, potentiſſima parentela, generoſiſſima coniunctio, ob quam cauſam diuina res agitur, Deo noſtro gratias reddimus, feſtam haud iniuria ducimus diem, exultamus, hilares omnes ſumus, nec tantam amicitiam ſine magno Chriſtianæ religionis fructu conflatam eſſe putamus, in qua non ſolum res ipſa matrimonii commendanda eſt, ſed perſonæ quoque contrahentes ingentibus extollendæ laudibus ſeſe offerunt. De his ergo duobus dicendum eſt mihi, etſi rerum dignitatem mea magis attenuabit, quam explicabit oratio. Dicturus autem de bono coniugii, neceſſarium arbitror eos prius refellere qui genus omne feminarum maledictis compellationibusque probroſis inſectari non deſinunt. Namque cum matrimonium ex maris atque feminæ coniugatione conſiſtat, quæ poterit laus illi competere, ſi vna ex parte mancum claudumque fuerit. Non eſt hæc Danielis ſtatua, cuius pedum pars quædam ferrea, pars fictilis erat. Nec beſtiam contuemur Horatii, quæ mulier formoſa ſuperne in atrum fingitur piſcem deſinere: ſed rem veluti ſacram ſic ex partibus ſuis integram ac perfectam proſequimur. Audiamus tamen, quid aduerſus feminas afferatur; poſtea iudicemus. Aiunt equidem in ſacris eloquiis complurima eſſe teſtimonia, quæ mulieribus aduerſantur. Rugire contra feminas Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Gregorium, cæteroſque Doctores Eccleſiæ duros in eas: Virgilius, Iuuenalis, totuſque Poëtarum euneus aſper, Cato ſæuiſſimus commemoratur: auaras, inſtabiles, crudeles fœminas eſſe affirmant. Adducunt exempla malarum, atque ab his clades exortas in medio proponunt. Poſt hæc Philoſophos citant, qui de vxore ducenda conſulti aut ſuadere non præſumpſerunt, cum huic orbi tantas inde moleſtias formidarent. Metelli quoque Numidici mentionem efficiunt, qui (vt eſt apud Gellium de noctibus Atticis) *ſi ſine*, inquit, *vxoribus poſſemus Quirites eſſe, omnes ea moleſtia careremus: ſed quoniam ita natura tradidit, vt nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, ſaluti perpetuæ potius quam breui voluptati conſulendum.* Atque hæc fere ſunt, quæ contra femineum ſexum, contra matrimonium, non iuſti æſtimatores adducere conſueuerunt. Sed ſunt hæc omnia (niſi fallor) confutatu facilia, inprimis enim quod in ſacris literis aduerſus fœminas traditur, de quibusdam peruerſis accipimus. Fatemur enim, vt in ſexu femineo malitiam reperiri, *videlicet vniuerſaliter recipimus, alioquin & viros omnes damnare oporteret. Nam & ſi de feminis ſcriptum eſt; *Vnam de millibus non inueniri*, de viris quoque in Pſalmis legimus; *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Et apud Satyricum:

Rari quippe boni, vix ſunt numero totidem, quot
Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.

Et amplius ſeſe cohærens: *

Egregium, ait, *ſanctumque virum ſi cerno, bimembri*

* *f. Corrigeu.*

Hoc monſtrum puero, & miranti iam ſub aratro.
Piſcibus inuentis, & fœta comparo mula.

Sancti vero Doctores dum fœminas deteſtantur, aut malas quaſdam iure condemnant, aut caſtitatis promiſſores alloquuntur, quos fugere mulieres abhorrereque ſuadent. Idem virginibus ſacris DEo dicatis atque nuptis de virili ſexu & ſæpe dictum eſt, & ſæpius eſſet dicendum. Continentiam namque profeſſis viris fœminæ, & feminis viri formidandi ſunt hoſtes. Poëtas nihil mirum eſt in feminas debachari, nam viris quoque non parcunt. Catoni Magno ſatis apud Liuium reſpondit L. Valerius, qui legem Oppiam iniquam mulieribus obtinuit abrogari. De criminibus nihil attinet diſputare: quando hæc eadem & multo peiora in noſtro ſexu reperiantur. Nec malarum exempla me mouent, aut antiquæ clades humano generi per mulieres illatæ. Namque ſi mulierum virorumque turpia facta repetere, & à primo proditore Cain vſque ad ſceleratiſſimum Judam, & in hanc vſque diem ſceleratas vtriuſque ſexus actiones comparare voluerimus; innocentes re- p. 19.
ſpectu virorum feminas oſtendemus. Sed obſtant anguſtiæ temporis, indulgeo breuitati. Ad Philoſophos venio, quorum nullus (teſte Lactantio) ſic vixit vt ſcripſit. Quis fontem eorum ac verticem, & Apollinis teſtimonio ſapientiſſimum Socratem coniugio detrahentem æquis auribus audiet? cum Xantippe non contentus vna, duabus ſeſe vxoribus commiſcuerit. Melius quippe (me iudice) ſilerent obtrectatores feminarum, quam ſine fundamento loquerentur; qui dum Metelli auctoritate ſe iuuant, neſciunt illum doctorum virorum iudicio damnatum, vt qui nec vere, nec ad ſuadendum apte ſit orſus. Exiſtimauerunt enim prudentiores; contra potius orationem debuiſſe ſumi, vt nullas plerumque eſſe in matrimoniis moleſtias aſſeueraret, & ſi tamen accedere nonnunquam viderentur, paruas ac leues, facileſque eſſe toleratu diceret, maioribuſque eas emolumentis ac voluptatibus obliterari; eaſdemque ipſas neque omnibus, neque naturæ vitio, ſed quorundam maritorum culpa & iniuſtitia euenire. Sed facio verbis modum quando res nota eſt, & viros bonos, & mulieres inueniri probas, ex quibus eſſe iuſta, ſancta & honeſtiſſima coniugia poſſint.

Nunc de bono matrimonij perpauca libanda ſunt, in quo tria mihi præcipue commendanda videntur, honeſta dignitas, grandis vtilitas, dulcis iucunditas, inſunt enim hæc omnia matrimonio, quæramus hæc tria. Illa meo iudicio digniora videntur quæ ſunt antiquiora, quæque præſtantiores inueniuntur auctores habere. Matrimonium vero & antiquiſſimum eſt, quippe quod in primis parentibus cœpit, ac nobiliſſimum habet auctorem, DEum patrem omnipotentem totamque Trinitatem, cum (teſte Hieronymo) matrimonium tunc ſit inſtitutum, cum dominus ait, *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Neque enim, vt Athenienſes arbitrati ſunt, eorum vetuſtiſſimum Regem inuentorem nuptiarum dicimus eſſe Cecropem, quem propterea bimembrem figurauit antiquitas, quia primus omnium marem feminæ legitime coniunxit. Longe ante conditas Athenas in ipſo mundi naſcentis initio, non homo, ſed DEus; non creatura, ſed creator; rector & conditor orbis matrimonium conſecrauit. Cuius tanta dignitas eſt, vt ſemel coniunctum dirimi nequeat, dicente ſcriptura: *Quod DEus coniunxit, homo non ſeparet.* Coniuncti namque diuino nutu creduntur, quicunque matrimonium rite contraxerunt. Hinc mater Eccleſia dux morum, magiſtra vitæ, nuntia veritatis, inter maxima ſacramenta, quibus vtitur veluti diuinitus reuelatis, matrimonium reuelauit. Hinc dominus & ſaluator DEus homo Chriſtus JEſus & naſci ex nupta, & intereſſe nuptiis voluit, ac primo quod fertur patraſſe, miraculo coniugium honorare. Dignitatem tenemus: inueſtigemus vtilitatem: ſed hæc intellectu quam dictu facilior. Nam quæ res eſt, quæ ciuitates, quæ prouincias, quæ regna, quæ genus humanum conſeruat, niſi matrimonium? Quid ſunt aliud nuptiæ, niſi ſeminarium Reipublicæ? Quis familias iungit? quis gentes propagat? quis populis æternitatem niſi matrimonia largiuntur? Quæ pax, quæ fides, quæ charitas inter mortales eſſet, ſi more Platonis abſque legitimis nuptiis viueremus,

mus paſſim feminis abutentes? Omitto infinitas vtilitates, quas priuata domus ex matrimoniis elicit. Ad iocunditatem feſtino. Nunquid iocunditas in matrimonio reperitur? Ariſtoteles philoſophorum acutiſſimus non ſolum in Politicis, ſed in Ethicis quoque iocundam inter coniuges amicitiam eſſe teſtatur. Ab vrbe condita vſque ad D. ſiue (vt Tertulianus ait) vſque ad DC. fere annos nullum diuortium interceſſit, tanta coniugiorum iocunditas fuit. An ſuauius quicquam, dulcius, iucundius eſſe poteſt illius vita, qui morigeram ac fœcundam ſortitus vxorem, ſi quando ex fori rumoribus, ex curiæ tædiis, ex Reip. laboribus domum ſe confert, veram conſolationem reperit, veram amatorem, diuinæ domus humanæque ſociam reperit, dulces libetos, ſibi matrique blandientes videt, quibus laborat, quibus congregat, quibus viuit, in quibus etiam poſt mortem victurus ſit. Non curabo teſtes humanos, vbi diuina intonuit auctoritas. *Propter hoc*, inquit oraculum Geneſis, *relinquet vir patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ & erunt duo in carne vna.* Magna vis delectationis, magna iocunditas, quæ duobus ex corporibus vnam carnem facit. Ariſtophanes in duobus corporibus vnam eſſe animam conſenſit. Sed hæc ſatis de bono matrimonij dicta. Jam poſtremo loco quales quantæque ſint perſonæ contrahentes intuendum eſt, præſentique concioni breuiſſime referendum. Neque enim de plebe ſunt, neque de * fortuna, ſed de ſublimi celſoque ſtatu, quæ contrahunt. Regius ſanguis & Imperatorius in coniugium venit. Attenuabitur rerum dignitas, ſi meis verbis perſonarum excellentiam conabor explicare; longe melius eas ipſas audiemus de ſe ſuisque meritis differentes. Fingamus enim præſentes qui nuptias celebraturi ſunt, loquatur de ſe regia virgo, loquatur & Cæſar, ſuasque dignitates enumerent: Dic tu Leonora quæ nubis, quid dotis affers, quid expedibile tuum narras, quo pacto
p. 20. diuo Cæſari complacuiſti? audire te cupimus, non ſine cauſa tantus te Princeps adamauit, audite proceres, audite omnes. Jam virgo loquitur. Ego, inquit Leonora, ex alta Portugaliæ domo ſum nata, ex antiquiſſima Regum ſtirpe, patre rege, matre regina, clariſſimum genus eſt meum, ſiue temporis vetuſtatem, ſiue maiorum geſta requiris; infinitis iam ſeculis ſanguis meus regnat; inuicta virtute progenitores fuere belli domique. Teſtis victoriarum eſt Hiſpania tota, in qua nullus eſt angulus, quem noſtri maiores armis non penetrauerint, ſiue dum Barbaros inſequuntur, ſiue dum Chriſtianos domo propulſant iniuſta bella mouentes. Recens adhuc eſt memoria claſſis illius, cum qua meus auus in Africam tranſiens felici magnoque prælio exturbauit Saracenos, vrbem captam expugnauit, ac noſtris fidelibus Coloniam deduxit, vbi adhuc inuitis frendentibusque Barbaris ſalutiferæ crucis obiecta ſunt ſigna. Hæc eſt paterna hæreditas omni patrimonio præſtantior. Si melius eſt (vt inquit Sapiens) nomen bonum quam diuitiæ multæ. Fuerunt & genitori meo cum potentiſſimis Caſtellæ atque Angliæ Regibus conſanguinitatis ſtrictiſſima vincula. Idem vt erat fama potens, virtute potentior, amitam meam cordatiſſimam & ſapientiſſimam principem famoſiſſimo Burgundiorum Duci in matrimonium collocauit. Sed accipe nunc maternam gloriam, duo mihi ex matre ſunt auunculi, Reges ambo. Sed qui reges? alter Nauarræ præſidet, virtute ac nomine clarus, alterum Archiregem melius appellauerim, cum non ſolum apud Hiſpanos, ſed apud Italos, Siculos, Sardos, Maioricos, Minoricos regna poſſideat. Prætereo vetuſtos domus Arragonum proceres in omne ſeculum fama colendos. Vnus nobis ad gloriam ſatis Alfonſus erit, cuius inuicta virtus, inſuperabilis conſtantia, nouercantem ſibi fortunam non ſolum vicit ſed amicam blandientemque reddidit. Quos portus, quas inſulas, quas terræ, quas maris oras hic non armatus, non victor adiit? Quæ regio in terris Alfonſi nomen ignorat? Quis belli, quis pacis artes melius nouit? Quis ciuibus, quis peregrinis dilectior eſt? Quis noſtro ſeculo præter hunc vnum fauet ingeniis? quis iuſtior, quis liberalior, quis animo maiori regnat? An ſolus hic ex principatibus eſt, qui neque ſecundis rebus intumeſcit, neque deſtituitur aduerſis? verus fortunæ nitor & noſtri gloria ſeculi, qui non minori perſeuerantia Neapolim cepit, quam Græci

Leonora Luſitana elogium.

duces Troiam expugnauerunt. Oſtendi tibi, domine, meam ex paterna materna-que domo non paruam gloriam. Quod ſi meam formam, meoſque mores noſſe cupis, malim alios de me loqui. Qua ſum tum facie, quæ ſtatura, quis lineamentis, oratores Cæſarei qui ante biennium me viderunt, non eſt putandum ſuo Principi retinuiſſe. Niſi placuiſſem, non eſſem prorogata. Ego inter matronas modeſtia & auctoritate graues ſum nutrita, nec puto me vlla ex parte vel à maioribus degeneraſſe, vel magiſtris diſplicuiſſe. Quibus ex rebus ſum (mihi videtur) ad nuptias nemo minime contemnenda: quæ paternis maternisque titulis illuſtrata, pudicitiam virginis, formam egregiam, probos mores, cum ingenti gloria mecum affero nobilitatiſſimæ domus. Audiuimus regiam virginem (vt mea fert opinio) dotes egregias afferentem: audiamus, ſi placet ſponſum. Dic tu Friderice, quibus rebus nuptias exornabis, vnde tibi regiam virginem poſtules, tam generoſam, tam formoſam, tot dotibus eminentem? Magnum eſſe oportet, quem tali matrimonio dignemur, attendite Præſules, adhibete aures viri præſtantes. Jam Cæſar, fateor, inquit, vera eſſe quæ ſponſa narrauit, maioraque mihi de ſuo genere perſuadeo, quam dicta ſint, formam eius, quantum relatu didici, complector & amo: mores eius accepi regios eſſe, dignosque ſanguine ſuo. Cæterum nec ego inglorius vxorem ducam. De meis moribus aliorum eſſe non meum iudicium volo: vixiſſe tamen me ſic hactenus arbitror, vt meis progenitoribus inferior videri non debeam, ſed malo de illis quam de me verba facere. Stirps mea vetuſtior eſt quam repeti poſſit, Ducalis, Regia, Imperatoria: ex qua viri fortes quam plurimi, bellicoſi Duces, iuſtiſſimi Reges, magnanimi Cæſares prodierunt. His Auſtria paruit, florentiſſima regio, cuius principatus & à Sabaudia in Pannoniam, & ab Illyrico in Burgundiam prorenduntur. His Bohemiæ nobiliſſimum digniſſimum & aureum olim regnum obediuit: ab his ferox viroſaque Polonia regnata eſt. Ab his ſeptem illæ populoſæ, latiſſimæ, & opulentiſſimæ Vngariæ ditiones gubernatæ fuerunt. Ab his Romanum Imperium, non ſine magna noſtræ familiæ laude, ſeculo adminiſtratum eſt. Ab his Ottacarus Rex diues ac potentiſſimus, qui ab Adriatico ſinu vſque ad Oceanum Septentrionalem, quidquid obuium fuerat, ſuæ ditioni ius fasque ſubegerat, ac Romano imperio inſultabat, Deo atque hominibus infeſtus, magno prælio victus, profligatus, atque occiſus eſt. Rodulphus noſtræ domus Princeps, qui primus in poſſeſſionem Auſtriæ venit, tantæ moderationis famæque fuit, vt Romanorum creatus Imperator ſolo ſuæ virtutis nomine fregerit, quicunque per Germaniam aduerſus imperium res nouas molicbantur. Nec minor eo fuit Albertus prior, qui cum plerique Germaniæ Principes Adol- p. 21.
phum ex domo de Naſſau imperare vellent, noſtramque domum calumnioſe præterirent, non eſt paſſus extra familiam Imperium eſſe, ſed bello indicto ad conſtitutam diem armatus venit, collatiſque ſignis in aciem prodiit, & atroci pugna vſurpatorem imperii vicit, fudit, occidit, ac domum Auſtriæ priſtinæ dignitati reſtituit. Transeo Fridericum Cæſarem, & auum meum Leopaldum, duo fulmina belli. Erneſtum qui me genuit, non laudabo: quamuis ſubditis dilectiſſimus eſſet, inimicis formidatiſſimus, patruus meus Albertus Cæſar, qui Bohemiam, Vngariam regnauit, non ſolum Huſſitas inflixit Hæreticos, ſed Turcorum rabiem Chriſtianis ceruicibus imminentem magna virtute compeſcuit. Non eſt otium modo referre, quæ mei maiores nunc pro Catholica fide, nunc pro Romano imperio tuendo, propagando rerra marique geſſerint; nec narranti mihi dies ſufficeret. Cum Romanæ Reipublicæ curam ab annis iam trecentis noſtra domus habuerit, forſitan degeneraſſe nos hodie, ſoliſque titulis & imaginibus niti maiorum quiſpiam exiſtimauerit. Scimus quam miſerum eſt *aliena incumbere fama:*

Friderici Auſtri elogium.

Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Dabimus igitur & aliquid noſtrum. Quatuor hodie ſumus in Auſtriæ domo, me natu maiorem Principes Electores Romano Imperio præfecerunt, cui annis iam vndecim lætantibus ſubditis præfui, parco de me plura dicere. Ladislaum patruelem, Alberti filium, Sigiſmundique Cæſaris ex filia nepotem, quem propter impube-

impuberem ætatem domi noſtræ gubernamus, & Bohemorum & Vngarorum cum plebs cum optimates ſuum Regem eſſe ſatentur. Albertus frater inuictus armis Sueuiam Alſatiamque gubernat, Suuitenſis populi frenum metuſque. Sigismundus alter patruelis expectatæ indolis adoleſcens, Enum atque Atheſin regit; euius ætatem quamuis facies prodit, tamen virtus ementitur. Noſtra ſunt hæc, ſine maioribus laudanda. Quis conſanguineos affineſque noſtros enumeret? Nulla Germaniæ domus illuſtris eſt, quæ noſtram familiam ſanguine non attingat.

Maiores noſtri ex Francia, ex Arragonia, ex Vngaria, ex Neapoli, ex Anglia, ex Polonia, ex omnibus Chriſtiani populi celſis domibus vxores duxere. Cum his ego prærogatiuis nuptiarum ſacris initiandus prodeo, qui eum domo Portugaliæ atque Arragonum matrimonium contrahens non paruum regnum aut vnam prouinciam ſed Alemanniam, ingenti populorum, Principum, prælatorum multitudine redundantem, quin & Germaniam totam regnis grauidam, quæ Chriſtianitatis plus media parte complectitur, diues viris & armis, in affinitatem mecum adduco. *Germania.*

Accepiſti Rex ampliſſime, quæ ſponſus & ſponſa dixerunt. Intellexerunt (vt arbitror) omnes qui adſunt præſentes, matrimonij dignitatem, quo certe neque nobilius, neque Chriſtianitati vtilius inter mortales vllum contrahi poteſt: quando & virtus virtuti, & nobilitas nobilitati, ac potentia potentiæ, & magna magnis, & ſumma ſummis adduntur: hinc Germanis Principibus, Hiſpanis inde proceribus in affinitatem, beneuolentiam, amicitiam occurrentibus. Ob quas res nihil aliud modo reſtat agendum, niſi vt de tanto bono, ſicut facimus, Diuinæ pietati, quæ omnia mouet, & tuæ maieſtati, quæ huius rei auctrix eſt, immortales gratias referamus, ſuperos omnes orantes, vt hoc matrimonium & contrahentibus ſecundum diuturnumque ſit, & Chriſtianæ Reipublicæ felix. Laus DEO JEſu Chriſto.

II.

p. 15. ## *M. JACOBI MOTZII THEOLOGI, LEGATI CÆSAREI CORAM SERENISSIMO ALPHONSO REGE PORTVGALIÆ ORATIO, PRO SORORE EJUS LIONORA FRIDERICO CÆSARI DESPONSANDA.*

INCVMBERET mihi hodie, Sereniſſime Rex, excellentiſſime Princeps, quæ ſunt tuæ virtuti; meo ſermone complecti; laudare clariſſimum genus tuum, efferre regni tui, tuæque potentiæ magnitudinem. Sic enim mos eſſe ſolet eorum qui legatione funguntur, quando primum in conſpectu veniunt. Sed dabit veniam tua Regia manſuetudo, ſi res meis humeris nimium graues aggredi recuſo. Tot enim ſunt tuæ ſerenitatis præcipue dotes, tam ſplendida maiorum tuorum nomina: tanta eſt regni tui gloria, poteſtas, & excellentia, vt verbis meis exprimi nequeant, magnum oratorem, ſingularem eloquentiam, facundiam exuberantem hæc requirerent, ſi exprimi pro ſuo merito deberent. Abeſt enim à me dicendi facultas, qui ſacris literis non eloquentiæ meam ſacraui ætatem. Nec detrimentum tua patitur ſublimitas, ſi tenui & rauco organo meo non extollitur, quæ nota eſt vbique terrarum, & à præclariſſimis ingeniis celebrata. Quibus ex rebus quæ minus rite à me perfici poſſunt, ad ea veniam quæ noſtra legatio requirit. In his ſunt duæ partes, in alterâ continetur expoſitio beneuolentiæ: In alterâ cœptorum negotiorum executio. Fateor, potentiſſime Rex, me adhæc minus idoneum. Nec enim in me eſt vis ſermonis vt poſſem ad vnguem exponere, quâ beneuolentiâ, dilectione & caritate ſereniſſimus atque inuictiſſimus princeps, Diuus Cæſar Fredericus, Romanorum rex ſemper Auguſtus, tuam domum, tuamque maieſtatem proſequitur. Sed neque hic verbis opus eſt, vbi facta mentem demonſtrant. Ex hac enim dilectione factum eſt, vt clariſſimam atque ſuperilluſtrem dominam Leonoram, ſororem tuam in matrimonium ſibi copulari Cæſar petierit. Quoniam enim tuæ ſublimitati, tuo generi affectuoſiſſima eſt Imperatoria celſitudo, idcirco in hanc affinitatem aſpirauit. Et ego illud addicere poſſum, adeo tibi Cæſar fauet, adeo tuam Maieſtatem obſeruat, vt tuis deſideriis omni conatu ſtudeat *Anno 1451*

morem

morem gerere: qui etſi plus faceret erga te tuoſque omnes, minus tamen ſibi feciſſe videbitur quam decebat. Sed veniam ad ſecundam partem noſtræ legationis nobis commiſſæ. Nouit tua Maieſtas (antequam loquar quæ ſit noſtri cauſa aduentus) apud Neapolim quæ geſta ſunt inter tuos & Cæſareos Oratores. Jam diu tibi relatum eſt ex his quæ illic concluſa ſunt. Hoc ſupererat, vt ad contrahendum matrimonium per verba de præſenti, cum præfatâ ſorore tuâ ſuos procuratores Cæſar tranſmitteret. His ergo ſatisfacturus conuentionibus & pactis, ad rem hanc nos (quamuis minimos) miſit. Miſit autem ſereniſſimus Imperator ſacerdotes: quia in omni diuino opere, tam in veteri, quam in nouâ lege ita diſpoſitum eſt fieri. Vnde in opere incarnationis prophetice dictum eſt: *Mitto angelum meum ante te:* id eſt, ſacerdotem. Et rurſum: *Ipſe præibit ante illum in ſpiritu & in virtute Eliæ.* Et iterum, quia ſolis ſacerdotibus Chriſtus in vltimâ cœna Sacramenta ſtatuit cæteris communicanda. Inter quæ Sacramentum Matrimonii ratione prioritatis digniſſimum habet locum. Volens autem ſereniſſimus Rex Romanorum ſequi normam & regulam Prophetarum & Euangeliſtarum, miſit binos, vt gaudia renunciarent; miſit duos, vt veritatem teſtarentur: miſit duos, vt ſi vnus in viâ deficeret, alter inceptum opus glorioſe terminaret. Sors igitur ſuper nos cecidit, qui cum plenâ poteſtate miſſi ſumus ad ea gerenda quæ reſtant. Et quando tuæ Maieſtati placebit, nos promptos & paratos habebis. Neque enim in tantâ temporis breuitate, tantaque rerum feſtinatione, ad iter tam longum, tum periculoſum, & æſtiuo tempore tam feruidum ſuos proceres Cæſar mittere potuit. Hortatur autem tuam Maieſtatem Cæſarea ſublimitas, vt quæ culmini tuo incumbant, in ſuis temporibus agat, quemadmodum conuentum eſt. Nam quæ ad ſe pertinent, omnia ſine dolo complebuntur, quemadmodum ſuis ex literis, quibus approbantur, ratificantur conuenta, manifeſtius inſtrueris.

Eodem tempore ad Imperatricem tunc futuram Oratio facta, in præſentiâ Regis, & ſui parlamenti.

SERMO meus, Rex ſereniſſime inuictiſſimeque Princeps, colendi Præſules, proceresque nobiliſſimi, doctores eximii, ceterique domini (quibus titulus dignitatum ignoti) prædigni; in hoc actu præſenti, quantam mea fert opinio, ad præclariſſimam atque ſuperilluſtrem virginem dominam Leonoram, hic præſentem, & hunc cœtum ſuo ſplendore ornantem, vobis omiſſis conuertetur. Sua eſt enim hæc dies, ſua eſt hæc ſolennitas: ſua eſt hæc celebritas. Audi ergo, nobiliſſima atque excellentiſſima virgo, inclina aurem tuam mihi. Accipe quæ dicam verba. Non vtor multis, paucis opus eſt. Nam quid ſit matrimonium? quia inſolubile vinculum mariti & fœminæ; *Quos Deus conunxit, homo non ſeparet;* Quâ ratione inſtitutum eſt? quia cauſa prolis procreandæ; *Creſcite & multiplicamini.* Quâ firmatum auctoritate? quia à Deo patre, *hoc nunc os ex oſſibus meis.* Quâ deuotione colendum? quia Chriſtus nuptiis interfuit, & ſuâ præſentiâ matrimonium conſecrauit, & miraculis approbauit. Quam vtile, vt lubricitas carnis vitetur; *Cum nullus immundus & fornicator regnum Dei poſſidere poſſit.* Quam neceſſarium, vt caritas in orbe terrarum ſeruetur, ſine quâ nihil poteſt fieri. *Non enim bonum eſt hominem eſſe ſolum.* Non dubito te dudum ac ſæpius Chriſtianiſſime inſtructam. Per hoc enim videlicet matrimonium amici amictores efficiuntur, per hoc inimici placantur, per hoc regna in pace conſeruantur, per hoc homines vitæ ſe politicæ vniunt; per hoc ordo naturæ bene regitur: per hoc tandem lapſus Angelorum redintegratur? Non paruum, neque vulgare coniugium eſt, de quo nunc agitur: in quo Regius ſanguis Imperatorio coniungendus eſt. Inter te hodie, regio ſanguine, ac ſereniſſimum ac glotioſiſſimum principem, Diuum Cæſarem Fridericum, Romanorum regem, pium, felicem, ac triumphatorem, matrimonium contrahendum eſt. Egoque, ſi annuis, ſi tibi Cæſar placet, ſi nubere domino meo Regi Friderico, in animo tuo eſt, ſi virum accipere cupis, legitimoque thoro iungi, annulo te ſubarrabo: dominum meum, & corpus ſuum (nam ſic p. 16.

facultas

facultas eſt mihi) perpetuo tibi dicabo, ac te, ſi corpus tuum accipiam inſolubilis matrimonii nexu iungendam. Quod antequam facio, precor adorna thalamum tuum, & ſuſcipe Regem. Moueat te, inducat re ad ſuſcipiendum amorem, vt ſi colloquatur tibi, blandiatur, ſi enim ſuſceperis Regem in thalamum cordis, cordialiſſime diligendo, ipſe te ſuſcipiet in palatio ſuo glorioſiſſime coronandam. Dico autem adorna, non emunda, cum de tua vllo modo phas ſit dubitare caſtitate, probitate, aliiſque inſignibus virtutibus, humilitate pediſequa virginis benedictæ ſingulariſſima. Adorna thalamum quaterno redimitum ornatu. Ab ortu Solis frontem erigendo, ſummum bonum ſuper omnia, & præ omnibus diligendo. Ab occaſu frontem erige vnanimi conſenſu, ſacramentali fide in intimo Regem ſuſcipiendo. Sintque tibi latera contra Aquilonem, & Meridiem; firmitas in blandis, & firmitas in duris. Quia vbi ſpiritus ſapientiæ & ſcientiæ præeſt immutatio rerum non perturbat. In te enim dependet à fronte Orientali cortina Prudentiæ: quia homo niſi prudentia regatur, in errorem vadit. Sic enim in Occidentali fronte in te relucet, cortina fortitudinis; fortem enim animum non emolliunt blandimenta bonorum, immo neque ſublime, neque profundum ſeparat à caritate. Super has cortinas generalis & ſericeus dependet in te ornatus, Juſtitia; quæ reddit Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt. Tota igitur pulchra es, intus pulchra, pulchra foris; intus in corde, foris in corpore. Intus rubicunda, foris candida, vtrobique compoſita. Rubicunda per caritatem, candida per caſtitatem: compoſita per humilitatem. In toto grata, in nullo ingrata, in toto places, in nullo diſplices. Tota pulchra es per naturam, pulchrior per virtutes, pulchrior per gratiam deſuper datam. Tu es regis Aſſueri puella, ad thalamum Imperatoris ducenda, ingenti diligentia comparata, glorioſiſſime veſtita varietate virtutum, annulo ornatiſſimo ſubarranda. Non penſanda pretioſitas, ſed rei ſignificatio acceptanda, & aſpicienda eſt. Hortor igitur ô te virgo nobiliſſima, vna ex omnibus electiſſima, vt in hoc annulo, quo ſubarrari debes, duo quam breuiter animaduertas, materiam, atque formam. Eſt quidem materia aurea, forma circularis. En quam pulchre apteque matrimonio (de quo nunc agimus) hæc duo conſonant. Sicut enim aurum præſtat metallis, ſic tua excellens & admirabilis forma omnes ſuperat virgines quæ noſtrâ ætate ſpecioſæ dicuntur. Neque ab ortu in Occaſum virgo vlla eſt, quæ tibi vel decore, vel moribus, vel prudentiâ poſſit æquari. Recte ergo tibi conuenit aurum: ſed nec Cæſarem dedecet, qui dignitate ſublimis Imperatoria, vt Sol inter ſidera, ſic inter cæteras poteſtates altior aſſurgit, atque ſublimior, virtute inſignis & potentia glorioſus, ætate mediâ, celſo corpore, lætis oculis, copioſâ cæſarie, nullâ ex parte mendoſus, ſimillimus auro. Quid forma? quid ſibi vult circulus? Equidem ſicut circuli forma finem habet nullum, ſemper in ſe reflexa: Sic & amorem ſine fine coniugalem eſſe oportet ardentem, caſtiſſimum, ſolidum, ſemper in ſe reflexum: vxor virum amet, alium neſciat. Vir vxorem diligat, nulli alteri afficiatur. Sic amor interminabilis ſine fine, & viro in vxorem, & ab vxore in virum perpetuo & inuiolabili modo reuolutus. Poſſem de naturâ lucidiſſimi lapidis aliquid dicere, quia ſolidiſſimus (vt ferrum) cæteras gemmas penetret, vt ſolo plumbo hircinoque molleſcit ſanguine, inſaniæ reſiſtit, hoſtes ſuperat, feras & feroces homines mitigat, iurgia rollit, phantaſmata & incubos fugat: quæ omnia ad proprietatem matrimonii reduci poſſunt. Sed obſtant anguſtiæ temporis, cedo priori ſermoni, ad finem feſtinat oratio. Dixi quæ ſum facturus, ſi accipis glorioſiſſimum dominum meum, Dominum Fredericum Romanorum regem, virum tuum legitimum ex ordine rituque ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ. Quinimo quem iam te dicis accipere, vtrumque hunc optare atque amplecti mente. Sic dic: *Ego infantula domina Leonora recipio Fredericum regem Romanorum, in meum maritum bonum & legitimum, ſicut mandat Sancta Eccleſia Romana, in perſonâ tui magiſtri Jacobi Motz, ſui ſufficientis procuratoris ad hunc actum.* Et ego prænominatus M. Iacob M. nomine præfati Frederici Regis Romanorum, tanquam procurator eius ad hunc actum legitime conſtitu-

conſtituturus, recipio te infantiſſam Dominam Leonoram, in ſuam legitimam vxorem, ſicut mandat ſacra Eccleſia Romana; atque te hoc anulo ſubarrabo, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, & ad felicem vtriuſque partis ſtatum & optimam conſolationem: vt duo in carne vnâ longo tempore ſimul viuatis, generetiſque filios & filias, qui Deo & hominibus ſint accepti, vobiſque ſenibus ſuperuiuant. Repleantur & benedictionibus omnium bene viuentium, fruanturque pace æternâ. In nomine patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

III.

ÆNEÆ SYLVII ORATIO PRO CORONATIONE FRIDERICI REGIS ROMANORVM, AD NICOLAVM V. PP. CVM PETITIONE AD EVNDEM, PRO CONGREGANDO CONCILIO GENERALI.

PAter beatiſſime, maxime Pontifex. Eum qui coram tua ſanctitate loquitur, non immerito commoueri, cum propter celſitudinem throni tui, quo nullus eſt in terris altior, tum propter ingenium tuum diuino dono aureum & omni doctrinarum genere fœcundum. In cuius præſentia qui verba facit niſi iuxta præceptum Apoſtoli ſermonem habuerit ſale conditum, illius notam Piſonis incurrat, de quo ſcribit Hieronymus, qui cum loqui neſciret, tacere non potuit. In hoc enim orbis terræ primo maximoque auditorio non futiles & importuni locutores, ſed facundi oratores audiendi ſunt, Vlyſſi pares, quem ſapienti facundia præditum vocem ait Homerus non ex ore mittere ſed ex pectore. Quibus ex rebus nihil mirandum eſſet, ſi nunc ego, cui nec ſententiæ ſuppetunt, nec verba quibus adiri tanta maieſtas debeat, ſic turbarer ac pallerem, vt olim *Lugdunenſem Rhetor di-* p. 22.
cturus ad aram. Sed adiicit animum mihi tuæ S.tis immenſa benignitas, atque indicibilis humanitas; quæ non ſolum magnos diſcretoſque viros, ſed humiles ac indoctos aure inoffenſa audire conſueuit: moriſque ſemper huius ſacri conſiſtorii fuit, non tantum verba loquentis quantum mittentis perſonam exiſtimare. His accedit nobilis orationis materia, quæ dubium eſt petenti vtilior, an concedenti gratior ſit futura: cuius tanta honeſtas eſt, tanta vtilitas, vt abſque oratoris adminiculo perſuadere ſe ipſam facile queat. De coronatione namque Cæſarea futurus eſt ſermo, quæ res ſemper maxima & honeſtiſſima fuit, poſtquam ſancta ſedes Apoſtolica Imperatoriam dignitatem ex Græcorum gente in perſona magnifici Caroli M. tranſtulit ad Germanos. Cupiens enim ſereniſſimus & inuictiſſimus Princeps, diuus Cæſar Fridericus Romanorum Rex Auguſtus, tuæ S.ti obſequentiſſimus filius, more maiorum in hac vrbe Roma ſuæ coronationis ſolennia celebrare; hos præſtabiles viros, & me puſillum tuam clementiam iuſſit accedere, rogaturos atque obſecraturos, vt ingenti eius deſiderio, pio, iuſto atque honeſtiſſimo mos geratur. Namque ſi tua S.tas eius coronationi nauare operas voluerit, nihil morabitur Cæſari ſed aliis omnibus ſine dilatione ſuperatis tuam præſentiam feſtinus adibit, quæ ſunt conſuetudinis faciet, imperiales infulas ex tua ſacra manu recipiet, feſtos dies lætamque ſolennitatem tecum aget, de rebus Eccleſiæ atque imperii ſalubriter dirigendis, tuis conſiliis auſcultabit, teque ſequetur: ſauentibuſque denique ſuperis coronatus, alacer ac tibi plurimum obligatus in patriam reuertetur. Hæc eſt noſtræ legationis ſumma, ac totius orationis materia. Circa quam tria nobis videntur altius attingenda declarandaque eſſe, non vt tuæ S.tis mentem inſtruamus, cui nihil eſt dubium; ſed vt pleriſque ſatisfaciamus, qui noſtris expeditionibus admirari poſſent ſi nihil amplius dicemus. Primum eſt cur tantopere maieſtas Imperatoria coronam cupiat. Alterum cur tam diu hanc rem diſtulit. Tertium concedendum ne ſit quod de coronatione requiritur. Quibus abſolutis oratio modum haberet, niſi pauca referre oporteret, quæ apud Neapolin nuper egimus. Sed illis breuiter ennarratis, & vnica precatiuncula pro Concilio generali ſubiecta, finem dicendi faciemus. Adgrediamur igitur quod primo quæſitum eſt,

eſt, cur tam propenſe Regia maieſtas coronationem efflagitat. Quid vrget? Quid eſt quod tantum Principem exire paternam domum, magnis & ambiguis itineribus ſe committere, graues ſubire ſumptus coronationis cauſa compellit? Tria ſunt B. P. quæ Cæſarem mouent, deuotio, conſuetudo, debitum. Poſſem complura in medium afferre, quibus religio noſtri Principis, & pietas ac deuotio in tuam S.tem tuumque prædeceſſorem hactenus non vulgariter patuerunt. Sed ſcienti omnia B. tuæ ſuperfluo narrarentur, & Regio culmini ea vulgari non placet, quæ pro ſui animi magnitudine minima cenſet. Nam etſi omni officio ac potius pietate erga Romanam Eccleſiam tuamque S.tem omnibus ſatisfaciat, deuotioni tamen ſuæ nunquam ſatisfacit. Ex hoc pietatis deuotioniſque fonte prorumpit tam propenſa coronationis cupido atque petitio. Arbitratur enim Regia ſublimitas opus eſſe diuinæ pietati acceptum, ſi quemadmodum in veteri teſtamento nunc Prophetæ, nunc ſummi Sacerdotes, nunc ſimul ambo inungebant, qui regerer Iſrael & Judam; & ſic in tempore gratiæ nouaque lege Romani Pontifices Chriſtianos Imperatores inungant, atque his diademata largiantur, qui plebem Catholicam legibus tueantur & armis. Cuius rei non paruum ſignum eſſe videtur, quod ex Germanis Cæſaribus, qui per manus primi paſtoris inuncti Romæ coronatique ſunt, nullum comperimus violenta morte periiſſe: cum tamen ex Italis & Græcis Imperatoribus maxima pars, ſic in orbem obierint, vt verum eſſe firmauerint quod Satyrico carmine expreſſum eſt:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci,
Deſcendunt Reges, & ſicca morte Tyranni.

Eſt itaque deuotio Cæſaris non paruis inſtructa firmataque rationibus, quæ coronationis inſignia poſcit. Sed hanc deuotionem vetus conſuetudo præmuniuit. Tria ſunt enim Romani imperii tempora, ex quo Julius Cæſar rem populi vertit ad vnum, Italorum, Græcorum, Germanorum. Prætereo Berengarium & alios, qui apud Longobardos imperitarunt: neque enim tantum ditionis habuerunt tantumque luris, vt Imperatoriæ dignitatis deberent titulis illuſtrari. Priores Imperatores contenti purpura perraro diadematibus vtebantur: habenteſque regiæ poteſtatis arbitrium, inuiſæ dignitatis nomen & inſignia poſtponebant, ne cum corona ſimul & Tarquinii ſuperbiam quaſi iure poſtliminii in vrbem reducere viderentur. Ex Græcis vero Cæſaribus non eſt dubium, quin pleroſque Conſtantinopolitani præſules coronis ornauerint. Ex qua re (ſicut ſcribit Otto Friſingenſis Antiſtes, non futilis auctor) vſque adeo Conſtantinopolitana ſedes intumuit, vt non
p. 23. ſolum Alexandriam, ſed Romanam quoque cathedram, vſque ad Phocam Cæſarem & Bonifacium Papam, contenderit antecedere. At poſtquam Germani Principes victis ac domitis Longobardis, qui Romanam Eccleſiam laceſſebant, imperare cœperunt; irrefragabilis conſuetudo coronationis inoleuit, quam ſeruare nunc Cæſarem permaxime decet. Cumque Germana nobilitas, ex Apoſtolicæ ſedis beneficentia, ſuaque diligentia & humilitate Imperatoriam dignitatem obtinuerit, quam Græci ſuperbia & ignauia ac forſitan hæreſi perdiderunt, non ſolum debitum, ſed neceſſarium eſſe videtur à Romano Pontifice coronam expetere, vt illi perpetua reddatur reuerentia, à quo præcipua recepta eſt eminentia. Cum nihil ex tota philoſophia ſit debitum, quam gratitudo. Ex quo fit vt non ſolum deuotione, ſed conſuetudine ac iure debito maieſtas Imperatoria coronam depoſcat. Conſungitur & hiſce cauſſis publicæ vtilitatis ratio. Multa enim inter nos ſimul conuenientes, tractari concludique poterunt Chriſtiano populo ſalubria; quæ per legatos inter abſentes difficile peragerentur. Abſoluta eſt iam prima quæſtio: & quid Cæſarem moueat diadema poſcere, ſatis intelligimus.

Videamus modo quamobrem coronatio tam diu protelata ſit. Duorum hic temporum, poſtquam Cæſar acceptauit imperium, habenda eſt ratio, alterum ſub Eugenio lapſum eſt: alterum te Pontifice. Optauit Cæſar coronam ſub Eugenio recipere, nec Eugenius erat auerſus: namque qui Sigiſmundi caput ornarat, Friderici quoque verticem gemmis & auro redimere percupidus erat, vt ſic duorum

Cæſarum pater maximus diceretur, quod hactenus contigiſſe reperio nemini: Sed viguit illius tempore Eccleſiaſtica diuiſio, neutralitatiſque nouitas Germaniam occupauit: nec Cæſari, nec papæ ex vſu fuit, vt noſti rem iam vetuſtam ac multis quæſtuoſam relinquere, ſed cum viciſſet perſeuerantia Cæſaris (quid enim perſeueranti non demum paret?) cumque reſtituta fuiſſet obedientia Eccleſiæ Romanæ, iamque tractandum de coronatione videretur, mox Eugenius diem clauſit, ſperatamque Cæſari coronationem ademit; atque ſic primum tempus ſine culpa refluxit. Neque ſecundum arguendum eſt, namque vt primum tua S.tas diui Petri cathedram aſcendit, miſſi ſunt oratores, qui te iuſſu Cæſaris in orbe Chriſtiano Pontificem Maximum ſalutarent, obedientiam tibi præberent. Sed cum ſpes eſſet te ſuadente quam celerrime Cæſarem aduentare; exorta extemplo ſæua belli tempeſtas, quæ non ſolum diuites Auſtriæ principatus, ſed Bauariam, Sueuiam, Franconiam, Rhenique florentiſſimas regiones, atque ipſum Chriſtianitatis cor, cædibus, rapinis, incendiis atque omni calamitatis genere vexauit, nobiliſſimos Principes & potentiſſimas ciuitates, dirâ, nouâ, inauditâ diſcordiarum ſeritate concuſſit. Ad quas res ſedandas neceſſarium fuit Imperatoriam maieſtatem in partibus Alemanniæ remanere: quia non tam diſpendioſa coronationis, quam pacis dilatio videbatur. Atque ſic coronationis ſolennitas dilata eſt. Cui iam dari opera poteſt; quando qui diſſidebant, omnes arbitrio Cæſaris pace facta ſe commiſerunt. Atque hoc ſatis de coronationis dilatione ſit dictum.

Nunc tertio loco penſandum eſt, quod Cæſar exquirit, tuæne ſit S.tis annuere. Plerique mortales ſi rem hanc ſuaſum veniſſent, omnes orationis neruos circa gloriam collocaſſent. Dixiſſent enim (vt arbitror) cum diuiſam Eccleſiam, Pater ſanctiſſime, multis magniſque curis ad vnionem redegeris, cum plurimas hæreſes exturpaueris, cum pacem inter Chriſti fideles ſummo ſtudio ſeruaueris, cum fana & Vrbis diſiecta mœnia grandi ſumptu reparaueris, cum patrimonium Eccleſiæ vndique direptum diſſipatumque vendicaueris, cum remiſſionis annum Chriſtiano populo dulciſſimum expectatiſſimumque conceſſeris; quid amplius ad cumulum tuæ gloriæ quærendum eſt, quam vt Cæſareo capiti coronam imponas? Tua eſt hæc gloria magis quam Cæſaris. Apoſtolicæ ſedis hic honor eſt, B. Petro hæc dignitas reſeruatur. Audi Cæſarem, fac quod petitur, ſic:

Semper honos nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Alii ad vtilitatem conuerſi (quæ plurimum ſuadet) ex omnibus rebus, dicerent; Quas ſanctiſſime Pater feciſti, quaſque facturus es, nulla poteſt, vtilior eſſe coronatione Cæſarea. Veniet ad te diuus Cæſar primus omnium Principum, te Patrem appellabit, tibi filium ſe præbebit, tuis manibus coronabitur, iuſiurandum præſtabit, Germaniam regnis grauidam, ingenti populorum, Principum ac Prælatorum multitudine abundantem, tibi & Apoſtolicæ ſedi beneuolam parentemque retinebit. Contemnat quicunque velit coronas, gemmas, aurum, purpuras, pomum, gladium, vnctionem, conſecrationem, ceremonias, pompas; is certe quamuis ſubagreſtis eſt, inficiari tamen non poteſt, quin tuæ S.ti & Apoſtolicæ maieſtati conducat, coronatum Cæſarem in amicitias fœduſque tuum eſſe receptum. Namque ſi vetera meminerimus, tunc Eccleſiam floruiſſe, tunc imperium viguiſſe conſtabit, cum Romani Pontifices atque Cæſares vnanimes extiterunt. Eſſent ſortaſſe nonnulli, qui diuerſo calle procedentes, ſoliuſque boni & æqui iuribus vtentes, minime negandum dicerent moderno Principi, quod priſcis Cæſaribus vltro fuiſſet oblatum: ſeruandas eſſe conſuetudines; quod ſemel promiſſum eſſet, rebus immutatis minime violandum; benemeritum de Romana Eccleſia Cæſarem omnibus beneficiis atque honoribus cumulandum. At nos qua via incedemus? Illosne ſequi libet qui gloriæ cupiditatem ingerunt? nihil minus abſit à nobis initium * gentilitatis, quæ vt laudis animalis ac ventoſæ gloriæ mancipium niſi ad populares auras & inanes rumuſculos recte facere nihil nouit. Nos qui Chriſtiani ſumus, ac non ſolum apud Chriſtianos agimus, ſed coram omnium Chriſtianorum capite, duce, magiſtro, rectoreque ſtamus, non Oratorem, qui dixit, *Ho-*

p. 24.

* *f.* vitium.

nos

nos alit artes, omneſque incendimur ad ſtudia gloriâ, ſed Apoſtolum potius imitari debemus, qui ait: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Nec nos latet tuam S.tem diuina ſapientia præditam, Bonum ſolum non populari rumore ſed conſcientiæ veritate metiri. Quid igitur ab vtilitate arguemus? An ex debito, quia conſuetum, iuſtum, promiſſum? Equidem licet his potentiſſimis fundamentis ſuadere res ſoleat, non tamen hæc omnia relinquenda videntur. Fruſtra enim ſuaſibus vtitur, qui ſupplicat ſapienti. Nouit ſuopte ingenio ſapiens, conceſſu an refutatu digna ſint quæ petuntur, nec verborum falli lenocinio poteſt. Nos igitur qui coram ſapientiſſimo Principe, coram prudentiſſimo orbis terræ ſenatu, coram luminibus & intellectu Mundi, coram tanta maieſtate, tanta doctrina, tanta rerum peritia ſermonem habemus, ſatis eſſe putamus nudis verbis Imperatoriæ ſublimitatis petitionem expoſuiſſe. Scimus enim, ſi recta petimus, nihil nobis negatum iri: ſin minus, faſcinare verbis ſummæ prudentiæ oculos, aut oratione verum peruertere non valemus. In hac igitur parte quæ tuæ S.tis examinanda iudicio eſt, nullas ſuaſiones adhibemus; ſed arbitrio tuo totum relinquimus, ex quo nec iuſta diffidimus obtinere, nec ſperamus iniuſta. Eſſet iam peroratum, beatiſſime Pater, niſi (vt ante diximus) in calce verborum iuſſi eſſemus adiungere. Alterum eſt vt de concilio generali, quid ſit Regis inde deſiderium, intelligas. Ambo hæc paucis abſoluemus.

Apud Neapolin conuenimus victorioſiſſimum Principem, Arragonum atque Siciliæ Regem, & cum eo nepotis ſui Sereniſſimi Portugaliæ Regis Legatum. Cum hiſce diebus pluſculis in tractatu fuimus, ac demum inter maieſtatem Cæſaream & illuſtrem virginem Leonoram infantem Portugaliæ, Reginæ ſororem ſponſaliorum ſœdera percuſſimus, matrimoniumque concluſimus, quo nec nobilius, nec potentius, nec honorabilius, nec Chriſtianitati vtilius inter Chriſtianos vllum contrahi poteſt. Quando & nobilitas nobilitati, & virtus virtuti, & potentia potentiæ, & magna magnis, & ſumma ſummis addita ſunt: hinc Germanis Principibus, inde Hiſpanis proceribus in affinitatem, beneuolentiam, amicitiamque concurrentibus. Quod idcirco tuæ S. narramus, vt qui contrahendum coniugium hoc ſciebas, iam contractum eſſe, vt patrem decet, cum filio læteris.

Sed venio ad ſecundum, quod addere promiſi, idque finem orationi præbebit. Quæ hactenus dicta ſunt, Beatiſſime Pater, commiſit nobis Imperatoria maieſtas, priuſquam ſuo ex conſpectu recederemus: quæ nunc dicturi ſumus, per nouas & vrgentes literas in mandatis accepimus. Ea nec parua, nec contemnenda ſunt ſed digna tuis auribus, & hoc facerrimo cœtu. De Concilio namque generali, deque loco conuentus habendi dicendum eſt nobis, ex quibus rebus magna poteſt vtilitas redundare. Licet enim ſub te vero capite, veroque Jeſu Chriſti vicario vnita ſit Eccleſia; plurima tamen ſunt, propter quæ neceſſaria videtur conuentio Epiſcoporum generalis. Diſſident Chriſtiani Principes quam multi: concordia quærenda eſt. Labaſcunt cleri & populi mores: inueſtiganda modeſtia, oppreſſam Eccleſiam quamplurimi laceſſunt: recuperanda libertas. Ad quas res licet tua ſatis ſit auctoritas, non tamen executio ſine conuentu Prælatorum, conſenſuſque Principum facile poteſt haberi. Cupit igitur generale concilium Cæſar vt hæc fiant. Sed quod generale concilium? Verum generale concilium, non abortiuum, non adulterinum, non contentioſum, non ambitioſum. Concilium in quo minora membra maioribus pareant, in quo nullum ſit membrum, quod ſuo capiti non conſentiat. Concilium (inquam) quod non de clauibus ſummi paſtoris diſputet, ſed pro communi vtilitate inuigiler. Summa eſt Romani præſulis auctoritas; quid attinet diſputare? Omnis poteſtas Eccleſiæ à Chriſto principe per Romanum Pontificem veluti caput in cætera myſtica corporis membra deriuatur, atque diffunditur. Hæc profeſſio Cæſaris, hæc fides eſt, Euangelio credit, & oraculis Jeſu Chriſti: ſcir Petro & ſucceſſoribus ſuis dictum eſſe à domino:

p. 25. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferni non praualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcunque ligaueris*

ſuper terram, erit ligatum & in cœlis : & tu vocaberis Cephas. Paſce oues meas, & duc in altum rete; & eiuſmodi, quibus referti ſunt Euangeliorum codices. Vltra quem quiſquis alium quærit; tenebras quærit, non lucem ; ſtultior eo qui aperto feruentique Sole commentitium lumen accendit. Cæterum quia maieſtas Imperatoria non ad potentiam exercendam, ſed ad fidem tuendam ; commune bonumque promouendum, tibique aſſiſtendum intereſſe decreuit ; coronam prius aceipere cupit, quàm Concilium conuocetur : indici antequam coronetur, neque petit, neque ſuadet, neque gratum haberet. Expedit enim admodum rebus agendis coronatum Cæſarem ac tibi iuratum in Concilio penes te ſedere, tibi aſſiſtere, tuiſque decretis fauorem impendere. Cumque ſit Cæſar aduocatus Eccleſiæ, protector, defenſor; adiutor, ac nullibi melius officium ſuum quàm in prouincia ſibi parente valeat exercere ; locum celebrandi Synodi in Alemania ſub Romano Imperio petit: in alia Prouincia nec poteſt, nec intendit conſenſum præbere. Eſt enim Alemania locus ex tota Chriſtianitate commodior : in qua (ſi quis rectè proſpexerit) intra Rhenum & Auſtriam - Chriſtianitatis vmbilicum ad centrum reperiet: vbi exiuit ad Occidentem, ſunt Hiſpani : ad Orientem, Græci ; ad Septentrionem, Norwegii ; ad Meridiem, vltimi Siciliæ populi. Cumque iam Græci in his quæ fidei ſunt cum Latina Eccleſia ſapiant, oportet & his locum concilii conuenientem nominare : fouendi enim iam ſunt, & omni fauore amplexandi. At hi ad Alemaniæ partes per Vngariam breuem habent & facilem tranſitum. Vrbes præterea in Alemania ſunt ampliſſimæ, & ſplendidiſſimæ, manſiones aceommodæ, victui neceſſaria comparatu facilia, pax optima, pulcherrima quies, dulciſſima libertas, ſaluberrimus aer ; Principes ac populi promiſſorum ac iuſti tenaces, mori quam deierare aut fallere malunt : nemo eſt qui de loco Alemaniæ iure conqueri poſſit. Nam qui medium Chriſtianitatis & tot commoditates Alemaniæ dedit Deus, is quoque velle videtur, vt ibi noſtro tempore generale concilium celebretur. Habes, Sanctiſſime Pater, quæ ſit petitio Cæſaris : nobis & admodum iuſta videtur, & vtilis ; Namque ſi pacem inter Chriſti fideles compotiere, ſi frugilitatem bonoſque mores ſerere, ſi libertatem Eccleſiaſticam vendicare, ſi partam vnionem ſeruare cupis (vt certiſſimi ſumus) generale concilium non alibi conuocabis, quàm eo in loco in quo tibi Cæſar & poſſit & velit aſſiſtere. Pleraque alia, cum tuæ ſanctitati libuerit, ſemotis arbitris referemus.

IV.

ÆNEÆ SYLVII ORATIO SVASORIA AD NICOLAVM V. PP. VT CÆSAREM FRIDERICVM IN TVRCOS PASSAGIVM PARANTEM, MODIS OMNIBVS ADJVVARE VELIT.

MOISES Vir DEI, Beatiſſime Maxime Pontifex, cum ſibi ſucceſſorem ordinaret Joſue filium Nun, diuinam vocem ad ſe dicentem audiuit : *pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet dominum ; ad verbum eius egredietur & ingredietur, ipſe & omnes filii Iſrael cum eo, & cætera multitudo.* Quibus verbis non populi ſolum ſed Reges & Principes admonentur, magnis in rebus, etiam bellicis, ſummi Sacerdotis, & conſilium quærere & imperium ſequi. Quod poſtmodum in nouo Teſtamento & in tempore gratiæ, multis exemplis & auctoribus eſt firmatum. Sicut & Conſtantini Magni & Theodoſii, & Juſtiniani & aliorum Chriſtianorum Cæſarum geſta teſtantur. Eam ob cauſam cupidus atque auidiſſimus diuus Cæſar Dominus Fridericus Romanorum Imperator Auguſtus, filius tuus obſequentiſſimus, ſuis diebus aduerſus impios Mahumeti cultores generale paſſagium fieri, atque in illud ſuum ſtudium, ſuas curas, ſuasque vires omnes conuertere ; Te prius, magni DEI Vicarium, Chriſtianæ plebis ſacratum caput, perfectum ducem, optimum rectorem, veracem magiſtrum conſulendum & audiendum & ſequendum exiſtimauit, cuius prouidentia noſcere, auctoritas monere, poteſtas implere poſſit, quid ſit agendum. Venit igitur ad te hodie, tuum-

tuumque grauem & ornatiſſimum ſacratiſſimum ſenatum, Cæſar, ſuper uniuerſali paſſagio cum tua beatitudine tractaturus. Coronatus enim iam triplici corona, eiusque regni beneficentia Rex confirmatus, cuius potentiam Daniel ferro comparauit, cuius limites ſolus claudit Oceanus, cuius fundator Octauianus, confirmator Dominus Hieſus fuit, quod Romana ſemper Eccleſia magni fecit, extulit, honorauit; cuius auctoritas in terris niſi tua cedit nulli: cuius officium eſt patrocinari Eccleſiæ, tueri religionem, parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos. Huius, inquam, Regni ſolium adeptus Cæſar, quid aliud cogitet quam Paſſagium, per quod & Chriſtiani fortiores, & hoſtes fidei reddantur imbecilliores? Principes, inquit Sapiens, quæ ſunt digna Principe cogitabunt. Reges apud Medos, ut Herodotus; apud omnes ut Cicero ſenſit, Juſtitiæ fruendæ cauſſa ſunt creati, iniuriarum propulſatores; qui ſi Platoni magno voluerint auſcultare, cæterisque Philoſophis recta monentibus obedire, procurationem Rei publicæ non ad ſuam, ſed ad eorum qui ſibi commiſſi ſunt utilitatem, conuertere conabuntur. Atque hoc eſt, quod de Paſſagio Cæſarem & ſollicitum & anxium facit. Super qua re dicturus, quæ ſua mihi Maieſtas imperat, oratiunculam meam tres in partes ego diuidam. In prima dicam, quid ſit Paſſagium quod petitur. In ſecunda, cur petatur. In tertia, facilene Paſſagium fructuoſumque ſit futurum. Quibus in rebus ſi longior fuero, cum rerum magnitudine verba comparentur. Sic fortaſſe breuior apparebo; Imo ero reuera breuis. Nam docti dicere multa poſſunt: ſola breuitas, ut Ennodius ait, commendat indoctos. Sed iam primum abſoluamus. Paſſagii vocabulo nihil aliud deſignamus, quam militarem expeditionem numeroſiſſimam adverſus infideles, per Romanum Pontificem indictam: quam qui ſequuntur cruce ſignati plenariam peccatorum remiſſionem & merentur & aſſequuntur. Appellaturque Paſſagium, ſermone Italico, quaſi tranſitus. Nam ſicut aues quædam certis anni temporibus de regione in regiones tranſeunt, dicunturque Paſſagium facere: Sic & Chriſtiani nonnunquam armis ſumptis trans mare incedentes, atque in hoſtes fidei ex Apoſtolicæ ſedis iuſſione, proſilientes, & viſi & dicti ſunt Paſſagium habuiſſe. Nunquam tamen verum Paſſagium dici poteſt, niſi multorum fuerit populorum, qui migrare magis nouas ſedes quæſituri, quam bellaturi videantur. Qualis Gallorum, Cimbrorum, Hunnorum in Italiam inundatio fuit. Intelligunt iam omnes, niſi fallor, quid ſit Paſſagium quod petitur. Nunc petitionis cauſas exponamus, quas tres eſſe comperio: commiſerationem, utilitatem & honeſtatem Unde vero commiſeratio prodeat, paucis aduerte docebo. *Quis infirmatur*, inquit Apoſtolus, *& ego non infirmor?* pulchre, recte, religioſe, ſancte dictum. Nam cuius pectus adeo durum eſt, ut dolentibus non condoleat, gementibus non congemat, triſtantibus non contriſtetur? Cæſar quidem, poſtquam diſcretionis attigit annos, cœpitque noſcere fidei noſtræ ſacramenta, mox religionis induit Zelum rebus omnibus Diuini cultus præpoſuit augmentum. Sic enim & ſuæ naturæ bonitas, & ſanguinis nobilitas expoſcebat. Nam ſublimis Domus Auſtriæ Principes, inter quos plures Reges & Imperatores claruerunt, tunc ſibi proſpere ſuccedere ſperauerunt, cum diuino numini bene & conſtanter famulati fuiſſent. Quorum veſtigia ſectatus Fridericus, defunctis Parentibus, ut primum tutelam exiuit, admodum adoleſcens trans mare nauigauit, contemnensque pelagus & tempeſtatum minas digitis a morte remotus quatuor aut ſeptem, cupidus oſculari locum, ubi fuerunt pedes eius, qui nos redemit, medio terræ ſalutem operatus, Hieroſolymam perrexit, ſepulchrum Domini viſitauit, Caluariæ locum inſpexit, montem aſcendit Oliueti, vidit coenaculum grande ſtratum, & Pilati prætorium, intrauit deſertum, tranſiuit Jordanem, Bethleem acceſſit, & vallem Joſaphat penetrauit. Mirabilem ſibi ac incredibilem deuotionem, ſanctorum locorum uiſio ſuggerebat. At cum ſpurcidos illic Sarracenos, immundos, horridos, ſceleratos dominari videret, veniebat in mentem; tactus dolore cordis intrinſecus, nil aliud dicere potuit, quam Propheticum illud: *O DEus venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum ſanctum*

ctum tuum, poſuerunt Hieruſalem in pomorum cuſtodiam; & iterum ſicut alius Propheta clamat: *Quomodo ſedet ſola, Ciuitas plena populo facta eſt vidua, Domina gentium, Princeps Prouinciarum eſt ſub tributo.* Proh quantum urgebat angebatque Fridericum illius ſanctæ Ciuitatis indigna ſeruitus, & illorum, qui trans mare ſunt, Chriſtianorum oppreſſio? ſed quid Græcia? literarum mater, inuentrix legum, cultrix morum, atque omnium bonarum & optimarum artium magiſtra. Quem non miſereat illius gentis afflictæ, conculcatæ, peſſundatæ? cuius imperium non ſolum ſub Alexandro Macedone ſuisque ſucceſſoribus, ſed ſub Athenienſibus, Spartanis, olim florentiſſimum & potentiſſimum fuit, nunc vilibus effœminatisque Turcis cogitur obedire. Quid Regnum illud Hungariæ nobiliſſimum, terra antiqua potens armis atque ubere glebæ? Heu quanta paſſi ſunt Hungari diebus noſtris, qui dum noſtrum ſeruant ſanguinem, fundunt ſuum, quorum pectora noſtri ſunt muri? Obligamur certe omnes Chriſtiani Magnatibus & populis Vngariæ, qui pro nobis mortificantur tota die & facti ſunt ſicut oues occiſionis. Ecce tibi præſentem illorum Regem puellum, pupillum, orphanum, Ladislaum; clariſſimam & Regum & Imperatorum ſobolem; qui dum ſuo regno ſuisque opem orat afferri, toti Chriſtianiſmo conſulit. Utinam tam tuam ſanctitatem quam Cæſaris Maieſtatem ſuæ lacrymæ moueant! Nam illi genti poſtulat auxilium quæ ſuis armis nobis omnibus affert præſidium. Accidit & alia calamitas Prouinciarum. Maſſagetæ, & alii Scytharum quam plures populi, nunc Liuoniam nunc Lituaniam vexant. Mauri non paruum Hiſpaniarum occupant regnum, Jonii, Carphatii, Ægyptii noſtrique maris Inſulas. Cyprum, Rhodum, Cretam, Siciliam. Quin & ipſa Italiæ littora Barbarorum ſæpe claſſes inuadunt, aſportantque Chriſtianos. O noſtram maximam negligentiam! O tempora! O mores! proh pudor! maior eſt Sarracenorum in ſua perfidia, quam noſter in fide Zelus. Dum gentiles fuerunt Cæſares, Idolorum cultores, augebatur in dies credentium numerus: nunc dum Chriſtiani ſunt Imperatores, Reges, Duces, Chriſti cultus, qui totum fere orbem oppleuerat, in angulum Europæ redactus eſt. Africam & Aſiam amiſimus, Europæ vix partem tenemus. Mouetur ſupet his Cæſar, compatitur afflictis fratribus, commiſeretur iniuriam patientium, cupit laborantibus ſubuenire. Nam qui non defendit indigna ferentes neque obſiſtit, ſi poteſt iniuriæ, tam eſt in vitio ſicut Philoſophis placet, quam ſi parentes aut amicos aut patriam deſerat. Quod ne ſibi, neue tibi, quisquam imputet, Paſſaginm petitur. Sed accipe nunc utilitatem, quam parere paſſagium poterit. Subuenicmus laborantibus Hungaris; aufferemus iugum ſeruitutis ex collo Græcorum; recuperabimus ſanctam terram, exterminabimus idolum, monſtrum illud peſſimum, horrendum, ingens Mahumeti; & Chriſtianæ religioniş fines ſuper & Garamantes & Indos proferemus. Jacet extra ſidera tellus, extra anni ſolisque uias, vbi cœlifer Atlas axem humero premit ſtellis ardentibus aptum! En magnam utilitatem! nam ſic agentes, aut agere temptantes, incorruptibilem cœleſtis Regni coronam adipiſcemur; quem teddet nobis in illam diem iuſtus iudex. Sed quid de honeſtate gloriaque dicemus, quam vel tuæ beatitudini vel Cæſaris altitudini accumulaturum cernimus eſſe paſſagium? bellorum æquitatem maiores noſtri ſanctiſſime ſeciali iure perſcripſerant, denunciata indictaque bella iuſta eſſe cenſebant. In quibus qui uiriliter pugnaviſſent, non vincentes modo ſed occumbentes quoque dignos honore glorioſosque iudicabant, atque his ſtatuas dicabant & triumphales arcus. Quid nos de hoc bello dicemus? quod non terrenus ſed cœleſtis Imperator indicit; in quo non Pomœrii ſed fidei propagatio quæritur; in quo non patetna domus, ſed fides Catholica defenditur, & honor Saluatoris noſtri, qui cum in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem DEO: ſed ſemet ipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, ut nos ex Diabolica ſeruitute redimeret. En glorioſum atque honeſtiſſimum bellum, quod tanti beneficii memores ſuſceperimus, in quo Redemptoris noſtri, in quo magni DEI cauſam tuebimur,

bimur, in quo qui uitam temporalem amittet, acquiret æternam, & famam clarumque nomen adipiſcetur ſempiternum. Ac tantum de ſecunda parte ſit dictum, in qua, cur paſſagium quæreretur, monſtrandum fuit. Supererat nunc de poſſibilitate congregandi paſſagii, deque ſpe fructus dicere. Plurimi ſunt, beatiſſime Pater, qui cum nominari paſſagium audiunt, ecce vetus ſomnium, inquiunt, vetus deliramentum, veteres atque inanes fabulas. At Vrbanus anteceſſor tuus, cum vexaretur a Paganis Orientalis Eccleſia, Sarracenique terram ſanctam inuaſiſſent, motus Alexii, qui Conſtantinopolim tenebat, precibus & aliorum Chriſtianorum, qui ſub tributo Turcorum vitam agebant, rogatibus, excitatus, graui & laborioſo itinere in Galliam profectus, maximum exercitum comparauit, quibus nullæ Sarracenorum copiæ, nullæ vires obſiſtere potuerunt, quin & Antiochiam expugnarent & Hieroſolymam obtinerent. Vnde adhuc & Vrbani qui conuocauit Paſſagium, & Gothfridi, qui duxit, illuſtre nomen habetur: quamuis quinquaginta & trecenti ab illo tempore fluxerint anni. Quid tua ſanctitas faciat, quo pro ſimilibus ac maioribus cauſis verus Imperator totaque Chriſtianitas orat Paſſagium convocare? Penſandum eſt, inquies, an hodie Spes bona ſit habendi Paſſagii: quia nemo ſciens, impoſſibilia temptat, neque aggreditur quisquam quod aſſequi deſperat. Magnum facinus Spes enutrit. Sunt ergo duo conſideranda, ſanctiſſime Pater: unum, an Chriſtiani facile in Paſſagium trahi poſſint; Alterum an coacto Paſſagio Spes ſit magna vincendi. Nam quamuis dubius eſt omnium bellorum eventus, nunquam committendum eſt prælium ſine ſpe quadam & argumento victoriæ. Ne, ſicut Auguſti Prouerbium, aureo piſcantes hamo videamur; quorum damni maior quam lucri ratio poſſit haberi. Difficile quippe primum videtur, Chriſtianos, qui ſunt inter ſe diſcordantes, apertisque flagrant odiis, in unam Paſſagii ducere ſententiam. Verum quod multi putant obſtare Paſſagio, Sapientia Cæſaris conducere iudicat. Namque ſi Pax Chriſtianos haberet, incaſſum quietos Principes atque otio torpentes populos excitaremus; neque utiles bello manus inuenirentur; horrerent inertes ferrum, neque ſignum neque tubam ferre valerent. At nunc exercitati bellis populi ultro ſeſe offerrent, facilius ex bello vocatur in bellum miles, quam ex otio. Bonum eſt viro, ſicut Propheta teſtatur, qui portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Quis Chriſtianorum eſt, poſtquam pugnare oportet, qui non potius in hoſtes, quam in domeſticos fidei gladium ſtriget? placebit omnibus, arma in Turcos vertere, patriam ut quietam relinquant. Et fortaſſe unica pacandi Chriſtianos via eſt, paſſagii conuocatio. Martiales enim & feroces Europæ populi, neſcientes quieſcere, niſi aduerſus exteros prælientur, in ſeſe ruunt. Qua ratione ductus olim vir Senatorius quidam, excidi Kartaginem prohibebat; ne pacem habentes in circuitu Romani, manus in ſe verterent: ſicut Reges Iſrael feciſſe conſtat, qui victis hoſtibus mutuis cecidere vulneribus. Pacem ergo ut habeant Chriſtiani, bellum eſt in exteros transferendum. Ad quam rem neque Germanorum illuſtris animus, neque eor nobile Gallorum, neque ſublimis mens Hiſpanorum, neque gloriæ cupidus Italorum Spiritus deerit. Omnes, quod tua videbit ſanctitas, corde magno & animo volenti ſuſcipient. Quis dubitet, cogi poſſe paſſagium, quod Romani Pontificis auctoritate decretum, & Imperatoris voluntate fuerit ordinatum. Sed dicit fortaſſe quispiam, quod Bractius olim, quamuis hoſtis Eccleſiæ tamen alioquin homo ſenſatus, frequenti ſermone uſurpare ſolebat: *Qui bellum gerat, tribus potiſſime rebus indigere & has tres unam eſſe pecuniam.* Vnde igitur aurum corrademus, ad tantum & tam remotum bellum neceſſarium? Sunt in promptu modi, Præſul maxime, quibus inueniri pecunia poterit, ſumptusque neceſſarii miniſtrari. Sed hos vulgare modo non eſt ex uſu. Illud tamen dicere poſſum, Ciuitates, quæ propter perpetuo bello fatigantur, libenter Paſſagio contribuent, ut pacis tandem compotes fiant. Non eſt igitur deſperata res paſſagii conuocatio nec rurſus ſpes magna victoriæ deerit. Nouit Imperatoria ſublimitas, Aſſyriorum, Turcorum, Ægyptiorumque gentes imbelles, inermes, viles, effœminatæ-

minatæque ſunt, neque animo neque conſilio martiali. Quis aut tunicatos mitratosque Turcos, aut braccatos Ægyptios timeat? quos Rapſaces ad Ezechiam Regem loquens baculo arundineo confractoque comparauit. Sarmatica erunt ſpolia ſine ſudore & ſanguine. Multa notauit Cæſarea Maieſtas, cum transmarinas partes luſtraret, quæ ſpem certiſſimam victoriæ præbent, ſuoque tempore patefient. Nec moueri debemus, quia noſtri nonnunquam exercitus ab illis victi deletique ſunt. Nam neque viribus eorum, neque rei militaris peritia, ſed noſtris peccatis aſcribendum eſt. Quod ſi emandati fuerimus, rectaque mente Chriſti cauſam defenſuri bellum ſuſceperimus, nihil de victoria fuerit hæſitandum: quia non relinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum. Juvabunt & nos tum diuiſiones illorum, tum odia, quæ cum Tartaris habent aſſiduaque certamina: iuuabit & gentis illius deſperatio. Nam Mahumetum, cui maxime credunt, ſectam ſuam in Octingentos usque annos augendam, exinde minuendam, aſtruunt prophetaſſe. Is autem ſub Eraclio Cæſare malignari occepit, poſt quem ſupputantur anni quadraginta & octingenti. Quæ res terrorem non parvum Turcis, ſpem Chriſtianis adiicit, nam etſi pſeudopropheta Mahumetus eſt, non tamen falſum vaticinium dici poteſt, quod ſacris Hieremiæ ſermonibus quadrare videmus. Hieremias enim primo & quinquageſimo capitulo, quaſi tuam ſanctitatem & Cæſaris Maieſtatem aduerſus Mahumetum ſuſcipere bellum hortatur; *Nolite, tacere* inquit, *ſuper iniquitatem eius: quoniam tempus ultionis eſt Domino: vicißitudinem ipſe tribuit ei.* Poſſemus ad hanc rem plura deducere: ſed neque doctiſſimis tuis auribus, neque præclaris ſapientiſſimisque patribus, qui aſſident, quique aſtant, donanda ſunt verba. Satis eſt nobis abſoluiſſe, quæ promiſimus, & quæ Cæſarea ſublimitas mandauerat, expoſuiſſe. Intellexiſti deſiderium ſuum, ſanctum propoſitum, integram mentem. Verum quamuis examen Imperatorium ſic de Paſſagio ſentiat, totum tamen & conſilio & iudicio tuo relinquitur, qui ligandi ſolvendique claues accepiſti, qui Petri & Pauli locum tenes iam cum Chriſto regnantium; cuius eſt inter ſanguinem & ſanguinem, inter cauſam & cauſam, inter lepram & lepram iudicare. Cæſar cum eſſet, hac vice apud tuam Beatitudinem, noluit hanc rem intactam relinquere; quæ ſibi adhuc in minoribus conſtituto atque ab ineunte adoleſcentia ſemper cordi curæque fuit. Alius fortaſſe vel Generale Concilium, vel Reformationis decreta petiuiſſet, ſed quod maius Concilium poteſt, quam tuæ Sanctitatis tuique ſancti Senatus præſentia: fruſtra Concilium petit, qui Romani Pontificis mandata, non recipit. Vbi tua ſanctitas eſt ibi Concilium, ibi Reges, ibi mores, ibi decreta ſalubrisque Reformatio. Cæſari ſuſceptis Imperialibus inſulis, tuaque ſacra manu coronata, nihil hoc tempore viſum eſt antiquius, quam de Paſſagio, tecum agere. Quod ſi fortaſſe prima fronte videtur arduum, nihil eſt tam difficile, quod quærendo non fiat facile. Aſperis in rebus, & vir noſcitur, & gloria quæritur. Quæ magno animo fortiter excellenterque geruntur, niſi quodammodo pleniori bucca laudare ſolemus? difficiles aditus virtus appetit. Clari & illuſtres ſunt tituli tui, glorioſiſſime Præſul; qui unionem feceris, Jubilæum indulſeris, Cæſarem coronaveris. Paſſagii tamen titulus, & dignior & diuturnior omnibus erit. Quem ne Succeſſori relinquas & Cæſarea pietas ſuadet, & omnis Chriſtianitas orat. Nam tibi iam coronato Cæſare, quamvis multa incumbant magna & alta negotia, nihil tamen eſt, de quo vel utilius agere vel glorioſius, quam de Paſſagio, valeas. Amen.

V.

THADEI QVIRINI, PATRICII VENETI, AD FRIDERICVM III. ROM. IMP. NOMINE SUÆ REIPUBLICÆ, ORATIO GRATULATORIA. p. 28.

CVM multa ſint, glorioſiſſime Cæſar Auguſte, quæ ab immortali DEo noſtra Reſp. ſummis aſſiduiſque precibus ac votis ſibi dari optaſſet, nihil profectò maius.

maius, nihil optabilius ei contingere posse existimauit, nihil ardentius expetiuit,
p. 29. quàm vt tu & Augustissima Imperatrix vxor tua eam inuiseretis, & vestri nominis splendore ornare ac illustrare dignaremini. Dici enim non potest, quantopere non modò senatus ipse ac Princeps, sed omnis sexus, omnes ordines vos intueri, suscipere, cum cultu & obseruantia prosequi concupiscat, vt ad declarandam animi lætitiam non satis vultus, non oculi, non notæ sufficiant vites. Nam cum suapte natura nostra Resp. omne hominum genus, tum imprimis Principes & Reges munificentia, humanitate & amore prosequuta sit; vos qui principum principes & Christiani nominis splendor estis, quibus honoribus, quibus lætitiæ signis, quibus humanitatis & munificentiæ modis prosequetur, complectetur, extollet? Quod cum ita sit, serenissime Imperator, quo gaudio, qua lætitia aduentum hunc vestrum expectasse nos existimatis? qui honores, quæ dona, quæ munera Principum, Regum, populorum cum hoc nostro studio comparari possunt? Nam si superioribus temporibus, prima illa tua ætate (quod meminisse debes) libentissimè te vidimus, cum in Syriam euntem omni indulgentia & honore prosequuti sumus; quo studio videndi tui ciuitatem flagrare existimas, cum eundem te insignibus Imperii ornatum ac condecoratum, & tanta affinitate auctum, Principem Christianæ religionis, ac defensorem huius nostræ ciuitatis à stirpe antiquissima amicissimum, non solum visura, sed etiam acceptura sit. Sed cum omnibus de causis nostra ciuitas meritò exultet, ac lætitia diffluat, (auidè enim, quæ summa sunt, ab omnibus expectantur: nihil autem maius humanis in rebus tua Maiestate omnes existimant?) tum verò nulla te tantopore commouetur ac studio tui incenditur, quam quod summam tuam ergo Remp. nostram voluntatem ac propensissimum studium recognoscit. Vidit enim ac intelligit, inuictissime Cæsar, te cætera Italiæ loca, vrbes, regiones necessariò accessisse; in hanc tantum Vrbem studiosè ac libenter diuertisse: & cum alia via in patriam redire posses, indignum vetere necessitudine & antiquissima amicitia existimasse, conspectus ac regiæ Maiestatis tuæ fructum, quem libenter omnibus impartisses, illis potissimum denegare, qui laudis, decoris, honoris, gloriæ, magnitudinis, amplitudinis, maiestatis tuæ cupidi fautores semper extitissent. Quod quidem tuum erga Remp. nostram studium, animum, voluntatem quanti eum ab omnibus, tum verò à Senatu atque ipso Principe fieri putas? DEum quendam mihi crede è cœlo hodie delapsum & ad se demissum nostra Resp. arbitratur. Quid quod augustissimam vxorem tuam, quam tecum per ea quæ adieras Italiæ loca semper duxisti, separatim ad nos præmittere studuisti. Quod illud & quantum amoris, fidei erga nos signum? Maiorum tuorum constantiæ, beneuolentiæ, fidei erga hanc Remp. permulta monumentis atque animis nostris signa & documenta reposita & consignata habemus: sed hoc certè maximum, quo cætera confirmata sunt, quod quos principes tui in Italiam aduentus exceptores habuisti, eosdem gloriæ, splendoris, ornamentorum tuorum, & consummatæ felicitatis spectatores, & congratulatores postremos esse voluisti. Huius igitur communis gaudii & publicæ lætitiæ nuntii ex senatorum numero xx. ad Imperatoriam Maiestatem tuam præmissi sumus, tibique & fortunæ ac serenitati tuæ non solum pro confirmato & aucto Imperio publicè congratulamur, sed omni laude prosequendum putamus. Quod enim seculum, quæ posteritas non celebrabit, non recordabitur Fridericum tertium Imperatorem maximum ita in Italiam descendisse, vt cum omnis Italia discordia & bello flagraret, adeo tranquillè, adeo quietè atque amice ab omnibus populis, Principibus, Regibus acceptaretur, vt non Rex externæ gentis ac nationis, sed eiusdem regionis dominus, & quodammodo communis quidam omnium gubernator ac rector charus acceptusque venisse videretur? Atque hoc non eò dico, quod non ita fieri debuerit (nam Imperium Romanum tuum est, aut quorum maiores tui, aut tu esse voluisti) sed quod rarò superioribus temporibus, memoria certè nostra & parentum nostrorum nunquam accidit. Nam ceteri Reges cum in Italiam venissent exercitu adducto aut quasi hostes

ſtes eam diripuerunt atque incenderunt, aut diſcordia flagrantibus rebus eum alteri parti ſe adiunxiſſent, ſeditionem potius in Italiam attuliſſe quàm communi otio & Imperii ſaluti conſuluiſſe viderentur. Quod cum abs te ſecus factum ſit, ſereniſſime Imperator, quis vel non ſapientiam tuam laudabit, vel fortunam admirabitur? Equidem ſic cenſeo, atque adeo cenſent ciuitatis noſtræ Principes religionis tuæ conſcii & prædicatores, factum hoc ſuiſſe diuinitus, vt qui tantam animi pietatem ab initio ætatis præ te tuliſſes, qui religionis ſtudio curſus ac nauigationis periculum, tot diſcrimina hominum locorumque ſponte excepiſſes, ei potiſſimum Imperio præficere, quod nominis Chriſtiani ſalutem ac magnitudinem, cultum, religionemque tueretur: & cum tranquillè ac leuiter nomen tuum conſtituiſſes, tum ſi quid rerum humanarum vitio, aut temporis veruſtate prolapſum eſſet, quietè ac ſine vllo belli ſtrepitu, Chriſtianeque (vt ita dicam) reſtitueres. Nihil enim Chriſtianum non modo Imperatorem, ſed hominem magis decet, quam huma- p. 30.
nitas, lenitas, elementia, pietas, fides, caritas: quæ omnia quum ita in te eluceant, vt à natura inſita atque innata eſſe videantur, quis te, niſi fortè inuidus & obtrectator, ſummis laudibus non efferat? quis non admiretur? Quis (ſi fieri poſſet) non modo perpetuo videre, ſed in Italia retinere cupiat otii, quietis, tranquillitatis ſtudioſiſſimum, improborum, irreligioſorum, ſeditioſorum inimicum? Nos vero non ſolum te laudamus, ſed vehementius admiramur, nec hoc fortunæ tuæ tribuimus, ſed diuinæ prouidentiæ aſſignamus, quæ talem te eſſe voluit, ita inſtituit, eum delegit, qui & communi Chriſtianorum ſaluti & decori conſulere, & eius honorem ac cultum tueri ac conſeruare velles ac poſſes. Sed ne multus ſim atque aliquando concludam, ſacratiſſime Imperator, ita tibi perſuadeto, quod ab initio dixi, lætum ac fauſtum hunc diem huic ciuitati illuxiſſe, quo te ab omnibus infimis, mediocribus, ſummis ſic celebrari, ſic videri, ſic accipi cernes, vt non aliàs te vidiſſe, ſed DEum quendam in Vrbem noſtram acceſſiſſe putent, atque omnes ita iudicent, te cum cæteras Italiæ ciuitates libenter adieris, huic vni poriſſimum ac maximè indulſiſſe, quam duplici lætitiæ genere aſſicere volueris, & auguſtiſſimo vxoris aduentu, qui nobis optatiſſimus eſt, & tuo. Veni igitur, ſereniſſime Imperator, læto animo in eam Vrbem, quæ etſi amplitudinem tuam capere vix poteſt, ac certe voluntate complecti poteſt. Vbi ſi quid deſideraueris, ſi non omnia quæ Maieſtas tua meretur, ſuppeditata eſſe videbuntur; id non voluntati, ſed imbecillitati noſtræ aſſignabis. Omnia certe quæ noſtra ſunt, ſumma, parua, mediocria, tua eſſe volumus: hæc tibi publice offerimus, atque omnia deferimus. Vnum illud certè perſuaſum tibi eſſe volumus, quod minimè dubitamus, cæteris rebus fortaſſe ab aliis non potuiſſe vinci, ſtudio certè erga te, animo, voluntate, non modò cæteris non ceſſiſſe, ſed cum tuis etiam contendiſſe.

VI.

ALIA ORATIO, PRO VICARIO CREMONÆ N. AD EUNDEM IMP. FRIDERICUM ADVENTANTEM HABITA, PENES LAURETUM, XIII. KAL. JUN. M CCCC LII.

SVMMAM Deam atque virginem Mariam, ex qua Chriſtus mirificè natus eſt, * ab his opem expoſtulo, fer opem ſumme rerum, ſauete ſuperi reliqui, vt quæ mente concepi, dicturus ad ſummum terrarum Principem, gratè poſſim in hac corona exprimere. Tuque Cæſar annue, & benigna fronte exhibe te nobis, vt quod rei magnitudine effiecre non confido, inſtante tua benignitate ac clementia audeam. Dicam ergo, clementiæ tuæ iudicio conſeruati ſumus, enarrabo etiam elementiam tuam ac virtutes, quæ te ad tantam altitudinem euexere: ſubinde perditionem ac ſchiſma fermè totius populi Chriſtiani, à quibus ſubtraxiſti & conſeruaſti nos: Demum ſingularem tuam victoriam. Dabo tibi præterea verbis eius honorem hunc quem flexum vides, pro quo ſiquidem iuſſus ad te oro. Cuius quanta

quanta ſit virtus ac præſtantia, cum tamen ex pleriſque aliis illud intueri liceat, tu tamen perpalam omnibus id notum feciſti, exornans virum pulcherrima dignitate Marchionatus, atque comitatus, vicarium tuum præterea vrbi præclariſſimæ Cremonæ præficiens, luce tamen clarius me veriſſima loqui apparebit. Et has quidem laudes tuas oro, vt ita grato atque beneuolo animo excipias, quemadmodum pure ego offero. Gratias ago præterea immortali DEo & ſummo, quod datum ſit mihi hiſce oculis te intueri poſſe, quem mentis acie millies conſpicatus ſum. Quanquam enim etſi oblectat me Principem videre, vt tu es, & membris formoſiſſimum, proceritatis Heroicæ, gratiſſimi coloris, pugnacitate ac robore ſingulari, oblectat me tamen vltra modum contemplari ac prædicare laudes tuas. Prætereo admirationem diuitiarum tuarum; ac regiones, quæ multæ atque ampliſſimæ ſunt, taceo. Attingam ea duntaxat quæ viris optimis ac diuinis conueniunt, quæ nunquam mortales deſerunt, vel poſt mortem quoque. Solæ igitur virtutes atque animi poſſeſſiones, quæ ſunt, vetè & inſigniter ditant homines; quemadmodum ſunt religio & Deorum cultus, iuſtitia, fortitudo, temperantia, liberalitas, clementia, prudentia, caritas, & talia animorum munera. Primùm verò quantum mortalibus præſtes fide ac religione, cottidie licet intueri, qui te audimus in cunctis operibus tuis DEum anteponere, ſuffragiiſque accerſere ea quæ tandem prodire ex te opera videmus, vt cum humanis viribus maximè grata ſint, tum & diuinis maximè conſentiant. Siue fidem quæ eſt rerum ſperandarum credulitas, quaſi ſequela veritatis, & fiendarum conſtantia. Nam & religionem tuam & cot piiſſimum cum ex multis præclariſſimis indiciis, tum ex eo intueri licet, quod in ſacro pectore tuo ſæpe infixum geſtas. Sunt profectò ſigna illa hæc lucu-
p. 31. lentiſſima optimæ mentis tuæ, tuique humaniſſimi cordis ac ſanctiſſimi. Juſtitia autem quantum polleas, abſque caligine videmus, cum iuſtitia ſit conſtans * tu non ſolum id perpetuò cupis atque vis, imo & opere exequeris, continuò afflictos ſubleuando, colligendo diſperſos, ſpoliatos reſtituendo, pulſosque iniuria ad lares proprios reducendo. Quem ſanè te non vt virum ex terris profectum, ſed vt * lapſum de cœlis intuemur. Temperans verò quantum ſis, & caſtitas tua, & vitæ moderatio, abſtinentiaque à rebus & iuribus alienis, maximo documento orbi terrarum eſt. Quid dicam de fortitudine non corpotis verum animi, quo in animo præclariſſima illa virtus reſidet. Nunquam fuit te quiſquam infractior aut validior, honorem atque veram gloriam ſpretis reliquis ſemper anteponens. Docuit id permaximè dimicatio olim quædam cum Teucris habita, in qua etſi aliquorum petulantia ac ſuperbia (quos nunc taceo) qui aduenerant præſidio, multa corpora tuorum deuicta fuerint, tu tamen inuicti animi extitiſti, vt victores ipſo bello ſuperaueris. Quis enim famis & ſitis, cum eſt opus, tolerantior te vbilibi reperiri poteſt? Quis gelu pari animo te magis exuperat? & humi iacere ſcis, ac loricatus dormire, montes ſuperare, Marti te opponere, ac dura tandem quæque diuincere. O quàm dignè ac Cæſariè! honos enim ipſe & vera laus vtcunque rebus caris anteponendus eſt! De liberalitate autem tua ac munificentia, plenus eſt terrarum orbis, pleniſſimi mortales. Nihil in pectore illo ſacro malæ cupiditatis eſt. Cupis enim (vt par eſt, ac Cæſare inuicto dignum) non nummis, ſed poſſidentibus nummos imperare; non auri pompa, ſed virtutis cuſpide hoſtes terrefacere ac deuincere. Caritate vero ita in Chriſtum ardes, vt non publicam ac ſupetbientem perſonam, ſed priuatam atque humaniſſimam ſuo loco videamus. Quam autem clementiam tuam dicemus, qua te cunctos præſtare mortales, & qui ſint, & qui fuerint, & qui dici aut imaginari poſſint, clariſſima luce conſpicamur. Si enim intacto honore tuo potes, nullo infeſtiore telo ad vltiones vtetis quàm clementia; ignoſcens cunctis offenſoribus, admonitionis Senecæ perdoctiſſimus; *Maximum vindictæ genus eſſe poſſe parcere.* Prudentia verò tibi in cæteris rebus ac virtutibus vteris, vt nihil exeat de te, cuius probabilis non poſſit reddi ratio. Hæc ſunt diuina tua opera; hæc tuæ inuictæ atque benigniſſimæ mentis diuitiæ, quibus ab religioſiſſimis atque illuſtriſſimis diuinæque prudentiæ viris ſacri Romanorum

Imperii collectoribus magno omnium concenſu ac diſcrepante nemine (inauditum iam multis ſeculis) Mundi gubernator & Romanorum Rex promptiſſime dictus & declaratus es. Conſiderant hi ſe veriſſime ad te poſſe dicere, quod ait ſupremus Poëtarum ex Latinis ad Octauianum?

Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem:
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Tunc exiſtimo * ante noſtris temporibus plurifariam calamitatem, ſchiſma, & totius Chriſtianitatis ſciſſuram ac diuiſionem, quibus, infirmitatibus medicamina illa, quæ veri Principis diximus, magna acclamantibus voce tu peropportunè vndiquaque illa compares. Opus erat pace illam expoſtulantibus tu illa dignis quibuſcunque tribuis. Opus veniâ multis peccantibus & noxiis. Tu pœnitentibus & aberratis diſcedentibus affluenter donas. Opus erat aſperiori correctione, & virga ferrea graſſatoribus ac ſuperbis pertinacibus. Tu, ſi pœnitere nolint, potentiſſimè ac victorioſiſſimè debellaſti. O ſingularem victoriam ac ſanctiſſimam! Ipſam Victoriam vincere eſt, ſe ipſum vincere, atque ea illa agere quæ victores communiter non efficiunt, neque ſciunt efficere. Solent namque inſolentia quadam & elatione nimia de victoria aut ſæuire, & ſæpe inſanire, aut acrius ſanguinem contrectare, recordarique vehementius iniurias. Tu autem nihil minus: humanior ac benignior victorioſus, quàm victi reliqui. Omni itaque præclariſſima regnandi arte non ſolùm doctus, ſed doctor admirabilis atque abundantiſſimus valde es, & ita reputatus, ſumma de te præſtans omnia. Æquum enim eſt, qui ſibi omnia deberi volunt, debere & ea ſumma omnia de ſe præſtare. Nec vlla eſt certior aut ſtabilior regnandi ratio, quàm ſi qui regna obtinent, ab omnibus digniſſimi omni regno iudicentur. Audi Rex clementiſſime Xenophontem in quodam eius opere dicentem: *Dita amicos; te ipſum ditabis. Auge ciuitatem* (id eſt, Imperium) *tibi enim ipſi comparabis potentiam. Quære illi amicos atque ſocios, puta ciuitatem quidem propriam domum, ciues verò propinquos, amicos autem filios, filios velut propriam animam: & hoc omnes vincere conaberis officio. Si enim amicos complectere, nihil tibi inimici obeſſe poſſunt. Quæ omnia ſi tu feceris, cunctarum quæ in humana ſunt vita, pulcherrimam ac beatiſſimam rem poſſidebis. Felix enim cùm ſis, nemo tibi inuidebit.* Hæc ille. Tibi igitur omnium virtutum perpolito, tibi iuſtitiæ pleno, temperantiæ, fortitudinis, prudentiæ, religionis, ac ſimilium, tibi omnium bonarum artium regnandi refertiſſimo, tibi & pacis, & p. 32.
belli, & ignoſcentiæ potentiſſimo, tibi victorioſiſſimo ſingulari, ex qua * inuictiſſimo, tibi Sigiſmundo, tibi ſublatori tandem omnium malorum noſtri ſeculi, vna cum Virgilio verbis Anchiſiadæ ita aio: Æn. 1.

Dii tibi, ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid,
Vſquam iuſtitiæ eſt, & mens tibi conſcia recti,
Præmia digna ferant. Quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt conuexa, polus dum ſidera paſcet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

Quibus ex omnibus id tandem plus quàm ſatis intueri licet atque intelligere, quod tuæ antea propoſui Maieſtati. Demum clementiæ tuæ iudicio quod ſeruati ſumus. Rectè igitur vnus inuictus es à quo & victoriæ ipſius conditio visque deuicta eſt.

Reſtat nunc tuæ offerre Maieſtati (quod tamen tuum, & diu etiam valde eſt) Heroem hunc cuius verbo ad te gratias acturus ſum, ſuæ nouæ dignitatis ob clementiam tuam atque abundantem gratiam; Quem quidem etſi non multum oratione mea in præſentiarum tibi collaudabo, collaudabit maximè id tamen, quòd tibi carus, & honoratus & acceptus ſit. Non poteſt namque non illuſtris eſſe, qui ab illuſtribus clarus habetur, cuiuſque præterea antiquam gentilitatem & à Romano priſco ortum ſanguine paucis edocebo. Conſtat enim ex Chronicis T. Liuii, vrbem Cremonam

monam coloniam fuiſſe Romanorum. Ex quibus ſatis intueri liquet, & non leuibus quidem coniecturis, hunc præſentem Romanæ & antiquæ familiæ fuiſſe. Verum liquet ex alio capite id luculentius conſpicari, quoniam non niſi acta Romana atque magnificentiſſima ab hoc exeunt. Non credit hic gratias poſſe ad te referre tot tuis in ſe gratiis, totque beneficiis. Non confidit enim, non dicam remunerare, ſed ne numerare quidem tua in ſe vberrima atque ampliſſima beneficia. Orat igitur multum & ſumma prece, vt ſummus ille DEus qui in cœlis eſt, ac potentiſſimus retributor, ſua in te oſtendat de his rebus munera. Ipſe autem quæ poteſt offert, Vrbem videlicet, quam tuo gubernat imperio, ſe, ciues, mœnia, rura, caſtella, amicos, clientes, natos & omnem animam. Pro equidem vltimo ita iuſſus ad te dico, quod Volſcorum oratores in deditione vrbis ad Romanos, mira Camilli probitate ac iuſtitia: *Mittite qui arma, qui obſides, qui vrbem patentibus portis accipiant. Nec vos fidei noſtræ, nec nos imperii veſtri pœnitebit.*

VII.

P. 33. ΜΙΧΑΗΛΟΥ ΑΠΟΣΤΟΛΙΟΥ ΤΟΥ ΒΥΖΑΝΤΙΟΥ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΕΥΣΕΒΕΣΤΑΤΟΝ ΚΑΙ ΓΑΛΗΝΟΤΑΤΟΝ ΒΑΣΙΛΕΑ ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΙ ΠΑΝΤΩΝ ΧΡΙΣΙΑΝΩΝ ΚΥΡΙΟΝ, ΚΥΡΙΟΝ ΦΡΙΔΕΡΙΚΟΝ, ΛΟΓΟΣ ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑΤΙΚΟΣ, ΑΙΤΗΣΕΙ ΑΡΙΣΩΝΥΜΟΥ ΤΟΥ ΒΥΖΑΝΤΙΟΥ.

MICHAELIS APOSTOLII BYZANTINI ORATIO acclamatoria, ad Religioſiſſimum & Sereniſſimum Romanorum Imperatorem, & omnium Chriſtianorum Dominum, Dn. FRIDERICVM III. *rogata Ariſtonymi Byzantini.*

ΕΔΕΙ τὸν ἐπιβαλλόμενον, γαληνότατε βασιλεῦ, ἐχ ὅπως πάνθ' ὑμνήσας τὰ σὰ γενναῖα καὶ φανότατ' ἀνδραγαθήματα, ἀλλ' ἔν γέ τι καὶ ὁτιοῦν τῶν σαυτοῦ, τῶν τε ἄλλων ἥσσον ὑπάρχον κατὰ ἀξίωσιν, εἶναι μετὰ ἄξιος τὴν φιλοσοφίαν, Ἀριστοτέλην, ἢ Πλάτωνα τὴ ῥητορίᾳ δ' αὖ πάλιν, Ἰσαῖον, ἢ Δημοσθένην. Στιπτὸν δὲ ἢ Ὅμηρον κἂ ποίησιν. μόλις δ' ἂν ἅπως ἀφικέσθαι τῷ προσήκοντος δυνηθείη. ἐμοὶ δ' ὀλίγῳ πρόσθεν γευσαμένῳ φιλοσοφίας, καὶ μήτ' ἐν ποιήσει μήτ' ἐν ῥητορικῇ τοῖς θεραπαινίσιν αὐτῆς ἐγχρονίσαντι, διά τε τὴν ἀπειρεσίαν ἄλωσιν τῆς πατρίδος, καὶ τὰς μὴ αὐτὴν ξυμπεσούσας, τίς ἂν δήπου ἀξιώσεις χρώτο; ἢ τίς οὐκ ἂν δικαίως γελοιοδῆσαιτο βλέποντι προσλαλῆσαι τοιοῦτον βασιλέα, οὐκ ἄθεσι λαβόντα τὰς τῆς βασιλείας ἡνίας. καὶ ταῦθ' ἅτω φύσεως τῶν ἀνθρώπων ἐχόντων, ὀξυδορκεῖν μὲ πρὸς τοῖς καὶ ὁτιοῦν ἐπτακότας, πρὸς δὲ τοῖς σπουδαῖόν τι κατορθωκότας ἀμβλυωπεῖν τό, τε μὴ ἀγαθὸν κρύπτειν, τό, τε δὲ φαῦλον ἀνακηρύττειν. ἀλλ' ἐπείπερ μὲ οἰκόνας ἄλλας πολλάς τε καὶ ἀγαθὰς ὑπερκειμένας καὶ ὑφειμένας, μανθάνομεν καὶ τὸ πάντων τῶν ὄντων ὑπερεπέκεινα θεῖον, τὸ ἔντε καὶ αὐτὸ ἂν, τὸ ὄντε καὶ αὐτὸ ὄν, ταῖς παρ' ἡμῶν εὐλογίαις ἢ δυσφημίαις, εὖτε καὶ ἄλλως ὅς φασὶ λιθοτίθεσθαι, ἧπου καὶ σοὶ θειότατε βασιλεῦ, προσιτέον ἂν εἴη τὸ παρ' ἡμῶν ἐφύμνιον καὶ λογύδριον. ἐχ ὅσον ἀφ' ἑαυτῶν κινουμένων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ θεράποντος εἰκείου τῷ κράτους τῆς βασιλείας σου, ἀνδρὸς Βυζαντίου, υἱέως πατρὸς, εὖτε χρώς καὶ πλούτου καὶ φρονήσεως ἔχοντος, πρώτου μοι τῶν φίλων τῷ καταλόγου, γνωρίμου τοῖς ἄρχουσι καὶ σπουδαίοις, τοῦ κηρυκος τῶν σῶν

OPORTEBAT eum, qui tua, Sereniſſime Imperator, non quidem omnia illa generoſa & illuſtria facinora, ſed vnum tantum, idque cæterorum comparatione minimum celebrare aggreditur, exoptare ſibi Philoſophicum quidem acumen Ariſtotelis, aut Platonis, dicendi vero facultatem Iſæi aut Demoſthenis, vim denique poeticam Steſichoti aut Homeri: Et ne ita quidem facile poſſit id, quod conueniebat; conſequi. Mihi vero qui vix dum Philoſophiam deguſtaui, & nec in Poeſi, nec in Rethorica (quæ eius pediſſequæ ſunt) temporis vllam confirmationem habeo, propter nimirum abominandam patriæ expugnationem, & eos qui inde ſecuti ſunt, caſus; quæ venia ſperanda? aut quis non merito opprobret audendi interpellare tantum Imperatorem, non ſine numine diuino capeſſentem has imperii habenas? præſertim cum ita à naturâ comparati homines ſint, vt vel leuiter impingentes perſpicaciſſimè aduertant; excutiant contrà ad eos, qui pro virili officium faciunt: atque ita quæ bona ſunt, occultent; quæ mala, præconis quaſi voce traducant. Quia tamen inter varias ſublimes & humiles ſimilitudines hanc quoque didicimus, Numen illud diuinum ſuper omnia eminens, quod & vnum eſt, imo ipſa vnitas, & verè Ens, imò ipſa eſſentia, ad noſtras laudes & vituperia perinde (vt dici ſolet) ſe habere: ad te quoque, diue Imperator, noſtra hæc ſimiliter attinebit celebratio & oratiuncula. Ad quam ego non tam per me proſilio, quam compellor per proprium famulum potentiſſimæ Maieſtatis tuæ, hominem Byzantium; qui patre natus eſt nobili, diuite ac prudeu- ANNO 1457.

prudente, in amicorum meorum cenſu facile primus, virisque adeo principibus ac præſtantiſſimis non ignotus, quin & præco virtutum tuarum (quamuis alieno præconio nil egeas, ipſe tui per prudentiam, regiminisque formam, & complures virtutes abundè præco) ſapientiæ nimirum, bonitatis, iuſtitiæ, temperantiæ, omnium denique (vt verbo dicam) quæ vidit & quæ audiuit. Etenim ſi non obſequar amico, & quidem huic amico me ad huiuſmodi inſtitutum inſtiganti; equidem & ſocium hunc violem, & amicis aliis homo nihil cenſebor. Quamobrem, ſereniſſime Imperator, ſi orationem meam ſenſeris rei dignitati minime parem, ignoſces mihi per benignam indulgentiam, & tanquam mitis pater (vt Homerus loquitur) gratam habebis non filij, ſed ſerui tui Michaelis Byzantii balbutiem. Vnde autem ordiendum?

Dicite nunc mihi Muſæ, cæleſtes domos inhabitantes:
Vos etenim ſapientiæ amabilis dona datis.

neque enim id mihi vitio verteretur, ſi ad hanc orationis meæ partem Homerum citem:

Inde, vnde mateſtas inclyti Regis
Si poteſt, vnde immutabilia opera virtutum.

Euge Muſæ, maximi illius Regis DEI propago & ſemen, per quas quibus vuh largitur intelligentiam, ingenii perſpicacitatem & virtutem; vobis ego gratias ago, quod orationis meæ mihi modum & ordinem commonſtraueritis. Ac principio ſummum hoc decus eſt potentiſſimi & diui Imperatoris noſtri, quod regnum & potentiam hanc virtute, & imperium ſine ſanguine & bello ſit adeptus (quod quidem multis ſolet contingere, ſed non tam Regibus, quam priuatis, aut inferioris ɨgtadus principibus) & acceptum idem ille maximus Rex noſter auget atque amplificat vndique, tum animi præſtantia ac magnitudine, tum rebus præclarè geſtis. Sed forſan ü qui mé penitiùs norunt, & ipſa etiam ratio monet, vt hac orationis parte relictâ ad id me conuertam, quod proprié eſt huius inſtituti. Hoc ergo faciendum & petgendum porrò. Maieſtas ergo imperii tui, FRIDERICE Imperator quæ & quanta ſit, manifeſtum reddunt Europæi remoti ſimul ac propinqui: tam ü qui foris verſantur, quam qui domi: quin imò & ü qui Aſiam incolunt, aut eidem contermini ſunt: ü inprimis, quibus fato conceſſum eſt diuini capitis tui diadema intueri. Inter quos quidem (prout vt nunc res noſtræ ſerunt) primum pariter ac poſtremum locum tenet Ariſtonymus hic Byzantius Megaclis filius, qui mihi huius Orationis autor extitit, quique adeò eſt bonorum & honoratorum virorum amator, ac præco virtutum diæ Maieſtaris tuæ: prædicant autem magis (tanquam ſcilicet magis conſcij) quotquot imperio tuo parent, Reges, Duces, exercitum ac prouinciarum præfecti, é quibus nemo (quantum æſtimare poſſum) Aſiaticis cedit vel autoritate, vel virtute. Quod ſi igitur tam beata eſt imperii

Ariſtonymus Byzantius.

ἀρετῶν· εἰ καὶ μὴ κήρυκος δέη, αὐτοκήρυξ γε ὤν, τῇ φρονήσει καὶ βασιλείᾳ, καὶ ταῖς ἄλλαις δεσποσύνῃ ἀρεταῖς τῆς σοφίας, τῆς ἀγαθότητος, τ' δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης, πάντων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὅσα τε εἰδέναι, ὅσων τε ἥκασιν. εἰ γὰρ ἀ πείθομαι φίλῳ καὶ τιμίῳ τῶν φίλων, πρὸς τοιαύτην ὑπόθεσιν ἐπεγείροντι, εἰ καὶ εἶα ἅσα καὶ ὅση τύγχάνει, καὶ τὸν ἔπαινον ἡδέως ἂν, καὶ τοῖς φίλοις ἂν οὐδενὸς ἄξιος ἐξυνόμην. λέγὸ δὴ ταῦτα γαλνότατε βασιλεῦν, εἴπου μετῶν λόγων οὐχ ἅπτεσθαι τ' ἀξίας φραάσεως, σύγγνωθίμοι τῇ μετ' εὐμβνίας σύγγνώμῃ καὶ ἡ πατρὸς ῆπιος, ὡς φησιν Ομηρος, δέξαιο ἐχ υἱέος, ἀλλὰ δούλου σὸ βυζαντίου Μιχαήλ ψελλίσματα. πόθεν ἂν ἀρκτέον,

Ἴτητε νῦν μοι μῶσαι ἐλύμπια δώματ' ἔχουσαι·
Ὑμεῖς γάρ ἐστε ἰητῆρες θεαὶ ἐστέ τ' ἐδωτε.

κεδὲ δὲ ἀθλ', οἷμαι τημεσητὸν ἀνθαδὶ ἔ λόγου ῥυμμένῳ καθομηρίσαι.

αὐτὰρ ἔπην μεγαλοῖο κέκλιμαι δώματ'
ἐν ᾗ δύναι καὶ ὅπη ἔκτετα ἔργ' ἀρίτων.

Ἐγὼ ὦ μῶσαι τὸ μεγίσαι βασιλέως θεῦ ἀπόῤῥοιά τε καὶ σπέρματα, δι ὑμῶν, οἷς ἂν ἐθέλοι χορηγοῦντος τ' σύνεσιν, τ' παιδείαν, τὴν ἀρετὴν, καὶ χάριτας ὑμῖν ἄγω μετὰ θεὸν τ' ακολαθίαν ἔ λόγε καὶ ὑέθοδον ὑφηγησαμένας μοι. P. 34.
μεγαλοπρέπεια μετὰ σοῦ τῷ κρατίστῳ καὶ θειοτάτῳ ἡμῶν βασιλεῖ, ἔτ' ἐξ ἀρετῶν βασιλείας καὶ δύναμις, καὶ τὸ γε αἵματος ἄνευ καὶ μάχης τὴν βασιλείαν ἐξαλλεῖν· ἃ δὴ πολλάκις ἐώθε συμπίπτειν πολλοῖς, μὴ ὅτι γε βασιλεῦσιν, ἀλλ' ἰδιώταις καὶ ἀρχουσιν, ἦν ἐξ ὅτου περ αὐτὴν ὁ μέγιστος ἡμῶν διεδέξατο βασιλεύς, ὅτι τὲ αὔξει καὶ περάγει ἐξ παντὸς μεγαλοποίᾳ καὶ ῥώμῃ καὶ πράξεσι φανοτάτοις. ἐμοῦ πολλῷ τῷ μέσῳ γνωσκοντες κάλλιον, φαίητ' ἂν οἷμαι σεσῆκον, τουτὶ τὸ μέρος τοῦ λόγε καταλιπόντα, τραπῆναι πρὸς τὸ σεσκειμενον. αὐτὸ δὴ τοῦτο καὶ ποιητέον, καὶ ἰτητέον γε περαιτέρω. τὸ μὲν δὴ μεγαλεῖον τῆς βασιλείας σου ἀναξ ἀνδρῶν, ΦΡΙΔΕΡΙΚΕ, οἵτ' τέ ὀστ καὶ ὅσον τύγχάνον, δηλοῦσι μὲν Εὐρωπαῖοι, εἴτ' ἐγγὺς, εἴ τε πόῤῥω, οἵ τε θύραθεν, οἵτ' ἐν εἴκῳ. δηλοῦσι δὴ αὖ πάλιν καὶ τῆς Ασίας οἱ σεσκιμοί τε καὶ ἀγχιτέρμονες, οἷς γε διιδεῖν οἷμαρτο τὴν ἐκτιμονταμίαν τῆς θειοτάτης σου κεφαλῆς. τούτων ἥ πρώτος καὶ τελευταῖος, ὅσαγε ἐς ἡμᾶς τὸ νῦν ἔχον, Αριστώνυμος ὁ τοῦ Μεγακλέους Βυζάντιος, τοῦ παρόντος μοι λόγου τὸ αἴτιον, ὁ τῶν καλῶν ἐραστὴς καὶ τιμίων, ὁ κήρυξ τῶν ἀρετῶν τῆς θειοτάτης σου βασιλείας· κηρύσσουσι δὲ μᾶλλον, ὡς καὶ μᾶλλον εἰδότες, ὅσοι τε καθίσανται ἐγγὺς ὑπὸ τὴν σὴν ἐξουσίαν, ὅσοί τὲ αὖ πάλιν δοῦλοι, ὅσοι τε ἡγεμόνες, ὅσοι τε ὕπαρχοι. εὐδαίμων, ὡς ἐγ' οἶμαι, τῶν ἐν Ασίᾳ δυνάμει τε ὄντες ἥσσοις, καὶ τὰς ἄλλας γε ἀρετὰς. ἦν σοῦ τοιοῦτόν σοι τύγχάνη τὸ μακάριον σύστημα, τῶν ῥωμαοτάτων μετὰ ἡγεμόνων, ἀνδρῶν ἥ λογάδων καὶ φανταίων, ὑπη-

κόων

κόων δ' ἐκόντων καὶ πιστοτάτων τῇ βασιλείᾳ σου, ὡς γε ἡμῖν Ἀριστώνυμος εἶπε, καὶ τῆς φήμης ξυμμαρτυρούσης, τί δὴ χρὴ νομίσαι τὸν εὐσεβέστατον βασιλέα; τί δ' ἄλλο, ἢ μέγιστον βασιλέα τῶν ἐπὶ γῆς βασιλέων, τῶν μέν, πίστει τῶν ἦ, δωνάμει. τῶν δ' αὖ πάλιν σοφίᾳ καὶ ἀρετῇ καὶ φρονήσει, πάντων τε τῶν ἄλλων τοῖς πᾶσιν, ἵνα μὴ καθ' ἕκαστα λέγοιμι, βασιλεύοντα, μέν τοί γε καὶ αὐτὸν βασιλευόμενον μέν ὑπὸ τοῦ μεγίστου καὶ πρώτου βασιλέως τῶν βασιλέων, οὗ τῆς ἀγνοίας οὐκ ἄνευ ἠξιώθης τῆς βασιλείας, καὶ ὃς σε τῶν ἀρετῶν ἄνευ οὐκ ἂν ἠξίωσε τοῦ τοιούτου βασιλεύοντα δὲ ἁπάντων, ὅσοι τὸ τριπόθητον ἔχουσιν ὄνομα τοῦ Χριστοῦ βασιλεύοντα δὲ τῶν παθῶν, τῶν τε θυμοῦ καὶ τῶν ἡδονῶν· ᾧ αὐτὸς ἑαυτοῦ βασιλεύτερος ἂν εἰκότως κληθείης, εἰ δέ τις, ὦ βασιλεῦ, ἄλλων μέν, ὅτων κρατοίη, αὐτὸς δὲ μή, καὶ τῶν σφετέρων παθῶν, οὐκ ἂν οὗτος καὶ λόγου τ' ἂν ἀξίως ἡμιτελὴς βασιλεύς. ὃς δ' ἂν ἑκατέρων τούτων ἡσσᾶσθαι τρόπαιον, καὶ μήτ' ἐκεῖθεν, μήτ' ἐντεῦθεν ἁλοίη, τοῦτον ἐγὼ καὶ πάντες βασιλέα κελοῦμεν. τοῦτον δεῖ βασιλεύειν τῶν ἐπὶ γῆς ἡγεμόνων· τοῦτον εἰκὸς μέν ὁ θεὸς, ἄνθρωποι δὲ σεβοῦνται, ἀσκεποὶ καὶ γόνυ κεκτῶντες, ὡς περ αὐτὸν ἀμέλει τὸν σεφανίτην θεόν. ἐπεὶ δ' οὕτως ὑπάρχεις αὐτὸς, ὃν ἐλύπησα τῷ λόγῳ, Θεσσαλῶν βασιλεῦ, καθάπερ Ἀριστώνυμος εἶπε, καὶ τῆς φήμης σύμμαρτυρούσης, βασιλεύσεις, ἂν ἕπωγε θαῤῥοῦντάς σε ἐπίζω, καὶ τὲ τῶν Τευκρων μέν ἡγεμόνος, φθορέως δ' τῆς Ἑλλάδος, καὶ τοιούτου φθορέως, καὶ τοῖς πᾶσι δραστηριωτάτου, ὡς τ' αὖτε τῶν ἀπογόνων ἀπάντων ἐν τοῖς τοιούτοις ἀγῶσι τοὺς ῥᾳδίους ἀνηρημένου, τῆς Θρᾴκης καὶ Χερρονήσου, Μακεδονίας τε καὶ Ἐπείρου, Μυσίας τῆς κάτω καὶ Ἀχαΐας, Ἀττικῆς τε καὶ Θετταλίας, Πλαταιῶν τε καὶ Βοιωτίας, Πελοποννήσου τε τῆς πολυμύθητου καὶ θείας ἦν ὀφθαλμὸν οἰκεμένης καλέσας, ἐκ ἂν ἁμάρτοιμι τὲ ἀξιοκοντος.

P. 35. Ἐοῦ τὸ νῦν ἔχον, Λακεδαιμονίαν καὶ Ἀρκαδίαν, Μαντίνειαν καὶ Μεσσήνην, πάσας τε ἄλλας πόλεις καὶ ταύτας γε μητροπόλεις, ἃς ποτ' εἶχεν ὁ ἅπασι δόξας ἡ πολυύμνητος, Πελοπόννησος, μὴ ὅσον ἄσας θαύματα τῆ Ἑλλάδος, ἀλλὰ καὶ αὐτῆς γε δὴ τῆ οἰκεμένης ἁπάσης· Ἀμπρακίας καὶ Ἠλυρίδος, Λευκάδος καὶ Θεσπρωτίδος, Ταυλαντίας θ' ἁπάσης καὶ μέρος γε Δαλματίας, Δαυίας καὶ Τριβαλλίας, καὶ τῆ ἄνω Μυσίας. ἀλλ' αὗται μέν ὑπαρχίαι τῶν ὁπ Εὐρώπῃ, ἂν τὰς πλείους ἔτος αὐτὸς ὁ μέγιστος Τευκρων βασιλεύς τε καὶ ἡδεμών, ἦχ οἱ ἀπόγονοι κατεξέψαντο. μὴ καὶ ταύτας ἐς τὴν Ασίαν χωρούντι, Προποντίδος καὶ Βιθυΐας, Ασίας τε καὶ Φρυγίας, Πόντε τε καὶ Λυκίας, Παφλαγονίας καὶ Παμφυλίας, Καππαδοκίας καὶ Κιλικίας, Κολχίδος καὶ Γαλατίας, Σαρματίας τῆ ἐν Ασίᾳ, καὶ μέρους τῆ Ιβηρίας, πολλῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, ἃς τῷ βουλομένῳ κρεμμένῃ, γεωγραφικῆς ὑφηγήσεως δεῖ. ἀλλὰ δ' ἴσως ἂν τάχα, πόθεν ἂν γνοίης τῆτο πύθιό μου μέγιστε βασιλεῦ; πόθεν; ἐκλε τῆ

tui conſtitutio, vt duces quidem generoſiſſimos habeas, & viros præterea ſapientes ac clariſſimos, ſubditos præterea obſequentes ac fidiſſimos tuæ maieſtati, vt quidem mihi Ariſtonymus confirmauit, & communis etiam fama atteſtatur: quemnam te æſtimare oportebit, teligioſiſſime Imperator? quem alium, quam Regem omnium orbis terrarum Regum maximum? quorum alios fide, alios potentia, alios ſapientia, virtute, ac prudentiâ, omnes denique omnibus (oe ſingula perſequar) velut quidam omnium Rex antecellis. Regetis quidem & tu imperio maximi illius & primi Regum Regis: vtpote cuius prouidentia dignum te hoc Regni faſtigio iudicauit; quique te, abſque virtutibus his tuis foret, nuuquam ſuiſſet hoc imperio dignatus. At imperas interim omnibus, qui illud ter maximè deſiderabile Chriſti nomen profitentur: imperas & affectibus tuis, ſiue externâ, ſiue internâ aliqua cauſa ſubortis; quo nomine vel teipſo maior Rex conuenienter poſſis appellari. Si quis enim, Cæſar, aliis quidem imperat, ſibi verò & affectibus ſuis minime; is profectò ex dimidiato tantùm Rex & eſt, & meritò dicetur: qui autem de ambobus tropæa ponit, & nec hinc nec illinc capitur, hunc demum & ego & mecum alii omnes Regem ſalutabimus: hunc Regem eſſe oportebat Orbis Terræ principum; hunc Deus ipſe coronat; hunc homines nodati capita & in genua pronoluti adorant, tanquam ſcilicet ipſum, qui diadenata imponit, DEum. Quando ergo talis es, diue Imperator, qualem oratione adumbraui, & qualem Ariſtooymus, conteſtante famâ, perhibet; imperabis ru olim (qood auſim confidenter ſperare) Duci illi Teucrorum, id eſt, Turcorum, Græciæ euerſori; imò huic qui nunc rerum potitur, euerſori omnium maxime ſtrenuo, quique facile palmam maioribus ſuis in hoc certaminis genere præripit. Euerſori (ioquam) Thraciæ, & Cherſoneſi, Macedoniæ, Epiri, Myſiæ inferioris, Achaiæ, Atticæ, Theſſaliæ, Platæarum, Bœotiæ, Pelopooneſi illius laudum pleniſſimæ, imò diuinæ; quam ſi oculum orbis habitabilis dixerim, à vero oon aberrem. *Peloponeſi laus.*

Tacebo in præſenti de Lacedæmone, Arcadia, Mantinæa, Meſſinea, deque aliis illis vrbibus, imò metropolibus, quas olim habuit celeberrima Pelopooneſus, omnium rerum abundantia felices, ita quidem vt miracula quædam noo Græciæ tautum, ſed vniuerſi etiam orbis extiterint; Ambraciam tantam nominabo, Illyriam, Leucadiam, Theſprotidem, Taulantiam etiam vniuerſam, cum parte Dalmatiæ, Daciæ, Tribalhæ, & Myſiæ ſuperioris. Atque has quidem prouincias, quæ in Europa ſitæ ſunt, maximus ille Teucrorum Rex & moderatot, non aotem ipſius maiotes ſubuerterunt. Exinde ſi in Aſiam tranſeamus, reperiemus illic vaſtatorem Propontidis, Bithyniæ, Aſiæ & Phrygiæ, Pouti, Lyciæ, Paphlagoniæ, *Turcorum potentia.*

Pamphyliæ, Cappodociæ, Ciliciæ, Colchidis, Galatiæ, Sarmatiæ Aſiaticæ, partis etiam Iberiæ & plurium aliarum regionum; quas qui enumerare velit, eum neceſſe fuerit Geographicas Tabulas conſulere. Sed quæres forte, Maxime Imperator, vnde id ego norim, (te ſcil. his olim dominaturum) vnde? Ex ipſo illo ineuitabili fato, quod Adraſtriam Philoſophi nominant; atque ex cooperſione ac viciſſitudine rerum humanarum, quæ & inſtabiles & perpetuo volubiles: imò (quod magis eſt) ex ipſis oraculis, quorum oulla vnquam, aut certè perpauca, fefellerunt. Te ipſum appello teſtem horum, Diue Imperator, ſapientiſſimum virum, & rei Aſtronomicæ (nam & huius virtutis tuæ fama Græciam peruaſit) peritiſſimum; quique cœli motum ad vnguem calles, atque ætheris vires, nec non & orbium, & vtriuſque poli actici & antarctici, Solis item defectus & Lunæ facies, ſtellaſque alias tam fixas quam erraticas, faces item cœleſtes & traiectiones, quidve portendant comeræ, quid fouræ, aut trabes; quid item hoc vel illud elementum prædominans, quando imbres continui aut ſiccitas, quando peſtis aut aeris ſalubritas futura ſit; quid quando omittendum, quando tractandum ſit. Quis ergo non miretur ſublimem illam tuam mentem, quæ primæ illi Mundi animæ & Sphæris cœleſtibus commiſceatur; à quibus nimirum & per quas ille cogitationum effotmator ſpiritus, & quoddam velut ſimulacrum nobis inſinuatur, legibus fatorum demiſſum: ſic Plato, ſic Pythagoras ſenſerunt, & hos ſecuti Stoici Pythagorizantes, ſimul & Platonizantes. Nec tamen (vt omninò exiſtimo) talis, nec eodem etiam modo Spiritus ille ſapientiſſimæ animæ tuæ immiſcetur, vt nobis: ſed purus per omnia, ſincerus & illuſtris, id quod manifeſtum eſt ex animæ functionibus & viribus, quæ interiorem diæ illius animæ operationem arguunt. Quorum enim facultates differunt (inquiunt Philoſophi) horum quoque diuerſus eſt Spiritus ille imaginum io mente effotmator, perpetuò agitans, cootinuò efficax, & ſemper lucens, etiam ſuprà Solem: hunc enim nobis modò oubes, modo obtecta vela, terræ enam poſitus & aeris mutationes, velut impedimenta interiecta, admittunt. Tu verò quidquid ſub Sole eſt, vndique irradias, tam noctu quam interdiu, cum ſenſibus & mente, tum etiam imaginatione, & iſtis inſomniorum virtutibus: nam tunc diuina illa vis nobiſcum familiarius habitat, cum ſenſus lumen illud ſplendidiſſimum nequeant intueri. Virtutibus ergò tuis dignam orationem qui reperiam? Ecquid noo ea in te virtus eſt, quæ Phyſica dicitur? ecquid non ea quæ Ethica appellatur? an non & Politica, per quam aiunt res cum ratione ac prudentia feliciter geri? oum noo & illa purgatrix, per quam ab animi affectibus emundamur? an noo & Theoretica illa, quæ mentem iſtam ſummam cootemplatur? an non & illa quæ animam (diuiniſſimam noſtri partem) excitat, atque ad diuinum Numen ahripit, illique ſimilem efficit diuinorum operatrix? Ecquid oon fontem io te habes virtutum omnium abſoluutiſſimum, qui tum communicabitur iis qui digni ſunt, quando depoſita hac ſeparabili mente omnes ſimul virtutes efficaciter exercebimus? Denique an non Maieſtas illa tua Imperatoria, quicquid præclarum ac præſtans nominari poteſt, id omne in ſe vna ad magnam vſque abundantiam complectitur? Quæ cum ita ſint, & accedant præterea plura; quis neget te, ô Maieſtas, verè Regiæ diuinitus expreſſum exemplar, rerum futurarum exitus liquidiſſimè prædicere? Non eſt, inquis, hoc tempus bello aut pugnæ, ſed rerum ſuperarum contemplationi opportunum.

ἀναγκὴς αὐλῆς, ἣν ἀδράσειαν ἐκάλεσαν οἱ φιλόσοφοι, καὶ τὰ τῆ πραγμάτων ἀνελφορὰς τε καὶ παλιρροίας, ἀςάτων γε ὄντων καὶ ἐσαεὶ κινεμένων. καὶ τὸ δὲ μεῖζον ἐξ αὐτῶν τῆ χρησμῶν, ὧν οὐδένες, ἢ πάνυ τοι ὀλίγοι, τὰ ἀληθείας ἐξημαρτήκασι. σὲ καλῶ μάρτυρα τῶν τοιούτων, θειότατε βασιλεῦ, τὰ ἀςρονομικώτατον καὶ σοφώτατον· καὶ ταύτης δὲ σου τὰ ἀρετῆς φήμη τὴν Ἑλλάδα διέδραμε· τήν τε κίνησιν εὖ μάλα εἰδότα τὰ οὐρανοῦ, τάς τε τὰ αἰθέρος δυνάμεις καὶ τῶν σφαιρῶν, ἐκλείψεις τε τῶν φώτων ἀρκτικοῦ καὶ ἀνταρκτικοῦ, τὰ τε ἡλίε τὰς ἐκλείψεις, καὶ τῆς σελήνης τὰς φάσεις, τὰ τῶν ἄςρων ἀσεμφῆ καὶ κινούμενα, τὰ πυρὰ καὶ διάττοντα, σημαίνοντα οἱ κομῆται, οἵτε βοῶσαι καὶ δοκίδες· τί τοδὶ τὸ στοιχεῖον, καὶ τί θᾶλλον, πλεονάζον ποτ' ἐπομβρίαν καὶ πῶτ' αὐχμοί; πότε λοιμοὶ, πότ' ὑγεία. πῶς τὸ δ' ὀπωσοῦν, καὶ πῶς ἐκεῖνο προσενεκτέον· ὃ τίς οὐκ ἂν σου θαυμάσειε τὸ μετέωρον νοῦν, ὃς τῇ πρώτῃ ψυχῇ καὶ ταῖς σφαίραις συγκαταμίγνυται; ἐξ ὧν καὶ ὅθεν ἡμῖν τὸ φανταςικὸν πνεῦμα καὶ εἴδωλον ἀνοικίζεται, νόμοις ἀδραςείας καταπεμπόμενον. πλάτων μὲν οὖν καὶ πυθαγόρας ἐδόξασάτην, καὶ σὺν τούτοις ἤδη καὶ μᾶλλ τούτων οἱ ςωϊκοὶ, πυθαγορίζοντές τε ἅμα καὶ πλατωνίζοντες. πλὴν ἀλλ' οὐ τοσοῦτον ὅ ἁμὰ καὶ οὗτος ὅσον καὶ ὡς περ ἡμῖν, τῇ σοφωτάτῃ σου ψυχῇ καταπέμποιεν. ἀλλ' ἄκρατον ὅλως, ἀμιγὲς καὶ εἰλικρινὲς, καὶ τοῦτο δῆλον ἐςὶν ἐκ τῶν ψυχικῶν ἐνεργειῶν καὶ δυνάμεων, αἳ τῆς θειοτάτης σου ψυχῆς ὁσημέραι δεικνύουσι τὴν ὑπεροχήν.

ὃν γὰρ φασιν αἱ δυνάμεις διάφοροι, τούτων καὶ τὸ φανταςικὸν πνεῦμα διάφορον, αἱ μὲν, αἱ δ' ἐνεργοῦσι, αἱ κάμνουσι ὑπὸ τοῦ ἥλιου. ἅπερ ἁπάντων μᾶλλον ἐμοὶ δοκεῖ παθεῖν ἡμῶν τὰ μὲν τοιαῦτα τῶν καλῶν· γὰρ τε θέσις καὶ ἀέρων μεταβολαὶ. σὺ δὲ μετὰ πάντας ὁ τοῦ φωτὸς πᾶσι τοῖς ὑπ' ἥλιον καταγλίζων, πάντας τε καὶ ὅμματα πάντα, τῇ μὲν, ταῖς αἰσθήσεσι καὶ τῇ νῷ, τῇ δὲ, φανταςίᾳ καὶ ταῖς δι' ὀνείρων ὀπτασίαις, ἃ μᾶλλον ἐμοὶ τὰ θεῖα συγγίνεται, τοῖς ἀνθίσιν· μὰ δύναμίς ἐςι ἀφελίμως ἀφ' ἑαυτῆς καὶ ταῦτα μὲν ταῦτα. ἀρετὰν δὲ πᾶσι, τῶς ἂν ἄνθρωπος ποτ' ἀξίως οὐχ ἥ φύσις τὸν δεσπότην δοι σου; οὐκ ἔχοις τῶν ἐπαίνων λεγομένων; ὁ σοφώτατος ὁ κρατίστων, ὡς φασι καὶ λόγοι καὶ ἔργοις ἀπορθοῦσθαι· οὐχ ἥ καθαρτικὴ, ἥ ἓξ τῶν παθῶν ἀπαλλαττομένη; οὐχ ἥ θεωρητικὴ τὸν τῶν διαφορῶν; οὐχ ἥ τὸ θειότατον ἡμῶν τῷ φιλῷ ἀναλέγουσα, καὶ ἀφ' αὑτὸ τὸ θεῖον ἀνάγουσα καὶ ἅμιλλα αὐτῷ τιθεμένη δυναμεῖ; ὑτῷ πεῖθω τῶν ἀρετῶν ἔχειν, ἢ ἀπαιδὸν τῷ τελεσταίτῳ, ἓς τότε μίτρεις τοῖς ἄξιος, ὅταν αὐτῷ τῷ ἀρετῷ ἐπεγείρωμι ἐξάπαυσον, ἵνατι αἰῶνες τῷ μυριῷ, ἐχ ἥ, τι ἂν εἶναι τις τῶν καλῶν ἡ τιμίων, τῶτο ἐξ ἁπαλῆ τῇ σοφίᾳ τῇ βασιλικῇ σου σοφίᾳ; διὰ δὲ ταῦτα καὶ ἓν ἀπολογίαν τῶτον ἃ τ' βασιλικὸς Διοκλητιανὸς ἐκαμηχάνατ' ἢ τὸν ἀρχαῖον σοφισὴν ἀπαιδεύτως ἔχειν; ἐκ ἔςι λέγειν ἔδε καιρὸς, πολέμε δοκοῦντι ἢ μάχης ἄρχ ἢ τὸ νῦν ἴσχειν; ἢ τῶν μυστικῶν ἀφορμῶσιν.

Hîc mſ. exemplar Bibliothecæ Palat. nos deſtituit. nobiſcum vel cum publico communicet, admodum rogamus.

p. 36.

Quo ſi quis aut plenius, aut etiam correctius habet: vt vel Ceterum probabile eſt, Apoſtolium illum, cum hanc orationem ſcriberet, iuuenem fuiſſe: habet enim affectationes modò Demoſthenicas in contexturis particulis, modò Platonicas in doctrina de Anima & virtute; licentiam præterea, & hyperbolas penè plus quam Græcas, ſupra etiam Panegyriſtarum cæterorum licentiam. Apparet etiam hanc orationem poſt expugnatam Conſtantinopolin, circa annum M CCCC LVII. ſcriptam, quo tempore Peloponeſum (quam tantopere extollit) à Turcis (quos more eius ætæi Teucros & ipſe vocas) captam & vaſtatam ſcriptores produnt.

NICO-

NICOLAI LANCKMANNI de FALCKENSTEIN,

HISTORIA DESPONSATIONIS

FRIDERICI III.

CUM

ELEONORA

LUSITANICA.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRVVE.

SYllabo equidem Scriptorum huic Tomo II. præmiſſo, hunc librum inſeruerat Freherus, atque Nicolao Hipponenſi Epiſcopo tribuerat. Sic etiam Subſcriptio huius libri in fine ſubiecta, quæ ex Germanico translata videtur, Nicolao Hipponenſi hunc libellum tribuit. Verum, Nicolaus Hipponenſis non auctor eſt libelli, ſed eiusdem editor, prout ex epiſtola dedicatoria ad Maximilianum ſcripta, adparet, dum ait: *ideo ſacratiſſime rex, dum pridem iuuentutis meæ ſcripta reuiderem, occurrit in ſexternis per Nicolaum Lanckmann de Valckenſtein * Cæſareum Capellanum ſcriptis veſtræ ſacratiſſimæ Maieſtatis genitoris ac genetricis clariſſimæ & beatæ memoriæ deſponſatio eorumque coronatio.* Neque hoc ſaltim habemus teſtimonium, ſed in eodem hoc ſcripto, ipſe auctor ſæpius de ſe loquitur. Sic ubi aduentum Auguſtæ in vrbem Septam narrat, addit: *ego Nicolaus Lanckmann de Valckenſtein in eius præſentia miſſam legi.* Dum Aduentum Auguſti ad montem S. Angeli deſcribit, dicit: *& ego Nicolaus miſſam legi, & locum Eccleſiæ conſpexi.* De ciuitate Sadres: *& ibidem per tres dies pauſam & quietem habuimus. Et ego fui debilis & vix attraxi Spiritum. Vnam tamen Miſſam in nomine Domini & ſancti Nicolai legi.* Eundem auctorem nominat Petrus Lambecius. Sic, ubi de Maximiliani I. natiuitate agit, addit: ** *teſtatur hoc coætaneus auctor Nicolaus Lanckmannus in hactenus inedita Hiſtoria Latina MSCta: Deſponſationis & Coronationis Imp. Friderici V. & Coniugis ipſius Eleonoræ.* Inde locum adducit, qui in hac ipſa hiſtoria de Maximiliani natiuitate continetur. ***

Extat hæc ipſa hiſtoria in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi adhuc manuſcripta, quem Codicem plenius deſcribit **** Lambecius, cuius verba, cum ad libri huius Hiſtoriam plurimum conducant, hic integra inſeremus. Volumen *chartaceum in octauo*, quæ continetur, *Hiſtoria Deſponſationis & Coronationis Imp. Friderici V. & Coniugis ipſius Eleonoræ*, compoſita & propria manuſcripta a *Nicolao Lanckmanno de Valckenſtein*, qui vnus fuit ex duobus Sacerdotibus ac Sacellanis, quos iam memoratus Imperator Anno 1451. tanquam Legatos & Oratores ſuos, *annulli pronubæ* Sponſæ offerendi cauſa miſit in Luſitaniam. Titulus & principium Operis iſtius hactenus, quod ſciam inediti ſic habeat. Deſpon-

* Lambecius Comment. de Biblioth. Cæſ. Vindob. L. II. p. 1012. *Quamuis in Codice illo MSCpto, propria ipſius Nicolai Langmanni manu exarato nomen Valckenſtein ſcriptum ſit litera V. minime tamen dubium eſt, quin reuera ſcribendum ſit Valckenſtein litera F. Falconibus enim nomen inditum eſt, a falce, quoniam ungues veſtar falcis habent intro curuatos ſiue introrſum flexos ut teſtatur Sextus Pompeius Feſtus de Verborum Significationibus.*

** *Commentar. de Bibl. Cæſ. Vindob. Lib. II. cap. VIII. pag.* 698. *** *Lib. II. cap. VIII. p.* 715.

**** *Commentar. de Bibl. Cæſarea Vind. Lib. II. cap. VIII. Cod. CCC XXXVII. pag.* 971.

Deſponſatio & Coronatio Sereniſſimi Domini, Domini Imperatoris FRIDERICI III. & eius Auguſtæ Dominæ LEONORÆ.

Fridericus DEI gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Auſtriæ Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux, Comes Tirolis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, in Martio, ex Noua Ciuitate Salzburgenſis diœceſeos miſit ſuos Oratores, Procuratores & Mandatarios Speciales cum pleno mandato ad Regnum Portugalliæ ad deſponſandam ſibi præclariſſimam virginem & inclytiſſimam Dominam LEONORAM Infantiſſam Portugalliæ, quæ erat Sereniſſimi EDVARDI Regis & Illuſtriſſimæ Dominæ Leonoræ Reginæ Portugalliæ bonæ memoriæ filia legitima. Venerunt prædicti Oratores per Alemaniam ad Ducatum Sabaudiæ ad Ciuitatem Geneff ſub Gallicâ linguâ, & conſequenter per fluvium Rhodanum ad Delphinatum, &c.

Meminit Autoris huius Hiſtoriæ, ut & collegæ ipſius *Jacobi Motzii*, Maria Regina Aragoniæ in Diplomate ſalui conductus, utrique conceſſo & eidem Hiſtoriæ inſerto, his verbis: *Ad veſtri & cuiuslibet veſtrûm notitiam deducimus per præſentes, cum dilecti deuotique noſtri Magiſter JACOBVS (1.) MOTZ in Sacrâ Theologiâ Baccalarius & NICOLAVS (2.) LANCKMANN de VALCKENSTEIN, Capellani & Nuncii Illuſtriſſimi Friderici, Regis Romanorum, fratris noſtri chariſſimi, ad Regnum Portugalliæ aliasque Mundi oras ſe conferant pro negotiis dicti Illuſtriſſimi Regis Romanorum, ut totius iter eorum pergant, &c.* Prodit etiam ipſe Autor *nomen* ſuum & *conditionem vitæ* in eadem Hiſtoria his verbis: *Die quintâ menſis Maij, Domina Imperatrix cum ſuâ Curiâ venit peregrinatum ad Montem Sancti Angeli in Monte Gargano ad Eccleſiam Sancti Michaelis, non per manus hominum conſtructam aut conſecratam, ſed mirabiliter repertam, ut in Hiſtoria de Apparitione S. Michaelis in Monte Gargano. Et Domina Imperatrix fecit fieri magnum feſtum cum Cæremoniis, Miſſis & Oblationibus, & Dn. Doctor Magiſter Joannes Hynderbach Cancellarius & Magiſter Curiæ & alii Officiales Suæ Maieſtatis in his ſoliciti fuerunt; & EGO NICOLAVS ibidem legi Miſſam, & eundem locum diligenter conſpexi.* Mentionem quoque eorundem duorum Legatorum facit *Æneas Sylvius*, ſiue *Papa Pius II.* in *Hiſtoriæ Auſtriacæ opere imperfecto*, quod propria ipſius manu exaratum bis extat in Auguſtiſſimâ Bibliothecâ Cæſarea. Quandoquidem autem duo illa exemplaria multis locis non mediocriter à ſe invicem diſcrepant, exhibebo hic iam memoratum locum, quemadmodum is in utroque legitur exemplari. In uno igitur eorum reperi eum ſcriptum hoc modo: *Leonora vero, quæ in Kalendis Nouembris Thalamonis portum appellere debuit, dum hæc aguntur, aliquanto tardius, quàm promiſſum erat, ingreſſa pelagus, cuiusdam negotiatoris Januenſis nauem aſcendit, felicique vento Ceptam venit, quæ urbs magna eſt in littore Africæ, per avum eius Regem Portugalliæ multa vi quondam expugnata, & in hanc usque diem in ſolo barbarico contra potentiam omnium Africanorum retenta. Quod autem in diem dictam Leonora mare non intrauit, in cauſa fuerunt JACOBVS MOTIVS & NICOLAS Sacerdotes ſibi annulum miſſi, cum inter eundum in latrones incidiſſent, ut ſupra monſtrauimus, in præfixo tempore Portugalliam attingere nequiuerunt.* In altero autem eiusdem Hiſtoriæ exemplari authographo extat idem locus hoc modo: *Interea Legati Cæſaris, cum Dominabus ad ſuſcipiendam Imperatricem, ut ſupra diximus, in portu Thalamonis magno affecti tædio præſtolabantur.*

(1.) Gerardus de Roo. *Annalium Auſtriacorum libro quinto p. 203. minus recte vocat eum* JACOBUM MEZIVM.

(2.) Gerardus de Roo, *iam citato loco appellat eum NICOLAVM LONGIMANNVM de Falckenſteino: ſed rectius eum latine vocaſſet* NICOLAVM LONGVRIONEM. Longurio *enim re vera idem eſt ac germanicè Langmann.*

bantur. Imperatrix autem cum debuiſſet in Kalendis Nouembris applicuiſſe portum atque nauigationem finiuiſſe, nondum eo tempore nauem intrauerat. Neque id culpæ ſibi fuit adſcribendum, ſed Oratoribus Cæſaris, qui miſſi ad contrahendum matrimonium per verba, ut ajunt, de præſenti, non venerant in tempore: Neque hi ſua ſponte deliquerant, quippe qui latrones inciderant, atque ſpoliati, vix tandem euaſerant. Oratores fuere minores, quam mitti a Cæſare in tanto negotio debuiſſent, JACOBVS MOTZ & NICOLAVS Sacerdotes, quibus vix habita fides fuit. Contracto igitur matrimonio ſecundo Nonas Martias ingreſſa eſt in naui cuiusdam negotiatoris Januenſis; neque enim Portugallenſes magnis utuntur nauibus, ſed mediocribus, quas Garauellas appellant, in quibus haud tuti eſſe poſſunt a barbaris, quorum littora vicina ſunt. Imperatrix ergo, ubi pelagus ingreſſa eſt, felici nauigatione ad Septam venit; quæ urbs magna in littore Africæ per avum eius Regem Portugalliæ magna vi expugnata fuit, atque in hunc diem, exterminatis barbaris, a Chriſtianis tenetur. Ibi Leonora dies tres morata, &c. Hæc *Æneas Syluius* ſiue *Papa Pius II.* Cæterum quamuis ſupra memoratam *Nicolai Lanckmanni* Hiſtoriam alio poſthac commodiori tempore & loco integram publicaturus ſim, interim tamen obiter atque in anteceſſum hic moneo, eandem in Catalogo Auctorum, qui *Marquardi Freheri*, Tomo *ſecundo* Scriptorum Rerum Germanicarum præfixus eſt, ſignificari his verbis: *Nicolai Epiſcopi Hipponenſis de Friderici III. Imperatoris & Leonoræ Portugalliæ Reginæ deſponſatione, benedictione & coronatione, tum de Maximiliani Regis eiusque Sororis Kunigundæ natiuitate, Hiſtoriola, ex variis litterarum monumentis & fragmentis concinnata. Hunc libellum non niſi germanice editum Auguſtæ Anno 1503. habuimus, nec ſcimus, an latino prodierit.* In eodem *Freheri* Tomo *ſecundo*, & quidem pag. 15, 16, & 17. extat *Oratio Jacobi Motzii*, cuius principium: *Iucumberet mihi hodie, ſereniſſime Rex, Excellentiſſime Princeps, quæ ſunt tuæ virtutis, meo ſermone complecti; laudare clariſſimum Genus tuum, efferre Regni tui tuæque potentiæ magnitudinem. Sic enim mos eſſe ſolet;* &c. Sed in titulo eiusdem Orationis perperam & falſò ibidem legitur, Imperatricem *Eleonoram* fuiſſe *filiam Alphonſi* Regis Portugalliæ, coram quo ea Oratio habita eſt. Certò enim conſtat, *Alphonſum* hunc non fuiſſe *patrem Eleonoræ* Vxoris Imp. Friderici, ſed *fratrem;* utpote quod ipſe Legatus in eadem Oratione ſatis manifeſte indicat his verbis: *Sed neque hic verbis opus eſt, vbi facta mentem demonſtrant. Ex hac enim dilectione factum eſt, ut clariſſimam atque ſuper illuſtrem Dominam LEONORAM SOROREM TVAM in Matrimonium ſibi copulari Cæſar petierit;* &c. Alium etiam æque grauem errorem committit idem *Freherus*, dum aliam quandam Orationem, quæ ad easdem pertinet nuptias, & ſic incipit; *Quamuis grandes materias*, &c. falſò tradit eſſe habitam ad *eundem* ſupra memoratum *Luſitaniæ Regem Alphonſum*! Imperatricis *Eleonoræ fratrem*, cum tamen ea re verâ ſit habita ad *Alphonſum Regem Aragoniæ*, qui Imperatricis *Eleonoræ* fuit *avunculus*. Autor autem eiusdem *Orationis*, quem Freherus appellat *Incertum*, absque dubio eſt *Æneas Syluius*, utpote quem *Imp. Fridericus* de eodem connubio ſuo tanquam primarium Legatum miſit Neapolim ad *Alphonſum Regem Aragoniæ.*

In fine eiusdem Voluminis extant *duo Diplomata*, quaſi Appendix præcedentis Hiſtoriæ, quorum *primum*, nempe *Papæ Pii II.* ad Imperatricem Eleonoram, datum eſt Senis An. 1459. alterum autem, nempe Imperatricis *Eleonoræ* pro *Nicolao Lanckmanno de Valckenſtein*, datum eſt Neapoli Auſtriæ Anno 1464. Hucuſque Lambecius.

Deſcribit igitur Iter ac nauigationem, factam deſponſationem, ſolennitates in aula Luſitanica factas maximas, iter Eleonoræ verſus Italiam, copulationem cum Imperatore Romæ factam, atque inſecutam coronationem Romanam, benignam illorum exceptionem ab Alphonſo Neapolitano rege, aliisque Italiæ Principibus, reditum denique in Germaniam. Claudit demum cum natiuitate librorum ex Eleonora quam accurate recenſet.

Sacra-

Sacratiſſimi & Inuictiſſimi Romanorum Imperatoris FRIDERICI III. Ac conthoralis ipſius LEONORÆ

Diſponſatio ac ipſorum Coronatio. Simulque Sereniſſimi & inuictiſſimi Domini, Domini MAXIMILIANI Romanorum regis ſemper AUGUSTI. Ac ſuæ Germanæ KUNIGUNDIS glorioſiſſima generatio.

Diuo Romanorum Cæſari Maximiliano Auguſto, Vngariæ. Croatiæ. Dalmatiæque Regi. Auſtriæ, Burgundiæ, Carinthiæ, Styriæ, ac Carniolæ Duci, &c.

NIcolaus Epiſcopus Ypponenſis Orationes ad DEum devotas. Et fidelia ſeruitia omni tempore eum ſincero affectu atque læto animo offerenda. Cum ſacratiſſime rex, animadverterem plurimos in veterum geſtis adeò delectari, vt dies cum noctibus ducant inſomnes: Quæ tamen aliquæ tantæ veritatis continent, quantæ creduntur vel æſtimantur. Quot certæ veterum geſta ac Poëtarum figmenta ſuis phaleris ſic ſtringunt, vt non ſolum tempora in eis triviſſe velint ſciri; Imò etiam & in hoc plurimum gloriari: Sed præſentium & temporum noſtrorum acta quibus veritas ſenſibus noſtris patuit ſeu patere poteſt: De quibus clariores laudes reſonare deberent, vt audientes & videntes opera bona glorificarent patrem qui in cœlis eſt, ac excitarentur cæteri ad ſimilia; ſic poſterguntur & ſubterrantur, ut parva & pauca de eis habeatur memoria. Cum utique virtuti comes exiſtere debet gloria, ſic benè noſtris æuis, ſicut priſcis temporibus: & ità benè in vita, ſicut in morte: virtus enim laudata creſcit, & virtuti certiſſimè ut virtuti vitium non valet ineſſe. Et cum virtuoſum laudamus, id quod ſibi debetur damus & reddimus. Atque bonorum & virtuoſorum virorum laudes tacuiſſe tempore commendationis. Sapientis viri neſcio fore iudicium. Quapropter inuictiſſime & illuſtriſſime princeps, cum mihi conſtet ſic aliquos veſtræ maieſtatis laudes edidiſſe. Vt ab Hercules temporibus atque Aventinis Romanis Petroniisque hæredibus deſcendiſſe fatentur. In Rudolphum Comitem de Auenſperg vulgari noſtro primum huius nominis Romanorum Regem & cæteros usque cæteræ maieſtatis ſoboles. Paucos tamen usque modò vidi libros vel ſcriptorum codices, quibus acta veſtræ maieſtatis patrum, nullo dubitante, commendatione digniſſima, pluribus fuiſſent communicata, licet codicum ſcriptores & libri ſint. Et ſciam apud veſtram maieſtatem fore quosdam. Non ſolum de progenie veſtræ maieſtatis, ſed & ex paganismo progenies ſtatus acta & arma diuerſa continentes totius domus nunc Auſtriæ nominatæ. Scio etiam commenta & veſtræ maieſtatis fore & quotidie fieri. Sed quid afferunt vtilitatis dum armariis clauduntur, quid valet theſaurus terræ reconditus, pauci ſciunt. Sed ſi in lucem ponerentur laudes & commendationes ipſorum virtuoſorum, afferrent actuum darent bonum poſteris ſequendi exemplum. Et eò obedien-

obediendi inducerent animos, quò diuturnior nata in progenie fuiſſet virtus. Quoniam ſi vererum paganorum & alienigenarum acta & Poëtarum aliqua figmenta legentibus afferunt ſolatia, quorum progenies non vidimus, quorum ſemina in puluerem ſunt redacta. Quantò magis illorum actus quos vidimus, de quibus bona recepimus, quos exinde merito diligere debemus. Quos gubernatores, reges & principes habuimus etiam habemus. Ideò ſacratiſſimè rex, dum pridem iuuentutis meæ ſcripta reuiderem, occurrit in ſexternis per Nicolaum Lanckmann de Valckenſtein Cæſareum Capellanum ſcriptis veſtræ ſacratiſſimæ maieſtatis genitoris ac genetricis clariſſimæ & beatæ memoriæ deſponſatio. Eorumque Coronatio. Ac ipſius veſtræ maieſtatis germanæque illuſtriſſimæ Dominæ Dominæ Kunigundis. Illuſtriſſimi principis & Domini, Domini Alberti Comitis Palatini, ac ſuperioris & inferioris Bavariæ Ducis Conthoralis glorioſiſſima & laudabilis generatio. Quas eandem veſtram maieſtatem diligentibus & amatoribus decreui communicare. Et ut plures noſcere valerent, vulgari ſermone interpretari, & per impreſſores multiplicari. Ac ſic pro gloria & laude progeniei veſtræ maieſtatis in lucem deducere. Vt cæteri ac alii veſtræ maieſtatis ac progenitorum acta virtutibus decorata libris inſerta. Sed armariis recondita. Et occultata exemplum haberent, imitationem faciant. Et eadem patulo deducant. Ac luci commendent, vt glorificetur pater qui in cœlis, à quo omne datum optimum & donum perfectum. Cum his veſtra eadem ſacratiſſima maieſtas me confeſſorem genitoris eiusdem veſtræ ſacratiſſimæ maieſtatis clariſſimæ memoriæ ſuſcipiat commendatum.

FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM IMPERATOR ſemper Auguſtus, ac Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux. Comes Tirolis, &c. Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, in Martio ex noua ciuitate Saltzburgenſis diœceſis miſit duos Oratores Procuratores ac mandatores ſpeciales, cum pleno mandato ad Regnum Portugaliæ, ad deſponſandum ſibi præclariſſimam Virginem & inclytiſſimam Dominam Leonoram infantiſſam Portugaliæ, quæ erat ſereniſſimi Eduardi regis, & illuſtriſſimæ Dominæ Leonoræ Reginæ Portugaliæ bonæ memoriæ filia legitima. Venerunt prædicti Oratores per Almaniam, ad ducatum Sabaudiæ, ad Ciuitatem Geneff, ſub Gallica lingua. Et conſequenter per fluuium Rodanum, ad Delphinatum, quam terram Delphinus filius primogenitus regis Franciæ regebat, ibi accipiendo ſalvum conductum, & deindè ad Carthuſiam & ad ſanctum Anthonium, ibique videndo miracula ſancti Anthonii, deindè ad Langendoch, quæ eſt terra bona, & ad montem Peſſulanum, ibi eſt notabilis vniuerſitas, maximè Dominorum medicorum. Et ultèrius proficiſcendo, venerunt via recta verſus ciuitatem Toloſam, & Runceuallem, vbi Carolus rex & Rolandus contra Paganos & regem Granati pugnando victoriam obtinuerunt. Sed propter diſcrimina viarum, & periculum gentis de Armenia, declinaverunt à via recta, & venerunt verſus Cathaloniam, ad ciuitatem Narbonam, & Parpinonam, ibi venduntur ligna & ſtramina in pondere. Conſequenter venerunt ad Jerundam, ibi viderunt corpus ſancti Narciſſi. Poſtea ad Cathaloniam, ad civitatem Capitalem Barſilonæ, quæ eſt magna ciuitas, hominis bonum, portus maris: ibi venduntur homines ut beſtiæ: ibi eſt Eccleſia Cathedralis, & Collegium legum & Pallatium ducale pulcherrimum, in quo illuſtriſſima Regina Arrogonum pro tunc reſidentiam fecit, quæ prædictis Oratoribus ſalvum conductum & literam paſſus dedit, in hæc verba. *Maria DEi gratia, Regina Arragonum, Sicilia citra & ultra Farum, Valentia. Jeruſalem, Vngaria, Maioricarum, Sardiniæ & Corſicæ, ducissa Barchione, Athenarum, & Neopatriæ Acciam comitiſſa Roſſilionis & Ceritoniæ, locum tenens generalis ſereniſſimi Domini Regis viri, & Domini noſtri Charismi; nobilibus, & dilectis, & fidelibus, deuotisque noſtris, vniverſis & ſingulis gubernatoribus baiulis, & procuratoribus generalibus, vicariis, caſmedinis aliisque officialibus regis, nec non Alcadis, reconcantoribus, vniverſitatibus, collegiis portuum & paſſuum rerumque prohibitarum tàm in finibus regnorum & terrarum*

diſti

dicti ſereniſſimi Domini regis viri & Domini noſtri chariſſimi, quam etiam ſereniſſimi regis Caſtellæ chariſſimi fratris noſtri conſtitutis eorumque locatis, præſentibus & futuris, ſalutem & dilectionem. Ad veſtri & cuiuslibet veſtram notitiam deducimus, per præſentes quod dilecti deuotique noſtri, Magiſter Jacobus Motz, in ſacra Theologia Baccularius, & Nicolaus Lanckmann de Valckenſtein Capellani & nuncii illuſtriſſimi Friderici regis Romanorum, fratris noſtri chariſſimi, ad regnum Portugaliæ aliasque mundi oras ſe conferunt, pro negotiis dicti illuſtriſſimi regis Romanorum, ut tutius iter eorum peragant, requirendos ex vobis requirimus & rogamus ex corde, aliis verò officialibus & ſubditis prædicti Sereniſſimi Domini regis viri & Domini noſtri chariſſimi, ſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus intuitu & amore noſtri dictos nuncios & Capellanos dicti illuſtriſſimi regis Romanorum cum eorum comitiua, equitibus, bonis, & rebus transire, ire & regredi, per regna & terras veſtris iurisdictionibus ſubmiſſis liberè, ſaluè, pariter & ſecure permittatis, non permittendo eis vel alicui de eorum comitiua, iniuriam, moleſtiam aut offenſam inferri. Quin immò eos cum eorum comitiua honorabiliter fauorabiliterque recipiatis, admittatis, & tractetis eisque prouideatis de ſecuro tranſitu, & ſaluo conductu, quoties opus fuerit, & fueritis requiſiti, pro quanto vos Domino noſtro chariſſimo, & nobis non ſubditi complacentiam, vos verò ſui ac noſtri ſubditi, obedire & noſtram indignationem vitare peroptatis. Datum Barchinonæ, nona die Junii, anno Domini à natiuitate, milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo primo, regnique dicti Domini regis Siciliæ, citra Farum anno decimo ſeptimo, aliorum verò regnorum, anno triceſimo ſeptimo. Deindè prædicti Oratores venerunt equitando per totam Cathaloniam, quæ eſt bona terra, & fructuoſa, habens bona vina & pomæria, ſed gens ad bella & rapinas inclinata. Et venerunt ad regnum Arragonum, per plures villas & hoſpitia Sarracenorum, ad ciuitatem capitalem prædicti regni Arragoniæ, nomine Arragoſa, ibidem eſt magna vniuerſitas. In eadem ciuitate ſunt tres Eccleſiæ Sarracenorum, & habent vnam Scholam pro iuvenibus Sarracenis. Et in eadem ciuitate ſingulis ſeptimanis habentur tria feſta. Quia feria ſexta pro Sarracenis. Sabbato pro Judæis. Dominica die Chriſtianis. Et eodem anno in eadem ciuitate fuit perlamentum celebratum per ſanctam iuſtitiam. Et hoc regnum Arragonum pro tunc à quodam generoſo & famoſo doctore utriusque iuris, qui appellabatur ſancta iuſtitia, propter abſentiam Domini Regis Alfonſi regebatur: qui rex in Sicilia & in Neapoli reſidentiam habuit. Ab eodem Doctore & capitaneo maiori regni Arragoniæ ſalvum conductum receperunt, veneruntque per ciuitates & caſtra ad quandam ciuitatem nomine Lereida, circa quendam fluvium magnum. Ibi eſt vniuerſitas & ſtudium generale. Et intrauerunt regnum Naverræ, per ciuitates & caſtella. In eodem regno mulieres gerunt cornua in frontibus eorum, cum pluribus ornamentis. Et ſic itinerando venerunt ad quandam ciuitatem, ad ſanctum Dominicum. Ibi eſt ſedes epiſcopalis. Et in eccleſia penes altare ſunt gallinæ viuæ in ſignum cuiusdam miraculi. Quia extra muros prædictæ ciuitatis quondam quidam peregrinus fuit innocenter ſuſpenſus, ut tunc legitur in paſſionali die Sancti Jacobi. Ibique iſto anno milleſimo & quinquageſimo primo fuit quædam ſecta magna exſtirpata: Et uno die quinquaginta tres perſonæ utriusque ſexus fuerunt combuſtæ, quia dixerunt ſe vitam communem & vitam Chriſti ducere, & unus ex eis erat Chriſtus nuncupatus, & aliqui Apoſtoli, aliqui verò diſcipuli, & pulcherrimas habuerunt mulieres. Et circuibant per villas & caſtella prædicando. Et poſtea Oratores ad regnum Caſtellæ venerunt, ad ciuitatem magnam Burgus. Ibique Archiepiſcopatus & Vniuerſitas, ibique à Capitaneo maiori acceperunt ſalvum conductum, & venerunt via recta verſus regnum Leonis. Sed à caſu venerunt plures armigeri, qui prædictos Oratores per fort duxerunt ad præſentiam regis Hiſpaniæ, qui pro tunc cum magno exercitu erat in campis, & caſtrametatus fuit contra regem Granati, qui eſt paganus. Rexque Hiſpaniæ Oratoribus prædictis ſalvum conductum & literam paſſus iuxta linguam ſuam dedit, & ſic venerunt ad regnum Leonis. Et Leon eſt magna ciuitas, ibique eſt Archiepiſcopatus & vniuerſitas. Et conſequenter ve-

nerunt ad prouinciam Sturgus, ibi Oratores fuerunt auiſati, eò quod eſſent adue-
næ de longinquis regionibus, & pauſauerunt. Quia quidam potens Baro & miles
de Sibilia inuaſit Dominum Alforum de luna, ducem Galliciæ, per ignem & gla-
dium. Alia autem die prædicti Oratores more peregrinorum cum aliis peregri-
nis de diuerſis regionibus congregati, continuauerunt viam verſus Galiciam, in
monte Rabanel. Venerunt hoſtes cum trecentis equeſtribus & pedeſtribus, cum
magna rapina hominum & beſtiarum, & primo impetu percuſſerunt & cæperunt
omnes, qui erant in comitiua, ſpoliauerunt eos Oratores veſtibus, pecuniis, &
uno equo. Superuenit capitaneus eorum quidam miles, cui proſtrati in terram
ad oſcula pedum flexis genibus reuerentiam metu mortis fecerunt, & literas ac ſal-
vum conductum à regibus & principibus oſtendentes. Sed capitaneus non aduer-
tit. Et multiplicatis vicibus erectis manibus in cœlum, petierunt ob amorem
fidei Chriſtianæ & ſanctorum Jacobi & Georgii, & propter intuitum ſereniſſimi
Domini Romanorum Regis, oſtendentes literas. Idem Capitaneus miſericordia
motus recepit ad ſe literas paſſus ſereniſſimi Imperatoris Domini Friderici, omni
cum reuerentia. Et ſic gratiam obtinuerunt. Et eandem literam paſſus idem
Capitaneus pro ſe in memoriam ſeruauit, & reſtituere recuſauit. Raptoribus ſic
recedentibus, prædicti Oratores cum aliis peregrinis, cum dolore, cum patien-
tia & anguſtia venerunt eadem nocte ad vnam villam, per præfatos raptores & ho-
ſtes ſpoliatam & exuſtam: ubi neque pro ſe cum aliis peregrinis vulneratis & cæ-
ſis, neque pro equituris habere poterant aliquid alimentorum: nec vinum, nec
oleum, pro vulneratis. Altera ſecuta die ſancti Vdalrici venerunt ad Galiciam,
& ad unam ciuitatem Ponteferreda: ibidem habitat quidam Comes natus, qui
Oratoribus prædictis Chirographo certas pecunias accommodabat, quas tunc in
Compoſtella ad ſanctum Jacobum perſoluerunt: quod ibidem cambium in pau-
ca Coſme de medicis in florentia habebant. Et conſequenter itinerando venerunt
per loca & caſtella eiusdem terræ, usque in locum ſancti Jacobi. Et eadem ci-
uitas dicitur Compoſtella, ibidem pro quiete & deuotione usque ad tertium diem
moras fecerunt, & miſſas legerunt. Deindè venerunt per ſex miliaria ad Patran,
in quo loco ſanctus Jacobus prædicauit, & ſigna fecit. Et de Judæa mortuus, in
NB. NB. quadam naui lapidea ad eundem locum per maro venit. Quæ nauis hodierna die
in aquis videtur & peregrinis monſtratur. Deindè propter metum raptorum cum
peregrinis qui erant de Hibernia, venerunt ad fines terræ, ad quandam Capellam
ſanctæ Mariæ, & dicitur in monte Sinai: ibi ſunt certa hoſpitia pro peregrinis: Et
declinauerunt per multa deuia horrenda loca, & cum magno timore, & uenerunt
ad quendam fluvium magnum, & ad ciuitatem more paganorum benè conſtru-
ctam, & munitam nomine Tunii: ibidem à Capitaneo ſalvum conductum obti-
nendo, vnus Oratorum cum duobus famulis & equituris per fluvium nauigando
qui ſtatim dum terram attingeret captus eſt, niſi diceret cauſam veniendi ad hoc
regnum Portugaliæ. Qui reſpondit vltra prædictum fluvium habere ſocium, cum
certis famulis & equituris, ut darent cautionem & ſalvum conductum eidem, vt
ſimul convenirent; quod factum eſt, & introduxerunt prædictos Oratores tanquam
peregrinos ad primam ciuitatem regni Portugaliæ Valentz: quæ fuit quondam ci-
vitas Paganorum & eſt ciuitas benè munita & magnis & altis turribus conſtructa.
Hoc regnum Portugaliæ eſt in magna cuſtodia propter fines terræ. Quæ pluribus
Inſulis maris occupari poſſet. Et venerunt per villas & loca eiusdem regni ad
quendam ducem de Porcellis. Deindè ad ciuitatem port ibidem eſt Archiepiſco-
pus, & eſt fortiſſima & magna ciuitas. Deindè nauigando per fluvium venerunt
de die in diem ad ciuitatem Corymbria, ibi eſt Eccleſia Cathedralis, ibidemque
circum & circa in uno & eodem anno creſcit binies in uno agro frumentum ma-
turum. Et ibi creſcunt optima vina, & Zuccarum in Cannis. Die verò ſancti
Jacobi prædicti Oratores venerunt ad quoddam monaſterium ordinis ſancti Augu-
ſtini, ad ſanctam Mariam de Batallo, in eodem monaſterio eſt ſepultura ſereniſſi-
mi ac triumphantiſſimi Domini, Domini Eduardi Regis, & Dominæ Leonoræ Re-
ginæ

ginæ Portugalliæ. Et omnium regum & reginarum Portugalliæ, & Algarbi regnorum. Deinde venerunt rectâ viâ ad quoddam monaſterium magnum ordinis ſancti Benedicti, nomine Alkabaſſa. Ibi quondam rex Granati fuit à rege Portugalliæ poſtratus & interfectus. Et Oratores fecerunt ſibi veſtes & alia pro honore neceſſaria. In eodem loco venerunt nuncii à Domino Rege Portugalliæ, conducendo Prælibatos Oratores ad quoddam Caſtellum, tribus miliaribus diſtans ab Vlixbanna, ibi Oratores moram fecerunt quo usque Dominus Rex Portugalliæ mandaret eos venire. Vlixbanna eſt una notabilis ciuitas, multò maiorque Wienna in Auſtria, habens in ſe magnum & altum montem, cum fortiſſimo caſtro, vt Gretz in Styria. Ibique eſt Archiepiſcopatus, & collegium legum & plura monaſteria. Quam ciuitatem Vlixes conſtruxit, ad honorem Vxoris ſuæ, quæ vocabatur Banna: & eſt nomen compoſitum ex Banna & Vlixes, & dicitur Vlixbanna. Hæc ciuitas habet bonum & magnum portum maris. Altera autem die ad mandatum Domini Regis Portugalliæ venerunt equeſtres Domini, Epiſcopi, Prælati, Comites, Barones, milites, & nobiles Chriſtiani. Deindè Sarraceni cum magno comitatu, iuxta ordinem deputatum, & Conſulatus prædictæ ciuitatis cum magno populo obuiam, & prædictos Oratores honorificè ſuſcipiendo, & ad Vlixbannam ad caſtrum in alto monte poſitum ad aſpectum & præſentiam Sereniſſimi Domini Regis Portugalliæ conducendo, & immediatè præſentando Dominus Rex Portugalliæ ſedebat in ſolio ſuo in corona, cinctus generoſis & nobilibus militibus ſuis, iuxta ordinem precioſè ornatis, qui cum gaudio prædictos Oratores vidit & receepit, & ab eis ſalutationes & omne bonum nomine Sereniſſimi Domini, Domini Friderici Romanorum Regis audiuit. Qui ſurgens de ſolio quemlibet Oratorum per manus ſuas trahendo, & ex compaſſione cum eis loquendo, de tanta fatigia tali tempore æſtiuo, & diſcrimine viarum, conſolandoque eos, & ad hoſpitia eis deputata ad ciuitatem in equis regalibus & ornamentis famadinis magnificè conducere mandauit, in eodem hoſpitio ſic quieſcendo, Sereniſſimus Rex Portugalliæ congregauit ſuos maiores & conſilium, & prima die menſis Auguſti vocauit prædictos Oratores per duos Doctores legum, & per duos milites ad ſe, & perſonaliter duxit eos primò ad illuſtriſſimam Dominam Reginam Portugaliæ Conthoralem eius, quæ in eius Palatio ornatiſſimè cum ſuis nobiliſſimis virginibus decoratiſſimè ornatis ſedebat more ſuo in ſolio. Quæ cum reuerentia prædictos oratores recepit, & audiuit; & interlocutoria cum eis habuit. Secundò Dominus Rex Portugalliæ duxit eos ad aliud palatium, ornatiſſimè præparatum, in quo ſedebant tres ſorores virgines, quæ erant ſpecioſiſſimè ornatæ; ſc. Sereniſſima Domina & virgo Leonora, Katharina, & Johanna, Sereniſſimi Domini Eduardi Regis & Illuſtriſſimæ Dominæ Leonoræ Reginæ Portugalliæ bonæ memoriæ filiæ legitimæ, quæ prædictos Oratores viderunt & audierunt. Tertiò eodem in die in Palatio Regio fuit ſhorea facta à prædictis præclariſſimis virginibus ac aliis generoſis ad hæc deputatis. Et interlocutoria cum Oratoribus hinc inde facta. Poſtea immediatè poſt horam veſpertinam fuit audientia data. Sic Sereniſſimus Rex Portugaliæ Dominus Alfonſius, cum fratre ſuo infante Domino Ferdinando, & Domino Heinrico patruo eorumque, & Domino Marchione de Valentia de ſanguine regio & Archiepiſcopis, Comitibus, Baronibus. Et quam plures generoſi ad hæc vocati audierunt legationem Sereniſſimi Dòmini, &c. Romanorum Regis per dictos ſuos Oratores: quæ erat ad concludendum & contrahendum matrimonium per verba de præſenti, cum præclariſſima virgine & Domina Leonora, &c. Juxta capitula & compactata alias in Neapoli facta & concluſa: oſtendentes ſuper his mandatum plenum, cum imperiali Maieſtate roboratum & munitum. Altera autem die fuit matrimonium, de quo ſupra in præſentia Sereniſſimi Regis ac Reginæ Portugaliæ ſororum, &c. principum, Comitum, Baronum, &c. Generoſorum & utriusque ſexus nobilium, &c. per verba de præſenti cum Arenga certa: Adorna thalamum, &c. more ſolito per oris oſculum, & annuli immiſſionem, eandem clariſſimam virginem infantiſſimam Dominam Leonoram, &c. Sereniſſimo Domino, Domino Fri-

derico Romanorum Regi per libatos ſuos Oratores ſubarrando deſponſata matrimonio, concluſum. Et iſte actus ſolennis ſoleniter fuit finitus. At ſtatim clangor tubarum & iubilatio hominum in eodem Palatio inſonuit. Et quaſi ex eadem hora inclytiſſima virgo Domina Leonora iam nunc ab omnibus Romanorum Regina vocata & proclamata, cum magna ſolennitate ad aliud Palatium magnum ſpecialiter ad hoc deputatum & ornatum ducta fuit. Ibi ad honorem Sereniſſimi Romanorum Regis,&c. eius ſponſi Chariſſimi, primam Choream cum Domina Regina Portugalliæ multum curioſè fecit. Et poſt choream factam ſuper omnem eius generationem in eminentiori & digniori loco collocata fuit. In eadem ciuitate Vlixbannenſi, in omnibus monaſteriis & aliis eccleſiis ad mandatum Regium & Domini Archiepiſcopi fuit laus DEI publicata, & ſolennes præcationes cum proceſſionibus & oblationibus factæ, in perpetuam rei memoriam, eo quod prædicta virgo & ſponſa Domina Leonora Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo tricеſimo ſeptimo, octaua die menſis Septembris in prædicta ciuitate nata fuit, quæ iam ab omnibus proclamata fuit, qualibet lingua ſua per ciuitatem, viuat imperatrix Domina Leonora, &c. Et in eadem ciuitate Oratores moram fecerunt. Quia multi erant debilitati & febribus vexati propter inconſuetum aërem marinum. Miſerunt tamen nuncium cum literis ad Sereniſſimum Dominum Imperatorem, &c. Domina ſponſa cœpit ſtudere linguam almanicam, ſed paucum capere, potuit. Quia aliis negotiis perpedita fuit, propoſuit quomodo per viam nauigando DEo proſperante per mare diligentiam adhibere vellet. Et peregrinationes diuerſas in Portugallia & Algarbi Regnis cum Oratoribus fecit. Oratores verò diligenter ſolicitauerunt negotia, vt ante Hyemen ad urbem Romanorum, aut ad portum Thalamonis ſub dominio Dominorum Senenſium peruenire valerent. Rex verò Portugalliæ in ſingulis pro expeditione diligentiam fecit.

Die ſancti Cholomanni, quæ eſt tredecima menſis Octobris Domina Leonora ſponſa ab omnibus Domina Imperatrix vocata, à Domino Rege Portugalliæ Domino Alfonſo & fratre ſuo Domino Fernando infante, Heinrico patruo eorum, cum duabus Dominæ Imperatricis ſororibus infantiſſis, fuit ſolenniter ducta à Palatio, quod erat in ciuitate ad regale caſtrum, intra muros ciuitatis in alto monte poſitum, ibi cænam fecit in una parte, & Oratores in alia parte declinatorii. Et cæna facta per totam noctem Choreæ & ludi diuerſi & precioſi fuerunt. Primò coram Sereniſſima Domina Leonora Imperatrice venerunt Reges armorum & Heroldi, præſentantes de ſingulis Reginis totius Chriſtianitatis quilibet Epiſtolam ſcriptam Dominæ Imperatrici præſentando. Deindè venerunt Æthiopes & Mauri, cum quadam factura ad modum Draconis, cum Choreis & apparatibus more eorum, reuerentiam Dominæ Imperatrici exhibendo. Poſtea venit Dominus Ferdinandus infans cum ſua ſocietate vno colore ornatiſſimè, omnes benè veſtiti; habens epiſtolam in manu ſua, annuncians aduentum ſuum cummilicia, ad hæc feſta nuptialia veniſſe. Poſtea venerunt homines ſylueſtres in quodam angulo mundi, in longinquis inſulis marinis, tamen ſub Sereniſſimo Portugaliæ Rege modo conſtituti, dicentes à noſtris ſuperioribus ad hæc feſta nuptialia miſſi fuimus. Et ſpeciali Chorea & mirabili vſi ſunt ad modum eorum; Eò quod in eadem Inſula nomine Camaria fuerunt homines utriusque ſexus nudi, quam Inſulam Dominus Rex Portugalliæ Dominus Eduardus, &c. caſu inuenit, &c. Poſtea Sereniſſimus Dominus Alfonſus & Algarbi Rex Cæptæque Dominus frater ſenior Dominæ imperatricis venit cum ſua milicia, ſpecialiter ad hoc vocatis & electis, precioſis veſtibus, aureis, ſamedinis ornatiſſimè indutis: porrigens Dominæ Imperatrici ſorori ſuæ Epiſtolam, aſſerens ſe ex longinquis partibus terræ ſuos commilitones & fortiſſimos bellatores ad hæc feſta nuptialia vocâſſe, & veniſſe, actusque militares cupiens. Poſtea venerunt generoſi Almanorum, cum crinibus criſpatis, usque ad ſcapulas, cum epiſtola eorum. Et coram Domina Imperatrice proteſtati ſunt, de Almania electi ad hæc feſta nuptialia veniſſe, omnibus aliis nationibus opponere ſe volentes, obtulerunt.

Die

Die quarta decima menſis Octobris Domina Leonora ſponſa & Imperatrix fuit cum magno decôre & apparatu à regali caſtro deorſum ad ciuitatem Vlixbanenſem ad quoddam Palatium in medio ciuitatis deputatum, ducta; ludis hinc diuerſis ordinatis: in porta eiusdem caſtri ſedebant ornatiſſimè ſeptem electores ſacri Romani Imperii, &c. Qui elegerunt cum eorum epiſtolis concorditer Sereniſſimum Dominum, Dominum Fridericum Romanorum Regem in Imperatorem digniſſimum. In ſecundo loco ſedebat Dominus Epiſcopus Colonienſis, cum electoribus ipſum Dominum Imperatorem nominando. In tertio loco ex oppoſito, & erat primus locus, ſedebat ſummus pontifex Dominus Papa, cum Dominis Cardinalibus, Dominum Regem Romanorum Fridericum & eius ſponſam Dominam & virginem Leonoram Infulis & coronis impetialibus coronando, ſemper cum Arengis & epiſtolis. Deindè in quarto loco ſcilicet ante Eccleſiam Metropolitanam ubi requieſcit corpus ſancti Vincentii, ſedebat Dominus Reuerendiſſimus, Dominus Epiſcopus cum canonicis ſuis, & aliis Clericis, in ornatibus eorum, vocans Dominam ſponſam Imperatricem, Dominam Leonoram, quæ equeſtribus cum fratribus & ſororibus & Oratores erat præſens. Cui prælibatus Dominus Epiſcopus Benedictionem dedit, dicens: *Creſcat, & floreat & multiplicetur nomen & ſemen tuum vt arena maris. Et benedictio DEI omnipotentis ſit ſuper te, & ſemen tuum ſit longæuum, & benedictum, & ſeruiant omnes populi Chriſtiani.* Interim venit quidam iuvenis ad modum angeli ornatus de alta turri prædictæ eccleſiæ per ingenium hominum, portans Dominæ Imperatrici ſponſæ coronam auream, & cantans in aëre. *Accipe coronam hic in terra, vt in cœlo coroneris à DEO ſuper omnia elementa.* Ibique, fuit locus diſpoſitus ad modum Paradiſi, à quo quidam iuvenis angelicus in altitudine per quandam feneſtram turris in aëre venit, portans in pelvi deaurata roſas, projiciendo eas ſuper caput Dominæ Imperatricis cantando. Accipe flores & roſas, ut tu & ſemen tuum floreatis in terris: Et cum flore virtutum, poſt longum tempus in terra, merearis florem æternæ beatitudinis recipere in cœlis. In quinto loco propè præfatam Eccleſiam Cathedralem verſus occidentem fuit ſtatio facta. Ibique, erat magnus populus congregatus, quaſi viginti millia hominum utriusque ſexus, & à quodam notabili Doctore fuit Arenga facta, quaſi ad mediam horam, ad honorem & laudem Domini Imperatoris, eius ſponſæ laudem & omnem honorem pronuncians. In eodem loco fuerunt conſtitutæ tot regales perſonæ in veſtibus & armis, & coronis regalibus, quot tunc Reges Portugaliæ & Algarbi regnorum, ab initio usque ad præſentem Regem Dominum Alfonſum fuerunt. Ibidemque alius famoſus Doctor eorum ſtrenuus, actus pro fide Chriſtiana & republica factos, ornatiſſimè declarauit quomodo & quotiens contra Paganos & infideles ſe expoſuiſſent, & victoriam obtinuiſſent. Et ſanctæ Romanæ Eccleſiæ adſiſtentiam feciſſent, & obedientiam ſemper obſeruaſſent, Affricanos eis ſubiugaſſent, fidemque, Catholicam in pluribus locis plantâſſent. Ibi audiui conſtantiam fidei Chriſtianæ in Regno Portugaliæ. Quomodo Reges Portugalliæ expoſuerunt ſe morti contra Barbaros, & Affricanos, vt docet experientia in magno & lato Dominio Ceptenſi in Affrica. Quomodo Dominus Fernandus patruus Dominæ Imperatricis pro republica & liberatione populi ſui in Affrica dedit ſe in mortem, & in pronunciatione eiusdem mortis omnis populus fiere cæpit. Et altus & magnus clamor populi erat ad DEum pro anima prædicti regis Fernandi, ſic in Affrica defuncti, quem credo pie de Canonizandis eſſe: absque lachrymis nunquam poterit iſtam hiſtoriam narrare. In ſexto loco coram Domina Imperatrice venerunt tres iuvenes angelico more. Primus angelus portans crucifixum, & præſentans fidem quæ eſt virtus theologicalis. Secundus angelus portans ramum viridem, qui angelus dictus eſt ſpes. Tertius angelus in manu gerens columbam viuam, qui angelus dicebatur Charitas. Alloquentes Dominam Imperatricem Leonoram rhytmis eorum, ut ipſa Domina Imperatrix apud Dominum Imperatorem ſponſum eius amantiſſimum habeat ſpem firmam, omnium virtutum ornamentum fidem rectam, vt in columnam fidei Chriſtianæ

immobilem. Charitatemque, perfectam, ut plus quam in patrem & matrem & in eius omnem generationem confidat. In ſeptimo loco deſcendendo verſus plateam ciuitatis fuit quidam fons artificialis, fundens aquam roſaceam, pro recreatione hominum. Ibique erat hortus cum diverſis brutis animalibus ſylueſtribus. In octauo loco coram Domina Imperatrice ſedebant tredecim Prophetæ, in habitibus eorum, more prophetarum, quilibet librum in manu tenens, prophetantes multa bona & proſpera de ſponſo & ſponſa, & ſponſam dignè eſſe electam. Et ſic Domina Imperatrix venit cum Rege & Regina ſororibus & fratribus, & omni militia de loco ad locum, quam ſequebatur omnis populus, hæc videndo & audiendo. Ità quod plus quam viginti millia hominum erant in comitiua & congregatione. Et hæc proceſſio durabat à mane usque ad ſerò.

Die quinta decima menſis Octobris Sereniſſimus Dominus Rex Portugalliæ in platea ante Palatium Dominæ Imperatricis diſpoſuit plures choreas. Et hora meridiei miſit Rex ſex tauros ſylveſtres, ante omnem populum venerunt Sarraceni utriusque ſexus cum Choreis & tripudiis eorum. Et ceperunt duos tauros viuos, quos occiderunt, & in partes diuiſerunt, & ad uſum eorum diſtribuerunt.

Sedecima autem die menſis Octobris Dominus Rex Portugalliæ de Palatio ſuo regio ad ſororem ſuam Dominam Imperatricem cum magna reuerentia veniebat hoc modo. Primò quidem parvus juvenis miræ pulchritudinis & multum ornatus ſedens in magno equo, panno aureo tectus quem ſequebatur currus ornatiſſimus, Galeas, ſcuta, & haſtas pro haſtiludio portans. In medio autem galearum aquila ſuum locum habuit. Deindè veniebant duodecim milites in armis & equis eorum, & magno decore. Et quilibet miles habuit quinque famulos decenter ornatos, in equis portantes haſtas & ornamenta quo ad actus militares. Poſtea venerunt duodecim Heroldi in habitibus & armis eorum in equis benè diſpoſitis. Poſtea tubicinatores & trumpetæ miro modo ornati & ordinati. Poſtea venit Sereniſſimus Dominus Rex Portugalliæ in armis ſuis glorioſiſſime, nunquam ſimilem vidi incedere ita, quem ſequebantur ſex iuvenes in auro & argento & omni decore veſtiti, in equis pulcherrimis. Et venerunt ſic per ciuitatem proceſſionaliter ad vnum palatium magnum, ex lignis & aſſeribus ad hoc conſtructum, cum duabus turribus altis. Turres & tecturæ palacii erant coopertæ cum bouo panno griſeo & nigro, intinctis auro & argento, in quo Palatio Rex habitabat.

Die autem ſeptima decima menſis Octobris, manè ante ortum ſolis venerunt Chriſtiani ex una parte. Sarraceni in alia parte. Homines ſylueſtres, etiam in una parte. Iterum in alia parte Judæi, quilibet iuxta linguam ſuam canens, clamans, & tripudians. Hora autem prima huius diei venit generoſus vir, nomine Lemerent, Capitaneus maior totius maris in Regno Portugalliæ ipſemet quintus, ornatu magno & preciosò in equis. Accedens ad Palatium ubi Dominus Rex Portugalliæ eum ſua militia habitabat, vociferans per Heroldum, ſuum, Dominum Regem Portugaliæ vocans, & omnem eius militiam ad exercendum actus militares. Atteſtatus Rex Portugalliæ ſe velle venire & in omnibus ſe opponere inſinuauit. Et eadem hora venit quædam factura ſerpentis horribilis erecto collo, in qua ſedebat quidam miles pulcherrimè armatus, poſtulans & requirens Dominum Regem Portugalliæ ad luctandum, duellandum, & haſtiludendum. Interim Dominus Rex Portugalliæ eum electis ſuis duodecim preciosò & magno ornatu venit in equis, tectis pannis deauratis usque ad terram. Heroldis & tubicinatoribus trumpetis præcedentibus ad magnam plateam in una parte. In altera verò, parte plateæ venit Dominus Infans, Dominus Fernandus frater Domini Regis Portugalliæ, preciosè & ornatiſſimè eum Heroldis & trumpetis, eum duodecim militibus ornatis. Opponere ſe volens Domino Regi, & ſu[illegible] iſta platea erat magna & lata. Et in medio eiusdem plateæ per longum [illegible] paries ex lignis & aſſeribus factus, diuidens haſti ludentes. Et iſte paries pe[illegible]m erat eum panno bono, griſeo colore coopertus. Deindè venit Elephas magnæ ſtaturæ, fuit una factura, gerens ſuper ſe turrim cum fortiliciis de lignis conſtructa in quo ſteterunt quatuor

tuor tubicinatores, & quatuor parui Æthiopes cum lanceolis & arundinibus magnis, qui proiecerunt ad populum eum pomis pommeranzen. Erat ibi autem parvus & iuvenis Æthiops, nomine Peroblanco, quem Dux Sibiliæ Domino Chriſtophero Vngenad, militi propinauit & dedit. Eo quod idem miles Dominus Chriſtophorus Vngnad, de Ducatu Charinthiæ pro tunc militandi cauſa de regno Granati ad Regnum Portugalliæ venit, qui etiam fuit unus inter haſtiludentes, contra Regem Portugalliæ. Et interfuit iſtis feſtis nuptialibus, eò quod propter diſcrimina viarum & pericula non poterat venire ad Galiciam, trahebant autem prædictum Elephantem plus quàm octuaginta viri, quem ſequebantur octo milites ornati, in equis diuerſarum figurarum & colorum. Primus equus gerebat figuram & colorem veri cerui, tectus panno ſamedino.

Secundus equus gerebat figuram Vnicornis, tectus panno ſamedino usque ad terram. Tertius equus gerebat figuram unius bouis, tectus panno Samedino. Quartus equus gerebat formam leonis, tectus panno ſamedino. Quintus equus gerebat figuram caprieorni, tectus panno ſamedino. Sextus equus gerebat figuram unius urſi ſylueſtris, tectus panno ſamedino. Et ſic de aliis figuris equorum. Et milites inſedentes multum politè & ornatiſſimè ſuo ordine procedebant. Eccè magnificentia & precioſitas, omnia ad honorem regni ſponſi & ſponſæ. Venit autem Rex Portugalliæ ornatiſſimè armatus in equo, cum ſua haſta qui ſuper galea ſua gerebat Baſiliſcum aureum. Frater autem Domini Regis, Dominus Fernandus gerebat ſuper galea ſua faciem auream leonis.

Die decima octaua menſis Octobris continuatis Gaudiis & tripudiis veniebat antè Palatium Dominæ Imperatricis ſponſæ quoddam animal horribile, ad modum Draconis, quod portabant viri quadraginta. Cui inſedebat quidam miles ſplendidè armatus, gerens diadema in capite ſuo. Veniebant autem antè Hoſpitium Oratorum Domini Imperatoris, quaſi quotidiè tubicinatores & trumpetæ cum diuerſis ludis. Et haſtiludentes erant ex utraque parte triginta duo. Et primus haſtiludens primatum tenens habuit à Domina Regina Regni Portugalliæ quæ pro tunc erat impugnata ſcyphum argentum deauratum. Secunda die tenens victoriam haſtiludendo habuit fuſorium deauratum. Tertia die triumphanti dabatur annulus cum lapide præcioſo. Et ſic quarta die ſimiliter. Oratores non ceſſabant ſolicitare negotia apud Dominum Regem. Et iterum miſerunt nuntium ad Imperatorem.

Die decima nona menſis Octobris fuerunt iterum haſtiludia & tripudia ut ſupra. Et eodem die de ſerò de mandato Domini Regis Portugaliæ omnes panni in parietibus tempore haſtiludii affixi & extenti fuerunt à communi populo recepti. Quilibet ſicut rapere potuit ad uſum ſuum.

Viceſima die menſis Octobris ante ortum ſolis venerunt ad plateam turbæ utriusque ſexus diuerſarum linguarum & nationum, cum iubilo & choreis diuerſis. Interim Venatores cum magnis canibus venerunt qui duxerunt Leonem, urſum, & porcum magnum ſylueſtrem, & mirabilem fecerunt venationem. Hora autem ſecunda poſt meridiem venerunt viri in armis, mutuo luctantes & duellantes. Et poſtea duo parui pigmæi adulti luctantes.

Viceſima prima die menſis Octobris haſtiludia fuerunt continuata, & panni boni diuerſorum colorum patieti ex utraque parte pro haſtiludio affixi & extenti: venerunt duodecim comites & milites in magnis equis, tecti pannis aureis quaſi ad terram pulcherrimè in armis eorum. Et quilibet habuit familiarem in equo, eum cum haſta præcedentem. Et quilibet familiaris erat pulcherrimè indutus, vt angeli ſolent depingi. Iſtis ſic haſtiludentibus ad tres aut quatuor horas & recedentibus, venit quidam in magno ornatu, habens magnam comitiuam cum magnis mirabilibus equis vocans ſe Regem Troiæ, habens ſecum tres filios. Primus filius vocabatur Hector. Secundus Priamus. Tertius vocabatur Aiax, in habitibus regalibus & fulgenti apparatu. Appropinquantes ad aulam regiam ac palatium, vbi pro tunc Domina ſponſa Leonora Imperatrix erat. Et Dominus Rex Portugalliæ

cum

cum vxore & duabus ſororibus dominæ Imperatricis, & oratores ac maiores nobiles erant in congregatione & merenda. Qui rex Troiæ per Heroldum ſuum clamans & vociferans, quomodo in longinquis partibus vltra-marinis & principaliter in regno ſuo Troiæ percepiſſet: quod Dominus Rex Portugalliæ & Algarbi, &c. regnorum, qui eſſet vicinus ſuus in Affrica, germanam ſuam ſeniorem dominam Leonoram glorioſiſſimo Domino, Domino Friderico Imperatori, &c. deſponſauerit. Et ad laudem & honorem coronæ Imperialis & Regni ſui magnifica quo ad actus bellicos & militares in regnis ſuis facere & exercere propoſuerit. Ea propter ipſe Rex Troiæ cum filiis & principibus ſuis, in bellicis actibus peritis, ad hæc feſta nuptialia veniſſet. Contra quoscunque cuiuscunque nationis aut linguæ eſſent, ſe opponere velle. Hoc Dominus Rex Portugalliæ cum ſuis commilitonibus audiens, de Palatio ſuo egrediens, cum ſuis ad hæc deputatis benè & ornatiſſimè armatis, cum clamore & iubilo & tubarum clangore ad plateam venit. Ibi coram domina Imperatrice, & ſororibus, & Regina Portugalliæ, &c. ita ſplendida & ornata haſtiludia facta ſunt, quæ nulli viſa ſunt ſimilia. Quia in iſtis fuerunt magni nobiles de Anglia, Scotia, Hibernia, & Sibilia, & quilibet voluit apparere ſplendidè. Et circa occaſum ſolis domina ſponſa ſc. domina Imperatrix, cum domina Regina Portugaliæ per quandam comitiſſam virginem dedit triumphanti annulum aureum, cum gemmis. Et his finitis, de mandato regio panni in parietibus extenti & affixi, à vulgo communi ſunt recepti, quilibet ut rapere potuit, ad vſum ſuum. Eccè magnificentia.

Die Viceſima ſecunda menſis Octobris manè venit quidam Dominus multum ſplendidè in equis, cum ſua comitiua; dicens, per Heroldum ſuum proclamans, ſe eſſe regem in Europa, & populus ſuus proceſſit eum: qui per Heroldum ſuum vocauit ad ſe omnes Reges & principes, dicens. Vos qui præſidetis & habitatis orbem: Eccè mala quæ creſcunt & ſuper nos veniunt, & aperuit magnum librum, & clamans; ait. Juſte iudicate filii hominum, & quod iuſtum eſt exequeris, & multa de iuſtitia. Hora autem meridiei venerunt equeſtres armati, more Paganorum & Sarracenorum, mutuò pugnantes cum clypeis, lanceolis, & dorſiculis. Et habebant equos velociſſimos, & ſaltantes ut capreæ hinnulorum, nomine *genetten.* Et ſunt in magno præcio.

Viceſima tertia die menſis Octobris venit magnus populus coram palatio dominæ ſponſæ, ſcilicet Imperatricis; cum diuerſis inſtrumentis muſicalibus, tubis, buccinis, &c. Et fecerunt quatuor turmas. Primò Chriſtiani utriusque ſexus ad modum eorum cum choreis. Secundò Sarraceni utriusque ſexus, ad modum eorum. Tertiò Judæi utriusque ſexus ad modum eorum plus quàm mille. Quartò Æthiopes Mauri & ſylueſtres homines de Inſula Carmaria, in qua homines habitabant utriusque ſexus nudi: Æſtimantes ſe ſolummodò eſſe & fuiſſe in mundo, &c. Et eſt longa hiſtoria quomodo à caſu inuenti ſunt. In eadem Inſula fides Chriſtiana eſt inchoata & plantata. Hora autem ſecunda poſt meridiem venerunt ſex milites ſplendidè & benè armati, de conſulatu eiusdem ciuitatis Vlixbannenſis: quos totus conſulatus, & maiores natu ſequebantur. Et omnes erant vno colore ſcarlaco rubeo ornatiſſimè veſtiti. Qui milites per Heroldum eorum vocauerunt. Si eſſent incolæ aut aduenæ cuiuscunque conditionis aut ſtatus eſſent, qui haſtiludia aut alios actus militares exercere vellent, ad hanc horam, & ad hanc plateam apti venirent. Statim aliqui milites de palatio regio, & dominæ Reginæ, & plures hoſpites & terrigenæ ornatiſſimè venerunt, opponentes ſe viriliter. Et triumphatori dabantur duo lapidi precioſi, in auro poſiti.

Die Viceſima quarta menſis Octobris Dominus Rex Portugalliæ fecit grande conuiuium, in quodam palatio, ſpecialiter illo tempore conſtructo, quod palatium tapetis diuerſorum colorum & imaginibus diuerſarum figurarum & hiſtoriarum intextis, pulchertimè ornatum erat. In prima menſa & tabula coràm multis & magnis clenodiis, & magnificis argentereis, regali modo poſitis, & cuſtodibus præmunitis ſedebant hæ perſonæ. In primo loco ſub pannis aureis multum fulgentibus

gentibus ſedebat. Domina ſponſa Leonora Imperatrix. In ſecundo loco eiusdem tabulæ ſedebat Dominus Rex Portugalliæ frater ſenior dominæ Imperatricis. In tertio loco ex altero latere ſedebat domina Katharina ſoror dominæ Imperatricis. Et in eius latere in quarto loco ſedebat Dominus infans Fernandus frater iunior dominæ Imperatricis. In quinto loco ſedebat domina Johanna ſoror iunior dominæ Imperatricis. In ſexto loco ſedebant Oratores domini Imperatoris. Et omnes iſtæ perſonæ utebantur pura aqua ad menſam & conuiuium, dempto Domino Fernando fratre Domini Regis Portugalliæ, & Oratoribus Domini Imperatoris, qui vſi ſunt vino benè lymphato. In aliis autem tabulis deſcendendo ſedebat primo Dominus Marchio, Comites, Barones, Milites, Maiores iuxta ordinem. Ex altera parte ex oppoſito illorum ſedebant comitiſſæ, baroniſſæ, generoſæ domicellæ, & omnes in fulgore & ornatibus. Et multæ petantiæ fuerunt pro aduenis miſſæ; quis videbit talia? Et conuiuio facto ſurrexit magna lætitia in omni populo, in Choreis, & tripudiis. Veniebant ſuauiſſimi cantores, canentes carmina muſicàlia, ad duas horas. Poſtea venit magnus populus ſc. Chriſtiani, Sarraceni, Mauri, Judæi, homines ſylueſtres, iubilantes & cantantes per totam noctem. Et multa & maxima lumina per totam ciuitatem ante ædes ſub & ſupra, iuxta ſtructuras domorum.

Die viceſima quinta menſis Octobris domina ſponſa domina Leonora cum magna ſolennitate gloriosè ducebatur ad Eccleſiam Cathedralem eiusdem ciuitatis, vbi corpus ſancti Vincentii quieſcit. In eadem Eccleſia domina ſponſa baptiſata fuit, infantibus diebus, poſt partum ut fieri ſolet. Ibi ſolenniter celebratum fuit officium diuinum de Epiphania Domini. Et ceremonialia in offerendo ad ſummum altare ornatiſſimè, cum oblationibus veniendo reges & principes iuxta ordinem. Sereniſſima domina ſponſa, ſorores: &c. etiam iuxta ordinem cum magno decore, &c. Reuerendiſſimus Dominus Epiſcopus de Affrica officium fecit: dansque omnibus ſuam ſanctam benedictionem & pacem, finitis ceremoniis, magnus populus erat ante prædictam Eccleſiam congregatus, expectans egreſſum dominæ ſponſæ, quæ egrediens, & antè fores Eccleſiæ, vertebat ſe & flexis genibus in terram recepit in nomine Domini licentiam à ſancto Vincentio, & ab eius Eccleſia parrochiali. Et à domina Regina, quæ tum ſequebatur dominam ſponſam, ad certum ſpatium extra ciuitatem. Quia grauida & vicina partui erat. Et ſic proceſſionaliter domina ſponſa per fratres & ſorores, cognatos & amicos, & principes & omnem populum extra ciuitatem usque ad portum maris cum magno gaudio ducta fuit. In portu maris erat nauis magna diſpoſita, nomine Carrata. Sed in Venetiis nominatur propriè Gocken. Ibique domina ſponſa cum ſuis cognatis & virginibus & Oratoribus Domini Imperatoris & cæteris deputatis nauim intrauit, & fecit cœnam. O quantus planctus & fletus populi in littore maris erat! Quia domina ſponſa ab omnibus amabatur, propter eius innatam bonitatem & virtutem. Stetit autem domina ſponſa cum deputatis in portu maris per aliquot dies & noctes, propter ordinationem aliarum nauium, & armigerorum & neceſſariorum: & quotidiè veniebat Dominus Rex Portugalliæ ad conſolandum ſuam germanam dominam ſponſam. Nauibus verò omnibus pro comitiua ordinatis, & ſingulis neceſſariis, bombardis, buxidibus, fundis, Baſiliſtis. Pro uſu & defenſione aptis, etiam Capitaneis, armigeris in bellicis actibus & maximè in mari expertis, ac patronis, gubernatoribus nauium, & Magiſtris Aſtrologis, iuxta ſtellas & polum viarum benè doctis. Iſtis ornamentis ad naues deputatas congregatis, venit Rex Portugalliæ cum ſuo Conſilio Regio, ad præſentiam dominæ ſponſæ vocando omnes Capitaneos, milites, armigeros, officiales, & maiores de nauibus: ad præſtandum de nouo iuramentum, quod velint fideliter agere, & in caſu ſe in mortem dare: Et Domino Marchioni de Valentia, Capitaneo maiori in mari & in terra eundo & redeundo ſub pœna mortis obedire ſtrictiſſimè omnes Capitaneos & officiales mandando & amonendo, &c. Et ſic iſtis peractis Dominus Rex Portugalliæ plura intetlocutoria cum Oratoribus Domini Imperatoris habendo, de tanta expeditione & comitiua, ſuam germanam ſponſam per potentiam per

mare præſentando, & ſingula pro meliori recommendando. Et cum amplexibus valedicens Oratores. O Portugallia, ô Portugallia bona regio; ibi eſt abundantia panis, vini, & olei boni, & multi fructus arborum, larenges, citran, mala granata, ficus, Pomerentz, Lemoni, pecora campi, carnes & piſces, mel, Zuckarum, in pluribus locis in cannis creſcit. Olintria amæniſſimus locus & hortus regius, cum paruo fluvio, cum bonis truttis. Et deuoti fratres ibidem in monaſterio ſancti Hieronymi, ſub regula eius degentes. Portugallia & Algarbi regna reguntur, per adminiſtrationem iuſtitiæ, quæ facit & obſeruat obedientiam, & populo pacem, & competentem in iſtis regnis monetam.

Quarta die menſis Nouembris domina Imperatrix cum domina Curiæ, aut magiſtra curiæ eius, quæ erat multum generoſa comitiſſa, vidua, & aliis virginibus generoſis vocatis, & deputatis, ac Oratoribus Domini Imperatoris & cæteris aliis utriusque ſexus perſonis, in una barca nauigando, venit ad terram, ad quendam Heremitam, qui habuit vnam capellam in honore Mariæ virginis conſtructam & dedicatam. Et eſt vltima Capella in finibus terræ, ſicut in Galicia. In eadem capella audiendo miſſam, quæ cum cæteris perſonis deuota mente confeſſionem fecit. Et corpus Domini cum percepit, & deuotionibus peractis, ſe & totam comitiuam huic Heremitæ, cum oblationibus deuotè recommendauit; & in eodem loco cum ſuis prælibationem de Zuckaro & piſciculis cum pane fecit, & ad Carracam ſerò reuerſa eſt, ibi cænam fecit.

Die quinta menſis Nouembris venit in vna nauicula quidam ſacerdos, portans ſacramentum euchariſtæ in quadam pixide, pendenti in collo; & omnibus in Carraca exiſtentibus cauſa deuotionis corpus dominicum monſtrauit. Et ibidem miſſam ſiccam absque canone legit, & benedictionem dedit. Numerus nauium erat: primò magna carraca, quæ eſt nauis magna, habens duo fortilicia pro armigeris, ad pugnandum in mari, in qua naui erat domina Imperatrix, cum palatio ſuo, ſcilicet tres comitiſſæ. Vna erat de ſanguine regio dominæ Imperatrici coniuncta, Domina Maria multum ſpecioſa, ſed iuvenis: & Viginti quatuor virgines electæ. Et tres viduæ cum cæteris famulabus. Et una virgo quaſi virago fortis & laborioſa, & ſolicita, Maria Paſana. Oratores Domini Imperatoris, & Dominus Chriſtophorus Vngenad miles, qui per Dominum Regem Portugalliæ Oratoribus fuit aſſociatus. Dominus Marchio de Valentia ſupremus Capitaneus: duo Doctores, vnus in ſacra Theologia Magiſter, Laurentius; & alter medicus: & octo milites cum aliis nobilibus & familia. Ita quod in eadem naui fuerunt quingenti homines cum multis attinentiis & aliis neceſſariis. Et homines erant diuiſi in tres partes. Vna pars hominum quæ erat ad nauim gubernandum, ſolebat de mane circa ortum ſolis cibum ſumere. Alia pars hominum quæ erat ad protegendum & pugnandum, ſcilicet Dominus Marchio, cum militibus & armigeris, &c. Cibum ante meridiem cepit. Tertia pars hominum ſcilicet domina Imperatrix cum palatio ſuo, & Oratores Domini Imperatoris cum eorum, &c. tempore meridiei cibum receperunt. Ita in ſingulis nauibus fuit ordinatum. Et de ſero dabantur electuaria, aut de piſciculis ſaſſatis, cum pane bis cocto: niſi quis de propriis aliquid habuit, vſus fuit ad placitum absque igne. Alia erat carraca, in qua erat Dominus Reuerendiſſimus, Dominus Epiſcopus Coymbrienſis, & quidam miles eiusdem Carracæ; & nauis cum aliis militibus & armigeris. Ità quod quælibet nauis in iſta profectione & comitiua habuit, ſpecialem Capitaneum & ordinationem & adminiſtrationem. Ità quod erant duæ Carracæ magnæ, & tres naves magnæ, & duæ naues minores, & duæ grabellæ. Et duæ naues ante menſem præceſſerunt iſtam expeditionem, cum equis, mulis, & familia. Numerus verò hominum ad conducendum Dominam ſponſam Dominam Imperatricem per mare usque ad portum thalamonis, propè Romam & armatam manu erant tria millia hominum.

Eccè potentiam.

Die

Die duodecima menſis Nouembris attractis anchoris omnes naues cum bono vento exierunt portum, cum volantibus velis. Venit Sereniſſimus Dominus Rex Portugalliæ propè & alongè cum quibusdam nauibus in mari, conducens ſuam germanam Dominam ſponſam ad tria aut quatuor miliaria. Et valedicens eam, & totam comitiuam, reuerſus eſt ad palatium ſuum, quem DEus omnipotens cum omni ſua generatione ſemper protegat & benedicat. Eccè qualis diuiſio erat: ſereniſſima Domina ſponſa, & virgo reliquit proprium regnum, omnem generationem eius, modum viuendi, &c. Et dedit ſe ad tàm longam diſtantiam per magna pericula maris. Et ſic in nomine Domini DEI noſtri, & in nomine ſancti Jacobi cum bono vento diebus ac noctibus ſine mora nauigando venimus ad regnum Granati, propè caſtrum fortiſſimum Paganorum, nomine Gibalter. Ibi Dominus Capitaneus noſter, Dominus, Marchio miſit vnam grabellam cum armigeris ad explorandum; & nos conſequenter diebus ac noctibus venimus nauigando ad Barbariam, propè quendam montem magnum, qui dicitur mons Simiarum. Ibi habitabant leones, & multæ ſimiæ, à quibus iſte mons nomen accepit. Videntes hoc Barbari & Pagani, fecerunt in montibus altis de die fumigationes, & de nocte ignem flammantem, deſignantes aliis Paganis per hoc, & Barbaris, ut eſſent cauti: quia Chriſtiani cum potentia venirent ad terras eorum. Ibi in timore & ordinatione magna fuimus.

Viceſima ſecunda die menſis Nouembris, ſcilicet die ſanctæ Katharinæ circa ortum ſolis nauigando fuimus in Affrica, vltra mare propè Ceptam. Et omnes homines flexis genibus ſuſceperunt & orauerunt, vt DEus daret nobis portum ſalutis. Et ibi recepimus primum portum, ab exitu, de Regno Portugalliæ. Et eodem die fuit ordinatum, quod Domina ſponſa & virgo Imperatrix, cum certis perſonis utriusque ſexus, & Oratores Domini Imperatoris Dominus Chriſtophorus Vngenad, & de aliis nauibus etiam certæ perſonæ, caperent terram. Et ſic poſt meridiem domina ſponſa cum trecentis perſonis ex tota comitiua ciuitatem Ceptenſem, cum trumpetis & buccinis intrauit; venerunt de eadem ciuitate obuiam Capitanei, milites, nobiles, armigeri, in armis militaribus & mirabilibus. Et totus populus cum gaudio ad ſuſcipiendum Dominam Imperatricem cum ſuis, quia pauci ex comitiua tota viderunt iſtam ciuitatem: quia in eadem ciuitate Dominus Rex Affricæ reſidentiam habuit. Et Hannibal ibidem grande palatium miro modo conſtruxit. Sed Sereniſſimus Dominus Rex Portugalliæ Dominus Eduardus, pater Dominæ ſponſæ, grauibus & magnis expenſis eandem ciuitatem obtinuit, & Affricanos expugnauit. O magna palatia, & magnæ, & fortes & mirabiles ſtructuræ in turribus & fortiliciis. In eadem ciuitate Domina Imperatrix ad tres dies moram fecit. Quia multum debilitata fuit, ſic vltra mare veniendo. Et erat tunc temporis magnus calor, & æſtus ſolis, & aëris in eadem terra. Eò quod homines pro tunc plantauerunt olera & ſemina in agris & hortis, quemadmodum citra feſtum Viti in Styria, in Gretz, & in noua ciuitate ultra montem Semericum fieri ſolet. Cepta eſt magna ciuitas, in duplo maior quàm Wienna in ducatu Auſtriæ. In iſta ciuitate Ceptenſi fuerunt multa Oratoria Sarracenorum, quò ad Machometum DEum eorum. Et maior Eccleſia ibidem quæ quondam fuit Paganorum iuxta morem eorum conſtructa, habens columnas erectas in altum, usque ad teſtitudinem centum & octoginta de diuerſo marmore diuerſorum colorum. Et propè ſummum altare ſunt duæ ſtatuæ de nobili lapide, quaſi viridis coloris, de lapide ſerpentino. Jam eſt Eccleſia Chriſtianorum Cathedralis in honore beatæ Mariæ virginis conſecrata. Ibi dantur ſigna peregrinis. Sed rarò adveniunt propter magnam diſtantiam. Alia eſt Eccleſia extra muros maiores prædictæ ciuitatis, etiam in honore ſanctæ Mariæ virginis de gratia, in qua multa ſigna fiunt. In eadem Eccleſia ad mandatum dominæ noſtræ Reginæ & ſponſæ dominæ Leonoræ; Ego Nicolaus Lanckmann de Valckenſtein in eius præſentia miſſam legi. Tertia Eccleſia in eadem ciuitate habet magnas ſtructuras & ædificia. Et eſt conſecrata in honore ſancti Jacobi Apoſtoli. Ibi fratres minores habent conuentum. In eodem

conuentu reperi deuotum fratrem prædicti ordinis, qui in die ſanctæ Margrethæ fuit mecum ad ſanctum Jacobum in Galacia, qui duxit me ad plura loca illius ciuitatis. Ibi in Cepta eſt vnus fons communis ſub alta teſtudine ad modum cuiusdam magnæ Eccleſiæ. Ibi in Cepta eſt grande Palatium, in quo quondam Rex Affricæ & Hannibal habitabant. Et idem palatium habet partes ex oppoſito diſtantes, parietes & pauimenta miræ pulchritudinis, cum diuerſis lapillis politis, diuerſorum colorum, ſicut parietes Eccleſiæ ſancti Marci in Venetiis. In eodem palatio domina noſtra domina ſponſa Imperatrix Leonora habitabat. In eodem Caſtro Regio ſunt tria balnea pulcherrima, miro modo diſpoſita & delectabilia. Et propè eſt hortus Regius, & pulcherrimus, ac diuerſis & nobis Chriſtianis alienis arboribus & plantis ignotis. In quo horto Imperatrix cum ſuis merendam fecit. Et per manus proprias quendam hortulum in memoriam plantauit, & pro arra eidem vnum ducatum dedit. Ibique erat pomus, quæ habuit ità longa & folia lata, quod Domina Imperatrix cuidam puero ſex annorum ex duobus foliis pallium quaſi ad terram fecit. Iſtis verò diebus Dominus Comes, ſcilicet Capitaneus eiusdem ciuitatis, & Dominii, cum mille armigeris ivit contra Paganos, ad quandam ciuitatem Paganorum, ſex miliaribus diſtans nomine Tangere. Et reuerſus eſt cum gaudio, portans captiuos certos Paganos, aſinos, mulos, vaccas, &c. Domina Imperatrix mandauit, ut Pagani, nomine eius liberti abirent. In eadem ciuitate Ceptenſi habuerunt Pagani alta & magna Oratoria, & precioſa, pro idolis eorum conſtructa. In eodem Dominio omnes Chriſtiani habent à ſede apoſtolica plenariam abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum, iuxta tenorem bullæ, quod quotidiana pugna & bella contra Affricanos & Paganos in mari & in terra gerunt. Paucis annis elapſis Rex Tunes in Affrica captivum duxit Dominum Fernandum, filium Regis Portugalliæ, fratrem fratris Imperatricis, ad quandam ciuitatem nomine Fees, ibi propè fuit Eccleſia Cathedralis Ypponenſis, ubi ſanctus Auguſtinus fuit Epiſcopus, qui natus eſt in vna ciuitate, quæ vocatur arabicè Daga, &c. & propè eſt ciuitas magna Carthago, in qua Hannibal & Haſtibal fortiſſima Caſtra, habebant, quem Romani proſtrauerunt. A multis Affricanis audiui, quem circa ſepulchrum bonæ memoriæ ipſius Domini Fernandi Portugalliæ Regis in Affrica, ubi pro fide Chriſtiana & liberatione populi ſui defuncti multa ſigna fierent. O bona & fertilis terra Affrica. Sed pauciſſimi Chriſtiani.

Penultima die menſis Nouembris de mane poſt miſſam Domina Imperatrix cum ſuis naues intrauit. Et eodem die cum bono vento nauigando diebus & noctibus venimus per diuerſa regna maris, & declinauimus verſus regnum Valentiæ. Ibi Dominus Marchio Capitaneus, miſit vnam grabellam cum certis armigeris ad terram, pro carnibus & fructibus & aquis dulcibus, quia in mari cito putreſcit. Similiter & panes ſtatim putreſcunt niſi bis eoctus. Et ſic continuò nauigando non quieſcendo die noctuque venimus propè quandam Inſulam magnam, habens magnas ciuitates & caſtra. Et eſt regnum Maioricarum. Hæc Inſula fuit quondam Barbarorum, tunc autem Domini Regis Arragoniæ, qui miſerunt ad nos quis aut vnde eſſemus.

Sed non fuit eis dictum propter reverſionem nauium. Sed in die ſancti Nicolai venimus ad magnum & altum mare Hiſpanicum, per gulfum Leonis. Ibi mare per maximè perturbat & reſoluit ſe. Et dicitur Syrtis. Et ille gulfus & Syrtis durauit per diem & noctem. O mirabiles elationes maris: & omnis homo fuit debilitatus, & maximè Imperatrix cum delicatis ſuis virginibus. Et poſtea venit nobis ventus contrarius, & valdè timuimus retrò nos gulfum & Syrtim Leonis. Ibi vidimus multa & diuerſa monſtra maris. Et ſic neceſſitati per ventum contrarium venimus cum magna difficultate propè Inſulam ſcilicet Marſiliam. Et ibi erant piratæ, & raptores, cum tribus nauibus & cum duabus galeis. Noſtræ naues erant diſperſæ. Sed ad ſigna & ſonitus bombardarum, & ad ſonitum buccinarum venerunt naues noſtræ, & inuaſimus in aquis iſtos raptores & piratas, qui magna damna in pluribus prouinciis marinis mercatoribus & aliis Chriſtianis intule-

intulerunt. Et noſtræ naues erant magnæ, & non ſtatim per anchoras fundum receperunt. Conuertimus eos in fugam & maiora bona quæ ipſi in nauibus eorum habebant, detulerunt ad galeas eorum. Noſtri armigeri & bellatores cum duabus grabellis inuaſerunt unam nauim, quam per ignem & picem combuſſerunt. Aliam nauim cum inſtrumentis ad hoc aptatis perforauerunt, & in profundum maris demerſerunt. Duæ verò galeæ cum raptoribus & maioribus bonis eorum in fugam contra ventum venerunt. Tertiam nauim noſtri receperunt, ſed pauca bona invenerunt, niſi certos raptores, pannos, & anchoras, cattos, vtenſilia, vnam campanam, & bonum vinum: de quo uſus ſum. Et ſic totum diem cum iſtis raptoribus concluſimus. Et omnes naues noſtræ miſerunt anchoras, & ſtetimus in eadem Inſula Marſilia per duas dies. Et hic recepimus ſecundum portum ab exitu de regno Portugalliæ. De eadem Inſula venerunt Capitanei maiores, cum potentibus mercatoribus illius Inſulæ, cum propinis diuerſis, perdicibus, regulis, mutonibus, panibus, vino, & fructibus: cupientes ſcire unde aut quis eſſemus; cum tali potentia tempore interdicto in mari. Fuit eis dictum nos eſſe Chriſtianos, & amicos & non plus. Sed aliqui ex nobis vellent videre loca ſancta, ſcilicet ſpeluncam & ſepulchrum ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ſanctæ Marthæ, ſancti Lazari, & ſancti Maximini. Vidimus Capitaneum Inſulæ in timore, de tanta potentia nauium & armigerorum. Et reuerſus eſt de mane cum uno magno boue, & aliis optimis carnibus illius Inſulæ, & bono vino, & piſcatis, ſpeciali propina. Et valdè deſiderabat ſcire, & fuit ſibi ad partem dictum, qui multum gaudebat, qui & auxit propinas.

Die octaua menſis Decembris in portu Marſiliæ venit tempeſtas magna, & eleuauerunt flumina fluctus ſuos, & procellæ magnæ; Ita vt naues noſtræ ſaltabant in anchoras ut canes in cathenis. Carraca ſcilicet nauis noſtra, in qua erat Domina Imperatrix ſponſa, cum ſuis; fregit omnes funes anchorarum & fuimus in puncto mortis. Omnis homo confitebatur, & commendabat ſe DEO. Patronus & gubernator nauis huius non habuit niſi unam anchoram magnam & grauem, cum uno magno & longo fune, de puro ſerico; nomine Saluator, quaſi vita noſtra & ſalus ſtaret in iſta anchora & fune. O quantus labor erat omnium, per medium diem & totam noctem, cum fune & anchora. O quanta lamenta omnium hominum. Et multa vota fuerunt DEo facta. Specioſitas virginum & mulierum immutata fuit. Iſta tenella comitiſſa de ſanguine regio Domina Maria virgo, quaſi agoniſando attraxit ſpiritum. Et de conſilio Dominæ ſponſæ Imperatricis, & maiorum utriusque ſexus, vouimus unanimi conſenſu de propriis noſtris omnium expenſis dirigere duos peregrinos ad ſanctum Jacobum in Gallicia, & verè ſtatim tempeſtas & ventus mitior erant. Aliæ naues noſtræ iuerunt in diſperſionem. Et ad ſtatim dum ventus erat pro nobis bonus, Patronus nauis noſtræ extraxit unam magnam barcam, quæ erat in Carraca noſtra, & miſit quadraginta octo ſamulos marinos, ad quærendum anchoras, & de mane reuenerunt cum duabus magnis anchoris. O magnus labor eſt cum anchoris attrahendis.

Die duodecima menſis Decembris iterum nauigando venimus in altitudinem maris, propter naues noſtras diſperſas, quæ ſucceſſiuè venerunt ad nos, allegantes maxima pericula maris, & dixerunt; ſe vidiſſe aliquas naues inſequentes nos de Barbaria. Dominus Marchio Capitaneus miſit retrò nos unam grabellam, cum peritis armigeris, pro cuſtodia, & nos ſimul in ordine congregati venimus diebus & noctibus nauigando, & declinauimus ad portum Grinaldo, quæ eſt una Inſula. Sed nullum hominem vidimus. Et fuit in vigilia natiuitatis Domini: & invenimus bonam aquam ad potandum. Et ibi vidimus multa & mirabilia monſtra marina. Eccè ibi tertius portus ab egreſſu de regno Portugalliæ.

Die natiuitatis Domini noſtri JEſu Chriſti ſtetimus in eodem portu. Ibi quidam religioſus de noſtra comitiua legit in naui coram Domina Impeſatrice & ſuis miſſam perfectam. Et fecimus grande feſtum, & iuxta votum factum deputati ſunt tres, qui collegerunt pecunias, pro duobus peregrinis mittendis ad ſanctum

Jacobum ad Galliciam; & miſimus duos. Etiam Oratores Domini Imperatoris ex eodem portu miſerunt nuncium cum literis ſuam maieſtatem auiſando.

Die altera ſcilicet die ſancti Stephani, ſcilicet anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, receepimus viam, & venimus diebus & noctibus nauigando, & declinauimus verſus Delphinatum; ibi præmiſit Dominus Marchio Capitaneus noſter vnam grabellam cum armigeris, pro cuſtodia noſtra qui altera die reuerſi ſunt, dicentes: Quod multi raptores & piratæ eſſent congregati in quodam portu maris, penes quandam ciuitatem Nicia, qui eſſent diſpoſiti ad iuvandum nos. Dominus Marchio adiunxit eis plures armigeros bellicoſos cum neceſſariis. Ità ut benè erant trecenti qui ſe occultaverunt in grabella. Et miſit eos ad portum raptorum. Et patronus grabellæ erat absque armis, qui inſtanter pacificè in dolo petiuit à Capitaneo ſalvum conductum, qui dare recuſauit. Et potenter plus quàm centum raptores & piratæ armata manu grabellam noſtram intrauerunt. Noſtri armigeri occultati proſilientes, & cum raptoribus magnum conflictum habuerunt. Aliquos occiderunt, aliquos foras ad mare viuos proiecerunt. Alii verò raptores ſociis eorum in auxilium venire voluerunt. Viderunt naues noſtras eis appropinquare, venerunt cum bombardis & iaculis contra nos. Æſtimantes nos eſſe mercatores. Nos uerò ſimul quaſi per cordam cum noſtris bombardis & iaculis & ſagittis venimus, quaſi ad portum eorum, ubi erat ciuitas quæ una cum Raptoribus & piratis hoſtiliter venit contra nos, in mari & in terra impetuoſè irruendo in nos. Et non habuimus ventum pro nobis. Noſtri vero armigeri & bellatores, cum armis eorum quaſi quadringenti venerunt ad terram, per quos hoſtes fugam dederunt ad ciuitatem. Et iſta nocte ſtetimus in mari cum magna cuſtodia & ordinatione. Quia non habuimus ventum qui extra portum duxiſſet nos.

Noſtri tamen eadem nocte receperunt piratis unam nauim, ſatis ornatam & pulchram, quæ fuit cuiusdam mercatoris potentis venientis de Alkeyra qui & incidit inter latrones. Et de noſtris fuerunt interfecti unus miles, & octo armigeri, qui ſepulti ſunt in mari. Et ſedecim vulnerati. O quanta pericula in mari. Et periculoſus modus pugnandi in mari. Altera verò die antè ortum ſolis Dominus Marchio ordinauit quadringentos armigeros & bellatores bonos ad terram. Et trecentos penes portum in mari, ad explorandum & cuſtodiendum. Sed nemo de hoſtibus comparuit. Noſtri autem reperierunt fontem ſcaturientem dulcem, qui nunciauerunt nobis. Statim cum lætitia miſimus unam magnam barcam, cum paruis vaſis & aliis hauſtoriis aquam ad potandum. Magnum enim defectum in aquis dulcibus ad potandum habuimus, præſertim pro Domina noſtra ſponſa Imperatrice, quæ non bibebat vinum. Et circa meridiem huius diei venit magnus populus congregatus in terra contra nos, cum panneriis, trumpetis & armis. Volens utique ſcire potentiam tantarum navium maris, cum armis bellicis tempore Hyemali. Et miſerunt ſuam honeſtam legationem ad nos, ſcilicet duos milites, dicentes. Vos qui aut unde venitis ita potenter, aut quæ eſt intentio veſtra. Iſti in terra de noſtris nolebant dare reſponſum, niſi prius facerent, vt eſſet pax inter partes. Et miſerunt ad Dominum Marchionem Capitaneum; qui reſpondit eis. Pax ſit inter nos & vos. Nos ſumus Chriſtiani, & venimus de ultimis finibus terræ, & cupimus videre Romam. Et in loquela cognouerunt Dominum Marchionem Portugallenſem eſſe, & dixerunt. Nos ſumus ſub primogenito filio ſereniſſimi & Chriſtianiſſimi Domini, Domini Franciæ, qui eſt amicus Domini Regis Portugalliæ. Si poſſumus aliquid boni vobis facere, parati ſumus nos offerendo. Sed de raptoribus & piratis maris nihil ad nos, quia aduenæ ſunt. Et habuerunt multa interrogatoria ex parte raptorum, ſed Delphiniſtæ doloſi erant.

Die alia venit ventus pro nobis, & omnes naues noſtræ receperunt viam, navigando diebus ac noctibus. Et venimus prope quandam Inſulam quæ dicitur Corſica. Et eſt quoddam regnum Domini regis Arragoniæ, ubi creſcit bonum vinum. Dominus Chriſtophorus Vngnad incepit debilitari. Et conſequenter nauigando

gando venimus ad Dominum Dominorum Januenſium. O Januenſes habent bonum portum maris, ex eo potentes ſunt in mari, qui miſerunt ad nos; Quis aut vnde eſſemus. Sed non fuit eis dictum. Et habuimus bonum ventum pro nobis & declinauimus ad Italiam. Et ſic diebus ac noctibus venimus in die purificationis ſanctæ Mariæ verſus ciuitatem Piſanam, & ibi recepimus quintum portum ab exitu de Regno Portugalliæ. Et iſto die ſancto purificationis quieuimus in portu Leonora, diſtans duobus miliaribus à ciuitate Piſana. Et nullus hominum exiuit naues. Quia iuxta compactata debebamus, ad portum Thalamonis ſub Domino Dominorum Senenſium portum cepiſſe. Et ibidem alios Oratores Sereniſſimi Domini Imperatoris inuenire. Sed ventus fuit contrarius nobis. Et omnis homo debilitatus fuit, maximè virgines, & verè multi utriusque ſexus infirmi erant.

Die tertia menſis Februarii ſcilicet die ſancti Blaſii, domina ſponſa Imperatrix noſtra cum Domino Marchione conuocauit conſilium. Et ibidem fuit decretum. Quod vnus Oratorum Domini Imperatoris qui ſingula tractâſſet, & vidiſſet, ea quæ facta fuerunt, deberet quærere Sereniſſimum Dominum Imperatorem; ſi ni aut ubi eſſet, & ſuam maieſtatem de ſingulis informare. Et quare cum tot navigiis & populo non poſſet ad portum Thalamonis venire. Vnus Oratorum ſcilicet Magiſter Jacobus Motz, erat per turbationem maris infirmus, & contractus, & non voluit. Alter Oratorum Nicolaus Lanckmann, qui erat etiam debilis. Non obſtante tamen idem recepit onus in ſe, iuxta ſuam poſſibilitatem, & fuit ductus cum uno famulo ad portum ſc. Leonoram. Ibi conuenit duos equos usque ad ciuitatem Piſanam. Ibidem comparauit ſibi duos equos. Et poteſtas prædictæ ciuitatis ordinauit ſibi fidelem viatorem in equo, cum prædicto Oratore die & nocte non quieſcendo, verè cum magna debilitate & patientia venit ad Florentiam, ſcilicet die ſanctæ Agathæ. Quando Dominus Sereniſſimus Dominus Imperator, Dominus Ladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex, &c. Dominus Albertus Dux Auſtriæ Comites & Barones de Vngaria N. De Pöſing de Crabatia Yban de Auſtria verè N. de Maidburg. N. de Schaunberg, &c. Infra nonam & decimam horas ante meridiem, quando in Florentia volebant audire miſſam ad ſanctam Mariam ad annunciatam. Idem Orator Nicolaus in Platea obuius fuit. Qui (ut decuit) de equo ad terram & flexis genibus, Dominum Sereniſſimum, Dominum Imperatorem, &c. cum gaudio vidit. Quem Dominus Imperator gaudenter ſuſcepit. Et finito officio diuino & conſilio congregato, prædictum ſuum Oratorem Nicolaum audiuit. Ad ſtatim Dominus Imperator miſit literas ſuas ad ſponſam prælectam. Et ſicut fieri mandauit, factum eſt. Nauibus tamen omnibus in portu Leornæ cum armigeris & aliis neceſſariis benè prouiſis.

Die ſeptima menſis Februarii Sereniſſimus Dominus Imperator ex Florentia miſit ſuum ſolennem ambaſcatorem, & legationem ad ſuſcipiendam dominam ſponſam, dominam Leonoram virginem in Piſana ciuitate, ſcilicet Ducem de Teſchyn. Comites de Maidburg, Schaunburg quàm plures generoſos. Ex alia parte de portu Thalamonis nomine Domini Imperatoris venerunt: Reuerendiſſimus in Chriſto pater & Dominus, Dominus Æneas Senenſis Epiſcopus. Dominus Albertus de Pottendorff, baro, cum uxore ſua quæ fuit de genere Lichtenſtein, de Murau. Dominus Georgius de Volkenſtorff Baro. Dominus Bernhardus Tehenſteiner, cum vxore ſua. Dominus Waltaſar Rattenberger, miles, & plures nobiles. Et generoſæ virgines de Auſtria, Margaretha Zinckendorfferin, virgines & baroniſſæ. Et Vrſula Neydeckerin, Virgines generoſæ, cum nobilibus dominabus ſcilicet Pellendorfferin, &c. Et quam plures generoſi & nobiles utriusque ſexus, plus quam quingentæ perſonæ conuenerunt ad Piſanam ciuitatem, nomine Domini Imperatoris, ad ſuſcipiendam ſuam ſponſam prælectam. Ad mandatum verò Imperatoris reuerſus eſt Nicolaus Lanckmann cum prædictis Dominis & generoſis ex Florentia, ad Dominam ſponſam virginem Leonoram, quæ diligentiſſimè & confidenter à prædicto Nicolao quæſiuit de valetudine Domini Imperatoris ſponſi,

& Domi-

& Domini eius. Si de ſingulis quæ in Regno Portugalliæ in Affrica citra & ultra mare ac in mari in iſta profectione contigiſſent Domino Sereniſſimo Domino Imperatori narrâſſet ac declarâſſet. Si ſua Maieſtas compaſſionem habuiſſet aut aliqua placuiſſent. Et iſtis ac pluribus aliis hinc indè narrantibus præ magnitudine amoris erumpebant lachrymæ eius. Et maieſtas ſua non poterat ſe à fletu continere. Quieuitque in eadem ciuitate Piſana domina ſponſa per aliquot dies, gaudia & inter locutoria Portugallenſes & Almani ſimul facientes. Piſana eſt ciuitas magna, quam aqua fluens per longum diuidit, quæ quondam terram ſanctam regebat. In cuius obedientiæ ſignum terra ſancta habuit mittere ſingulis annis unam propinam ad Piſanam ciuitatem: Sicut ibidem in maiori Eccleſia factum fore videtur. In eadem ciuitate in monaſterio ſancti Franciſci ſepultus eſt quidam Dux Auſtriæ, Dominus Joannes, qui fratrem ſuum regentem interfecit. Qui tunc ſepultus fuit in Kunigsfeldt in Suetia.

Die decima nona menſis Februarii Domina Leonora ſponſa cum Domino Marchione de Valentia cum certis terrigenis utriusque ſexus Regni Portugalliæ & Auſtrales cum eorum comitiua iuxta ordinem factum & ordinatum venerunt per aliquot dies per ciuitatem & caſtella verſus ciuitatem Senenſem, in qua ciuitate Sereniſſimus Dominus Imperator, & Dominus Ladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex, &c. Dominus Albertus Dux Auſtriæ germanus Domini Imperatoris, eum eorum principibus. Comitibus, Baronibus, militibus etiam de ſacro imperio, &c. Nec non ſedis Apoſtolicæ, Cardinales, Legati, &c. Et Domini Veneciani, Florentini, Bononienſes, ac plures Italici generoſi & nobiles, qui ibidem congregati fuerunt, expectantes præſentiam dominæ Auguſtæ ſponſæ, qui cum magna ordinatione ſolennitate & honore venerunt dominæ ſponſæ in campis obuiam. Eius Maieſtatem & omnes in eius præfectione veniendo, gratè ſuſcipiendo. Sereniſſimus Dominus Imperator, Dominus Fridericus videns ſuam ſponſam virginem, & electam appropinquare, venerunt pedeſtres mutuò, & cum gaudio amplexus eſt eam. Et eius totam comitiuam gratiſſimè ſuſcepit. Et in perpetuam rei memoriam in eodem loco ante portas ſtatua lapidea eſt erecta. Vt patet intuentibus. In eadem ciuitate Senenſi ſic moram & quietem ac interlocutoria & conſilia habuerunt. Et ſic ſingulis diebus Domini Senenſes propinas ac reverentias tam Domino Imperatori quàm ſuæ ſponſæ electæ fecerunt. Sereniſſimus Dominus Imperator, & Dominus Rex Vngariæ, ac de ſacro Romano Imperio nobiles & communitates, & eum eorum comitiua cum exercitibus venerunt per ciuitates & caſtella verſus urbem Romanam, ſecuta eſt domina ſponſa domina Leonora cum ſuis deputatis iuxta ordinem factum. Et ante urbem Romanam more prædeceſſorum Dominorum Imperatorum Romanorum cum omni populo in campis caſtrametati ſunt tentoria erigentes. Et ibidem in campis per noctantes.

Die verò octaua menſis Marci in campis ante urbem Romanam per illuſtrem principem Dominum Albertum Ducem Auſtriæ. Qui erat totius populi ſupremus Capitaneus, fuit ordinatio facta; Tàm in populo Almanorum, quàm Portugallienſium utriusque ſexus, quod omnes ſub pannerio ſancti Georgii & pannerio ſacri Romani imperii deberent Romam intrare. Et quilibet ordinem & locum ſuum immutabiliter obſeruare. Quia plus quàm quinque millia hominum utriusque ſexus equeſtrium cum magno ſplendore & apparatu in illa profectione erant. O quis vidit unquam huiusmodi proceſſionem penſando perſonas & dignitates perſonarum, intrando ad portas urbis; Et obuiam veniendo cum tanto clangore tubarum ac cantantium & cum iubilo clamantium. Senatus populusque Romanus, & de regali ſtirpe & principis Romani cum Dominis Patriarchis. Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. Et ex omni natione quaſi quæ ſub cœlo eſt Sereniſſimo Domino Imperatori & eius ſponſæ electæ cum magna reuerentia obuiam venerunt. Et ſic infra octauam & nonam horas autè meridiem intrauerunt portas vrbis, penes caſtrum ſancti Angeli. Et venerunt quilibet in ordine ſuo ad gradum & aſcenſum Eccleſiæ ſancti Petri, ubi ſupra gradum ſummus Pontifex Dominus

nus Papa, dominum Imperatorem & eius Auguſtam ſponſam, ac dominum Ladislaum Vngariæ & Bohemiæ regem, dominum Albertum Auſtriæ ducem cum benedictione gaudenter ſuſcepit. Ac eis manus ſuas ſacras & pedem ſolito more ad oſculandum antè fores Eccleſiæ ſancti Petri præbuit. Et ibidem arenga facta eſt. Et ad manus trahendo ad Eccleſiam ſancti Petri intrando pulſando, ſonando. Buccinando organiſando. Et cum iubilo cantando ad ſummum altare & ſanctæ Veronicæ. Et ad alia ſancta loca prædicta Eccleſiæ cum gratiarum actione duxit. Et magnus populus ſequebatur & eorum orationibus & devotionibus ad DEum & ſanctos eius. Hac vice completis ſereniſſimum dominum Imperatorem & eius cognatum Ladislaum regem, &c. Ad unam partem, & dominam Imperatricem ſponſam cum ſuis virginibus ad aliam partem ad deputata palatia dominus Papa perſonaliter cum ſuis Cardinalibus conduxit. Omnisque populus ad hoſpitia deputata declinauit.

Die nona menſis Martii & diebus ſequentibus dominus Imperator & eius ſponſa virgo. Dominus Rex Ladislaus. Dominus Albertus dux Auſtriæ. Dominus Marchio de Portugallia cum eorum militibus nobilibus utriusque ſexus, &c. Limina ſanctorum Petri & Pauli & ſancti Johannis, & alia ſacta loca intra & extra muros vrbis devota mente viſitauerunt. Ordinem ſeruando propter tumultum populi ac de eorum peccatis & criminibus puram confeſſionem & pœnitentiam condignam perfecerunt. Etenim ſereniſſima domina ſponſa & virgo domina Leonora gratiam & indultum ſpeciale pro ſe & pro omnibus utriusque ſexus qui in huiusmodi profectione ad urbem veniſſent, &c. a ſummo Pontifice tunc impetrauit.

Die decima ſexta menſis Martii ſc. feria quinta qua canitur; Salus populi ego ſum. Sanctiſſimus dominus Papa dominum Imperatorem dominum Friderieum & eius Auguſtam dominam Leonoram virginem, &c. ad ſanctum Petrum in facie Eccleſiæ copulauit & coniunxit. Summus Pontifex pro omnibus largas expenſas in urbe fecit.

Die Dominica in media quadrageſima qua in Eccleſia DEI canitur. Lætare Jeruſalem. Anno Domini milleſimo quadrageteſimo quinquageſimo ſecundo die menſis Martii decima nona ſanctiſſimus Dominus Papa Nicolaus quintus more ſolito in Eccleſia ſancti ſolenniter diuinum officium cum ceremoniis canere incepit. Ac Sereniſſimum Dominum Dominum Fridericum pro tunc Romanorum Regem, &c. & eius ſponſam dominam & virginem Leonoram ante altare cum magna ſolennitate in præſentia Dominorum Patriarchæ Aquilegienſis. Cardinalium, Archiepiſcoporum. Vngariæ Regis Domini Alberti Auſtriæ Ducis. Domini Marchionis de Valentia. Comitum baronum utriusque ſexus nobilium, &c. In nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis benedixit conſecrauit vnxit ac inſulis Imperialibus magnificè coronauit. Et eis benefacientibus ac benedicentibus benedixit. Eis verò maledicentibus ac malefacientibus Dominus Papa maledixit. Ecce Monarcha hic eſt primus Imperator & Cæſar de domo Auſtriæ. Qui ſummum terrenum honorem ducatui Auſtriæ per ſuam perſonam ſc. dignitatem imperialis celſitudinis attulit. Caveat ergò unusquisque ne offendatur ne ex huiusmodi offenſione crimen læſæ maieſtatis usque ad tertiam generationem incurrat. O quanta iubilatio & ſuauis cantus cantorum & ſonitus Campanarum ac canentium. Et variis linguis DEum laudantium. Et te DEum laudamus usque ad finem cantantium cum certis adaptatis obſecrationibus & collectis pro his perſonis ſic coronatis. Officium iſto die fuit ſolenniter concluſum. Iſte eſt multum magnus & ſolennis & ſolennis actus cum iuramento præſtico, &c. Quis unquam audiuit aut legit ſimile. Quod virgo ante carnalem copulam terrena & imperiali inſula ità Deificæ dignæ & magnificæ Roma ſit coronata vncta & conſecrata ac benedicta niſi præſens regia virgo Domina Leonora de ſublimi celſo ſtatuque Regni Portugalliæ clariſſima, &c. Iſtis ſic ſolennitatibus peractis glorioſiſſimus Dominus Imperator

cum cognato ſuo Domino Ladislao Vngariæ & Bohemiæ Rege. Et eorum Principibus Comitibus. Baronibus generoſis, &c. cum magno gaudio & ordinatione ad caſtrum ſancti Angeli ad portum Tiberinum venit. Ibique more ſuorum procedeſſorum Dominorum Imperatorum multos nouos milites creauit. Et ulterius per urbem proficiſcendo ad ſanctum Johannem & ad Palatium Lateranenſe. Ibi more ſolito gratiarum actiones & deuotionem ſuam habuit ac ſe DEO commendauit. Et in reuerſione iterum nouos milites creauit. Et ad Palatium ſuum propè ſanctum Petrum redit. Et poſt coronationem propria negotia & ſacri Romani imperii ac totius Chriſtianitatis cum ſummo Pontifice & ſuis Cardinalibus videlicet ut decuit tractauit. Et per aliquos dies in urbe permanſit.

Die viceſima quinta menſis Martii glorioſiſſimus Dominus, Dominus Imperator, Dominus Fridericus tertius Sereniſſimum Dominum Dominum Ladislaum Vngariæ & Bohemiæ Regem, &c. cognatum ſuum ſummo Pontifice atque reverendiſſimis Dominis Cardinalibus & totam eius curiam omni cum diligentia commendauit. Solicitatores in cauſis conſtituit usque ad reditum de Neapoli. Et profectus eſt cum ſuis Principibus, Comitibus, Baronibus, militibus nobilibus verſus Regnum Siciliæ & Napuliæ aciem vertit. Et profectus eſt per ciuitates, caſtella, oppida. Per aliquos dies venit Sereniſſimus Dominus, Dominus Alfonſus Arragoniæ Siciliæ citra & ultra factum Valentiæ Jeruſalem Vngariæ Maioricorum Sardiniæ & Corſicæ Rex. Barchionenſium Athenarum & Neopatriæ Dux. Beſſitionis & Ceritaniæ Comes, &c. Glorioſiſſimo Domino Imperatori, Domino Friderico potenter & magnificè cum omni honore obuiam venit & cum omni ſua comitiua gaudenter ſuſcepit & recepit. Et ad ciuitatem Neapolitanam ad Palatium deputatum cum omni honore & gaudio conduxit. Et quem ſecuta eſt Sereniſſima Domina Imperatrix ſponſa & virgo de Vrbe Romana cum ſuis utriusque ſexus deputatis valedicens Dominum Papam ſanctiſſimum qui ſuæ Maieſtati ſuam ſanctam benedictionem dedit. Quam Dominus Ladislaus Vngariæ & Bohemiæ Rex cum ſuis Comitibus, Baronibus. Militibus ac aliis ſuis nobilibus. Et quaſi tota curia Domini Papæ extra portas ciuitatis honorificæ conduxerunt. Qui reuerſi ſunt ad urbem domina Imperatrix Domina ſponſa cum ſuis utriusque ſexus nobilibus venit per terram Dietim per ciuitates, Caſtella & oppida usque ad metas Neapolitanæ ciuitatis. Cui prælibatus Sereniſſimus Arragonum & Siciliæ Rex multum ſplendidè & politè cum ſuis Principibus, Comitibus utriusque ſexus nobilibus obuiam venit. Et prædictam dominam Imperatricem dominam Leonoram, &c. tanquam Chariſſimam filiam gaudioſè in campis ſuſcepit & accepit. Et eius totam comitiuam, quia filia ſororis prædicti domini regis, &c. fuit. Et de finibus terræ & remoratiſſimis regnis Chriſtianitatis ſequendo dominum & ſponſum eius dominum Imperatorem ad cognatum ſuum dominum regem declinauit. Quam honorificè ut decuit cum tubiis, buccinis, Cytharis & cantoribus ſemper in latere per maiores plateas prædictæ ciuitatis cum omni honore & gaudio usque ad caſtrum & palatium in parte ſuperiori ciuitatis ad ſereniſſimum dominum Imperatorem eius ſponſum duxit qui ſuæ ſponſæ prædilectæ obuiam venit. Nunquam dominus dominus Rex Arragonum. Dominus Alfonſus, &c. habuit ita dignos & charos hoſpites in ſuis regnis pro tunc in eadem ciuitate Neapolitana ſic quietem habuerunt. In die cœnæ in Eccleſia maiori ſcilicet metropolitana dominus Imperator & dominus Rex Alfonſus & dominus Albertus Dux Auſtriæ & dominus Fernandus Dux Calabriæ filius regis proceſſionaliter cum corpore dominico ſub cœlo artificiali ad ſummum altare deuota mente venerunt. Et iſtis ſacris diebus ſolito more deuotiones ſuas habuerunt.

Die ſancto Paſchæ quæ erat nona die menſis Aprilis officiis diuinis completis tot gaudia fuerunt facta ad laudem DEI & reſurrectionem Domini noſtri JEſu Chriſti. Et cantus diuerſarum linguarum & tot reuerentiæ cum agnis paſcalibus artificiis coquorum. De palatio domini Imperatoris agnum paſcalem. De palatio

tio domini Arragoniæ regis. De palatio domini Ducis Auſtriæ Alberti. De Palatio domini Ducis Calabriæ, &c. Omnes agni tales ſine fractione venerunt ad menſam ſereniſſimæ dominæ Imperatricis ſponſæ. Et fuerunt ibi multæ curialitates commiſſæ, &c.

Altera die ſancto Paſchæ in monaſterio monialium in parte inferiori prædictæ ciuitatis in præſentia domini Imperatoris & eius ſponſæ regum & principum, &c. ac aliorum fuit quidam ludus ordinatus & diſpoſitus qui totam paſſionem Domini noſtri JEſu Chriſti continebat. Similem nullus hominum vidit. Altera autem die Dominus Imperator eius ſponſa, Dominus Rex Arragoniæ. Principes utriusque ſexus nobiles ac magnus populus per unum foramen cuiusdam alti & magni montis de die cum luminibus lucernis, &c. facibus equitando venerunt ad lacum ſpatioſum ac amænum campum & ſylvam. Ibique in ſylva & nemore fuerunt congregata multa animalia bruta ſeu beſtiæ & feræ ſcilicet cerui. Hinnuli, Vrſi, porci, linces, leopardi, reguli, vulpes, lepores, &c. Ibi coram omnibus plus quàm quatuor millibus hominum utriusque ſexus equeſtres & multi pedeſtres aderant. Fuit venatio facta cum canibus fortiſſimis & miræ magnitudinis & canibus minoribus velociſſimis indutis coppulis biſſinis & ſericis diuerſorum colorum. Et in collis eorum ligamenta & funes auro & argento & Margaritis ornata. Nullus hominum ſimilem venationem vidit. Ibidemque fuit artificialis fons cum bono vino ſcaturiens pro recreatione hominum diſpoſitus. Et panes polenta confectiones de Zuckaro quod ad uſum fuit. Et haſtiludia & plura magnificentia & ſpectacula facta. Hæc omnia Dominus Rex Arragoniæ, &c. Ad honorem imperialis celſitudinis ſponſi & ſponſæ fieri diſpoſuit. Ibique vidimus montes ardentes in Regno Ceciliæ ollam Vulcani. Dicitur quod ibidem ſit purgatorium. Neapolis eſt famoſa ciuitas & magna & Archiepiſcopatus. Et plura monaſteria. Et præſertim Cathunienſis in monte. Sed etiam ibi duo magna caſtra & Palatia ſuperius in quo habitabat Dominus Imperator eius ſponſa virgo Leonora. Et Dominus Alfonſus Dominus Rex. Aliud caſtrum in parte inferiori in littore maris. Et dicitur caſtella noua. Ibique pro tunc fuerunt duæ magnæ naues nouæ in terra. Vna pro mille armigeris bellatoribus cum omnibus attinentiis & neceſſitatibus per integrum annum capax, &c.

Die dominica ſcilicet in octaua Paſchæ qua canitur quaſi modo geniti. Et erat decima ſexta dies menſis Aprilis Sereniſſimus Dominus Alfonſus Rex Arragoniæ, &c. fecit grande conuiuium cunctis Principibus & populis. Et erat gaudium & lætitia magna per totam ciuitatem. Et de ſero thalamo pro Domino Sereniſſimo Imperatore & eius dominæ ſponſæ & virgini ornatiſſimè aptato convenerunt ſimul. Quas perſonas DEus Omnipotens cuſtodiat & benedicat & fructuoſè creſcere concedat & ſemen eorum cum proſperitate longæum fiat. Amen.

Die ſequenti more ſolito gratiarum actiones cum diuino cultu officio & miſſis ac oblationibus fuit facta. Et menſa poſita ac completa fuit gaudium omni populo. Et Dominus Rex Alfonſus uno cum filio ſuo Domino Fernando Ducé Calabriæ ſolicitus fuit vt in ſingulis imperiali Maieſtati & eius anguſtæ bonam complacentiam exhiberet. Sic altera die fuit ſimiliter factum. Iterum tertia die ſimiliter venit. Tamen quidam nuncius ex Roma ex parte Domini Ladislai Vngariæ & Bohemiæ Regis, &c. Dominus Imperator hoc intelligens ordinem ſuæ Auguſtæ dominæ Leonoræ chariſſimæ dedit. Et Dominum Regem Arragoniæ, &c. ac Dominum Ducem Calabriæ, ac alios valedicens. Et in galeis per mare cum ſuis Romam venit. Et ſuum cognatum chariſſimum Dominum Regem Ladislaum acceſſit quem ſanum & beneualentem cum ſua curia reperit. Et cum ſummo Pontifice & Dominis Cardinalibus ac Romanis conſilia & interlocutoria habuit. Ac Sereniſſimum Dominum & cognatum ſuum Dominum Dominum Ladislaum

Regem regna & terras ſuas fideliter commendauit. Et ſua Maieſtas ac prædictus Rex Dominus Ladislaus cum eorum principibus comitibus ſummum Pontificem ac Dominos Cardinales ac ſenatores & poteſtates vrbis Romanæ Eccleſiæ valedixerunt, (Ut decuit.) Quibus ſummus Pontifex Nicolaus quintus omnibus ſuam ſanctam benedictionem dedit. Et magnificè conducere mandauit. Et ſic Cæſarea Maieſtas cum Domino Rege Ladislao & aliis venerunt per Biteruiam Senenſem, Florentiam Bononiam, &c. usquè ad Venetias.

Ibi domini Venetiani magnam reuerentiam domino Imperatori & ſuis (ut decuit,) exhibuerunt. Ibidemque ſua Maieſtas ſuam dominam Auguſtam Leonoram quam in Neapoli reliquerat expectauit. Illuſtriſſima domina Imperatrix poſt receſſum domini Imperatoris à Neapoli cum ſuis Comitibus. Baronibus, militibus utriusque ſexus nobilibus usque ad diem ſancti Marci in Neapoli cum cognato ſuo domino rege Arragoniæ qui frater matris dominæ Imperatricis erat, permanſit.

Die ſancti Marci domina Imperatrix à Neapoli receſſit. Et per terram cum ſuis utriusque ſexus per plures ciuitates Caſtella & loca venit penes regnum Siciliæ usque ad fines Campaniæ ad Manfradoniam in qua ciuitate die Inuentionis ſanctæ crucis quæ eſt tertia die menſis Maij pauſam fecit. Manfradonia eſt ciuitas magna propè Sipontum habens portum maris. Ibique eſt magna campana in quadam turri locata. Nullus hominum maiorem vidit. Sed non pulſatur. In eadem ciuitate morantur certi ſciſmatici Nicolaitarum.

Die quinta menſis Maij domina Imperatrix cum ſuis baronibus militibus ac utriusque ſexus nobilibus. Venit peregrinatum ad montem ſancti Angeli in monte Gargano ad Eccleſiam ſancti Michaelis. Non per manus hominum conſtructam aut conſecratam. Sed mirabiliter repertam. Vt patet de Hiſtoria de apparitione ſancti Michaelis in monte Gargano. Et domina Imperatrix fecit fieri magnum feſtum cum ceremoniis. Miſſis & oblationibus. Dominus Doctor Magiſter Joannes Hynderbach Cancellarius Magiſter curiæ & alii officiales ſuæ Maieſtatis in his ſoliciti fuerunt. Et ego Nicolaus miſſam legi, & locum Eccleſiæ conſpexi. Eſt ibi magnus calix de puro auro & pluribus lapidibus precioſis quem in memoriam dominus Alfonſus Rex Arragoniæ, &c. In honorem ſancti Michaelis obtulit. Ibi eodem die habuimus ceruſa & meruſa & nouos fructus de agris & propè eundem montem quaſi in valle verſus occidentem habitabat quidam ſenex devotus pater Heremita. Ad quem acceſſi & locum habitationis ſuæ conſpexi. Et eius ſanctam vitam Heremeticam intellexi & vidi cum quo de pluribus contuli. Qui narrauit quod regna Siciliæ, Napuliæ & ducatus Calabriæ, &c. Hæreditario iure non attinerent domino regi Arragoniæ. Sed una pars Romanæ Eccleſiæ. Alia pars regi Frantiæ. Quia ante ducentos annos Rex Arragonum commiſit bellum cum rege Siciliæ ſc. Carolo fratre domini Ludouici quondam regis Frantiæ ex utraque parte multi fuerunt interempti tandem rex Arragonum Carolum de bello in fugam conuertit. Poſtea iterum principes Frantiæ Siciliam & Apuliam poſſiderunt. Vt Reinhertus de Lutringia de ſanguine regum Frantiæ. Quem dominus Alfonſus præſens Rex Arragonum per fort expulit & debellauit & ſubiunxit. Eſt una conſtellatio & influentia cœli quo ad ſitum regni Arragoniæ quod frequenter principes de regio ſanguine regum Arragoniæ nati cum magna fortuna proſperabuntur. Et quia domina Imperatrix domina Leonora eſt filia legitima ſororis domini Alfonſi Arragoniæ regis ut famatur. Absque dubio in ſe & in ſemine eius multum proſperabitur. Et plura mutuo loquebantur ſereniſſima domina Imperatrix cum ſua curia quieuit in Manfradonia per aliquot dies; & dominus Alfonſus Arragoniæ rex in omnibus terris ſuis pro omnibus longas expenſas fecit. Et idem dominus Rex duas naues cum equis & mulis & neceſſariis & familia ad Venetias per mare præmiſit.

Die

Die aſcenſionis JEſu Chriſti erant in Manfradonia duæ magnæ naues galeæ cum omnibus neceſſariis diſpoſitæ. Ad quas iuxta ordinationem domina Imperatrix cum ſuis utriusque ſexus intrauit. Et iterum nauigando diebus ac noctibus ad regnum Dalmatiæ non longè à Raguſio venimus. Ibique tantum per unam noctem pauſam fecimus.

Altera verò die conſequenter die noctuque nauigando venimus ad ciuitatem Sadres. Ibique domina Auguſta cum cæteris perſonis utriusque ſexus intrauit ciuitatem & ad Eccleſiam maiorem, ibi audiuit officium diuinum & cæteras miſſas. Ad quas oblationes fecit. Vidimusque in eadem Eccleſia corpus ſancti Simeonis qui Chriſtum in ulnas accepit dicens. Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace, &c. cui domina Imperatrix aureum annulum digito immiſit. Et in eadem Eccleſia plura corpora ſanctorum requieſcunt. Et in galeis fecimus prandium. Et conſequenter iterum nauigando diebus ac noctibus venimus in mari propè Venetias portum. Accipiendo propè monaſterium ſancti Nicolai in eodem monaſterio domina Imperatrix cum ſuis utriusque ſexus hoſpitium accepit. In eodem monaſterio eſt una hydria in qua vinum ex aqua factum eſt ad nuptias. Et ibidem per tres dies pauſam & quietem habuimus. Et ego fui debilis & vix attraxi ſpiritum. Vnam tamen miſſam in nomine domini & ſancti Nicolai legi.

Die verò ſancto Pentecoſtes ſcilicet decima octaua menſis Maij venit illuſtris Venetorum dux cum nobilibus maioribus & ſenioribus prædictæ ciuitatis ad ſereniſſimam dominam Imperatricem eandem & eius comitiuam cum omni honore & reuerentia ſuſcipiendo & ad alias galeas & naues ornatas conducendo. Cui ſereniſſimus dominus Imperator dominus, Ladislaus Vngariæ Rex dominus Albertus Dux Auſtriæ & populus dominorum Venetorum & multi aduenæ uenerunt in aquis cum quinque millibus nauium, galearum. Claſſium, fuſtium, barcarum de omni genere nauium prædictæ ſereniſſimæ dominæ Imperatrici obuiam cum diuerſis apparatibus, & ſuam maieſtatem omni cum reuerentia & honore gratiſſimè ſuſcipiendo & accipiendo & ad ciuitatem ad Palatium ſuæ maieſtati deputatum conducendo. Et in omnibus turribus erat clangor buccinarum tubarum & in nauibus maris. Et in omnibus Eccleſiis pulſus campanarum & iubilatio omnium hominum. Et verè magna ſolennitas fuit facta. Et puto ſi dominus JEſus Chriſtus cum ſancto Marco veniret ad terras dominorum Venetorum forte vix tantam reuerentiam & honorem impenderent ei. Et ſic in Venetiis per aliquot dies ſimul quieſcendo manſerunt. Ibique theſaurum ad ſanctum Marcum & magnificentiam Venetorum viderunt & intellexerunt qui etiam largas expenſas pro omnibus fecerunt. Conſequenter dominus Imperator eius domina Auguſta Vngariæ rex, &c. cum eorum comitibus venerunt per terram ad dominum Portunonis quæ eſt terra dominorum ducum Styriæ ibidem pauſam faciendo. Et ulterius itinerando per Patriarchatum forum Julii. Et per aquam fluentem propriè Tulment eſt malus fluvius. Et poſtea veniendo ad ducatum Styriæ ad Judenburgam ibidem pauſando.

Die decima nona menſis Junii domina Imperatrix & ſereniſſimus dominus Ladislaus Vngariæ Rex cum eorum nobilibus & comitiua utriusque ſexus venerunt cum gaudio ad nouam ciuitatem. Et populus prædictæ ciuitatis & circum circa ſimul congregatus venit obuiam dominam Imperatricem & ſereniſſimum dominum Ladislaum Regem, &c. cum omni honore, & reuerentia (ut decuit,) ſuſcipiendo.

In eadem ciuitate ſic moram & quietem non diu ſimul habuerunt propter hoſtiles incurſus à Wienna & Auſtria. Et domina Auguſta qui in fuga ſeceſſit à domino Imperatore ad partes Styriæ. Quousque imperialis maieſtas eam vocaret.

Die viceſima ſeptima menſis Auguſti eiusdem anni venerunt diffidati generoſi & nobiles Domini Dominus Vdalricus comes de Cilia. Dominus Vdalricus Eytzinger Auſtrales Wiennenſes, &c. Qui intelligentiam mutuo & ligam cum nationibus alienis & treugas utpote Vngaris Bohemis morauis fecerunt qui ut frequenter plures principes domus Auſtriæ occupauerunt & Auſtriam deſtruxerunt. Iſti cum Liga eorum ut fortiores eſſent cum magno exercitu venerunt & caſtrametati ſunt ante nouam ciuitatem tentoria erigentes cum machimis, bombardis, hoſtiliter contra prædictum Dominum Imperatorem venerunt & cognatum Sereniſſimi Domini Imperatoris Regem Ladislaum, &c. Qui nondum quartum decimum annum ætatis ſuæ compleuerat. De manibus prælibati Domini Imperatoris ad regendum ſua regna ducatus & terras poſtulauerunt. Non fuiſſet neceſſarium huiusmodi intelligentiam & ligam contra ſereniſſimum Dominum Imperatorem. Ita in viridi facere penſando priora facta. Cum idem Dominus Ladislaus Rex mammas ſuæ nutricis in Vngaria ſuggeret & incunabilis ſacra corona ſancti Stephani Vngariæ regni coronatus fuiſſet ad petitionem ſereniſſimæ dominæ Eliſabeth Vngariæ Reginæ, &c. Matris prælibati Domini Ladislai Regis maturo conſilio ac providentia Domini Imperatoris eandem ſacram coronam cum Domino Ladislao incunabilis & nutricem eius ac dominam & virginem Eliſabeth ſororem prædicti, Ladislai regis de manibus hoſtium & Vngarorum cum magnis & grauibus damnis & expenſis prælibati Domini Imperatoris ad Gretz & ad nouam ciuitatem ſanum & incolumem adduxit quem ſic & eius ſororem Eliſabeth in magna cuſtodia & adminiſtratione ſingulorum & ferventi dilectione ut decuit tenuit ducatum Auſtriæ ut fidelis tutor ſui cognati in pace protexit nil ſibi uſurpando neminem iniuſtè offendendo. O inuidia aliquorum induxiſtis & inuitaſtis ad Auſtriam capitales inimicos domus Auſtriæ de aliis nationibus quos vi expellere debuiſtis ne dominarentur vobis & bona veſtra deuorarent & fieret bellum inteſtinum in tota Auſtria: Vtique occultum odium ſeduxit vos ut ea faceretis. Innocens Sereniſſimus Dominus Ladislaus Rex vidit & audiuit quæ vos non audiuiſtis nec vidiſtis ſed videbitis in arido quid fiet de vobis.

Sereniſſimus Dominus Imperator ut Rex pacificus obſeruauit manſuetudinem Regis Dauid. Eundem cognatum ſuum Dominum Ladislaum, &c. Regem & Auſtriæ ducem per reuerendiſſimos Patres & Dominos. Enim Saltzburg. & Friſingen Epiſcopos ac magnificos ac generoſos. N. Comites de Maydburg de Schaunburg ac alios generoſos per imperialem maieſtatem deputatos honorificè ut decuit cum ſuis Curialibus ad manus prædictorum diffidatorum in liga pendentium extra nouam ciuitatem ſanum & latum præſentauit quem prædicti Auſtrales & Wiennenſes cum eorum complicibus ad Wiennam duxerunt. Puto quod ibi fierit malum nuncium non aduertendo non curando altitudinem tantæ dignitatis imperialis celſitudinis & domus Auſtriæ.

Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto ſedecima die menſis Nouembris ante ortum ſolis natus eſt Sereniſſimo Domino Imperatori primogenitus filius Dominus Chriſtophorus in Noua ciuitate. Saltzburgenſis dioceſis. Et idem primogenitus Anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto viceſima prima die menſis Martii in Noua ciuitate mortuus. Et in monaſterio nouo ordinis Ciſtercienſis in choro ante ſummum altare ſepultus eſt.

Item mortuo Domino Sereniſſimo Rege Ladislao cognato Domini Imperatoris quem maieſtas Imperialis à cunabilis cum magna diligentia cuſtodiuit, &c. Die ſancti Clementis miſere in Praga ſepultus eſt iuxta metrum. Peior praga cibis ſcindis heu Caſta Clementis. Non tantum Auſtria dolebat ſed tota Vngaria. Conuenerunt in unum omnes Archiepiſcopi. Epiſcopi, Prælati, Comites, Barones, milites, ac nobiles Ciuitatenſes Regni Vngariæ ad inſtituendum & celebrandum

dum more ſolito dictam in prædicto regno. Vngariæ pro electione alterius regis qui dignus tali corona ſacra & huiusmodi uſurparet & ſacra corona quæ dicitur corona ſancti Stephani minus digna aut intruſo daretur eo quod pro tunc eadem ſacra corona eſſet in manibus Domini Imperatoris Friderici tertii. Et elegerunt concorditer in verum & indubitatum Vngariæ: Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Regem multis reſpectibus & neceſſitatibus prælibatum Sereniſſimum Dominum Imperatorem Fridericum Auſtriæ Styriæ, &c. ducem natum. Et miſerunt ſolennem ambaſiatam cum auctoritate & mandato cum literis & Sigillis eorum roboratis ad imperialem celſitudinem offerendo ſe & inſinuando ſuæ maieſtati huiusmodi electionem concorditer & canonice factam & finaliter concluſam. Dominus Sereniſſimus Dominus Imperator qui erat pro tunc in Gretz. Conuocauit ſuos terrigenos ad ſe & conſtituit terminum & locum pro huiusmodi audientia ad nouam ciuitatem ut eius Auguſta Domina Leonora etiam huic audientiæ electionis cum aliis terrigenis & aliis intereſſet quæ fuit grauida & vicina partui. Ibi in noua ciuitate quadrageſimali tempore.

Anno Domini milleſimo quadragınteſimo quinquageſimo nono, dominica qua canitur Lætare Jeruſalem in Eccleſia maiori prædictæ nouæ ciuitatis in præſentia Domini Imperatoris & eius auguſtæ principum & comitum baronum & utriusque ſexus nobilium, &c. Dum Reuerendiſſimus Dominus Saltzburgenſis, Archi-Epiſcopus Dominus Sigismundus natus de Volckenſtarff, officium diuinum perageret. Supra dicta electio in Vngaria facta fuit per prælibatos ambaſiatores regni Vngariæ oſtenſa & coram omni populo lecta publicata & proclamata cum magna & ſolenni proteſtatione conſummata, &c.

Item eodem anno tempore quadrageſimali ſcilicet Anno Domini Milleſimo quadragınteſimo quinquageſimo nono Viceſima ſecunda die menſis Martij poſt meridiem infra quintam & ſextam horas. Domina Imperatrix & iam Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Regina, &c. In noua ciuitate peperit in lucem filium quem Reuerendiſſimus Dominus Archiepiſcopus Saltzburgenſis baptiſauit & de fonte ſacro baptiſmatis leuauit & ei nomen proprium impoſuit Maximilianus quem Dominus altiſſimus protegat, cuſtodiat, & defendat, eumque magnificè & proſperè creſcere concedat. AMEN.

Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo die tertia menſis Nouembris in Wienna Patauienſis Dioceſis ante ortum ſolis nata eſt Domina Helena prædicti Domini Imperatoris filia quæ anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo primo ultima die menſis Februarii in Wienna mortua eſt. Et in noua ciuitate in monaſterio Ciſtercicum Ordinis in choro ſepulta eſt.

Anno Domini Milleſimo quadragenteſimo ſexageſimo quinto ſedecima die menſis Martii in noua ciuitate Saltzburgenſis Dioceſis nata eſt Kunegundis Domina Domini Imperatoris Vngariæ; Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Regis filia quam Dominus DEus cuſtodiat. Et cum facunditate ſuo tempore viuere proſpere concedat.

Anno Domini Milleſimo quadragenteſimo ſexageſimo ſexto in noua ciuitate in Vigilia ſancti Laurentii natus eſt Dominus Johannes filius Domini Imperatoris qui ſequenti anno quindecima die Februarii mortuus eſt. Et in prædicto monaſterio nouo ſepultus eſt.

Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſeptimo Domina Leonora Imperatrix Sereniſſima Vngariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Regina. Auſtriæ Styriæ, &c. Duciſſa cuius laudabilis præfulgida ac honeſta vita & morum dignitas ſtatus ſublimitas patientia ac humilitas citra & ultra mare ac ſacro Romano Imperio

perio & in extremis terræ cum omni laude reſplenderunt eiusque naturalis facunditas & innata largitas in eius nobiliſſimo ſemine & fructu magis ac magis adiutorio DEI cum magna proſperitate & ſalute eluceſcent & reſplendebunt. Quæ fuit bonorum operum ſectatrix ſuper afflictos pia geſtans viſcera totius honeſtatis & manſuetudinis amatrix cœleſti ſe induens armatura ſpem ponens in DEum bona ratione & feliei agone ſoluit debitum naturæ humanæ cui conſtitutum eſt ſemel mori tertia die menſis Septembris vocante Domino feliciter migrauit ad Dominum. Et in Noua ciuitate Saltzburgenſis Dioceſis in monaſterio nouo Ciſtercieum Ordinis in choro penes locum ubi corpus dominicum reconditur eſſe ſepulta. Et ſicut ipſa in menſe Septembri nata eſt ſic in triceſimo ſuæ ætatis anno in Septembri mortua eſt, cuius anima requieſcat in ſancta pace. Amen.

Valdè rogo orate pro ea. Reliquit enim filium poſt ſe dominum Maximilianum & filiam dominam Kunegundem virginem in puerili tamen ætate quibus & per quos nobis Omnipotens DEus pacifica tempora & aurea ſecula concedere dignetur Amen cum recordatione ſemper Amen.

De nuptiis Inviƈtiſſimi Friderici Imperatoris tertii, ac Leonoræ Vxoris. Deque eorundem coronatione ac prolum propagatione à Reuerendiſſimo Domino Nicolao Epiſcopo Ypponen. compilatus libellus feliciter finit; Impenſis prouidi viri Jacobi Wacker de Saltzburga Auguſtæ impreſſus. Anno Domini M. CCCCC III. ſexto idus Decembris.

ÆNEÆ

AENEAE SYLVII
DE
STATU EUROPAE
SUB
FRIDERICO III.
LIBER.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Magnum nomen Friderico III. imperante, erat Æneæ Sylvii, qui publicis plerisque negotiis illorum temporum & ciuilibus interfuit & eccleſiaſticis. Interfuit iſte Concilio Baſileenſi, cuius geſta etiam ſingulari ſcripto expoſuit, & licet in eodem contra Eugenium IV. Papam faeeret, cum Baſileenſibus patribus ſentiens, qui ipſum deponi volebant, nihilominus ipſum ad ſe venientem Eugenius poſtea benigne recepit, inter Secretarios collocauit, ſubdiaconatus & Tergeſtini Epiſcopatus honore donauit, prout ipſe de ſe teſtatur. * Fridericus vero Imp. ipſius Conſilio & ope non in Papali ſolum ſchismate, ſed in Negotiis etiam Germanicis, dum Principes in diuerſis Comitiis, ad ſubſidia contra Turcas non ſolum, ſed etiam Matthiam Vngariæ Regem vellet concitare, uſus fuit, eundem etiam ad excipiendam ſponſam ſuam Eleonoram ex Luſitania venientem, atque ſæpius legatum ad aulam Papalem miſit: Dum igitur ſtudiis, prudentia, & longo negotiorum uſu multum præualeret, poſt Calixti III. mortem, ſub Pii II. nomine Papalem dignitatem fuit adeptus. Hinc vitam ipſius in Compendio exhibet Trithemius, ** dicens: *Pius Papa ſecundus, natione Tuſcus, patria Senenſis, Æneas Sylvius antea vocatus, ſedit in pontificatu maximo poſt Calixtum tertium annis ſex, vir undecunque doctiſſimus, Philoſophus, Orator & Poëta inſignis, multa ingenii ſui monimenta poſteris reliquit. Hic quondam in Concilio Baſilienſi cuidam prælato ſeruiuit pauper. Deinde in ſcribam Cancellariæ Frederici imperatoris tertii aſſumptus, & poëta ab eo laurea recepta creatus, primo epiſcopus Tergeſtinenſis, poſtea Senenſis, exinde Cardinalis, & nouiſſime Papa omnium ſuffragis electus eſt.* Plures tamen fuerunt, qui ipſius vitam geſtaque exponerent. Præter Platinam enim, communem vitarum Papalium ſcriptorem, aliam habemus a Jo. Stella deſcriptam, ſed perbreuem. Prolixior eſt ipſius vita a Jo. Antonio Campano perſcripta. Singulas haſce editioni operum Baſileenſi per Henricum Petrum anno 1551. facta videmus præmiſſas. Publica vero eiusdem potiſſimum negotia in Commentariis ſuis Pii II. expoſuit Joannes Gobellinus Bonnenſis Vicarius. *** Hic quem exhibemus, libet, prout præmiſſa ab ipſo præfatio docet ad Antonium Cardinalem Ilerdenſem fuit ſcripta, Romæ IV. Kl. Aprilis anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo, quæ ipſa præfatio etiam docet, quid Æneæ anſam dederit, hanc ſcribendi hiſtoriam. Docet autem ſub initium ſtatim Operis, ſe ea ſcribere, quæ ipſi eſſent cognita. Quid in hoc libro contineatur non titulus ſaltim libri docet, ſed etiam Cuſpinianus breuiter explicat, dicens: *quæcunque vero ſub Friderico geſta ſunt in uniuerſis pene regnis, Æneas Sylvius expreſſit in libro, cui fecit inſcriptionem, Europam.* Extat iſta inter alia eiusdem Opera ante iamdum memorata, ex quibus inſerta fuit, Eiusdem Operibus Geographicis & Hiſtoricis. *Helmſtadii* 1699. 4. editis. Licet in utraque hac editione & prima ad Antonium præmiſſa præfatio deſit, & capita alitet ſint diuiſa, quæ in Baſileenſi LXV. in Helmſtadtienſi LXVI. conſtituuntur. Geographica quidem potiſſimum ſunt, quæ refert, ita tamen, ut dum Regnum vel provinciam quandam deſcriberet, ſingularia quædam, quæ ad Hiſtoriam, Regimen & Statum Politicum illorum temporum faciunt immiſceant. Lucem itaque adfert Hiſtoriæ ſeculi decimi quinti Commentariis.

ÆNEÆ

---

* *Infra cap. LIV.*

** *In Catal. Script. Eccleſ. p. 361.*

*** Prodiere à Franciſco Bandino Sicolorineo Senenſi Archiepiſcopo recogniti *Francofurti 1614. f.*

p. 37. # ÆNEÆ PICOLOMINEI SENENSIS CARDINALIS, DE HIS QUÆ FREDERICO III. IMPERANTE IN GERMANIA ET PER TOTAM EVROPAM GESTA SUNT, VSQUE AD ANNUM M CCCC LVIII.

COMMENTARIUS.

VETERVM CODICVM COLLATIONE MVLTO QVAM ANTEA EMENDATIOR, ATQUE ETIAM AUCTIOR:

ÆNEÆ PICOLOMINEI SENENSIS CARDINALIS AD ANTONIVM CARDINALEM HILERDENSEM.

PRÆFATIO.

ANTONIO *Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ preſbytero cardinali Hilerdenſi appellato, patri ſuo colendiſſimo, Æneas eiuſdem ordinis non eiuſdem meriti Cardinalis Senenſis S. P. dicit. Podagrantem me nuper, & arthreticis doloribus (vt ſoleo) laborantem librarius quidam Teutonicus adiit libellum afferens, in quo Romanorum Cæſarum non tam geſta quam nomina, & pauca de moribus continebantur, vſque ad Wenceslaum Caroli quarti filium. Cumque illi opuſculo quatuor Imperatores deeſſe viderentur (nam Beneuenutus Imolenſis eius operis auctor ſub Wenceslao deceſſerat) rogauit me librarius, vt adjicerem libello quid deerat. Nolui turbare hominem. Compleui ad ætatem noſtram Imperatorum numerum; breuitatem illius qui præceſſerat imitatus. At cum ſubiret mentem, multa & magna inter Chriſtianos geſta eſſe ab eo tempore, quo Fridericus imperium accepit vſque in hanc diem; opuſculum ſeorſum edere ſtatui, in quo ſingularia quædam eius temporis ſub compendio ad poſteritatis memoriam transmitterem, digna memoratu. Edidi igitur breuem hiſtoriam, tuoque nomini dedicaui: qui cum pari morbo mecum labores facile inter podagrandum ſcripta mea & leges, & iudicabis. Fuiſſet fateor operæ pretium ab initio potius ætatis noſtræ in hoc ævum vſque rerum geſtarum hiſtoriam texere: quemadmodum menti meæ ſæpe inſedit. Sed ea non erat vnius podagrationis, & præſertim ienunio Quadrageſimali occurrentis lucubratio. Amat ædes noſtras ipſa podagra: nec tam recedit quam reuertitur libens, fortaſſe & huic intentioni aliquando ſubſeruiet. Tu vale, & ſi quid acerbius in quenquam ſcriptum offenderis, non tam meæ naturæ quam ſtimulis podagræ vrgentis adſcribe. Et quicquid inſcite, inepte, abſurde occurrerit, ſumpto calamo dele. Ex vrbe Roma, quarto Kal. Aprilis, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octauo.*

QVÆ ſub Friderico tertio eius nominis Imperatore apud Europeos, & qui nomine Chriſtiano cenſentur inſulares homines, geſta feruntur memoratu digna, mihique cognita, tradere poſteris quam breuiſſime libet, commiſcebimus aliqua interdum altius repetita, quemadmodum locorum rerumque ratio expoſtulare videbitur.

CAPUT I.

p. 38.

DE HVNGARIA, SIVE PANNONIA.

Hungaria Pannonia Auſtria.

HVNGARIA, quæ Auſtriæ Friderici patriæ contermina eſt, & in orientem vergit, principium narrationis præſtabit. Hanc prouinciam nonnulli Pannoniam vocant: tanquam Hungari Pannoniorum loco ſucceſſerint. Verum neque Hungaria Pannoniæ terminos implet, neque illa tam lata olim fuit quam noſtra ætate Hungaria. Intra Danubium; Enum & alpes, qui ad Italiam & Adriaticum reſpiciunt mare, Pannonia continebatur, ab occaſu Noricum, Enumque amnem, ab ortu Myſos ac Triballos & flumen Savum contingens. Intra quos limites Auſtriæ magna portio clauditur, & à Teutonibus incolitur. Stiria quoque iiſdem terminis continetur, Valeria quondam appellata. Hungaria vero quamuis inferiorem Pannoniam à fluvio Leytha vſque Savum complexa eſt, Danubium tamen transgreſſa ad Polonos vſque protenditur, & quæ quondam arua tenuere Gepidæ Dacique poſſident. Imperium gentis Hungariæ multo latius eſt quam ipſa Hungaria.

Nam & Dalmatæ, quos Sclauos; & Illyſtrij quos Boſnenſes; Triballi ſeu Myſi, quos tum Seruios, tum Raſcianos appellant; & Gethæ, quos partim Valachos, partim Tranſiluanos nominant, Hungarorum imperium ſubierunt: & ſi nonnulli æuo noſtro Turcorum armis euicti defecerunt. Hanc prouinciam quatenus citra Iſtrum extenditur, ſub Octauiano Cæſare Romani primum obtinuere, Bachone Pannoniorum rege ſubacto, & Amantinis inter Savum & Drauum fluvios proſtratis. Daciam vero trans Danubium, quæ nunc Hungariæ portio eſt, Traianus Imperator edomuit, & in ſolo Barbarico prouinciam fecit. Sed amiſſa ſub Galieno per Aurelianum recuperata eſt. Poſt Romanos aliquando Hunni Scythica gens, aliquando Gothi ex inſulis Balthei maris populi, deinde Longobardi ex Germania profecti Pannoniam occupauere. Poſtremo Hungarorum natio ex vltimis Scytharum finibus inundauit: quæ vſque in hanc diem regno potitur, & vltra citraque Iſtrum late dominatur. Extat adhuc non longe ab ortu Tanais altera Hungaria, noſtræ huius de qua ſermo eſt mater, lingua & moribus pene ſimilis: quamuis noſtra ciuilior eſt Chriſti cultrix. Illa ritu barbarico viuens ſeruit idolis.

Sigiſmundus Imp.

In Hungaria quam Danubius interlabitur, tempeſtate noſtra Sigiſmundus Caroli quarti Romanorum Imperatoris filius, natione Bohemus, origine Teutonicus, varia fortuna annos ſupra quinquaginta regnauit: princeps ſingulari prudentia, magnitudine animi, beneficentia & liberalitate inſignis, corporis quoque maieſtate ac decore illuſtris: cæterum bello prorſus infelix. Quem non Turci duntaxat, ſed Bohemi quoque ſæpe acie ſuderunt. Vxor ei prima fuit Maria Ludouici Regis filia, cum qua regnum accepit. Illius cauſa duos & triginta regulos in Hungaria primarios, qui aliquando rebellaſſent, gladio percuſſit, ob quam rem & ipſe

Sigiſmundus captus.

paulo poſt, Regina fatis functa, in vincula coniectus eſt: mulierique viduæ cuius virum interfecerat, in cuſtodiam traditus, donec regni proceres ſupplicium decernerent. Sed non defuit capto in extremis rebus prouidentia: qui (vt erat facundia potens) mulieri longe melius eſſe oſtendit, regium ſanguinem conſeruare quam fundere. Dimiſſus ab ea, Barbaram Hermanni comitis Ciliæ filiam duxit vxorem, nec diu poſtea comparatis auxiliis regnum vendicauit: de proditoribus ſupplicium ſumpſit: mulieris viduæ filios & honoribus & opibus inter primos regni proceres cumulauit.

Conſtantienſe concilium.

Quorum adhuc alterius viuit filius Ladislaus Garius comes regni palatinus. Multa huius Sigiſmundi egregia facinora memoriæ prodita ſunt: inter quæ illud præcla-

præclariſſimum, quod eccleſiam catholicam in tres partes diuiſam, coacto apud Conſtantiam generali concilio, ad vnitatem redegit; Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Angliam, huius rei cauſa peragrans. Vitoldo Lituaniæ duci, vt ſe Regem appellaret, miſſa corona indulſit. Prius tamen ille vita deceſſit, quam ſolennia coronationis expleret. Pruſſiam, quam Rex Poloniæ fratribus beatæ Mariæ Teutonicorum armis ademerat, reſtitui juſſit. Cum Venetis duce Pipone Florentino grauia bella geſſit: Venceslaum Bohemiæ Regem germanum ſuum, quod regno inutilis eſſet, coniecit in vincula: quamuis negligenter cuſtoditum, magno Reipublicæ malo, quidam Bohemi è carceribus ſurripuerint, coronam imperii ab Eugenio quarto Pontifice Maximo Romæ accepit. Bohemia poſt multas calamitates vix tandem potitus eſt: Marchiam Brandeburgenſem Friderico Burgraffio Nuren-
p. 39. bergenſi dono dedit filiam Eliſabeth ex Barbara natam Alberto Duci Auſtriæ in matrimonium copulauit: Illique demum apud Znoymam Morauiæ ciuitatem moriens, regna quibus præfuerat vltima voluntate reliquit, oſſa eius in Veradino iacent. Albertus apud Albam regalem cum coniuge coronatus, Bohemiæ quoque diadema ſuſcepit. Cuius felicitatem admirati Germani principes, & ipſi ſuum ſanguinem extollere decreuerunt, Romanum ei committentes imperium. Id Alberto ſuſcipere non licebat, niſi primores Hungariæ indulgerent. Quibus haud ex vſu videbatur ſuum Regem Theutonibus imperare, atque ob eam cauſam iureiurando Albertum obligauerunt, ne ſuo iniuſſu Imperium acceptaret. Vocati tamen ad Regem, qui tum Viennæ fuit, victique precibus præbuere conſenſum. Ille imperio auctus * ad Hungariam rediit aduerſus Turcos, qui tunc Raſciam inuaſerant, arma moturus.

Albertus Imp.

* *al. Imperium nactus.*

Sed dum Budæ moram facit (ea eſt Regum ſedes*) Iudex ciuitatis natione Teutonicus Hungarum quempiam ob delictum fluuio demerſit. Id Hungari moleſtiſſime tulerunt: quibus Teutonicum nomen exoſum eſt. Excitatur e ueſtigio tumultus: Hungari arma capeſſunt, obuios Teutones paſſim trucidant. Fit fuga in arcem, qua Rex ſe continebat. Diripiuntur negociatorum domus, quorum pars maior Teutonica fuit.

* *Vide auctor. epiſt.* 313.

Euangelizabat eo tempore Budenſibus Jacobus Marchianus, ordinis Minorum profeſſor, doctrina literarum, & vitæ ſanctimonia clarus: qui ſedaturus tumultum ſimulacrum Saluatoris crucifixi manu geſtans; furenti armatoque populo obuiam factus, vt cædi parcant, vt rapinis abſtineant, vt arma deponant, ſupplex orat. Illi verba eius minime intelligentes (neque enim tempus ferebat interpretem) bene ſibi futurum autumant, qui Chriſtum ſuis cœptis ducem habeant: ſublimemque Jacobum, ſimulque crucifixum in vlnis attollunt: ac bachati per vrbem nunc iſtam, nunc illam domum compilant. Fiunt tamen aliquanto minora ſpolia: & à cædibus temperatum eſt ob præſentiam Jacobi, qui modo precibus, modo lachrymis furorem incenſæ plebis lenire conatus eſt. Sedato tumultu Georgius Palocius Strigonienſis eccleſiæ pontifex moritur apud quem precioſa regni ſuppellex in cuſtodia fuit. Rex Strigonium petit, & Regina cum eo, aperiuntur archæ in quibus theſaurus obſeruabatur, coram Regina & ſelectis regni Baronibus. Illa clam ſubtracta corona (quam ſacram appellant) fidelique anui tradita, archas claudit atque obſignat. Albertus paulo poſt Dravum vſque fluvium proficiſcitur, ibique caſtra metatus maiores copias expectat, cum quibus Turcos invadere poſſit, Sindronium * vrbem Raſciæ obſidentes, prius tamen expugnatum eſt oppidum quam auxilia venirent.

* *al. Smederouam.*

Ipſe Budam reuerſus, cum dyſenteria laboraret, Viennam repetere ſtatuit, ſiue moriturus inter ſuos, ſiue quod aërem in quo fuerat enutritus, conferre aliquid ad ſanitatem ſperabat. Sed in itinere magis ac magis morbo affectus, relicta vxore prægnante, obſignatoque teſtamento in villa quæ longa dicitur, VI. Kalen. Nouembris è vita deceſſit. Religioſus princeps, & qui liberalitate ſimul iuſtitiaque præſtaret: fuit quoque in bellis audax & manu promptus. Morauos ac Bohemos armis ſubegit: Polonos late vagantes intra regnum ſuum coercuit. Ma-

gna de ſe Chriſtianæ Reipublicæ promittere videbatur, nec minora populi de ſua virtute conceperant: pulcherrimæ ſpei ſatisfieri breuitas vitæ non ſiuit. Repente occidit, quæ breui ad ſummum potentia creuerat: neque enim biennio toto imperauit.

Statura eius procera fuit, neruoſum & validum corpus, facies terrifica, more gentis eraſa barba, ſuperius labium intonſum: veſtem haud ſplendidam, baltheus auro grauis cinxit: nec vnquam lateri defuit enſis. Corpus eius in Alba reconditum eſt. Cognita Regis morte conuenientes Hungari, indignum ac periculoſum exiſtimantes, tantum regnum vnius fœminæ iudicio ſubiacere, Reginam magnis precibus hortantur Vladislaum Poloniæ Regem, qui populum armis tuetur, ſibi vt virum aſciſcat. Conſentit mulier ea conditione adiecta, ne quod filio præiudicium fiat, ſi maſculum pariat, legantur in Poloniam prælati Eccleſiarum & Principes regni natu & auctoritate maiores: quibus iter agentibus, Vladislaus poſthumus naſcitur: qui mox vt in lucem prodiit, apud Albam regalem & baptiſmum Chriſtianæ fidei ſignaculum, & militiæ cingulum, & ſacram Vngariæ coronam (quam mater penes ſe habuit) eadem die accepit. Inde ſublatus in tutela Friderici Cæſaris duodecim ferme * annis fuit: cui mater & ipſum & coronam commendauit. Legati, quamuis prohibente regina, Vladislaum adire: quem magnis pollicitis oneratum in Hungariam traxerunt, & impoſito diademate Regem ſalutauere quo cum diu Ladislai mater vario euentu armis contendit: Hungaris in duas partes diuiſis. Vlricus comes Ciliæ, dum conſobrinæ ſtudet, Ladislaoque regnum defendit; captus à Polonis diu in carcere maceratus eſt. Dionyſius archiepiſcopus Strigonienſis (qui poſtea cardinalatus honore donatus eſt) genere ac moribus illuſtris, vtrique Regi diadema impoſuit: alteri volens, alteri coactus. Vocatus enim ad Polonum, quamuis publica fide accepta Budam petiuiſſet, non prius libertati ſuæ redditus eſt, quam Vladislaum in Alba coronauit. Ipſe quam primum potuit domum reuerſus, Polonorum conatibus ſummo ſtudio aduerſatus eſt.

Vladislaus R. Vngar.

** vide Auctoris epiſt. 13. & 118.*

p. 40

Julianus Cardinal.

Julianus cardinalis ſancti Angeli ab Eugenio pontifice Maximo in Hungariam miſſus, vir ſummo ingenio, ſingulari facundia, excellenti doctrina: quamuis inducias belli inter Vladislaum & Eliſabeth ad certum tempus compoſuerit, pacem tamen efficere non valuit. Regina mortua, omnes pene Hungariæ optimates ad Polonos defecere, ſolus Giſchra Boemus rei bellicæ peritiſſimus, & mann promptus, Ladislai partes in Hungaria tutatus eſt: qui ſæpe cum parua militum manu ingentes Hungarorum Polonorumque copias vicit, fudit, deleuit biſque Johannem Huniadem magnis exercitibus cinctum caſtris exuit, hic Johannes natione Valachus fuit, haud altis natalibus ortus: ſed ingenio dextro, & animo ſublimi, & virtutis amator: multa cum Turcis ſecunda prælia fecit, & hoſtium ſpoliis Hungarica templa ditauit, primuſque omnium apud Hungaros Turcorum acies & frangi & vinci poſſe monſtrauit.

Giſchra.

Johannes Huniades.

Quibus ex rebus excitatus Vladislaus & ipſe prælium cum Amurate Turcorum imperatore committere non dubitauit, de quo poſtea ſuo loco dicemus. Fœdus inter Fridericum Imperatorem, & Vladislaum qui ſe Regem Hungariæ appellauit, Julianus cardinalis ea lege compoſuit: vt liceret Imperatori Hungaros coercere, ſi quid in Auſtria Stiriaue damnum inferrent. Idem permiſſum Vladislao eſt in Friderici ſubditos, Hungariam infeſtantes.

Guncium oppidum in Hungaria eſt, Stiriæ atque Auſtriæ proximum: hoc latrones occupavere, & pleraque circumiecta caſtella: ex quibus in Auſtriam profecti, magnam vim pecorum atque hominum abegerunt. Motus ea re Fridericus, comparato raptim exercitu in Hungariam traiecit, munimenta expugnauit, ex latronibus octoginta furca ſuſpendit. Cum cecidiſſet in bello Vladislaus, conuentus Hungarorum apud Peſtam * habitus eſt: locus hic trans Danubium Budæ opponitur, neque muris cinctus, neque magnificis domibus exædificatus, villæ ſpeciem gerit. Hic Ladislaus Alberti filius communi procerum conſenſu Rex deſignatur:

** hoc vide Auctoris epiſt. 78. & 81. & 93. & 95. & 136.*

ſignatur: ſuisque deinceps auſpiciis in Turcos pugnare cepit, nec tamen feliciora eius prælia quam Poloni fuerunt. Johannes Huniades regni gubernator aſſumptus, abſente Rege prouinciam (vt aiunt) in virga ferrea gubernauit: nec dum Rex affuit, minor eo habitus eſt. Hic proſtratis apud Albam Turcis (quemadmodum in rebus Raſcianis referemus) breui tempore ſuperviuens, morbo extinctus eſt, ferunt eum cum ægrotaret, noluiſſe Dominicum ad ſe corpus deferri, indignum eſſe aientem, *Serui domum intrare Regem:* iuſſiſſe ſeſe, quamuis deficientibus viribus, in templum vehi: ibique de more Chriſtiano confeſſum, diuinam Euchariſtiam ſuſcepiſſe, atque inter ſacerdotum manus DEo animam reddidiſſe.

Felix ſpiritus qui tantæ rei, quanta geſta eſt apud Albam, nuncius atque auctor migrauit in cælum. Ladislaus qui ex tutela iampridem Imperatoris emiſſus, & in paterna regna receptus, Turcorum metu ex Hungaria in Auſtriam ſe contulerat, audita Turcorum ſtrage, & gubernatoris morte (quo cum Ciliæ comes apertum gerebat odium) impellente ipſo comite, qui veluti ſublato æmulo lætabundus id nuncii audiuerat, rurſus in Hungariam rediit: ſed dum apud Albam ſpolia Turcorum & interremptorum hoſtium cadauera inſpicit, comes ipſe (cuius caput erat à Rege ſecundum, & qui iam ſolus tanquam Regis avunculus leges Hungaris præſcribebat) à Ladislao Huniadis filio in caſtro Regio obtruncatur: inde necem conſecutus, vnde ſperauit imperium. Offenſus ea re mirum in modum regius animus, dolorem tamen ſuppreſſit: nec dubitauit avunculum iure cæſum fateri Cadauer defuncti in Ciliam miſſum eſt: Rex Budam ſe contulit: vbi ſecutos curiam Huniadis filios in carcerem rapi iuſſit, percuſſoremque comitis Ladislaum natu maiorem capite plecti. Matthiam captivum duxit in Auſtriam, & profectus in Bohemiam, eum pone ſequi mandauit. Ipſe paucos dies Pragæ moratus, ſiue morbo peſtifero * (vt plerique tradiderunt) ſeu veneno (vt alii af- * *vide Auctor. epiſt. 324.*
firmant) obiit diem: nobiliſſimus ſanguis paterna origine ac materna ex imperatoribus ortus. Matthias qua die Rex clauſit oculos, eadem Pragam applicuit: *Matthias Corvinus R. Vng.*
quem Georgius gubernator in cuſtodiam ſuam recepit. Corpus Ladislai apud proavum Carolum quartum Romanorum Imperatorem in arce Pragenſi atque in æde ſancti Viti reconditum eſt. Defuncto Ladislao Rege, Hungari ad eligendum ſucceſſorem ad Kal. Januarias diem conſtituunt. Proceres apud Budam frequentes conueniunt. Inter quos Michael Rylagi * magna militum ſtipatus caterua præſto * *Zylagi.*
adeſt, XIII. millia equitum, peditum. VII. millia eum ſecuta feruntur: quibus ſtatiua in Peſta fuerunt. Michael frater coniugis Huniadis & Matthiæ avunculus fuit: cui propter necem Ladislai nepotis cum plerisque regni Baronibus accerrimæ ſimultates erant. His potentia eius haud parvum ingeſſit terrorem: nec iam perculſa metu concio, liberam Regis electionem futuram arbitrabatur. Michael vero conuentum adiens, non ſe idcirco armatos adduxiſſe ait, vt vim congregatis inferat; ſed vt eos deterreat, ſi qui ſint qui libertatem Principum ac populariorum in aſſumendo Rege perturbare conentur. Illud tantum ſe veluti vnum ex regni accolis monere, vt Johannis Huniadis beneficia meminerint, qui vnus omnium Turcorum arma ab Hungarico regno depulerit, claraſque genti victorias pepererit. Indigna ſuis meritis præmia reddita. Ex filiis eius alterum crudeliter occiſum, alterum in Boemia captum ſeruari: poſſe Barones memoriam Johannis extollere, Matthiam ex captiuitate redimere, atque in eius regni faſtigio collocare, quid pater ſua virtute ſeruaſſet: neque ferendum, vt ad exteros ea poteſtas deferatur, parcere ſe omnibus, qui nepoti fuiſſent inſidiati: Regni ſalutem ante oculos ponere: ſi quem provinciæ vtiliorem eſſe arbitrentur, nihil obſtare, quo minus melior eligatur. Fuit res aliquamdiu anceps, cum Baronum ſibi quiſque timeret. Poſtremo reconciliatione inter proceres facta (cuius auctorem Joannem ſancti Angeli cardinalem, virum doctrina & moribus excellentem, qui tum Legatum agebat Apoſtolicum, tradidere) Matthias octo & decem natus annos nono Calen. Februarii inter XL. millia virorum, qui medio in Danubio tum glacie conſtricto impatientes magni ſecreti electionis exitum expectabant, Rex acclamatus;

p. 41.

matus; Nunc quisquis hæc legis, & futura prædicito: ſingulare prorſus humanæ inconſtantiæ documentum ex duobus adoleſcentulis ætate moribusque pene paribus. Altet ex regio ſolio, dum nouæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum: alter dum capitale iudicium trepidus manet, ex carcere vocatur ad regnum. Libertas eius ex gubernatore Bohemiæ ſponſaliciis atque aliis pactionibus empta refertur. Mirabile, quod matrem repentina lætitia non exanimauerit, cum tot cladibus afflicta prius Regem appellatum audiuerit, quam vinculis exemptum.

Sepuſium Examites latro. Vid. auctor. epiſt. 162.

In parte Hungariæ quæ trans Danubium in Septentrionem porrigitur, & nunc Sepuſium vocant, olim Gepidæ conſedere. Inſignis latro Examites, natione Bohemus, Huſſitarum peſtifera labe infectus, milites prædandi cupidos vndecunque ad ſe venientes, benigne collegit, eosque fratres appellauit: vniuerſam regionem illam tributariam ſibi reddidit, exædificatis munitionibus locis oportunis, ex quibus modo in vnam, modo in alteram partem diſcurrere poſſet: prædas in fine cuiusque menſis viritim diuiſit. Ex quibus non plus accepit, qui totum menſem, quam qui diem vnam ante diuiſionem in caſtris fuit numero fratrum aſcriptus. Id ſibi ex Euangelio præceptum affirmauit, quod in vinea Domini laborantibus, & qui prima hora, & qui XI. venerant, æquam mercedem promittit. Hæc ſocietas cum longe lateque rapinas ageret, & iam quinque millia pugnatorum in armis haberet, indiesque creſceret, non aliter diſſipari potuit quam duce ipſo Axamite ad ſtipendia Ladislai Regis vocato.

CAPUT II.

DE TRANSILVANIA, ET WALACHIA.

TRANSILVANA regio eſt vltra Danubium ſita: quam Daci quondam incoluere, feroces populi, & multis Romanorum cladibus inſignes, noſtra ætate tres incolunt gentes, Teutones, Siculi & Valachi. Teutones è Saxonia originem habent, viri fortes & bello exercitati: à ſeptem ciuitatibus quas inhabitant, Sie-

Siebenburgenſes.

benburgenſes patrio ſermone appellati. Siculi Hungarorum vetuſtiſſimi credun- p. 42.
tur, primi omnium, qui ex Hungaria veteri in hanc prouinciam venerint. Eam ob cauſam, quamuis agros ſuis colunt manibus, ac rure viuentes greges pecorum paſcunt, nobiles tamen appellantur. Et concurrentes inuicem alter alterum *Generoſum dominum* ſalutant. Nec tributa pendunt, niſi quo anno Rex Hungariæ coronatur. Tunc quot ſunt patresfamilias, tot boues Regi tradunt: quorum numerum ſupra LX. millium eſſe ferunt. Juſſi vero in bellum exire, niſi pareant, capitali pœna plectuntur: bona fiſco applicantur. Walachi genus Italicum ſunt: quemadmodum paulo poſt referemus, paucos tamen apud Tranſiluanos inuenias viros exercitatos, Hungaricæ linguæ neſcios. In hac prouincia oppidum fuit, quod

Walachi.

Biſtricium.

Biſtricium vocauere, regiæ coronæ ſubiectum.

Id Ladislaus Rex cum Viennæ ageret, Joanni Huniadi dono dedit. Tulerunt id ægre oppidani, diuque reſtiterunt: coacti tamen imperata fecerunt, at

* *al. Zylagi.*

mortuo Joanne, eiusque filio Ladislao Budæ occiſo, Michaelem Rylagi, * qui pro Matthia altero Joannis filio regnum petebat, turpiter reiecerunt. Ille indignatus quamprimum Ladislai regis mortem accepit, eo cum exercitu rediit, vi oppidum expugnauit, rebellium ciuium aliis oculos eruit, aliis manus amputauit, aliis necem gladio intulit, oppidum incendio deleuit. Ingreſſi ſunt paulo poſt Tranſſilvaniam Turcorum circiter tria millia, prædamque magnam abegerunt pecorum atque hominum. Quos inſecuti Sibinienſes, & ipſi Teutones, ad internitionem vsque deleuerunt; victoresque præda recuperata domum rediere. Vix ciuitatem introierant, cum Michael ex alia parte haud paruas ducens copias affuit, ciuitati

Paul. Vergerius.

exitium parans, quæ Biſtricenſibus aduerſum ſe opem tuliſſet. Sed cum Sibinienſes intra munitiſſimam vrbem ſe continerent, fruſtratus deſiderio ſuo minabundus receſſit. Apud Hungaros obiit ætate noſtra Paulus Vergerius Juſtinopolitanus, græcis ac latinis literis apprime inſtructus: cuius plura extant opera ab eruditis probata.

Arrianus,

Arrianus, qui Alexandri Magni geſta græco ſermone conſcripſit, latinus ab eo redditus eſt, hortatu Sigismundi Cæſaris. Scripſit de ingenuis moribus, græcas ac barbaras amicitias comparauit aduerſus Malateſtam, qui Maronis ſtatuam in foro Mantuano dejici iuſſerat, nobilem inuectiuam edidit, ex Hungaris, qui ſtudia humanitatis ſecuti æuo noſtro claruerunt, duos nouimus: Joannem epiſcopum Varadienſem, qui regni cancellariam obtinuit: & alterum Joannem eius ex ſorore nepotem, qui ſub Guarino Veronenſi græcas ac latinas literas didicit: nec minus verſu quam ſoluta valet oratione, horum tamen originem Sclauonicam ſerunt. Scientiam iuris plurimi profeſſi ſunt: inter quos Dionyſius excelluit gente Canyſia natus, qui Strigonienſem ſortitus eccleſiam, honorem quoque cardinalatus (vt ante diximus) emeruit. In re militari Nicolaus Wayuota Tranſiluanus, Michael Vrſatius, & qui Caliſium inuaſit, Pangracius nomen adepti ſunt. Nunc clarus habetur Michael Rilagi, * ex aliena ruina magnus. Joannes Huniadis, cuius nomen cæteros obnubilat, non tam Hungaris quam Valachis, ex quibus natus erat, gloriam auxit. Walachiam perquam lata regio eſt, à Tranſſiluanis incipiens, vsque in Euxinum protenſa pelagus, plana ferme tota, & aquarum indiga. Cuius meridiem Hiſter fluvius excipit, ſeptentrionem Roxani occupant, quos noſtra ætas Ruthenos appellat: & verſus fluvium Thiram Nomades Scytharum genus, quos Tartaros hodie vocitamus.

* Zylagi.

Hanc terram incoluerunt quondam Gethæ: qui & Darium Hiſtaſpis filium turpi fuga repulerunt, & Lyſimachum regem vivum in poteſtatem pertraxerunt, & Thraciam pluribus cladibus affecerunt. Poſtremo Romanis armis ſubacti ac deleti ſunt: & Colonia Romanorum quæ Dacos coherceret, eo deducta duce quodam Flacco, à quo Flaccia nuncupata: exin longo temporis tractu corrupto (vt fit) vocabulo Valachia dicta, & pro Flacciis Valachi appellati, ſermo adhuc genti Romanus eſt, quamuis magna ex parte mutatus, & homini Italico vix intelligibilis. Inter Valachos tempeſtate noſtra duæ factiones fuere: altera Danorum, altera Dragularum: ſed hi cum Danis impares eſſent, atque ab illis multiſariam opprimerentur, Turcos in auxilium vocauere: quorum armis adiuti Danos pene ad internitionem deleuerunt. Danis vero Joannes Huniades Hungarorum imperio fretus opem ferens, non tam illos reſtituit, quam ſibi ipſi claritatem & opes acquiſiuit. Quippe qui Danorum agros ex poteſtate Turcorum ereptos, & ſibi & poſteris perpetua poſſeſſione retinendos occupauit. Valachi & inſulas Hiſtri accolunt: inter quas Peucen apud veteres fama notam, & in Thracia quoque ſedes
p. 43. habent. Valachorum pars Turcorum imperio, pars Hungaris paret. Non me latet difficillimam eſſe prouinciarum deſcriptionem, quando & auctores ipſi, quos imitari oportet non ſolum varii, verum & inter ſe contrarii ac magnopere diſſentientes inueniuntur, & ipſarum prouinciarum limites pro dominantium auctoritate ac potentia ſæpe numero commutantur. Nam quæ prouincia latiſſima quondam fuit, ætate noſtra aut extincta eſt, aut permodica. Contra vero quæ nulla vel minima extitit, nunc latiſſimam florentiſſimamque videmus. Longobardiam ac Romandiolam non cognouere maiores: noſtra tempora Inſubriam, Emiliam, ac Flaminiam prorſus ignorant. Macedoniam ſub Æmathione Rege (à quo Æmathia cognominata) peranguſti clauſerunt termini. Virtus poſtea Regum & gentis induſtria, ſubtractis finitimis populis longe ac late protendit. Dent igitur veniam (æquum cenſeo) ſi qui mea ſcripta legentes non eos locorum terminos offenderint, quos ipſi vel mente ſua conceperunt, vel apud alios inuenerunt, quæ ab aliis accepimus, ſeu antiquis ſeu nouis autoribus incorrupta referimus: quamvis non eſt propoſiti noſtri geographiam edere, licet aliquando hiſtoria ipſa quam ſcribimus, locorum aliquam ſignificationem requirit? ſic enim clarior redditur.

CAPUT III.

DE THRACIA, ETINEA BYZANTIO.

POST Valachos igitur & Hungaros, de quibus ſermo habitus eſt: Thracienſium res geſtæ ſeſe offerunt. Thracia vero (vt plerique autores tradunt, ipſiquc præſtantiores) ampliſſima prouincia eſt, longe lateque patens. Cui ab Oriente Euxinum pelagus ac propontis occurrit, à meridie Ægeum mare, & Strimon fluvius, ſimulque Macedonicus ager. Septentrionem Hiſter claudit, occidentis oram cum Peoniæ montes, tum Pannonia, & Savus excipit amnis, in qua ſententia & Plinium Veronenſem fuiſſe video, & Strabonem ipſum, qui iuga montis Hæmi-Thraciam diuidere mediam affirmat. Idemque Dardanos, Triballos, Myſos incolere Thraciam non ambigit. Triballos autem eos coluiſſe campos, in quis vel Raſtiani modo vel Servii ſedes habent, nemo negabit, qui ſcripta veterum præſenti rerum ſtatui coaptauerit. Myſi vero poſt Triballos ad orientem vſque in Euxinum protenduntur, inter Hiſtrum & Hæmum montem habitacula ſortiti, hos hodie Bulgaros appellant. Poſt quos maritima loca verſus meridiem ad Helleſpontum vsque Romania eſt, natio græca, quamuis olim barbara fuerit: & iterum noſtro tempore deleto Græcorum imperio, dominantibus Turcis in barbariam redit. *Byzantium.* Huius prouinciæ metropolis eſt Bizantium, Agios prius appellata. Lacedæmonii eam condidere duce Pauſania, quibus Apollinem conſulentibus, vbinam ſedes quærerent, mandaſſe oraculum memoriæ proditum eſt, vt contra cæcos habitationem locarent. Cæcos autem Megarenſes appellauit Calcedonis conditores. Qui cum prius in Thraciam nauigaſſent, ſitumque vbi poſtea Bizantium ædificatum eſt, conſpexiſſent; omiſſa tam locuplete ripa, tenuiorem ê regione in Aſia delegiſſent. Hæc Strabo. Conſtantinum vero Imperatorem cognomine Magnum, cum ſtatuiſſet imperii ſedem ex vrbe Roma in Orientem transferre, quo facilius Parthorum excurſiones compeſceret, tradunt Eccleſiaſtici autores in Troadem profectum, ibi regiæ vrbis fundamenta ieciſſe, vbi quondam Agamemnon cæterique græcorum principes aduerſus Priamum regem fixere tentoria. Sed admonitum in ſomnis à Chriſto ſaluatore, locum alium deſignante, cæptum opus, cuius diu manſere veſtigia infectum reliquiſſe: arque in Thraciam nauigantem Bizantium petiuiſſe: eumque ſibi locum diuinitus oſtenſum dixiſſe: mox vrbem ampliaſſe, noua mœnia erexiſſe, ſublimes excitaſſe turres, magnificentiſſimis tum priuatis, tum publicis operibus exornaſſe, tantumque illi decoris adieciſſe, vt altera Roma non immerito dici poſſet. Scriptores, qui florentem videre, Deorum potius in terris habitaculum quam Imperatorum putauere. Nomen vrbi nouam Romam *Conſtantinopolis.* imperator indidit ſed vicit obſtinatio vulgi, vt à conditore potius Conſtantinopolis vocaretur. In hac vrbe multa ſub Imperatoribus Epiſcoporum concilia celebrata, multæ ſuppreſſæ in Chriſtiana religione ſurgentes hæreſes, multæ etiam inventæ. Inter quas ea diutius manſit, quæ de proceſſione ſancti Spiritus, quamvis in pluribus agitata ac reiecta conciliis, ad noſtram ætatem vſque perveniens, denique ſub Eugenio quarto Pontifice Maximo in Florentina Synodo (quemadmodum ſuo loco dicetur) non ſolum à Latinis, ſed ab ipſis etiam Græcis damnata exploſaque eſt. Verum quamquam Joſeph Patriarcha & Joannes Imperator gentis eiuſce cum Latina Eccleſia concordibus animis fidei ſymbolum decantauerint, p. 44. Conſtantinopolitana tamen Eccleſia credere, quod Romana ſentiret, velut nephas duxit. Obierat in Florentia Patriarcha, qui vnioni conſenſerat: nec imperator domum reuerſus diu ſuperuixerat. Conſtantinus qui ei ſucceſſit, ſiue deceptus, ſiue ſponte ſua inſaniens, haudquaquam vnioni conſentiens videbatur: Et iam Gregorium patriarcham priori ſuffectum, quod ad veritatem fidei ambularet domo pepulerat, eccleſiaſtica bona inuadens. Miſerat eo Nicolaus pontifex Romanus Iſidorum epiſcopum Sabinenſem vniuerſalis Eccleſiæ cardinalem, virum induſtrium, & qui Ruthenorum Eccleſiam iamdudum rexerat; percontatum quanam ratione Græcanica natio legatorum ſuorum conuenta rejiceret, cum Latinis Florentiæ habita.

bita. Jam ille imperatorem eiusque Senatum in rectam viam pellexerat: cum Turcorum bellum duce & autore Mahomete veluti repentina tempestas in Constantinopolitanos emersit, de quo paulo post suo loco dicetur.

CAPUT IV.

DE TVRCORVM ORIGINE, ET BELLIS IN HVNGARIA: ET OCCVPATA PER EOS CONSTANTINOPOLI.

VIDEO complures ætatis nostræ non autores aut poëtas duntaxat, verum etiam historicos eo errore teneri, vt Teucrorum nomine Turcos appellent. Credo eos id circo motos, quoniam Turci Troiam possident, quam Teucri coluere. Sed illorum origo ex Creta atque Italia fuit: Turcorum gens Scythica & barbara est: de cuius origine atque progressu quamuis propositum egredi videar, dicere haud alienum existimo: quando sub æuo nostro in tantum hoc genus hominum auctum est, vt Asiam Græciamque tenens, Latinum Christianumque nomen late perterreat. *Teucri, pro Turcis.*

Ea narratio res quoque Thracienses aperiet, de quibus institutus est sermo. Turci (vt Ethicus philosophus tradit) vltra Pirricheos * montes & Tarachontas insulas contra aquilonis * vbera, id est ad septentrionalem oceanum, sedes patrias habuere: gens truculenta, ignominiosa, & in cunctis stupris ac lupanaribus fornicaria. Comedit quæ cæteri abominantur, iumentorum, luporum, & vulturum carnes: nec abortiuis hominum abstinet, diem festum nullum colit, nisi mense Augusto Saturnalia. Romanorum Imperium audiuit magis quam sensit: quamvis Octauiano Augusto in Auro littorio, * censum dedit, & id quidem sponte. Nam tum vicinas vndique regiones annua illi tributa reddere animaduertisset, novum dierum ac temporum DEUM exortum esse arbitrata, munera ei quotannis transmisit. Hæc gens (teste Othone historico & Imperatoris Friderici patruo) regnante apud Francos Pipino, à Caspiis portis egressa, cum Auaribus (quos Hungaros nostra vocat ætas) feroci pugna, multis vtrobique desideratis conflixit. Exin Pontum, Capadociamque transgressa, ad reliquas inde finitimas gentes sensim dilapsa, more latronum clandestinis quibusdam excursionibus vires sibi vendicans, occupatis quibusdam montibus & claustris oportunis, vnde per occasiones facile irruptiones fieri possent, vsque adeo emersit ac sublata est animis, vt palam iam & pari Marte aduersum finitimos de agri possessione certaret: & denique procedendi tempore non solum Pontum & Capadociam, verum Galaciam, Bithyniam, Pamphiliam; Pysidiam, vtramque Phrygiam, Cilices, Cares, & eam Asiam quæ minor vocatur, ad oras vsque Jonii & littora Græci maris occupauerit: non vnum quendam principem, sed alios alii duces & varia auspicia quasi per factiones secuti. * *al. Pireicos.* * *al. Babylonis.* * *al. litoreo.*

Ex hac gente (quemadmodum Nicolaus Sagundinus, vir Græcæ ac latinæ historiæ peritissimus, ad nos scripsit) vigesimum ab hinc & centesimum circiter annum, Otomanus exigui tum census & obscuri inter priuatos nominis, ex collectitio milite non parua manu per seditionem conflata, grassari passim, ac non solum reliquias Christianas vexare, verum etiam homines suæ gentis armis infestis petere, & sibi subdere cœpit. Cuius conatibus orta inter Turcorum principes seditio facilem cursum præbuit. Nam illi dum sæpe inuicem laniant, accitis vndique omnibus qui pro ingenio prædæ rapinæque percupidi essent, auctoritatem breui & nomen adeptus est: oppida non pauca partim vi, partim deditione in potestatem accepit. Otomano filius successit Orcanes, qui rem inchoatam à patre commode prosecutus, admodum propagauit. Eum Amurates filius subsecutus est. Qui duobus de Græcorum imperio disceptantibus, ab altero qui superari timebat, in auxilium accersitus, Turcorum primus transiuit in Græciam: vbi consulto bellum protrahens, postquam ambos eneruatis consumptisque viribus fractos ac defessos animaduertit, versis, (vt aiunt) proris, arma in eos sine vllo discrimine per occa- *Otomanus.* *Orchanes.* *Amurates.* p. 45.

ſionem conuertit. Et occupato Callipoli oppido, peropportune in Cherſonneſo ad Helleſponti fretum ſito, cætera Græca oppida aperte petere bello, palamque ſibi & poſteris Græcorum polliceri imperium non dubitauit: magnamque Thraciæ partem, nullis ferme obſiſtere audentibus, ditioni ſuæ ſubiecit. Is vita fun-
Baiazet. ctus duos reliquit filios Solmanem & Pazaitem. Solmano breui è vita ſubtracto, res vniuerſa ad Pazaitem deducta eſt. Qui proſperos fortunæ adeptus afflatus, vſque adeo nouelli regni fines extulit, vt Thraciam pene vniuerſam, excepta Conſtantinopoli ac Pera, Theſſaliam, Macedoniam, Phocidem, Boetiam, Atticam maiori ex parte occupauerit: Myſos quoque, Illyrios, Triballos crebris excurſionibus infirmauerit. Conſtantinopolim vero tum omni agro, ſuburbaniſque ac delitiis ſpoliauit: tum longa & perdifficili obſidione vexauit, vt ciues deſperata ſalute de deditione agere cœperint: periiſſentque proculdubio, & in hoſtis ſæuiſſimi
Tamerlanes. poteſtate veniſſent, ni Tamerlanes ille Scytharum præpotens Rex, inſtar torrentis ipſo incurſu atque impetu cuncta proſternendo ac vaſtando, Pazaitem ipſum occurrere ac reluctari conantem magno prœlio & ingenti ſtrage ſuperatum in Aſia cepiſſet. Hic eſt ille Tamerlanes, terror gentium, in cuius exercitu duodecies centena millia hominum fuiſſe traduntur: Xerſe ac Dario maior, quorum copiis ſiccata flumina prodiderunt. *Iram* ipſe ſe *DEI* vocitauit: nec nomini crudelitas defuit. Multas ac præclaras Aſiæ vrbes deleuit, homines tanquam pecora trucidauit, non ætati, non ſexui pepercit: Damaſcum nobiliſſimam Syriæ vrbem diripuit atque incendit: Pazaitem catena vinctum prandens quaſi canem ſub menſa ſua comedere iuſſit: aſcenſurus equum eo tanquam ſcabello vſus eſt. Poſt cladem Pazaite filii eius, qui complures erant, in poteſtatem venere Græcorum, cum pe-
Calapinus. riculum euaſuri in Thraciam traiicere contenderent. Calapinus autem natu maior emiſſus à Græcis, tandem patrium regnum obtinuit. Aduerſus quem Sigiſmundus Rex Hungariæ collatis ſignis prœlium iniens, tumultuoſe fuſus, caſtra & impedimenta reliquit. Chriſtianorum ingens occiſio facta. Joannes dux Burgun-
Orchanes. diæ in eo prælio captus, multo auro libertatem redemit. Calapino mortuo Orcan eius filio tenella ætate adoleſcentulo Moyſes patruus & regnum & vitam eripuit. Qui paulo poſt ſine filio deſiderato, Mahometem fratrem reliquit hæredem.
Mahometes. Is Valachis fortiſſimis & bellicoſiſſimis nationibus trans Danubium (vt ante diximus) late dominantibus, bello attritis tributa grauia imperauit. Nonnullos in Aſia Turcorum regulos armis oppreſſos regnis penitus ſpoliauit: Chriſtianos ſub imperio ſuo degentes, quam duriſſime afflixit. Mahomete mortuo Amuratem eius filium, qui per id tempus in Aſia morabatur, audita patris morte in Thraciam trajicere conantem, Imperator Græcorum diu prohibuit: Muſtaphamque reliquum ex Pazaite filiis, vt rerum potiretur emiſit, & ſumma ope proſecutus eſt. Sed
Amurates. Muſtapha pugna ſuperato & interempto, Amurates victor vniuerſum regnum, conſecutus, Theſſalonicam illuſtrem Græciæ vrbem (quam tum Veneti poſſidebant) vi captam pugnatamque penitus diripuit: eaque victoria auctus, Epirum atque Etholiam, non obſcuras prouincias, reliquo regno adiecit. Illyriorum agros vaſtans, oppida multa vi cepit, diripuit atque incendit.

Vxoribus more gentis quamplurimis iunctus eſt: inter quas Georgii Seruiæ Deſpoti filiam duxit: nec diu poſtimmemor affinitatis, aduerſus eum duxit exercitum. Georgius impar Generi potentiæ, furentem veritus hoſtem, relicto vno ex filiis, qui cum præſidio Synderonia tueretur, cum coniuge cæterisque liberis ac gentis ſuæ ſacerdotibus in Hungariam profugit. Expugnata eſt tamen Syndero-
* *al. Smederona.* nia ac direpta; Deſpoti filio lumen ademptum. Georgius patria expulſus, diu apud Hungaros exulauit. Joannes Huniades iam per arma clarus, ſæpe eum exercitu Seruiam ingreſſus, plurimis cladibus Turcos affecit, eorumque duces acie conflixit. Verum quamuis Seruiæ magnam partem recuperauit, non tamen Georgio cuncta reſtituit: multa ſibi ipſi retinuit, multa dedit amicis. Neque iniuria: eum & ipſe ſua virtute repulliſſet hoſtes, & Georgii ſuſpecta fides eſſet; qui medius inter Hungaros ac Turcos, nunc hos, nunc illos fefelliſſet: in his vero quæ religio-

religionis eſſent, neque Romanæ Eccleſiæ auſcultaret, neque Mahometis legem ſequeretur. Libet (quoniam huc ventum eſt) huius opera ad finem proſequi. Cum male pugnatum eſſet in prælio Varnenſi (de quo paulo poſt dicemus) fugiens Huniades, in Seruiam ſe recepit. Senſit aduentum eius Georgius: atque obuiam fa- *Georgius De-*
p. 46. ctus venientem intercepit, & quaſi hoſtem eoniecit in vincula: nec prius dimiſit, *ſpotes Seruiæ.*
quam oppida ſuæ ditionis ab eo pridem occupata recepit. Nec multo poſtea, cum Joannes verſus Sophiam copias duceret, videreturque non parua Turcis illaturus damna, Amurati omnia Hungarorum conſilia pateſecit. Vnde ille admonitus maximam Chriſtianis intulit cladem: quemadmodum ſuo loco referetur. Cum vero Turci Conſtantinopolim euiciſſent, atque in Seruiam ducere exercitum minarentur; ſecundo auxilia petens ad Hungaros tranſiit: & in Auſtriam vſque proſectus Ladislaum adiit regem: grandæuus iam ſenex, dignus veneratu, ſi recta de religione ſenſiſſet: ea in eo ſermonis auctoritas, ea corporis maieſtas fuit. Acceſſit hunc Joannes Capiſtranus ordinis Minorum profeſſor, vitæ mundicia, & inter prædicatores Euangelii noſtro tempore inſignis. Quæſiuit, *An audire ſe vellet.* Annuenti, quod Romana Eccleſia credit & docet expoſuit. Diu ſecum per interpretem de ſacris eloquiis diſputauit; vt errorem ſuæ gentis relinqueret, magnopere cohortatus eſt. Ille hoc denique reſponſum dedit: *Annis nonaginta vitam produxi: nec aliam religionem, quam ſuſcepi à patribus, noui, ſapientem me ciues mei, quamuis infelicem, hactenus putauere. Tu nunc, quod ſæpe agitant, ſenem delirum efficere cupis: laqueo vitam finire malim, quam patrum traditiones relinquere:* atque his dictis è conſpectu abiit, tam periculoſum eſt religionem imbuiſſe damnatam. Reuerſus domum cum accepiſſet Michaelem Zilagi, qui tum Albæ cum præſidio præerat, fratremque eius Ladislaum quadrigis vectos vrbem exiſſe, milites miſit, qui eos vel comprehenderent vel occiderent. Michael vbi adeſſe hoſtes animadvertit, curru deſiliens, equum qui pone ducebatur aſcendens, veloci fuga ſaluatus eſt. Ladislaus in quadriga repertus, multis vulneribus confoſſus ac diſcerptus interiit. Sed non impune id Georgio ceſſit. Cognouit & Michael paucis poſt diebus, illum prope Danubii ripam iter habere: aggreſſusque cum armatis, captivum obduxit: cui dextræ manus duos digitos amputauit, cum ſe gladio defenderet. Redemptus eſt Georgius magno auri pondere: atque hic perfidi hominis **al. Gregorio.*
exitus fuit. Lazarus filius poſt eum gubernationem ſuſcepit, excluſo fratre nomine Georgio: quem quondam Amurates excæcauerat. Is cum ſorore (quam nupſiſſe Amurati diximus) ad opem Mahometis confugiens, fruſtra eius auxilium implorauit.

Obiit deinde Lazarus: de cuius hæreditate non parua contentio exorta eſt. Gregorius Turcorum auxilio paternum regnum vendicare nititur. Vxor Lazari relicta Hungaricas opes implorat: nec Catecuzina Vlrici comitis Ciliæ quondam vxor, ac Georgii filia, portionem hæreditatis deſperat. Joannes Cardinalis Sancti Angeli ab Hungaris inuitatus, eo profectus vt arces Raſcianas, quæ Turcis in Hungariam aditum præcludunt, aut Apoſtolicæ ſedis nomine recipiat, aut Hungaris tradi curet, rebus infectis non ſine graui periculo (vix enim Turcorum manus euaſit) Budam rediit. Nos Amuratis opera, quæ medio curſu reliquimus proſequamur. Magnus hic vir fuit domi bellique, tam ſuis amatus quam noſtris odioſus: cum centum millibus pugnatorum intrauit Hungariam, late populatus prouinciam. Sterilis annus impedimento fuit, ne regno potiretur. Commeatus penuria compulſus rediit.

Julianus Cardinalis ſancti Angeli ab Eugenio Pontifice Maximo aduerſus eum miſſus, Hungarorum extulit animos, & arma ſumere perſuaſit. Exercitus Chri- *vide auctoris*
ſtianus vſque Sophiam ad Artum magnum profectus eſt. Sæpe cum Turcis pro- *epiſt. 44. 52.*
ſpere dimicatum, non ſine Joannis Huniadis ingenti laude, qui tum copias ductavit. Cuius nomen apud hoſtes adeo terrificum fuit, vt plorantibus pueris matresfamilias taciturnitatem non aliter imperarent, quam Joannis præſentiam minitantes. Congregati tamen non paruo numero Turci, cum Chriſtianis confligere non

dubitarunt. Sed non tam felix eis pugna quam fortis animus fuit. Superati virtute Hungarica, multis cæſis terga dedere. Hungari qui bello interfuere, cupiditate gloriæ res ſuas ampliantes, ac de magnis maiora tradentes, Imperatori Friderico ſuperatos bello Turcos ſcripſere, triginta millia hoſtium cæſa, captaque multo plura. Cardinalis ſancti Angeli ſex millia duntaxat hoſtium in eo prælio cecidiſſe, ſuis literis affirmauit, ſigna militaria nouem capta; Joannem Huniadem non ducis tantum, ſed militis quoque ſingulari virtute vſum. Eique fides habita. Turcis & Chriſtianorum victoria plus pauoris quam damni attulit, non Hungaricas tantum vires, ſed Germanicas quoque in ſe commotas arbitrantibus.

Conſternati ergo ac perculſi metu, perinde ac totus Occidens coniuraſſet, pacem petiere. Hungari qui ſuas vires non ignorarent, nec tam potentiæ ſuæ quam caſui victoriam imputarent, periculoſum exiſtimantes ſæpius tentare fortunam, oblatas vltro conditiones pacis non recuſarunt. Induciæ belli in decem an- p. 47.
nos dictæ, iuſiurandum per ſua ſacra ambæ partes præſtitere. Deſpoto Seruiæ, quæ bello amiſerat, reddita, Moleſta ea res Juliano Cardinali fuit: cui proſequenda victoria videbatur. Eugenio quoque Romano Pontifici nihil moleſtius nunciari potuit. Cuius menti nulla maior cura inſedit, quam Chriſtianæ fidei propagandæ.

Scripſit igitur Cardinali, nullum valere fœdus, quod ſe in conſulto cum hoſtibus religionis percuſſum eſſet. Vladislao Regi Poloniæ: qui eo tempore Hungariam occupabat, vti conuenta diſſolueret, imperauit: iuramenta remiſit. Nouum inſtaurari bellum cum precibus, tum minis extorſit. Ex Chriſtianis principibus auxilia petiit: præter Philippum tamen Burgundiæ ducem neminem Chriſtianæ religionis zelus commouit. Hic ſolus claſſem inſtruxit: quæ vſque in Helleſpontum profecta, Turcis ex illa tranſitum prohibere in Europam conata eſt. Franciſcus Cardinalis Venetiarum, Eugenii nepos, cum pluribus triremibus eo miſſus claſſi præfuit. Vladislao, qui alienum regnum inuaſiſſet, è re ſua viſum eſt, ſollicitudinem belli prouincialibus non deeſſe. Accerſitis igitur ex Polonia ac Boemia cæteriſque vicinis gentibus auxiliis, coactis ex Hungaria copiis, Turcorum agros inuadere ſtatuit. Joanni Huniadi caſtrorum cura commiſſa, quadraginta circiter equitum millia fuiſſe traduntur: plerique dimidio minorem numerum prodidere. Reguli Hungariæ pontificesque quamplurimi interfuere. Julianus ſancti Angeli Cardinalis milites cruce ſignatos non paucos ſecum duxit. Iter per Valachiam receptum: deinde tranſito Danubio in Myſiam ventum; vt per plana & campeſtria loca in Romaniam tranſirent. Amurates hoſtium cognito aduentu, cum Græcis ac Turcis in Europa manentibus non ſatis confideret, exercitum ex Aſianis militibus comparavit. Sed augebat animum trajiciendi freti non mediocris cura, qui claſſem Apoſtolicam obtinere pelagus non ignorabat. Anxio (vt aiunt) & multa voluenti animo, Genuenſes quidam curas adimere: qui ſuis nauibus accepta pecunia transportare copias permiſerunt. Locus eſt vbi non amplius quam ſtadia quinque latitudo freti continet, inter Propontidem & Euxinum pelagus: tantum eſt ſpatium, quod Europam Aſiamque diſterminat. Boſphorum Thracium dixere maiores, à Bizantiorum cornu ſexaginta ferme ſtadiis diſtantem. Hic Amuratis exercitus tranſuectus eſt, aureo nummo vectoribus per capita tradita: quæ (ſi vera eſt fama) centum millia fuiſſe feruntur. Jam Chriſtiani locum attigerant, cui Varna eſt nomen, cum aduentare innumerabiles hoſtium copias nunciatum eſt. Cedendum Vladislao Cardinalique videbatur: & ne circumueniri ab hoſte poſſent, munitum montanumque locum petendum. Huniades aduerſari ac reſiſtere: Turcorum ſe noſſe vires dicere; *Famam ſemper maiorem eſſe. Quod ſi Turci omnes adſint, Hungaris tamen impares fore. Illos aurea & diſcolori veſte, Hungaros ferro atque ære fulgere. Chriſtianum agmen & ſtare paratum & ſequi, nec turba nec ſarcinis pregrauare, intentum quo dux non modo ſignet, ſed etiam innuat. Contra ſi Turcorum mores inſpiciantur, feminas magis exiſtimari debere quam viros. Si fugiat exercitus Chriſtianus, quem Rex Hungariæ ducit, in quo Legatus Apoſtolicus adeſt, in quo tot nobiliſſimi proceres militant,*

nunquam

nunquam deinceps Hungaris contra Turcos futurum animum. Vicit Huniadis ſententia: expectati hoſtes. Poſtera die viſi maioris exercitus ſpeciem præbuere, quam fama ipſa vulgauerat, ſiue quod metuentibus omnia vero maiora videntur, ſiue quod Amurates in cogendo milite vulgatæ opinioni haudquaque defuerat. Tertius Huniades eo conſpectu, tum primum periculi magnitudinem animo voluens, de fuga Regem admonuit. Ille ſerum conſilium arguens, pernitioſam magis fugam quam pugnam dixit: *Commiſſo prælio ſperari victoriam poſſe: ſæpe minoribus exercitibus ceſſiſſe maiores. Nec tam multitudinem bellatorum, quam audaciam & ordinem præſtare victoriam. DEum quoque reſpicere meliorem cauſam: præſtantioremque ſe paucis (ſi modo audeant) exhibere, fugientes victoriam hoſti tradere, feriendaque terga, & multam ſuorum cædem.* Magnifica quoque verba Joannis pridie dicta plenus irarum Rex exprobrauit: iuſſiſque omnibus arma capeſſere prælium expectauit. Amurates in proximo colle conſederat, ex quo ſuos pariter atque hoſtes ſpectare potuit. Dato belli ſigno, quindecim millia equitum, qui pugnam provocarent, facto globo in Chriſtianos impetum fecere. Singulis albæ ſuper loricas veſtes fuere, quæ vento agitatæ inſtar alarum præ ſe ferebant: totidem viridibus induti ſagulis ſequebantur. Aurea equorum frena multorum viſa: & multis galearum argenti atque gemmarum nitor. Ipſas quoque gladiorum vaginas prægrandes vniones ornabant. Non detrectauere Chriſtiani certamen: itum eſt ferocibus in pugnam animis. Superior acies noſtra Turcos in fugam vertit, quam-
p. 48. plurimis primo impetu proſtratis; pereulit ea res magno metu Amuratem, nihil tale verentem: fugiſſetque protinus prodito exercitu, niſi circumſtantes Satrapæ comprehenſo eius equi freno, ignauiam eius increpaſſent, fugientique comminati necem fuiſſent. Perſtitit ergo vel inuitus, iuſſiſque fortiſſimis arma ſumere, prælium inſtaurauit. Pugnatum eſt ſumma contentione pluribus horis, nunc Chriſtianis, nunc Turcis propinquiorem victoria ſeſe præbente; Cadebant hinc atque inde quamplurimi, plures ex Turcis; quorum corpora parum tecta facile ſagittæ enſesque penetrabant. Poſtremo cum novus in hora hoſtis incedere, & ſauciorum loca integri occuparent; non tam virtute, quam numero ſuperati Hungari paulatim referre pedem cepere. Tum Vladislaus cum globo ſuorum, quos erga ſe non minus ſortes, quam fidos habuit, ex Polonia, vt hoſtes ex acie victores diuerteret, Chriſtianisque animum redderet; in tumulum (quem teneri Amurate diximus) circumiectosque vndique currus impetum fecit. Ibi noua pugna commiſſa: novus iniectus Amurati pauor. Trepidatum totis caſtris: nec iam conſiſtendi animus aderat, quod ſi Huniadi par animus ac Regi fuiſſet, & arridenti fortunæ dediſſet manus; haud dubium quin ea dies & Amurati vitam, & poſteris eius imperium Græciæ abſtuliſſet. Verum ipſe vt primum cedere Chriſtiana ſigna conſpexit, cum decem millibus Hungaris ac Valachis ex acie ſe ſubtraxit, atque inſalutato Rege, nutante adhuc victoria, fugam arripuit. Fortaſſe rei militaris perito nulla in pugna ſalus viſa: & ſaluare aliquos, quam perire omnes maluit. Poloni acceptam eo prælio cladem, Huniadis vecordiæ atque ignauiæ tradiderunt: ipſe ſua conſilia ſpreta conqueſtus eſt. Vladislaus ſuæ ſorti dimiſſus, dum fortiter circa munimenta hoſtium pugnat, quo deiectus obtruncatus eſt. Caput eius haſtæ infixum per Græciam atque Aſiam in ſignum victoriæ populis oſtentatum: Poloni ad vnum cæſi omnes, direpta caſtra, & qui munitiones curruum tuebantur, necati. Epiſcopi & proceres Hungariæ qui aderant, eadem calamitate oppreſſi. Julianus Cardinalis dum fugit amiſſo prælio, cum iam hoſtes euaſiſſet, Hungarorum perfidiam euadere non potuit. Potum equo dantem apud ſtagnum forte repertum, latrunculi quidam nouere: & arbitrati pecuniam apud eum eſſe, dejectum equo necauerunt, & ablatis veſtimentis nudum cadauer feris ac volucribus dimiſere. Hic exitus viri fuit, magni certe & admirabilis: in quo neſcias doctrina maior, an eloquentia fuerit: gratia hominis præſentia, blandi mores, vita in omni ætate nitida, religionis zelus, qui omnia pro Chriſto & mortem ipſam ferre ſuaſerit. Huniadem (vt ante diximus) fugientem Deſpotus Seruiæ cepit.

Warnenſis cladem. Vide etiam Auctoris epiſt. 52. 81.

cepit. Poloni Regem ſuum iam peracto bello pluribus annis viuere crediderunt: captum non interfectum arbitrati. Cardinali Venetiarum eius culpa cladis magna in parte imputata eſt: qui neque ſretum (vti par fuerat) cuſtodiuit, neque tranſuectos hoſtes Chriſtianis ducibus (quod ſecundum fuerat eius officium) nunciauit, de numero cæſorum minime conſtat. Illud exploratum eſt, longe plures ex Turcorum acie cecidiſſe: cæterum pro numero copiarum longe maius damnum Chriſtianis illatum. Victor Amurates neque fugientes hoſtes inſecutus eſt, neque gloriabundus inter ſuos magnifica verba iactauit, neque (vt ante aſſueuerat) hilarem vultum oſtendit. Interrogatus quidnam triſtior eſſet, & cur non victis hoſtibus exultaret: *Nollem,* inquit, *hoc modo ſæpius vincere.* Jubensque vaſa colligi, copias quæ ſuperfuerant domum remiſit. Ipſe Adrianopolim reuerſus DEO ſuo, quæ pro victoria fecerat, vota perſoluit. Exin voluens animo regni curas veræ felicitatis expertes eſſe, inconſtantiam quoque fortunæ veritus (quæ nulli perpetuo bona eſt) accerſitis prouinciarum maioribus: Mahometem ex liberis ſuis natu maiorem pro ſe Regem conſtituit. Ipſe priuatam deligens vitam, in Aſiam profectus cum paucis otii ſui comitibus, religioni cuidam ſolitariæ ſeſe addixit. Calibaſſa inter Satrapas Turcorum opibus & auctoritate maior, Mahometi qui nondum per ætatem aptus eſſet imperio, gubernator datus: reliqui regis filii, ne quas regno turbas excitarent, more gentis necati ſunt. Felicius apud Turcos priuatis quam Regibus liberi naſcuntur. Effluxit deinde non parvum tempus, in quo nec Hungari Turcos, nec Turci Hungaros armis laceſſere præſumpſerunt. Sua quemque calamitas domi attonitum tenuit. Cruentiſſima Varnenſis pugna vires vtriusque partis eliſerat. Nec Turcis, neque Hungaris rex bello idoneus erat: Hos Huniades, illos Calibaſſa alieno numine gubernauit: ferocior Huniades, reique militaris peritior, ignominiam Varnæ acceptam obliuiſci non poterat. Vnde dies noctesque meditabatur, quonam pacto abolere infamiam, & reſarcire damna maxime poſſet. Spem bene gerendæ rei Turcorum quies præbuit: qui iam pridem nullum belli apparatum oſtenderant; vires illis atque animos defuiſſe ratus, tempus idoneum exiſtimauit, in quo priſtinam recuperare gloriam poſſet, Turcosque peſſundare; quibus ſi adſint exercitus, imperatorem tamen prorſus defuturum arbitrabatur. Nec magis exiſtimandum exercitum ſine duce, quam ducem exercitu carentem. Coactis itaque repente copiis ex Hunga- p. 49.
ria, accerſitis Bohemorum auxiliis, mercenariorum quoque militum non parua manu coacta, dueere exercitum in Turcos ſtatuit, quos prius aggredi ac conficere credidit, quam nouiſſime ex Hungaria nunciaretur. Eam rebus gerendis ſolertiam ac celeritatem adhibuit. Conſilium eius Gregorius Deſpotus Seruiæ (vt ante diximus) Turcorum ducibus pateſeeit: Magnumque genti periculum imminens, maius oſtendit. Perculſi eo nuncio Turci, quid agerent, non ſatis intelligebant. Amurates iam ſenior religioni addictus, regni curas abiecerat. Mahometes ætate minor, tantam belli molem ferre poſſe non credebatur. Callibaſſæ defuturam obedientiam putabant: qua nihil eſt in bello magis neceſſarium. Trepidare igitur, ac æſtuare, modo huc modo illuc mentem conuertere: nullum conſilium ſatis placere. Hærentibus in deliberatione Satrapis, nihil tandem ſalubrius viſum, quam reuocare ab ocio Amuratem, neque enim veterani militaturi ſub alio credebantur, nec fortunam belli ſub alio cunctandam arbitrabantur, quam ſub eo vincere conſueſſet. Calibaſſa eius ſententiæ auctor fuit: in qua re Mahometis animum vehementer offendit, cupientis in ea expeditione ſeſe virum oſtendere, verentisque ne imperium amitteret, ſi pater iterum regnum aſſumeret: vt ſunt hominum mutabiles voluntates. Miſſi ergo legati Amuratem reuocare: qui comparato mox exercitu in hoſtem profectus, non aliter quam ad prædam pergerent, alacres milites duxit. Jam Huniades cum copiis Sophiam tranſierat: proſtratisque qui occurrerant locorum præfectis, hoſtiles agros late populatus, loco qui Baſilia vocatur, caſtra poſuerat: cum aduentarent Amuratis copiæ nunciantur. Non expectauit Huniades prouocari: prior ipſe pugnam iniit.

iniit. Commiſſo prælio anceps diu certamen manſit. Qua parte pugnauit Huniades, fuſi hoſtes terga dedere, nec parua ſtrages edita: pari modo & Amurates in cornu ſuo victor Hungaros fudit.

Poſtremo cum victor victorem incurreret, non tulerunt Chriſtiani Turcorum impetum: qui quanquam virtute præſtarent, numero tamen ſuperati, non tam victi quam feſſi compulſi ſunt cedere. Huniades poſtquam ſuos neque minis, neque precibus ſiſtere poteſt, cum paucis ex bello profugit. Multi Hungariæ proceres, & nonnulli Eccleſiarum Epiſcopi in eo prælio cecidere. Gregorius miles ad internitionem cæſus: nec tamen pauciores ex Turcis interiere. Emptam multo ſanguine victoriam Amurates domum retulit: nec diu poſtea relicto Mahometi regno (quemadmodum prius deſtinauerat) mortem obiit. Corpus eius more majorum in Pruſa ſepultum. Ea eſt Bithyniæ ciuitas, & Aſiatici regni caput. Paulo antequam obiiſſet, Amurates vxorem duxerat filiam Sponderbei * nobilis in Penderacia ſatrapis: ex qua natum filium nomine Chialapium * ſextum agentem menſem Calibaſſæ moriens commendauit. Ille Mahometis gratiam initurus, & matrem & puerum ei prodidit. Mahometes accerſitis triginta (vt aiunt) matronis, quæ puerum recognoſcerent, poſtquam certam Amuratis ſobolem eſſe conſtitit, ſtrangulatum matri filium reddidit, funusque regio more fraternum duxit: auſpicia regni parricidio conſecrans. Sunt qui Calibaſſam alienum puerum Chialopini nomine ſuppoſuiſſe ferunt; illumque pro filio Amuratis necatum: Chialapinum vero apud Conſtantinopolim clam educatum, poſt capturam vero vrbis inde ſubtractum, ac Venetias ductum: & hunc eſſe quem Calixtus pont. Max. pro fratre Mahometis in palatio cuſtodiri iubet. Nos vero periculum ad Græcos remittimus: quamuis multa in hiſce rebus figmenta interuenire non ignoramus, & ſæpe tonſoris filios regio defungi honore viderimus. Mahometes igitur defuncto Amurate gubernacula regni ex voto adeptus, inſtituta maiorum pro ingenio correxit, leges ipſe ſuas domi forisque tulit: ærarium locupletauit, noua vectigalia excogitauit, copias auxit, in proceres aut aulicos ſæuire contumeliariue cœpit. Hic eſt ille Mahometes qui Conſtantinopolitanis (vt ſupra innuimus) bellum intulit: de quo nunc referre quæ accepimus, haud alienum fuerit. Voluerat iam pridem animo Mahometes, quonam modo Conſtantinopolim ſibi ſubigere poſſet: neque ad ſuam gloriam pertinere arbitrabatur, vrbe in medio Turcorum ſitam eſſe, quæ ſuo imperio non pareret. Tantoque maius inde nomini ſuo decus accedere, ſi eam vrbem expugnaret, quanto progenitores ſui idem conati, turpius à cœptis deſtitiſſent. Cum paucis igitur participato conſilio, caſtellum iuxta littus ad oſtium Bosphori paulo ab vrbe remotius, aliud diſſimulans, incredibili celeritate extruxit atque muniuit: bellum deinde vrbi non modo indixit: ſed contra inita fœdera, contra jusiurandum intulit ſimul & gerere cœpit. Senſerant eius animum Græci, diffidentesque ſuis viribus ad Latinorum opes confugerant, lachrimis ac fletibus auxilia expetentes. Surdæ (proh pudor) noſtrorum Principum aures fuere, cæci oculi, qui cadente Græcia, ruituram Chriſtianæ religionis reliquam partem non viderunt:
p. 50. quamuis priuatis quemque aut odiis aut commoditatibus occupatum, ſalutem publicam neglexiſſe magis crediderim. Mahometes interea coactis vndique copiis, mirabili apparatu, formidando impetu terra marique regiam vrbem aggreſſus, cuniculis ac latentibus foſſis altiſſime actis, aggere late edito, ponte, qua Peram oppidum verſus mare muros alluit vrbis, longitudinis ad duo millia paſſuum raptim extructo, turribus ligneis eo vsque erectis, vt muros quamuis altiſſimos excederent, machinamentorum tormentorumque multiplici adhibito genere, oppugnata eſt vrbs, defenſaque ſummis vtrinque viribus. Non paucis diebus ad extremum voce præconis totis caſtris inclimatum eſt: *Quinto Kal. Mait milites omnes jeiunium ſanctificent, ſequenti die in armis adſint Vrbem extremis viribus oppugnaturi: triduo ciuitatem militum direptioni futuram.* Conſtituta die jeiunium ad noctem vsque ſeruatum. Exin lucentibus ſtellis inuitationes ac conuiuia paſſim habita, & quisque amicum, propinquum, notumque habuit, cum eo hilaris epulatus eſt, atque

* al. Scanderbeg.
* al. Chialapinum.

Mahometes III.

Conſtantinopolis obſidio & expugnatio.
Vide Auctorii epiſt. 130. & ſeqq.

vbi ſatis eſt bibitum, tanquam ſe deineeps nunquam viſuri eſſent amplexati exoſculatique ſimul vltimum valedixerunt. In vrbe autem Sacerdotes ſacras ferentes imagines, ſequente populo, vrbem luſtrare; auxilium de cœlo petere affligere corpora jeiuniis, atque orationibus vniuerſi ciues intendere. Subſecuta nocte ad ſua quisque loca defendenda redire. Erant muri vrbis & altitudine & craſſitudine toto orbe celebres: ſed ob vetuſtatem & Græcorum incuriam pinnis ac propugnaculis nudi: antemuralia vero opportune communita. In his Græci ſalutem poſuere. Armati milites inter muros & Antemuralia pugnam ſuſtinere decreuerunt. Triangularem pene Vrbis formam fuiſſe tradunt, duas partes alluit mare, nec muri deſunt ad pulſandos nauales impetus idonei. Quod reliquum eſt, ad terram vergens poſt alta mœnia & antemuralia (quæ annotauimus) ingenti clauditur foſſa.

Ceptum eſt prælium paululum ante lucem: cum miles Turcus periculi quam moræ patientior eſſet, ac vulnera & ſanguinem prædarum dulcedine penſaret: Pugnatum eſt in tenebris, maiore Turcorum pernitie, in quos tela ſuperne librabantur. At poſtquam dies illuxit, dato ſigno vndique non ſolum Conſtantinopolis, ſed etiam ipſa quoque Pera, ne quid auxilii Græcis præſtaret, oppugnari cœpta eſt. Sua cuique legioni murorum pars, ac portarum attributa: vt diſcretus labor fortes atque ignauos diſtingueret, & ipſa contentione decoris militum virtus magis ac magis accenderetur, pari modo & nauales ſocii attributas partes inuadere juſſi. Admouentur vrbi ligneæ turres, conuectant milites dolabras, falces, ſcalasque. Et jam elatis ſuper capita ſcutis, denſa teſtudine ſuccedunt. Græci ſaxorum pondere prouoluunt, disjectam fluitantemque teſtudinem lanceis contisque perſcrutantur: donec ſoluta eompage ſcutorum exangues lacerosque proſternunt. Fit ſtrages: & jam Turci deficientibus animis languidius pugnant. Sed adeſt Mahometes, fortiſſimum quemque nominatim vocitans, vtque in prælium redeant, adhortatur. Hos præmiis allicit: illos minis deterret. Inſtauratur ex integro certamen. Turci rurſus ſubruere murum, portas quatere, innixi humeris & ſuper iteratam teſtudinem ſeandentes, prænenſare hoſtium tela brachiaque nituntur. Iterum integri cum ſauciis, ſemianimes cum expirantibus euolvuntur. Cernitur varia pereuntium forma, & plurima mortis imago. Joannes Juſtinianus apud Genuam Ligurum metropolim nobili loco natus (qui ſuperioribus diebus ſolus vrbem defendiſſe videbatur) in hoc certamine vulneratus, vbi fluitare ſanguinem ſuum animadvertit, ne cæteros deterreret, medicum quærens clam ſeſe pugnæ ſubtraxit. Sed Imperator vt abeſſe Juſtinianum cognouit, quo ierit percontatur: Inuentumque rogat, ne pugnam deſerat. Ille nihilo magis flexus, aperiri portam iubet, qua curaturus in vrbem redeat. Erant enim obſeratæ vrbis januæ, quibus ad antemuralia patebat iter, ne qua fugiendi facultas militi eſſet: ac propterea fortius hoſti reſiſteret, fit interea remiſſior defenſio. Quod Turci aduertentes, acrius incumbunt. Et quoniam pars muri iam tormentis æneis disjecta, foſſam magna ex parte oppleuerat, per ruinas ipſas ſcandentes, antemurale conſcendunt, Græcosque loco deturbant. Porta quæ Joanni patuerat, omnibus aperta fugam proſuſiorem reddit. Tunc Imperator, non vt regem decuit pugnando, ſed fugiens in ipſis portæ anguſtiis cum cecidiſſet, oppreſſus calcatusque obiit. In tanta multitudine pugnatorum duo tantum reperti ſunt, qui ſe viros oſtenderint, alter Græcus, alter Dalmata: Theophilus Paleologus, & Joannes Sclavus: qui fugere turpe putantes, cum diu Turcorum impetum ſuſtinuiſſent, multosque obtruncaſſent, denique non tam victi, quam vincendo ſatigati inter cadauera hoſtium occubuere. Juſtinianus in Peram eum diuertiſſet, inde Chium nauigauit, ibique ſeu vulnere, ſeu mæſtitia morbum incidens, inglorius vitam finiuit, felix ſi in ipſis Bizantii mœnibus animam exhalaſſet. In ingreſſu portæ octingenti circiter milites ex Latinis Græcisque periere, partim vulneribus à tergo confoſſi, partim concurſione oppreſſi. p. 51.
Et iam hoſtis ſuperiorem murum tenebat, ſaxaque in eiues de volvens ingredientibus ſuo auxilio erat. Tum ſubito capta vrbe, cæſis omnibus qui reſiſtere auſi ſunt, in rapinas eſt itum. Erat victorum infinitus numerus, in libidinem, in ſævitiam

vitiam corruptior. Non dignitas, non ætas, non ſexus quemquam protegebat. Stupra cædibus, cædes ſtupris miſcebantur. Senes exacta ætate, fœminas viles ad prædam in ludibrium trahebant, vbi adulta virgo, aut quis forma conſpicuus incidiſſet in manus rapientium, divulſus, ipſos poſtremo direptores in mutuam perniciem agebat. Dum pecuniam vel grauia templorum dona ſibi quisque traherent, maiore aliorum vi truncabantur. Cumque in exercitu maximo ac diſſono, ex ciuibus ſociis atque externis conflato, diuerſæ linguæ, varii mores atque cupidines eſſent, & aliud cuique fas: nihil illicitum toto triduo in Conſtantinopoli fuit. Templum Sophiæ, Juſtiniani Cæſaris opus, toto orbe famoſum, & cui comparati alterum nequeat, nudatum ſacra ſuppellectile ad omnes ſpurcitias patuit. Oſſa Martyrum, quæ fuerant illa in vrbe precioſiſſima; canibus obiecta & ſuibus. Sanctorum imagines aut luto fœdatæ aut ferro deletæ. Altaria diruta. In templis ipſis aut lupanaria meretricum facta; aut equorum ſtabula. Coacti ſunt ſerui verberibus ac tormentis, dominorum abdita ſcrutari ac eruere. Inuenti non pauci theſauri, quos in ipſo belli principio infelices ſuffoderunt ciues. Quibus ſi pro defenſione vrbis vſi fuiſſent, ſuam fortaſſe vitam, & patriæ libertatem ſeruaſſent. Sed auaro in aurum nulla poteſtas, captiui omnes in caſtra deducti, pudet dicere Chriſtianorum dedecus: dicam tamen, & poſteritati tradere non verebor: quando perſuaſum mihi eſt futuros aliquando, & fortaſſe antequam moriar, qui tantam Saluatori noſtro illatam ignominiam vlciſcantur. Simulachrum crucifixi quem colimus, & verum DEum eſſe fatemur tubis ac tympanis præeuntibus, raptum ex vrbe hoſtes ad tentoria referunt, ſputo ludoque fœdant, & ad noſtræ religionis irriſionem iterum cruci affigunt. Ex in pileo (quem Sarculum vocant) capiti eius impoſito; corona vndique facta, *hic eſt*, inquiunt, *Chriſtianorum DEus*. Tum lapides lutumque jactantes, miris dehoneſtant modis. Sed nihil hæc obſunt DEo noſtro, cœlum tenenti; nec maieſtatem eius quoquo modo imminuere poſſunt: cuius ea gloria, ea ſublimitas eſt, ea beatitudinis perfectio, vt nec laudibus humanis extolli, nec humiliari vituperiis vllis poſſit. Nos iſta lædunt atque confundunt: qui per ignauiam atque deſidiam, dum veri DEi cultum perire ſinimus, & in hoc ſæculo bonum nomen, & in altero ſpem ſalutis amittimus. Poſt hæc conviuatus Mahometes, cum forte plus ſolito adbibiſſet, vt ſanguinem mero adderet, principes optimatesque ciuitatis captos crudelis & ſanguinarius carnifex fœde miſereque jugulari juſſit. Rirelucas * qui apud Imperatorem plurimum poterat, cæſo ante oculos maiori filio, altero ad illicitos vſus reſeruato, ſecuri percuſſus eſt: duo alii eius filii occiderant in bello. Iſidorus Cardinalis in eo tumultu captus, cum veſte mutata non fuiſſet cognitus, trecentis aſperis ſeſe redemit: id eſt genus pecuniæ admodum leuis. Multi & Veneti, & Januenſes, & Latinorum alii gladio cæſi ſunt: quidam multo redempti auro. Inſignis hic annus fuit expugnatione Conſtantinopolitana, tam Chriſtiano populo fœdus ac lugubris, quam Turcorum gentiſauſtus lætusque: qui ab ortu ſaluatoris Chriſti ſecundus & quinquageſimus ſupra millenum quadringenteſimus cucurrit. Perenſes vetus colonia Genuenſium (qui & Galathæ nuncupantur) cognita Bizantiorum clade, priusquam rogarentur, Mahometi deditionem fecere. Muri vrbis diruti, multorum bona contra fœdus direpta: fœminæ puerique ludibrio habiti. Calibaſſæ, qui ad eum diem non ſine Mahometis diſplicentia vixerat, tanquam Conſtantino Imperatori Turcorum conſilia prodidiſſet, per miſeros cruciatus vita erepta: ingentes quas cumulauerat opes, exitio ei fuiſſe traduntur, & quod Amuratem dimiſſo imperio ex priuata vita reuocauit ad regnum. Auctus eius pecunia Mahometes, tanto rerum ſucceſſu tumens, in Hungaros, expeditionem parare cœpit, quæ per triennium circiter inſtructa, accerſitis ex omni regno proceribus, penetratis Thraciæ montibus, cum maximis atque infeſtiſſimis copiis ad Savum vsque flumen peruenit: centum quinquaginta millia hominum in eius exercitu fuiſſe traduntur: plerique tertiam partem huic numero ſubtraxere. Caliſtus tertius, qui per idem tempus Romanam cathedram ſortitus erat, Joannem Cardinalem ſancti Angeli

* *al.* Kiriluecus.

1452. *al.* 1454. *Cuid. Pap. decaſ.* 84.

(cuius ſupra meminimus) præſtanti virtute virum, qui Germanos in arma continet, Turcorumque compeſceret impetum, ad eas partes Legatum miſit. Is promiſſa peccatorum indulgentia, cunctis qui contra Turcos militare vellent, adiuvante Joanne Capiſtrano (qui per idem tempus Hungaris euangelizabat) cruce ſignatorum haud paruum congregauit exercitum, non diuitum ac nobilium, ſed inopis atque incompoſiti vulgi. Surdæ opulentorum aures Euangelio, nec diuinus ſermo principibus auditus. Contenti præſenti rerum ſtatu potentes, futurum Chri- P. 52.
ſti regnum nonniſi morientes inquirunt, credula paupertas facile prædicatoribus obedit. Supra quadraginta millia ſignum crucis accepere, tecta magis fide, quam ferro acies Huniades quoque non paruas copias in armis habuit. Appropinquabat ſpe plenus, & incredibili ſuperbia tumens Mahometes: nec iam ſibi vel montes, vel flumina obſtare putabat: gloriari inter ſuos, Hungariam iam pene victam aſſerere, Latinorum Imperatorem in propinquo eſſe dicere, deleto Græcorum Imperio, Latinorum inſtare finem, Turcis omnia paritura: ſpolia ingentia promittere, Germaniam atque Italiam militum direptioni offerre: peruia cuncta Turcorum armis jactare. Sed quam glorioſus eius aduentus tam turpis atque infamis receſſus fuit. Albam ad confluentes Danubii Saui queſitam, paruam vrbem, oppugnare adorſus obtinere nequaquam potuit, perfregit machinis priores muros: irrupere in vrbem eius acies, pugnatum eſt interdiu noctuque: Nunc victi, nunc victores viſi hoſtes: ad extremum vulneratus ſub papilla Mahometes, relictis impedimentis
* Cap. 65. per noctem trepidus auſugit. Huius pugnæ ſeriem in hiſtoria Bohemica * comprehendimus: non eſt cur hoc loco latius inſiſtamus. Auctores victoriæ tres Joannes habiti, Legatus Cardinalis; cuius auſpicio res geſta eſt: Huniades, & Capiſtranus, qui prælio interfuere. Verum neque Capiſtranus Huniadis, neque item Capiſtrani Huniades mentionem fecere in eis litteris, quas de obtenta victoria, ſiue ad Romanum pontificem, ſiue ad amicos ſcripſere: per ſuum quisquam miniſterium DEum dediſſe Chriſtianis victoriam affirmauit. Auariſſima honoris humana mens, facilius regnum & opes quam gloriam partitur. Potuit Capiſtranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem ſubigere, gloriam vero ſpernere non potuit. Dicat forſitan aliquis, non ſuum illi honorem curæ fuiſſe, ſed DEI, qui per pauperes & inermes rem Chriſtianam ſalvare voluerit. Credimus huic aſſertioni: quamuis & Huniades miniſtrum ſe victoriæ, non auctorem dixerit. Ferunt Maometem ab eo tempore nunquam poſtea eius cladis meminiſſe, quin mentum barbamque manu demulcens, quaſſansque caput, ei diei maledixerit qua pugnam ad Albam conſeruit.

CAPUT V.

DE MACEDONIA.

PROXIMA Thraciæ ad occidentem ac meridiem coniungitur Macedonia, terrarum imperio quondam potita: quæ inter duo maria protenditur. Ægeum & Adriaticum, latus eius meridionale Theſſaliæ atque Magneſiæ terga protegi, partem ſeptentrionalem Peonia & Paphlagonia excipit: quamuis & ipſe regiones in Macedonum poſtea iura conceſſerint, Macedoniæ additæ: Epirus quoque Macedoniam attingit ex Illyrica terra, altera meridiem, ſeptentrionem altera excipiens. In Adriatico littore Dyrachium vetus ciuitas jacet, ab Cherſoneſo vbi ſita eſt, nacta vocabulum: Epidamus antea dicta, & à Corcyreis olim condita. Nec procul infra Apollonia fuit, optimis inſtituta legibus & Auguſti Cæſaris qui Græcas ibi literas didicit, ſtudio memorabilis. In altero littore Theſſalonica eſt, potens quondam ciuitas: quam cum epiſtolæ Pauli Apoſtoli, tum Magni Theodoſii præceps atque implacabilis ira famoſam reddidere. Indignatus enim ob cæſos in ea Judices, alioquin clementiſſimus Imperator, vniuerſum vrbis populum trucidari mandauit: vndecim millia virorum cæſa traduntur. Non tulit Ambroſius Mediolanenſium pontifex tam immane facinus incorreptum, Imperatorem ab ingreſſu Eccleſiæ

cleſiæ prohibitum ſubire pœnitentiam compulit: nec maximus princeps paſtoris ſubire judicium recuſauit. Hinc lex * promulgata, vt lata ſuper morte hominis ſententia ante dies triginta non exequatur. Hanc vrbem liberæ conditionis fuiſſe Plinius tradit. Strabo conditorem eius Philippum Alexandri patrem affirmat: ambo eam attribuunt Macedoniæ. Andronicus Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani filius, hanc in partem hæreditatis accepit: demumque Joannis fratris ſui odio, qui patri ſucceſſit in imperio, Venetis tradidit: Amurates Turcorum (vt ante diximus) Imperator eripuit. Hic reliquam Macedoniam vsque ad montes Peoniæ, & quam modo Albaniam vocant, imperio ſuo ſubiecit. Mira rerum mutatio, & fluxa humani imperii gloria. Hæc eſt Macedonia, quæ duobus inclita regibus Philippo & Alexandro, Græcia Thraciaque ſubacta, imperium protendit in Aſiam, Armeniam, Hiberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriam, Aegyptum, Taurum, Caucaſum ſubiugauit, hæc in Bactris, Medis, Perſis domina, toto Oriente poſſeſſo, Indiæ quoque victrix per veſtigia Liberi patris atque Herculis ſigna circumtulit. Hæc eadem noſtra ætate ſpurciſſimæ Turcorum genti ſubjecta, tributum pendere, jugum ferre miſerrimum cogitur. Magneſiam quoque ac Theſſaliam noſtro tempore Turcorum arma inuaſerunt. Nobiliſſimi montes Olympus, Pieris, & Oſſa. Pyndus inſuper, & Othris Laphitarum quondam ſedes, Turcorum imperio parent, penes quos quinque & ſeptuaginta vrbes fuiſſe olim Plinius affirmat. Totum Peneum Turci poſſident, inter flumina Theſſaliæ clariſſimum, juxta Gomphos hic fluvius oritur, inter Oſſam & Olympum nemoroſa conualle defluens: quingenta ferme ſtadia percurrit, dimidio eius ſpatii nauigabilis. In eo curſu Tempe vocant: quinque millia paſſuum longitudine vltra viſum hominis attollentibus ſe dextra læuaque leniter connexis jugis, intus ſua luce viridante ac labitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu, accipit amnem Euroton, nec recipit: ſed olei modo ſupernatantem, (vt dictum eſt ab Homero) breui ſpatio portatum abdicat: pænales aquas, dirasque guttas argenteis ſuis miſcere recuſans. Hæc Plinius de Peneo *. Tot Chriſtianis bona Turcorum arma eripuere: quamuis noſtram magis deſidiam incuſauerim. In Theſſalia Regem fuiſſe tradunt nomine Græcum, à quo Græcia dicta ſit: Helenum quoque in eodem loco regnaſſe, à quo Helena nuncupata eſt. Homerus tribus nominibus Theſſalos appellauit, Myrmidonas, Helenas, & Acheos. Hic Termopilarum anguſtiæ, Perſarum cædes inſignes. Quæ licet olim Xerxis impetum tenuere, Turcorum tamen armis claudere tranſitum minime potuere.

* Lib. 10. c. de pœnit.

P. 53.

Peneus. fl.

* lib. 4. c. 8.

DE BOEOTIA.

POST Theſſaliam Bœotia ſuccedit ab ortu in occaſum porrecta: Euboicum mare, Criſeumque ſinum contingens, Thebarum claritate apud omnes ferme hiſtoricos nominata, hæc Muſis natale in Eliconis nemore: hic ſaltus Cytheron, & Hysmenus amnis & fontis Dircæ, Arethuſa, & Aganyppe. Quæ patria quondam Liberi patris atque Herculis fuit, quæ fortem produxit Epaminondam, non cedens Athenis claritate ciuitas. Ea noſtra ætate exiguum caſtellum Thebarum eſt, & à Turcis proximis annis cum reliqua Bœotia occupatum.

CAPUT VI.

DE HELLADE.

SEQVITVR Hellas quæ à noſtris appellata Græcia: Athen, id eſt, littus priſci vocauere. Mutato deinde nomine Atticam dixere. Homerus cunctos Atticam incolentes appellauit Athenienſes: tum nondum ædificata forent Megara, protenditur autem Attica ex Bœotia vsque Iſthmum Corinthiacum, parte ſui quæ appellatur Megaris. Circa Iſthmum vero vbi columna fuit: in qua hic inerat titulus in parte Peloponneſum ſpectante: *Hæc Peloponneſus: at non Jonia.* In parte vero Megara intuente: *Hæc non Peloponneſus eſt, ſed Jonia.* Idem enim Attici

tici & Jones fuere : qui cum de finibus cum Peloponneſiacis ſæpiſſime diſceptaſſent, hanc tandem communi conſenſu columnam erigi obtinuerunt. Atticam quamuis ſaxoſam & ſterilem, plerique tamen mirificis laudibus extulerunt, Deorumque domicilium eſſe dixerunt, loca ipſa poſſidentium & parentum Heroum.

Athenæ. In hac ciuitas Athenienſis quondam nobiliſſima fuit, nullius indigna præconii: tanta eius ſuperfluit claritas. Eadem noſtro tempore parui oppidi ſpeciem gerit. In eo tamen ſaxo, quo vetuſtum Mineruæ templum fuit, Arx eſt per omnem Græciam nominata, cum operis magnitudine, tum difficultate oppugnationis: hanc Florentinus quidam Mahometi tradidit, cum imploratis Latinorum auxiliis nullius opem inueniret. Rura ei ob eam rem tradita, in quibus ævum ignobile ducat.

CAPUT VII.

DE PELOPONNESO, ET ATTICA.

PELOPONNESVS Atticæ jungitur totius Græciæ arx quondam dicta. Nam præter habitantium in ea gentium nobilitatem atque potentiam, ipſe locorum ſitus principatum deſignat & imperium. Multi ſinus inſunt & promotoria multa. Inſignes etiam & permagnæ Cherſoneſi, ipſa locorum varietate jocundæ, formam eius platani folio ſimillimam dixere, longitudine ac latitudine ferme parem. Ab p. 54. occaſu in ortum ſtadiorum mille 400. perimetros ſiue ambitus omiſſis finibus (vt Polybio placet) ſtadia quatuor millia continet. Arthemidorus 400. ſuperaddit: cui & Plinius conſentire videtur, Iſidorum autorem ſecutus. Idem duo maria

Iſthmus. terram ambire dicit, Jonium & Ægeum anguſtiæ vnde protendit, Iſthmos appellantur: quinque millia paſſuum latitudinis continentes, has anguſtias perfodere Demetrius Rex, dictaror Cæſar, Caius princeps, Domicius Nero, infauſto (vt omnium exitu patuit) incepto tentauerunt. Hic Corinthus nobilis Colonia fuit. Græci principes poſtquam Turcorum potentia in Europam penetrauit, ex mari ad mare producto per anguſtias muro Peloponneſum à reliqua Græcia diſtinxerunt. Murum Examilium appellauere, hanc prouinciam hodie Moream latini vocant. In ea Achaia continetur, Meſſenia, Laconia, Argolis, & Arcadia, quæ medium peninſulæ obtinet. Amurathes expugnata Theſſalonica, ſubacta Bœotia, & Attica, præter Athenas, ad Examilium vsque profectus, perterritis Græcis diruit Murum, tributumque annuum dedentibus ſe Peloponnenſibus imperauit. At cum Hungari inſtante Juliano Cardinali ſancti Angeli aduerſus Turcos arma ſumpſiſſent, confectisque nonnullis feliciter præliis amplius inſtarent, vrgerentque hoſtes, Conſtantinus qui poſtea apud Conſtantinopolim imperauit ibique necatus eſt (vt ante diximus) huius prouinciæ Deſpotus animo auctus, & negare Turcis tributum, & Examilium inſtaurare non dubitauit. Ob quam rem magna deinde pecunia mulctatus eſt, Examilium denuo deſtructum, cum victor Amurates apud Varnam Hungaros deleuiſſet. Deuicta Conſtantinopoli Albani, qui plures Peloponneſum incolebant, ſumptis armis Demetrium & Thomam Conſtantini fratres regno dejicere annixi ſunt, nobilem quendam Græculum ad regium faſtigium aſſumentes. Vtraque pars Mahometis auxilium implorauit. Illi nobilior pars viſa juſtior: auxilia aduerſus Albanos Demetrio fratrique tradita: Albani ſubacti, prioribus dominis paruere Mahometi 15. millium aureorum tributum penſum. Thomas quamuis hæreditario iure Imperatorem ſe dicere poſſet, cuius maiores longa ſerie Græcorum nomini imperauerant, metu tamen Mahometis titulo abſtinuit. Cum Calixtus pont. max. Chriſtianos principes in ſui pontificatus initio aduerſus Turcos inuitaret, exiſtimauit Thomas Turcorum imperium procul dubio ruiturum; Mahometique tributum negauit. Cum vero non tam magnifica facta quam verba eſſe animaduertit, perſoluto tributo & adiectis donis Mahometi reconciliatus eſt. Nunc vero (ſi vera eſt fama, quæ per hos dies allata eſt) violatæ fidei maiorem ſubire pœnam compulſus, Mahometi prorſus ſubiectus eſt, Peloponneſus tota Turcorum imperio adiecta. Egredienti Peloponneſum per anguſtias Iſthmi ad reliquam

liquam Græciam, Strabo & Plinius occurrere Atticam tradunt, Ptolomeus Achaiam: cuius fines hoc modo deſcribit, ab occaſu Epyrum, à ſeptentrione Macedoniam & partem Ægei pelagi collocat, ad orientem eiusdem maris terminos ponit vsque ad Sunium promontorium, ad meridiem Adriaticum pelagus iuxta littus, quod Achelous amnis irrumpit in Corinthiaco ſinu. Quod ſi ita eſt, Atticam, Bœotiam, Phocidem, Theſſaliam, Magneſiam, Ætholiam, & Acarnaniam Achaia ipſa complectitur. Idem tamen Ptolomæus alio loco mediterraneas Peloponneſi ciuitates enumerans, Elicem, Buram, Helenam, Phearam in Achaia eſſe dicit: & propriam eſſe Achaiam intra Peloponneſum affirmat. Nobis qui pro noſtri operis inſtituto res Peloponneſiacas & Atticas breuiter abſoluimus, & ad occidentem feſtinamus, Acarnania prior occurrit inter Epyrum Bœotiamque protenſa: cui Ætholia vel coniuncta vel commixta eſſe videtur, hæc hodie Ducatus appellatur. Joannes Vintimilius natione Siculus filiam ſuam Deſpoto Acarnaniæ in matrimonium dedit, exin vexantibus Acarnaniam Turcis, ac generum obſidentibus, cum paruo equitatu mare traiecit, obſeſſores inuaſit, ſtragemque memoratu dignam edidit, nam parua manu ingentes fugauit copias, ſalutemque genero peperit. Qui tamen paulo poſtea per inſidias captus à Turcis regnum amiſit: Epyrum tamen adhuc eius nomine teneri ferunt.

Acarnania. *Ducatus.*

CAPUT VIII.

DE EPYRO.

EPYRVS in occidua parte ab Acroceraunis montibus incipit, protenditurque verſus orientem vsque ad Ambracium ſinum per ſtadia 1300. Septentrionalem eius partem Ptolomæus Macedoniæ coniungi tradit. Orientale Achaiæ vsque ad hoſtia fluminis Acheloi, occidentale latus Jonico excipi pelago aſſerit. Strabo
p. 55. Auſonium hoc idem mare appellauit. In Epyro XIV. fuiſſe gentes Theopompus tradidit, quarum celebratiſſimæ Chaones & Moloſſi: Regnum enim quandoque tenuere prius quidem Chaones, poſterius Moloſſi: qui propter Regum cognationem, ex Æacidarum ſanguine prognati mirum in modum amplificati fuerunt, penes quos Dodonæ vetus oraculum ac nobile viguit. Oram huius terræ maritimam felicem atque vberem tradidere, multæque olim vrbes & oppida munitiſſima in Epyro fuere. Sed propter populorum rebelliones, qui cum Romanis contenderunt, prouincia vaſtata eſt, ſeptuaginta enim Epirotarum vrbes à Paulo Æmilio imperatore funditus euerſas eſſe, auctor eſt Polybius, victis Macedonibus & Perſe rege ſuperato: Ex quibus maximum numerum viris Moloſſorum extitiſſe, & mortalium CL. millia in ſeruitutem redacta. Plinius Veronenſis hanc cladem Macedonibus attribuit, duasque vrbes ruinæ adjicit. Credo quia Macedones Epyrotarum imperium obtinebant, vtramque gentem vno nomine Plinium comprehendiſſe. Apud Epyrum Ætiaca pugna late memorabilis commiſſa eſt, in qua Cæſar Auguſtus Marcum Antonium nauali prælio vicit, & ſimul Ægypti reginam Cleopatram (nam & ipſa huic certamini præſens interfuit) ob quam rem victor Auguſtus in Ambracio ſinu vrbem condidit, eique vocabulum indidit Nicopolim, id eſt, victoriæ ciuitatem. Ambrachii ſinus oſtium pauloquam ſtadia quatuor maius eſt. Circuitus ſtadia CCC. amplectitur: optima omni ex eius parte ſtatio. Ingredientibus occurrebant olim à dextra habitantes græci Acarnanes, & Apollinis Actii remplum quodam in tumulo ad hoſtium eminens, cui campus ſubiacuit, lucumque habens & naualia, in quibus Cæſar vndeviginti naues decimarum nomine repoſuit ab vno remorum ordine vsque triremes * adiungens. Siniſtra veto Nicopolis eſt, & Epyrotarum Colonia Caſſiope: noſtra ætas Epyrum Artam appellat. Circa littus eius paucis ante annis præfectus regiæ claſſis nomine Villamarina * triremes Venetorum inſecutus comprehendit, atque incendit. In eodem littore apud Acroceraunios montes finiri Adriæ vel Adriatici maris nauigationem, & Jonium incipere

* *al. decim.*

* *al. Wilhelmus Marinus.*

incipere pelagus, Straboni viſum eſt: apud quem mare Auſonium idem quod Jonium eſſe apparet, eum Epyri oram Auſonio ablui pelago affirmet.

CAPUT IX.

DE ALBANIA.

QVÆ nunc Albania dicitur, olim Macedoniæ portio fuit, ad occidentem verſa, in qua Dyrachium & Apoloniam fuiſſe prodidimus, non incelebres priſco ſæculo ciuitates. Sermo genti neque Græcis neque Illyricis notus. Credimus hoc genus hominum ex Albania quondam veniſſe, quæ vicina Colchidi in Aſiatica Scythia memoratur: vt ſæpe Barbarorum inundatio nationum Græciæ atque Italiæ prouincias occupauit. *Carmuſa.* In hac terra potens Camuſa fuit: qui Chriſtianis parentibus ortus, parum tenax catholicæ fidei, ad Mahometis inſaniam declinauit. Sed quam leuiter Chriſtum deſeruit, tam facile Mahometis ſacra contempſit. Rediit enim ad paternam legem, & quamuis vtramque religionem contempſerit, neutri fidus; Chriſtianus tamen mori quam Turcus maluit, paulo poſt Conſtantinopolitanam cladem morbo extinctus. *Scanderberg.* Georgius Scanderbechius eius hæreditatem accepit, nobili loco natus, qui ætatem pene omnem in armis pro Chriſti nomine pugnando conſumpſit, multas & magnas Turcorum turmas bello vicit atque deleuit, ſolusque quodammodo regionem illam in Euangelio Chriſti continuit: quamuis hodie totiens hoſtili ferro petita magna ex parte deſerta feratur. Rex Alfonſus ſæpe milites in Albaniam miſit, & Troiam vrbem in poteſtatem receptam à Turcis defendit. Nepos Scanderbechi ex fratre, eum Turcorum patri fauens inſidias patruo moliretur, ab eo captus, & ad Alfonſum miſſus in carcerem coniectus eſt. Caliſtus quoque Romanus pontifex in auxilia pecuniaria Scanderbechio non pauca miſit. *Valonia.* Valona in Albania non magna ciuitas eſt, in portu maris ſita: qua breuiſſimus eſt in Italiam tractus. Hanc Baiazetes primus ex Turcis occupauit, rebellantem Amurates recuperauit. Neſcio quod malum minatur Italiæ.

CAPUT X.

DE ILLYRICO.

POST Albaniam Illyricæ ſequuntur gentes ad occidentem ſeptentrionemque verſæ: hoc genus hominum noſtra ætas Sclauos appellat, & alii Bosnenſes, alii Dalmatæ, alii Croatii. Hiſtri, Carnique nuncupantur. Bosnenſes introrſus ad Pannoniam vergunt, ſeptentrioni expoſiti. Reliqui adiacentes mari ad Timaui vsque fontes protenduntur, hinc Auſoniam, illinc Pannoniam intuentes. Timavus autem in intimum Adriatici maris ſinum exeurrit: cuius fontem matrem appellari maris Strabo prodidit. p. 56. In Bosna rex gentis Diſpotus Stephanus nomine (ſic enim Reges appellare ſuos conſueuere) quamuis Chriſti religionem ſectaretur, diu tamen Baptismi Sacramento abſtinuit. Sed anno ſuperiore vocato ad ſe Joanne Cardinali ſancti Angeli (cuius ſæpe meminimus) ab eo baptismatis vnda perfuſus, & ſacris noſtris rite initiatus, Turcis, quibus tum fœdere iunctus erat, bellum indixit. Nunc paululum nutare affirmatur. In hac regione quamplurimum Hæretici poſſunt, quos vocant Manichæos: *Manichæi.* peſſimum genus hominum, qui duo principia rerum produnt, alterum malorum, alterum bonorum. Nec primatum Romanæ Eccleſiæ tenent, neque Chriſtum æqualem conſubſtantialemque patri eſſe fatentur. Horum cœnobia in abditis montium conuallibus ſita feruntur: in quibus ægrotantes matronæ ſeruilituras ſanctis viris, ſi euaſerint, ad certum tempus DEo vouent: redditæ ſanitati, permittentibus viris, vota perſolvunt, promiſcue inter monachos præfinito tempore viuentes. Hanc labem nulla ſedis Apoſtolicæ decreta, nulla Chriſtianorum arma delere potuerunt. Sinit ad noſtram exercitationem regnare Hæretieos DEus.

CAPUT

CAPUT XI.

DE DALMATIA, CROATIA, LIBURNIA.

IN Dalmatia Raguſæos magnis affecit cladibus Stephanus, inter Bosnenſes & Dalmatas ducatum poſſidens, & Manichæorum veneno infectus: qui & ſi Chriſtianos per inſidias captos ſæpe Turcis venundauerit, mittere tamen oratores Romam, & auxilia ſedis Apoſtolicæ petere non erubuit: eius belli ſumptus ex Chriſtianis petens, quod geſſerat in Chriſtianos. Nec deſuere, qui tam impiis verbis aures accommodarent.

In Croacia mulier Auſtralis, quæ nuptias Comitis, cum eſſet inferior ſanguine, morum præſtantia & formæ elegantia meruit; dum laxandi animi gratia ex caſtello in caſtellum obequitat; ſubito Turcorum interuentu capta, & apud eos aliquamdiu detenta, impatientia tandem mariti non paruo auro redempta eſt.

Quærat fortaſſe aliquis, vbinam Liburniam dimiſerimus, quam permeaſſe Anthenorem Italiam petentem inſignis poeta commemorat. Confuſi ſunt admodum prouinciarum fines, nec expedire noua facile eſt: nedum quis vetuſtiſſima poſſit abſoluere. Plinius Liburniæ finem initium eſſe Dalmatiæ dixit, & Tragurum marmore notum in ea eſſe. Salonam quoque Coloniam, quæ ab Iadera C. & XII. millibus paſſuum abfuit: Iaderam vero C. LX. à Pola diſtare. Ex quo fit vt inter Croatinos & Dalmatas Liburni ſedes habuerint, forſitan & Croatini novum gentis nomen, Liburnorum loca inuaſerunt. Nobis hæc indicaſſe ſufficiat. Si quis certiora deſiderat, priſcos euoluat auctores. Ptolemæus Liburniam & Dalmatiam atque Illyridem ſimul confundit: & Illyridi quidem à ſeptentrionali plaga Pannoniam occurrere dixit, ab ortu ſuperiorem Myſiam, ab occaſu Hiſtriam, à meridie Macedoniam & Adriaticum littus.

CAPUT XII.

DE HISTRIA SIVE SCLAVONIA.

HISTRIAM veteres Italiæ partem tradiderunt: in qua Parentium & Pola eſt, & Iuſtinopolis, quam caput Hiſtri vocant. Inconuenienter Italiæ tamen iungitur, Adriatico ſinu diſiecta, & in peninſulæ modum circundata mari, quæ continenti applicatur à tergo, lapidea eſt & montanea regio, quam priſci Albiam * vocauerunt. Plinius Hiſtriam adhærere Liburniæ dixit. Ex quo palam fit Croatinos Liburnorum loco ſuccedere. Hiſtriam ab Hiſtro amne dictam ferunt; quem à Danubio in Hadriam fluere falſo credidere. Cui errori & Pomponius Mela & Nepos Padi accola aures adhibuit. Nullus enim ex Danubio amnis in Adriaticum effunditur mare. Argonautarum eos fabula decepit: quos per Hiſtrum ex mari Pontico in Hiſtriam vectos memoriæ proditum eſt. Sed conſtat eos ex Hiſtro in Sauum aduerſo flumine nauigaſſe: deinde Nauportum, quem Labacum hodie appellari putauerim: cuius paludem Lugeum Strabo appellat. Ex Nauporto veto per montes humeris vecta nauis in Adriaticum peruenit. Hiſtri hodie Sclaui ſunt: quamuis maritimæ vrbes Italico ſermone vtuntur, vtriuſque linguæ peritiam habentes, pars prouinciæ melior ea, quæ maritima Venetorum imperio ſubiecta eſt: mediterraneam domus Auſtriæ poſſidet. Oppidum ſancti Viti, quod ad flumen Titum * ſitum eſt, Va-
p. 57. lenſes habent: ex quo loco ad Aquilegiam M. ſtadia eſſe Tuditanus, qui domuit Hiſtros, tradidit, finem Italiæ Muſiæ fluvium tradidere. In hac terra nihil ætate noſtra memoria dignum geſtum eſſe accepimus: quam quod Auſtrales & Venetos magna de finibus contentio agitauerit, & vtriusque partis ſubditi armis contenderint: ad quas lites componendas nos aliquando ab Imperatore miſſi, quamuis inducias belli fecimus, & nouos terminos conſtituimus, vniuerſam tamen litem amputare nequiuimus.

* al. Albiam.

* al. Titum.

CAPUT XIII.

DE CARNIS.

CARNI, inter quos lapides enumerantur, Hiſtros ſequuntur. Sclaui tamen, quorum ſermo regionem obtinet, Carnes bifariam diuidunt, duplicem Carniolam eſſe dicentes. Alteram ſiccam & aquarum indigam, in qua Hiſtros ponunt & Tarſos, qui medios inrer Labacum & Tergeſtum incolunr montes, & ad Timavum vſque proferuntur: Alteram irriguam, in qua flumen Savus ortum habet, & Nauportus (qui Labacus hodie appellatur) & alii plures fluvii. In hac prouincia dum Fridericus Imperator coronam regni Teutonici apud Aquenſem ciuitatem peteret; Vlricus comes Ciliæ, & Albertus Imperatoris frater, coniunctis viribus Labacum inſigne oppidum, ex flumine cui adiacet dictum, obſidione cinxere, diuque machinis omnis generis oppugnauere: ſed à Friderici militibus non ſine clade repulſi, & caſtris exuti, diuitem ſuppellectilem perdidere, hoc oppidum Sclaui & Itali Lublanam vocant, ex Lugea palude ſumpto vocabulo.

CAPUT XIV.

DE CARINTHIA.

CARINTHIA montana & ipſa regio, Carnis applicatur, ad ortum ac ſeptentrionem Stiriæ juncta, ad occaſum ac meridiem alpes Italas & Forum Julii contingit. Multæ in ea valles colleſque feraces tritici, multi lacus multi amnes, quorum præcipuus Davus: qui per Stiriam ac Pannoniam in Danubium fertur, haud inferior Sauo, imperium prouinciæ Auſtrales obtinent, & Archiducem appellant, cui ea regio paret. Quotiens novus princeps reipublicæ gubernationem init, ſolennitatem nusquam alibi auditam obſervant. Non longe ab oppido ſancti Viti in valle ſpecioſa vetuſtæ ciuitatis reliquiæ viſuntur: cujus nomen remporis aboleuit antiquitas. Juxta in pratis late patentibus marmoreus lapis erectus eſt, hunc ruſticus aſcendit, cui per ſucceſſionem ſtirpis id officium hæreditario jure debetur. Ad dexteram bos macer nigri coloris adſtat: ad ſiniſtram pari macie deformis equa, frequens circa eum populus & omnis ruſtica turma. Tum Princeps ex aduerſa pratorum parte procedit: purpurati circum proceres ambiunt. Vexillum ante ipſum, & inſignia principatus. Comes Goritiæ, qui palacii curam gerit, inter duodecim minora vexilla præcurrit: reliqui magiſtratus ſequuntur. Nemo in eo comitatu non dignus honore videtur, niſi princeps ipſe præ ſe ruſtici ſpeciem ferens. Agreſtis ei veſtis, agreſtis ei pileus, calceusque & baculus in manu geſtatus paſtorem oſtendit, quem poſtquam ruſticus ex lapide venientem conſpicatus eſt, ſermone Sclauonico (ſunt enim & ipſi Carinthiani Sclaui.) *Quis hic eſt*, inclamat, *cuius tam ſuperbum inceſſum video.* Reſpondent circumſtantes, *Principem terræ aduentare.* Tum ille: *Juſtus ne judex eſt, ſalutem patriæ quærens, liberæ conditionis dignus honore? eſt ne Chriſtiana cultor fidei ac defenſor.* Reſpondent omnes: *Eſt & erit.* Rurſus ille: *Quæro igitur, quo me jure ab hac ſede dimoveat.* Ait Goriciæ comes LX. *denariis abs te hic locus emitur: Jumenta hæc tua erunt*, bouem atque equam oſtendens. *Veſtimenta quoque principis, quæ paulo ante exuit, accipies: eritque domus tua libera & abſque tributo.* Quibus dictis ruſticus leui alapa principi data bonum judicem eſſe jubet: & ſurgens jumentaque ſecum ducens, loco cedit. Princeps vero conſcenſo lapide; nudum gladium manu fibrans ad omnem ſe partem conuertit, æquum judicium populo promittens. Ferunt & aquam frigidam ruſtico allatam pileo bibere, tanquam vini vſum damnet. Deinde ad eccleſiam Solennienſem * pergit: quæ in propinquo tumulo ſita eſt, ſanctæ Mariæ vocabulum habens, & olim pontificialis fuiſſe traditur: vbi peractis ſacrificiis Princeps ruſtica indumenta deponit, paludamentumque induit: Conuiuatusque ſplendide cum proceribus in prata reuertitur, ibique pro tribunali ſedens jus petentibus dicit & feuda confert. Fama eſt anno DCC. nonageſimo poſt Chriſti Sal-

Archidux Auſtriæ. Dux Carinthiæ.

** al. Solienſem.*

vatoris

vatoris ortum, imperante Carolo Magno ducem gentis Ingonem * nomine ingens * al. Igone.
p. 58. conuiuium prouincialibus præparaſſe, & agreſtibus quidem ad conſpectum ſuum intromiſſis in vaſis aureis atque argenteis, nobilibus vero ac magiſtratibus * procul * al. magnatibus. Vide fragmentum hiſtoriæ vetus, apud Flac. in catal. teſt. veritat. fol. 122.
ab oculis collocatis fictilibus miniſtrarunt juſſiſſe. Interrogatum cur ita faceret, reſpondiſſe; *Non tam mundos eſſe, qui vrbes & alia palatia, quam qui agros & humiles caſas colerent. Ruſticis qui Chriſti evangelium accepiſſent, baptismatis vnda purificatis; candidas & nitidas eſſe animas: nobiles ac potentes, qui ſpurcicias Idolorum ſequerentur, ſordidas ac nigerrimas. Se vero pro animarum qualitatibus inſtruxiſſe conuiuium.* Caſtigatosque ea re nobiles, cateruatim ſacri baptismatis vndam quærentes, breui tempore ſub Virgilio & Arone Juvauienſibus epiſcopis vniuerſos Chriſti fidem accepiſſe. Hic honos inueſtiendi principis ruſticitati datus. Fuit autem Dux Carinthiæ venator Imperii, ad quem lites venatorum omnium deferebantur. Vocatus in judicio coram Imperatore, querelantibus non niſi Sclauonica lingua reſpondere tenebatur. Multa huius Prouinciæ ornamenta fuiſſe commemorant, multa priuilegia. Facile id creditum eſt: quando Imperatorem Ludouicum eius terræ ducatum filio ſuo Arnolpho primogenito contuliſſe non eſt ambiguum. Eſt & alia prouincie huius conſuetudo in oppido quod Clagefurtium appellant contra fures duriſſima. Si quis in furti ſuſpicionem inciderit, mox captus laqueo ſuſpenſus vitam finit. Sumpto ſupplicio poſt triduum de ſuſpicione judicant, ſi reum fuiſſe necatum inueniunt, pendere cadauer infame ſinunt, donec ſua ſponte conſumptum decidat: ſin vero, depoſitum in cœmiterio condunt, juſtumque funus è publico faciunt: & animæ gratas exequias. In hac prouincia Comes Goritiæ Henricus, * vir muliere corruptior, impuberes filios media nocte ad potum ſurgere compulit, increpitans qui ſine ſiti ſomnum agerent. Cum paſtoribus ac ruſticis ſæpius quam cum nobilibus diuerſatus eſt, ſenex ſuper glacie cum pueris luſit. Inter vulgata ſcorta frequentiſſime lauit: raro in aula pranſus eſt: ſolus coquum adiens offulas in ipſa popina * vorauit. Veſtes induit viles ac perunctas: pectus nudum & apertum oſtendit, oculi ſemper lachrimantes fuere. Quem cum aliquando ad ſe venientem Fridericus Imperator ex feneſtra intuitus eſſet, me vocitans, *age*, inquit, *Æneca principem qui ad nos properat contemplare, ſi quem mundiorem pulchrioremque videris aliquando, eſſare.* Mihi cum ſatis principem comitesque conſideraſſem, fœda ruſticitas viſa eſt, quæ dominatum aſſecuta egregiam nobilitatem ſeruitio premeret. Huic vxor natione Hungara, forma præſtanti, * & audita plusquam viri vincula indidit: mox Vlrici comitis Ciliæ auxilio liberatus, vxorem domo pepulit. Nec diu poſt vita functus, filios bonæ indolis adoleſcentes & matri quam ſibi ſimiles reliquit hæredes.

Clagefurt.

* al. Vlricus.

* al. coquina.

* vide auctor. epiſt. 54.

CAPUT XV.

DE STIRIA.

STIRIA, quam quondam Valeriam inuenio nuncupatam, ad orientem Pannoniæ jungitur: latus eius ſeptentrionale Auſtriam reſpicit, ad occidentem ac meridiem Carnis ac Carinthianis occurrit. Eadem quoque montana prouincia eſt, quamuis in orientem porrecta planities non paruas habeat. Dravus ac Mura inſignes fluvii terram irrigant: Mura in Dravum exoneratur, ille in Danubium. Vrbium populi plerumque Teutones, Sclaui qui citra Dravum rura colunt. Imperium Auſtralis familiæ eſt, in ea vetus oppidum, quod Ciliam vocant. Nonnulli Syllacem * appellatum quondam exiſtimant, & opus fuiſſe L. Syllæ, de qua re nihil nobis exploratum eſt. Multæ ibi vetuſtatis reliquiæ viſuntur, & Romanorum nomina principum ſepulchralia marmora referunt, in eo præfuit ætate noſtra Fridericus comes: qui cum eſſet in libidinem proniſſimus, & olim Veronicæ concubinæ incenſus amore, legitimam coniugem ex comitibus Croatiæ natam ſua manu interemiſſet, concubinam vero pater eius Hermannus (vt eſt potentum iuſtitia) in profluentem demerſiſſet; vxores paſſim maritis abſtulit,

* al. Sillatium.

Cilia comitatus.

ſtulit, puellarum greges in palatium rapuit, prouinciales pro mancipiis habuit, Eccleſiarum bona diripuit, monetarum falſatores, veneficos, ariolos, nigromantas vndique ad ſe conciuit: & quamuis anno Iubilei iam nonagenarius indulgentiarum cauſam Romam petiſſet, reuerſus tamen nihilo melior viſus eſt. Interrogatus, qui ſibi Roma profuiſſet in priſtinos mores relapſo: *Et Calceator meus*, inquit, *ad conſuendas ocreas poſt viſam Romam rediit.* Huic victa functo Vlricus filius ſucceſſit per cætera ſimilis, ingenio tantum & eloquentia maior. Quo (ſicut dictum eſt interfecto) quatuor & viginti competitores hæreditatis fuere: vt qui viuens vndique bella conciuerat, moriens quoque ſeditiones excitaret. Sed optimates terræ poſſeſſionem Friderico Imperatori tradendam cenſuerunt, ea lege vt competitoribus ſecundum prouinciæ conſuetudinem in iudicio reſponderet. Relicta Vlrici armis defendere quæ poſſidebat, decreuit. Fridericus manu potenti quum plura caſtella obtinuiſſet, in Cilia tandem receptus eſt, arces loci tradente Ioanne Viconitio natione Bohemo: qui cum fuiſſet magiſter militiæ comitis, accepta Cæſaris pecunia, à coniuge eius defecit. Sed mox pœnitentia ductus, grande auſus & inexpiabile facinus tanquam ſcelus ſcelere redempturus, Impetatorem iam ſibi ſecurum, & cum paucis Ciliæ morantem, nocte concubia intercipere aggreſſus eſt. Corruptis namque oppidanorum pleriſque, qui ſibi aduenienti partem oppidi traderent, hora conſtituta cum octingentis equitibus intromiſſus cuncta miſcere armis cepit. Affuit diuina pietas Friderico, quæ illi præter conſuetudinem in arce ſuperiore, & natura & humano opere munitiſſima, ea nocte dormiendum ſuaſerat, proceres qui remanſerant in oppido, capti omnes: inter quos & Iohannes Vngnadius, cunctis Stirienſibus opulentior, cum Georgio fratre abductus eſt: nec Vlrico Auſtriæ cancellario, quamuis eſſet Epiſcopus, & ad eccleſiam confugiſſet, parſum eſt, Vſque adeo apud homines noſtri ſæculi diuina & humana iura perierunt. Traditori Bohemo, diuiti ſpolio locupletato, non defuerunt ex illo tempore adiutores. Fama eſt, eaque celebris, inter Stirienſes nobilem quempiam fuiſſe, cui ſæpe in animum ceciderit, ſeipſum laqueo ſuſpendere. Id ægre ferentem ex docto quodam viro remedium petiuiſſe adverſus eam tentationem. Conſilium datum, proprium vti ſacerdotem conduceret, qui ſibi manenti in arce quadam ſolitaria ſingulis diebus rem diuinam faceret: paruiſſe nobilem atque in annum ferme continuaſſe, nulla ſuſpendii cogitatione interueniente. Poſtremo rogatum à Sacerdote, ut presbytero vicino, qui dedicationem Eccleſiæ in proximo monte habiturus eſſet, auxilio eſſe poſſet: licentiam dediſſe: proponentem in animo paulo poſt ſequi, & ſacris intereſſe. Stetiſſe diu poſtea, nunc una, nunc altera cauſa retentum. Denique circa meridiem profectum, agreſti cuidam in nemore occurriſſe, qui rem diuinam in monte peractam eſſe, & populum omnem abiiſſe diceret. Contriſtatum eo nuncio nobilem, infœlicemque ſe eſſe dicentem, qui eo die ſacrum Chriſti corpus non vidiſſet, agreſtem conſolari cœpiſſe: *Venditurum, ſi vellet nobilis emere, premium quod intereſſendo diuinis meruiſſet:* Sagumque nobilis petiuiſſe precii nomine. Venditione facta, nobilem nihilominus montem aſcendiſſe, atque oraſſe in templo. Reuerſum autem, in proxima arbore ſuſpenſum agreſtem inueniſſe: ſed poſtea diris cogitationibus haudquaquam vexatum fuiſſe. In hac prouincia decoctum ſal ad vicinas regiones importatur. Ea & ferri mineras locupletes habet, & argenti fodinas non ignobiles: quamuis incuria Principum argentum haud multum effodiatur.

Vide huc auctoris epiſt. 253.

p. 59.

CAPUT XVI.

DE AVSTRIA ET IN EIVS VIENNA.

AVSTRIAM deſcribere hoc loco neceſſarium exiſtimamus, de qua propriam hiſtoriam * edidimus. Breuibus tamen ſitus eius abſoluetur: hoc enim tempore diuiſis eſt terra limitibus. Auſtria olim Pannonia ſuperior dicta, ab Oriente habet

** Vide auctor. epiſt. 565.*

habet Hungariam, ab occidente Bauariam; ſeptentrionem eius Bohemia & Morauia terminant: ad Auſtrum vero montes Stiriæ, qui longo tractu ab Alpibus deriuantur. Latitudo eius trium aut paulo minus diætarum: longitudo veto duplo maior. Terra nobilis, aquis irrigua; vitibus conſita, ligni copioſa, agro feraci, piſcibus plena: vino adeo exuberat, vt Bohemis, Morauis, Sleſiis, Bauaris in dando vino ſatisfaciat, exindeque quam maximas opes colligit. Danubius eam mediam ſecat fluvius omnium Europæ maximus, inter præcipuas eius civitates eſt Vienna Pannoniorum maximum emporium, olim Flavium appellata, ambitu murorum duum millium paſſuum: cingitur foſſatis, propugnaculis, turribuſque, & maximis ſuburbiis decorata, principum Auſtriæ præcipua & digniſſima ſedes. In ea provinciales poſt obitum Alberti Cæſaris Friderico ſe commiſſerunt, ea lege, ut ſi maſculum prægnans regina pareret, tutor eius eſſet: ſi fœminam, terræ dominus. Nato (vt prædictum eſt) Ladislao tutelam eius Frideric. accepit. Milites qui ſub Alberto meruerant, cum ſtipendio ſe fraudatos dicerent provinciam latrociniis ac incendiis vaſtauere. Eorum vexatio LXX. millib. aureis à Friderico redempta eſt, cum Bohemi & Hungari excurſiones in Auſtriam facerent. Ex ſororib. Ladislai ſeniot Wilhelmo duci Saxoniæ nupſit. Ioannes Huniades cum regni Hungariæ coronam à Friderico fruſtra repetiſſet, cum duodecim millib. equitum ingreſſus Auſtriam, omnem agrum inter Viennam & Stiriæ
p. 60. montes diripuit atque incendit. Petentem Italiam Cæſarem rogaverunt Auſtrales, vti Ladislaum qui iam propemodum adoleuiſſet, in paterna hæreditate apud ſe dimitteret. Reiecta petitione, auctoribus duobus Vlricis, altero Ciliæ comite altero Eyzingero, ſumptis armis rebellauere. Redeuntem ex Italia Fridericum apud novam civitatem obſidione cinxere: quibus & Henricus Roſenſis natione Bohemus cum CC. equitibus & mille peditibus ſeſe adiunxit. Et quamuis à Nicolao Pont. Max. iuſſi eſſent, ne tutelam Cæſaris impedirent; contemptis Apoſtolicæ ſedis mandatis, & tantæ maieſtatis auctoritate deriſa, ſceleratum propoſitum tenuere. Docta eo tempore Viennenſis ſchola indoctam ſententiam protulit: *quæ per appellationem ad futurum Concilium interponendam, ſuſpendi poſſe Romani præſulis mandata reſcripſit.* Ciuitas Viennenſis, & omnis Auſtria ex eo tempore ſemper in armis fuit, temeratæ religionis pœnas pendens. Ceſſit furenti populo Fridericus pupillumque adhuc tenerum ea lege in manus Comitis Ciliæ tradidit, ut conuocatis ad vrbem Viennam vtriuſque partis conſanguineis & amicis, de tutela, de oppidis, deque cæteris contentionibus, principum qui vocati conveniſſent, arbitrium diffiniret. Ladislaus ſumma populorum alacritate apud Viennenſes exceptus, cuncta ex voluntate Comitis adminiſtrauit. Ad conſtitutum diem concilii Ludouicus Bauariæ, & Wilhelmus Saxoniæ duces, Albertus quoque Brandenburgenſis, Carolus Badenſis marchiones conuenere. Tum multi ex Bohemia, plures ex Hungaria barones Imperator legatos miſit: quibus & nos adiuncti fuimus, diu de iure partium diſcepratum. Sed cum omnia ex arbitrio victoris agerentur, nec leges defenderent, quem arma non protexiſſent, infectis rebus diſceſſum eſt. Negata ſunt omnia quæ promiſerant Auſtrales Imperatori: dictum omne indictum fuit: neque literis neque ſigillis auctoritas habita, barbara fide actum. In eo conuentu Ladislaus Ioannem Huniadem, qui ſibi regnum à Turcorum inuaſione ſeruaſſet, ad principatus honorem euexit: qui ſuggeſto in magno foro apud carmelitas erecto, ſede ſedens aurea, regali paludamento ac diademate ornatus comitatum ei Biſtricenſem commiſit: quod eo in loco minime licuit. Neque enim Regi Hungariæ ſub Imperio Romano maieſtatem gerete ius eſt: ſed tanta reuerentia Regum, quanta eis per arma ſiue datur, ſiue relinquitur. Comes Ciliæ, cum Regem quolibet impellit, & ad ſe cuncta rapiens Eyzingerum Viennenſesque contemnit, concubinam quam viro interfecto ſuſtulerat, reginali pene honore dignatur; ex fauore tandem regio cadit, & annitente Eyzingero e curia pellitur: quem in exilium proficiſcentem quatuor tantum equites comitati ſunt, Alberto marchione Brandenburgenſi, ne per contemptum

* non extat.

à populo lapidaretur, ad portam uſque urbis ſecuritatem præbente. Sed quam fœda & miſerabilis eius fuga, tam ſuperbus & fauorabilis reditus fuit. Nam poſt annum eum iam ex Bohemia Rex rediſſet, ſuadentibus primoribus Auſtriæ Baronibus reuocatus, cum mille equitibus argento & auro fulgentibus Viennam repetiit: cui extra portas vrbis & Rex ad mille ferme paſſus exiit obuiam, & omnis nobilitas redeunti gratulata eſt: plebs quoque quæ paulo ante lutum ac lapides in fugientem iactare tentauit, ſternere viam floribus, qua redeunti tranſitus fuit, minime dubitauit. Vt eſt in vtramque partem immodica, ſiue amauerit, ſiue oderit, mira rerum mutatio & ludentis fortunæ iocus. Eyzingerus extra gratiam Regis factus, in Caſtella ſua recedens, Imperatori quem grauiter offenderat, reconciliatus eſt, nec diu poſtea adeo ſuperbi erant, qui Ladislai Regis partes ſequebantur, ut Nouæ ciuitatis ſuburbia, in qua Cæſare abſente iacebat puerpera Imperatrix, intrare præſumſerunt, & vrbem expugnare contenderint. Quod ubi non ſucceſſit, exuſtis quæ obtinuerant locis abierunt. Fuit ſæpe inter Cæſarem & Regem incaſſum tractata concordia, neque enim comes Ciliæ dum vixit, ex re ſua exiſtimauit, vnanimes eſſe Auſtriæ principes: at eo mortuo cum Eyzingerus è Boëmia miſſus ad Cæſarem leges pacis vtrique parti gratas dixiſſet, & iam quietura propediem Auſtria videretur: interitus Regis ſubito nunciatus, non ſolum concordiam perturbauit, ſed magnarum rerum & reipublicæ Chriſtianæ ſalutarium exorientem ſpem prorſus abrupit. Auſtrales & à Cæſare & ab Alberto fratre de tradenda gubernatione requiſiti, prouincialium conventum habuere: in quo legati Cæſaris ſeniori Auſtriæ principi (is erat Imperator) deberi prouinciam dixere. Albertus ſuo & Sigiſmundi patruelis nomine regiæ partem hæreditatis expoſcens, ſuasque calamitates & inopiam tanto ſanguini alienam referens, commiſerationem indueere conatus eſt. Conventus reſponſio fuit, *Facturos prouinciales, quod ius æquitaſue dictaret, poſtquam fratres inter ſe conueniſſent.* Interea latrones trans Danubium in Auſtriam ad Morauiæ fluminis ripam munitum locum occupauere, omnemque circa regionem rapinis atque incendiis vexare cœperunt. Aduerſus quos profectus Albertus, latrones vi cepit: interfectisque pugnando compluribus, quingentos & quinquata captiuos abduxit, ex quibus LXXX. furea ſuſpendit. Quæ p. 61. res magnum ei apud Auſtrales & nomen peperit & fauorem. Vlricus vero Eyzingerus, cum viſitato apud Novam civitatem Friderico Imperatore (cuius parti ſtudebat) Viennam repetiſſet; vocatus ab Alberto, nihil mali ſuſpicans, fidenter eum adiit. A quo mox captus, in vincula coniectus eſt, & in privato carcere clauſus. Indigna res viſa ciuibus: murmurare, damnare omnes factum: nemo tamen auxilium miſero afferre voluit. Imperator ſæpe rogatus Viennam petere, aliquandiu diſtulit, veritus ne qua fraus ineſſet. Interim Sigismundus ex Atheſi ad Viennam deſcendit: deinde ad Novam civitatem profectus, principatus inſignia ab Imperatore accipiens, pro veteri conſuetudine in eius verba iuravit. In qua ſolennitate & Albertus affuit. Qui paulo poſt cum Sigiſmundo Viennam tepetiit. Et ambo adverſus Imperatorem conſpirantes, Auſtriam ſibi ſubigere conati ſunt, quorum ſtudia ſentiens Imperator, Viennam petere ſtatuit: & accerſito Ludovico Bauariæ duce magni nominis principe, eo ſe contulit, Imperatrice ſequente. Appropinquanti urbanus populus obviam perrexit: Albertus quoque & Sigiſmundus nobili comitatu extra vrbem Imperatorem ſalutauere. Habebat Albertus tria circiter equitum millia in armis expedita: quæ non longe à Vienna in quodam tumulo Imperatori ſe oſtentauerunt; magnumque metum venienti incuſſere. Suſpicionem auxit Albertus, qui ſæpe ad eos profectus ac ſeorſum locutus, inſidias apparaſſe Cæſari videbatur. Ferunt eius militiæ ducem Alberto dixiſſe: *Facile, ſi libet, hodie Vienna te dominum atque Auſtriæ facio. Nam quis prohibet, quo minus Fridericum Imperatorem eiuſque comites intercipiam. Innue tantum ſoluta deinceps hæreditatis quæſtio erit. Victori leges atque homines fauent.* Subdubitaſſe Albertum aliquantiſper, demumque reſpondiſſe. *Poteram ignoſcere, ſi quod ais, me ignorante feciſſes. At mandare turpia non poſſum.* Poſtquam

quam introgreſſi vrbem ſunt Albertus & Sigiſmundus, in domo quæ Pragenſis appellatur, ſimul habitauere. Imperator priuatas ciuium ædes incoluit. Arx prouincialium nomine cuſtodiebatur. Conſpirauere Sigiſmundus & Albertus, eam noctu aggredi atque irrumpere. Armataque militum manu iter ingreſſi iureiurando ſe aſtrinxere, *Non redituros domum, niſi arcem intraſſent.* Senſere ciues: moxque arma ſumentes, præſidium in arce maius collocauere. Inſtabat ciuile bellum, & atrox pugna pro arce. Nec dubium videbatur, quin magno ſuo malo principes commiſſuri prælium eſſent. Stetit diu res in ancipite. Ciuibus tueri arcem ſtabile propoſitum erat: ducibus (qui arcem intrare iuraſſent) turpe videbatur, infecta re domum reuerti. Et vim inferre plenum periculi erat. Poſtremo conuentum eſt, ut ingreſſi Principes arcem, paululum immorati, potato vino exirent: atque ita deluſa magis quam impleta religio eſt. Poſtridie arx conſenſu prouincialium in tres partes diuiſa: duas accepere Albertus & Sigiſmundus, reliquam Imperator. Delectique prouinciales ſunt, qui lites fraternas dirimant, & ſumma illis poteſtas data, ſed graue iudicium contra potentes eſt. Nobilitas & Eccleſiarum principes Imperatori fauentiores ſunt: plebs Albertum præfert: *magno ſe iudice quiſque tuetur.* Multa ſunt in hoc Cæſare, quæ laudare poſſis. Corpus egregium, & ſpecies Imperatore digna animus ſedatus ac tranquillus, ingenium perſpicax, memoria tenacior, religionis ardens zelus, ingens cupiditas pacis & otii. Singularem virtutem in quouis homine diligit dignamque præmio ducit. Ædificat ſplendide: hortos tamen ac gemmas plus æquo admiratur & amat. Et in rebus gerendis tardior ac remiſſior eſt. Tenacem plerique accuſauerunt, & ad rem nimis attentum. Id fecere proximi anteceſſores, Sigiſmundus atque Albertus Cæſares; quorum prodigalitati cujusvis comparata liberalitas videri auaritia poteſt. Cæterum Fridericus nec ſua profundit, nec aliena diripit. Verbis factisque temperans. Albertus Frater eius longe diſſimilis: celer in aggrediendis rebus, belli ac gloriæ appetens, periculi contemptor, audax, laboris patiens, manu atque ingenio promptus: pecunias inter amicos partitur, ac profundit. Inter opes pauper, in paupertate diues, nullius rei magis quam famæ auarus. *Fridericus III. Imp.*

CAPUT XVII.

DE MORAVIA.

PROCEDENTI per Auſtriam in Aquilonem Moraui occurrunt, gens ferox, & rapinarum auida, inter Hungaros Boemoſque trans Danubium ſita. Hanc prouinciam æuo noſtro Sigiſmundus Imperator Alberto genero ſuo, qui poſtea imperauit, dono dedit. Rebellantem & imperata facere recuſantem Albertus magnis affecit cladibus. Nam ſupra quingentas villas vna excurſione combuſſit: mortales multos neci dedit, pecus pene omne abegit, iugumque ferre perfidam
p. 62. gentem coegit. In hac prouincia ciuitates & oppida Romanæ Eccleſiæ ritum tenent, & Catholicæ fidei conſentiunt. Barones ferme omnes Huſſitarum labe infecti ſunt. Hic cum verbum Dei prædicaret Iohannes Capiſtranus, & in errores Huſſitarum vehementius inueheretur: Baronis non parui nominis (quem Ezernahoram vocant) ſecuta conuerſio eſt: qui relicta priore perfidia, cum duobus millibus ſubditorum, veritatem Romanæ ſedis amplexus eſt. Protaſius filius eius doctrina & moribus clarus, non diu poſtea Olomucenſis eccleſiæ pontificatum obtinuit. Ea eſt unica ciuitas Morauorum Epiſcopalis. Regnum inter Moravos aliquando fuit latiſſimum ac potentiſſimum: quod uſque ad filium Suatocopi duraſſir, cuius fortunam in Bohemica * conſcripſimus hiſtoria. At cum filius Suato- * *Cap. 13.*
copi eccleſiam Dei ſpernere cœpit, regnum genti ademptum eſt: quod poſtea Romani Cæſares in Boemiam tranſtulerunt. In hac provincia cum plura ſunt oppida plena populo, & opibus abundantia: inter quæ Pruitza * principatum obtinet, & Znoyma Sigiſmundi obitu memorabilis. Hac nul- * *al. Prunna.*
li tran- *Ezernahora.*

li tranſitus patet, niſi armato potentiorique, latronibus omnes aditus obſidentibus; ſermo genti mixtus eſt Teutonicus ac Bohemicus: ſuperant tamen Bohemi, quorum eſt regionis imperium. Quæ gentes olim Morauiam incoluerint, non facile dixerim. Quantum vero ex lectione Pholomei accipere licet, Marcomanni & Sudini, Candique * Morauiam & Auſtriam quæ trans Danubium iacet, incoluiſſe videtur.

* Quadique.

CAPUT XVIII.

DE SILESIA.

SILESIA poſt Morauiam ſequitur, haud ignobilis prouincia, quam fluvius Odera perlabitur, inter amnes Germaniæ late cognitus, fontes eius in Hungaria quæ Sileſiæ ad orientem iungitur. Mare Baltheum curſum terminat: longitudo regionis CC. ferme paſſuum millia continet: latitudo circiter LXXX. ſtadia; caput gentis Vratislauia eſt, ampliſſima ciuitas, ad ripam Oderæ ſita, priuatis ac publicis ædificiis magnifice ornata. Cuius epiſcopatum maiores noſtri aureum vocauere, Huſſitarum bella luteum reddidere. In hac urbe, regnante apud Bohemos Wenceslao, orta ſeditione, Conſules (quorum prima poteſtas eſt) per feneſtras ex prætorio in forum præcipitati, gladiis ac lanceis iratæ plebis excepti, dirum ſpectaculum præbuere. Cuius rei auctores Sigiſmundus Imperator paucis poſt annis ſecuri percuſſit. Duces Sleſiæ multi numero: inter quos paterna hæreditas per capita diuiditur. Hinc ſciſſa multas in partes prouincia, frequentes calamitates incurrit, crebris expoſita latrociniis. Inter hos duces unum eſſe ferunt nomine Bulconem, quem Opolienſem appellant, qui Glogouiæ reſidens deliciis ac voluptatibus deditus uſque adeo inſaniuit, vt neque inferos neque ſuperos eſſe diceret, animaſque cum corporibus ſimul prorſus interire putaret. Ecclesiam vel nunquam vel raro ingreſſus eſt: ſacramentis Chriſtianis prorſus abſtinuit: niſi quod abuſus matrimonio, vxore quæ ſibi ingrata eſſet, relicta, alteram ſuperduxit: quæ ne pellex appellari poſſet, non niſi per ſolennia matrimonii coniungi voluit. Sleſitæ ſub Imperio Bohemorum conſtituti ſunt: nunc tamen imperata facere detrectant, Georgium novum Regem admittere recuſantes. Wilhelmum Saxoniæ ducem ſecuti qui regnum Bohemiæ ad ſe pertinere affirmat propter coniugem, quæ Ladislai Hungariæ atque Bohemiæ Regis ſoror fuit. Gladius eius litis arbiter erit. Sermo gentis maiori ex parte Teutonicus eſt, quamuis trans Oderam Polonica lingua prævalet: ob quam rem non immeriro quidam hoc in loco Germaniæ terminum eſſe Oderam putauere, quamuis idem fluuius in Septentrionem vergens Germanicas gentes ripis ambabus alluit. Libet in hac parte Germaniæ linquere fines, & ad orientem ac ſeptentrionem Sarmaticas inuiſere gentes.

Vratislauia.

CAPUT XIX.

DE POLONIA.

POLONIA vaſta regio eſt: quæ Sleſiæ ad occidentem proximat, Hungaris, Lituanis, ac Prutenis conterminia, hic Cracouia eſt præcipua regni ciuitas: in qua liberalium artium ſchola floret. Sbigneus huic vrbi præfuit Epiſcopus, litetarum doctrina & morum ſuauitate inſignis: à quo plurimas accepimus epiſtolas, multo ſale & Romana elegantia conditas: cui ob ſingulares virtutes Romana Eccleſia inſigne Cardinalatus honoris, rubentem pileum miſit. Ciuitates Poloniæ præter Cracouiam parum nitidæ: ex maceria * domos ferme omnes componunt, pleraſque luto linunt. Plaga regionis nemoroſa eſt, potus genti ceruiſia, ex tritico atque humulo factus. Vini rariſſimus vſus, nec vineæ cultura cognita, ager Cereris ferax, multa genti armenta, multa ferarum venatio: equum ſilueſtrem præter cornua ceruo ſimilem edunt, feros

Cracouia.

* al materia lignea.

p. 63.

ros quoque boues venantur, quos priſci Vros vocanere. Piſce ac volucribus abundant: argenti atque auri inops terra: vectigalia Regi parua. Regnum in quatuor partes diuiſere maiores; has cum per circulum anni Rex ambit, quælibet pars tribus menſibus Regem ac curiam paſcit, quibus exactis ad alteram partem fit tranſitus. Statuta ſunt, quæ præſtare prouinciales oportet. Si manſerit vltra præfinitum tempus, Rex ſuo viuere ſumptu cogitur. Cum rex gentis patrum noſtrorum tempeſtate obiiſſet, relictam filiam Wilhelmus dux Auſtriæ in matrimonium accepit, illique regno præfectus eſt. Non placuit Polonis rex Teutonicus, Vladislaum ex Lituania vocauerunt: eiectoque Wilhelmo coniugem eius & regnum nouo regi tradidere. Gentilis fuerat Vladislaus, & idola coluerat: ſed Baptiſmum cum regno ſuſcipere non recuſauit. Conuerſus ad Chriſtum, religioſum ſe principem geſſit: multos ex Lituanis ad Euangelium traxit: Pontificales eccleſias nonnullas erexit: Epiſcopos magno honore proſecutus eſt. Inter equitandum quotienscunque turres Eccleſiarum inſpexit, detracto pileo caput inclinavit: DEum (qui coleretur in eccleſia) veneratus. Cum Tartaris regni limites infeſtantibus felicitet dimicauit. Prutenos maximo bello vicit: de quo inter res Prutenicas memorabimus. Ex priore coniuge prolem non ſuſtulit, eum qua matrimonium haud legitimum fuit. Ex ſecunda jam ferme nonagenaria duo nati ſunt filii, Vladislaus & Caſimirus. Eo mortuo Vladislaus regnum Poloniæ accepit: Caſimirus Lituaniæ ducatum conſecutus eſt: prior patri in regno Poloniæ ſucceedens, ad Hungariæ quoque regnum accerſitus, in bello Turcorum (vt ante narratum eſt) cecidit. Qua re cognita ſolliciti Poloniæ proceres de ſucceſſore, Fridericum Marchionem Brandenburgenſem, qui pueritiam in regno transegerat, linguamque gentis & mores tenebat, vt regnum acciperet rogauerunt. Reſponſum datum eſt, *Caſimirum Lituaniæ ducem, qui frater eſſet, defuncti hæredem extare. Scifcitari eius animum oportere, cui fraternum, paternumque regnum capienti impedimentum afferre è dignitate ſua Fridericus non duceret*, pari moderatione & Albertus Bauariæ dux erga Ladislaum Alberti filium vſus eſt, qui Bohemiæ regnum ſibi oblatum recuſauit. Fridericus quoque Imperator & ab Hungaris & à Bohemis ad hæreditatem Ladislai vocatus, nunquam audire ſuſtinuit: quæ patrueli præiudicium faceret. Ingens laus noſtræ ætatis, & magnum decus Germaniei nominis: quamuis non ambigo eſſe aliquos, qui non tam juſtitiæ quam ignaviæ tradunt, alienis regnis quempiam abſtinere. Ego quod boni ſpeciem habet, non laudare non poſſum. Caſimirus autem & ſi difficile à Lituanis dimitteretur, qui ſuum apud ſe principem retinere cupiebant; in Poloniam veniens, pacificam regni gubernationem accepit, nec diu poſtea ſororem Ladislai Regis duxit vxorem. Multa ei aduerſus fratres Teutonicos, qui ſanctæ Mariæ appellantur bella fuere: de quibus in rebus Prutenis referemus.

* vid. Auctor. epiſt. 101.

Vladislaus R. Polon.

CAPUT XX.

DE LITVANIA.

LITVANIA & ipſa late patens regio, Polonis ad orientem connexa eſt: paluſtris ferme omnis ac nemoroſa. Witoldus huic præfuit Vladislai frater: qui relicto idolorum cultu, cum regno Poloniæ Chriſti Sacramentum accepit. Magnum Witoldi nomen ſua tempeſtate fuit: quem ſubditi adeo timuerunt, vt juſſi laqueo ſe ſuſpendere, parere potius quam principis indignationem incidere voluerint, detrectantes imperium inſutos vrſina pelle viuentibus vrſis (quos eam ob cauſam nutriebat) dilaniandos obiectauit, crudeliusque aliis affecit ſuppliciis. Equitans arcum ſemper tenſum geſtauit. Si quem conſpicatus eſt aliter incedere quam voluit, confeſtim ſagitta confodit: multos quoque per ludum interemit, ſanguinarius carniſex. Vt eſſet inter populares & ipſum principem certum ſaciei diſcrimen, radere barbam omnibus imperauit. Id vbi non ſucceſſit (facilius enim ceruicis quam barbæ jacturam Lituani ferebant) tonſus ipſe mentum & caput prodiit:

Witolam.

diit: capitale interminatus ſupplicium, ſi quis prouincialium pilos faciei capitisue deponeret. Rex à Sigismundo Cæſare Lituanorum appellatus prius obiit, quam legati diadema ferentes ſe conuenirent. Succeſſor Suidrigal vrſam nutriuit: quæ ſueta ex manibus eius panem accipere, ſæpe in ſiluas vagabat. Redeunti vſque ad thalamum principis oſtia quæque patebant. Ibi confricare ac pulſare pedibus oſtium, cum fames affuit, conſueuit: cui princeps aperiens cibum præbuit. Conſpirauere nobiles aliquot adoleſcentes aduerſus principem, atque vrſæ modum ſecuti, ſumptis armis cubiculi principalis januam confricauere. Credit Suidrigal* vrſam adeſſe oſtiumque aperuit. Ibique mox ab inſidiantibus confoſſus interiit. p. 64. Prouinciæ deinde gubernatio ad Caſimirum peruenit. Ad Lituanos æſtiuo tempore difficilis tranſitus eſt, paluſtribus aquis cuncta ferme obſidentibus: hyems præbet aditum, aſtrictis gelu lacunis. Mercatores ſuper glaciem ac niuem iter faciunt, plurium dierum cibaria in vehiculo ferentes, nulla certa via: meatus (ſicut in mari) ſiderum curſus oſtendit. Rara inter Lituanos oppida, neque frequentes villæ, opes apud eos præcipuæ animalium pelles, quibus noſtra ætas Zibellinis Armellinisque nomina indidit. Vſus pecuniæ ignotus: locum eius pelles obtinent: viliores cupri atque argenti vices implent, pro auro ſignato precioſiores accipiuntur. Matronæ nobiles publice concubinos habent, permittentibus viris: quos *matrimonii adiutores* vocant. Viris turpe eſt ad legitimam coniugem pellicem adiicere. Solvuntur tamen facile matrimonia mutuo conſenſu, & iterum atque iterum nubunt. Multum his ceræ ac mellis eſt, quod ſilueſtres in ſiluis apes conficiunt. Vini rariſſimus vſus, & panis nigerrimus. Armenta victum præbent, multo lacte vtentibus. Sermo gentis Sclauonicus eſt: latiſſima eſt enim hæc lingua, & in varias diuiſa ſectas. Ex Sclauis enim alii Romanam eccleſiam ſequuntur; vt Dalmatæ, Croatini, Carni, ac Poloni: alii Græcorum ſequuntur errores, vt Bulgari, Rutheni, & multi ex Lituanis: alii proptias hæreſes invenere; vt Bohemi, Moraui, & Bosnenſes, quorum magna pars Manicheorum imitatur inſaniam: alii gentili adhuc cæcitate tenentur; quemadmodum multi ex Lituanis, idola colentes. Horum magna pars æuo noſtro ad Chriſtum converſa eſt, poſtquam Vladislaus ex ea gente Poloniæ regnum accepit.

* al. Sindrigal.

Hieronymus Pragenſis.

Noui ego Hieronymum Pragenſem ſacris literis apprime eruditum, vitæ mundicia & facundia ſingulari clarum: qui annos ſupra viginti in heremo Camalduenſi in Apennino Etruſco pœnitentiam egit. Hic oriente apud Bohemos Huſſitarum hæreſi, fugiens peſtiferum virus, in Poloniam tranſiuit. Vbi acceptis litteris ab Vladislao rege commendaticiis, prædicaturus Euangelium Chriſti ad Witoldum principem in Lituaniam penetrauit: multosque populos Witoldi fauore fretus ad ſalutiferam DEi noſtri fidem conuertit. Venitque tandem ad ſynodum Baſilienſem, vocatus à Juliano ſancti Angeli Cardinali, cum de rebus Bohemicis ageretur: narrabat hic multa de Lituanis, quæ pene incredibilia videbantur. Audiebam ego ex aliis eius dicta, nec mouebar vt crederem, libuit audire hominem, atque ab eius ore lata cognoſcere: comites mei fuerunt Nicolaus Caſtellanus, qui tum Cardinalis Juliani domum regebat; Bartholomeus Lutimanus Archiepiſcopi Mediolanenſis ſcriba; & Petrus Noxetanus Cardinalis Firmiani ſecretarius: viri graues & docti. Hominem in cella ſua trans Rhenum apud Carthuſienſes conuenimus: cuius hæc narratio fuit. Primi quos adiit ex Lituanis, ſerpentes colebant: patresfamilias ſuum quisque in angulo domus ſerpentem habuit, cui cibum dedit, ac ſacrificium fecit in fœno jacenti, hos Hieronymus juſſit omnes interfici, & in foro adductos publice cremari. Inter quos vnus inuentus eſt maior ceteris, quem ſæpe admotum ignis conſumere nullo pacto valuit. Poſt hos gentem reperit, quæ ſacrum colebat ignem, eumque perpetuum appellabat. Sacerdotes templi materiam, ne deficeret, miniſtrabant: hos ſuper vita ægrotantium amici conſulebant. Illi noctu ad ignem accedebant: mane vero conſulentibus reſponſa dantes, vmbram ægroti apud ignem ſacrum ſe vidiſſe aiebant, quæ cum ſe calefaceret, ſigna vel mortis vel vitæ oſtendiſſet; victurum ægrotum

Superſtitiones veterum Lituanorum.

ægrotum facies oſtenſa igni ; contra ſi dorſum oſtentaſſet , moriturum portendit. Teſtari igitur & rebus ſuis conſulere ſuadebant, deluſionem hanc eſſe Hieronymus oſtendit, & perſuaſo populo , deleto templo , ignem diſſipauit , Chriſtianosque mores induxit. Profectus introrſus aliam gentem reperit, quæ Solem colebat, & malleum ferreum raræ magnitudinis ſingulari cultu venerabatur. Interrogati ſacerdotes, quid ea ſibi veneratio vellet ; reſponderunt olim pluribus menſibus non fuiſſe viſum Solem, quem Rex quidam potentiſſimus captum recluſiſſet in carcere munitiſſimæ turris: Gigantem deinde opem tuliſſe Soli , ingentique malleo perfregiſſe turrim , Solemque liberatum hominibus reſtituiſſe. Dignum itaque veneratu inſtrumentum eſſe, quo mortales lucem recepiſſent. Riſit eorum ſimplicitatem Hieronymus, inanemque fabulam eſſe monſtrauit. Solem vero & Lunam, & ſtellas creaturas eſſe oſtendit, quibus maximus Deus ornauit cœlos, & ad utilitatem hominum perpetuo iuſſit igne lucere. Poſtremo alios populos adiit, qui ſiluas Dæmonibus conſecratas * venerabantur, & inter eas vnam cultu dignorem putauere. Prædicauit huic genti pluribus diebus, fidei p[illegible]tæ aperiens Sacramenta : denique ut ſiluam ſuccenderet, imperauit. Vbi populus cum ſecuribus aſſiſtit, nemo erat qui ſacrum lignum ferro contingere auderet. [illegible] Itaque Hieronymus aſſumpta bipenni excellentem quandam arborem detruncauit. Tum
p. 66. ſecuta multitudo alacri certamine, alii ſerris, alii dolabris, alii ſecuribus ſiluam deiiciebant. Ventum erat ad medium nemoris : vbi quercum veteriſſimam , & ante omnes arbores religione ſacram, & quam potiſſime Dei ſedem eſſe putabant, percutere aliquandiu nullus præſumpſit. Poſtremo (vt eſt alter altero audacior) increpans quidam ſocios, qui lignum rem inſenſatam percutere formidarent ; eleuata bipenni magno ictu cum arborem cædere arbitraretur , tibiam ſuam percuſſit, atque in terram ſemianimus cecidit. Attonita circum turba flere , conqueri: Hieronymum accuſare , qui ſacram Dei domum violari ſuaſiſſet, neque jam quisquam erat , qui ferrum exercere auderet. Tum Hieronymus illuſiones Dæmonum eſſe affirmans , qui deceptæ plebis oculos faſcinarent , ſurgere (quem cecidiſſe vulneratum diximus) imperauit, & nulla in parte læſum oſtendit : & mox ad arborem adacto ferro , adiuuante multitudine , ingens onus cum magno fragore proſtrauit , totumque nemus ſuccidit. Erant in ea regione plures ſiluæ pari religione ſacræ : ad quas dum Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans atque eiulans Witoldum adit , ſacrum lucum ſuecisum queritur, & domum Dei ademptam , in qua diuinam opem petere conſueſſent : inde pluuias , inde ſoles obtinuiſſe. Neſcire jam quo in loco Deum quærant , eum domicilium abſtulerint. Eſſe aliquos minores lucos, in quis Dii reſpondere ſoleant: eos quoque delere Hieronymum velle , qui noua quædam ſacra introducens partium morem extirpet. Rogare igitur atque obteſtari , ne maiorum religionem & ceremonias auferri ſinant. Sequuntur & viri & mulieres, nec ſe ferre poſſe novum cultum afferunt: relinquere potius terram & patrios lares , quam religionem a majoribus acceptam dicunt. Motus ea re Witoldus, veritusque populorum tumultum , Chriſto potius quam ſibi deeſſe plebem voluit. Reuocatisque literis, quas Præſidibus prouinciarum dederat , jubens parere Hieronymo , hominem ex prouincia decedere juſſit. Hæc nobis Hieronymus conſtanti vultu nihil hæſitans, ac per juramentum affirmauit : dignum fide & grauitas ſermonis, & doctrina oſtendit , & viri religio. Nos quæ accepimus , immutata retulimus , veri periculum non aſſumimus : perſuaſi tamen & nos , & comites ab eo receſſimus.

* *al. qui ſacram colunt ſiluam, & quo arbor proceriot fiat, eo cultu dignioremputauere.*

Luci ſacri.

CAPUT XXI.

DE RUSSIA.

RVTHENI (quos appellare Roſanos Strabo videtur) Lituanis contermini ſunt: gens barbara, incompta : apud quam opulentam eccleſiam obtinuit Iſidorus Cardinalis Sabinenſis, cuius ſupra mentionem fecimus. In hac gente ciuitatem

per maximam eſſe tradunt, Nogardiam adpellatam: ad quam Teutonici mercatores magno labore perueniunt. Magnas ibi eſſe opes fama eſt, & multum argenti pelleſque precioſas. Vendenteſque atque ementes ponderato argento, non ſignato vtuntur, lapis in medio fori quadratus eſt, quem qui aſcendere potuerit, neque deiectus fuerit, principatum vrbis aſſequitur, pro ea re in armis dimicant, ſæpeque vna die plures conſcendiſſe ferunt: vnde ſæpe ſeditiones in populo emerſere.

DE LIVONIA.

LIVONIA deinde Chriſtianorum vltima prouinciarum, ad Septentrionem Ruthenis iungitur. Tartari eam ſæpe incurrunt: in qua noſtra ætate magnas acceperunt ſtrages. Fratres Teutonici (qui beatæ Mariæ vocantur) hanc armis quæſiuere, & Chriſti ſacra ſuſcipere coegerunt, cum eſſet antea gentilis & Idola coleret. Eam alluit ab occidenti mare Baltheum, quod plerique veterum Oceanum eſſe putauerunt. Nondum ſeptentrio (ut hodie) cognitus Græcis atque Italis fuit. Chriſtiana religio hanc orbis partem noſtro generi aperuit: quæ à fortiſſimis gentibus detersâ barbariâ, mitioris vitæ cultum oſtendit. Baltheus ſinus adeo late patet, vt incompertæ magnitudinis apud aliquos eſſe videatur. Origo eius ex Britannico mari ducitur, quod Germanicum appellari poteſt: nam & Germaniæ magnam partem alluit, oſtium eius in occidenti eſt, non longe à Cherſonneſo Cimbrica quam Daciam * hodie vocant. Excurrens autem in orientem, in ſeptentrionem panditur, Inſulaſque magnas ambit, occidentale littus Noruegi occupant: ad Septentrionem ſemiferos homines eſſe tradunt, cum quibus nullum linguæ commercium nauigantes habent: ſignis tantum & nutibus commutare merces feruntur. Meridionale littus Saxonibus ac Prutenis traditur: orientale (vt diximus) Liuones tenent. Inter Liuoniam & Pruſſiam paruam terram eſſe ferunt, vnius ferme diei latam itinere, ſed longiſſimam à Prutenis ad Liuones, quam Magaſſetæ colunt, gens neque gentilis, neque vere Chriſtiana: Polonorum imperio parens. Atque hinc regnum Poloniæ ad mare protenditur, & Baltheum (quem diximus) ſinum.

Fratres Teutonici.

Balthicum mare.

** Daciam.*

CAPUT XXII. p. 66.

DE PRVSSIA.

REDEVNTI ex Liuonia in Germaniam per littus Balthei maris, poſt Maſſagetas Pruteni ſeſe obiiciunt, qui ripas vtraſque Viſtulæ amnis accolunt. Is eſt Sarmatiæ ac Germaniæ terminus: qui exoriens in montibus, qui Poloniam Hungariamque dirimunt, partem Poloniæ irrigat, Pruſſiam vero, quam longa eſt, percurrit ab oppido Torni vſque Gedanum * : quo in loco Baltheum influit. Hunc fluvium alii Viſtulam (vt diximus) quibus ætatis noſtræ ſermo congruit, alii Iſtulam, quidam Iſtulam vocavere, quod vltra fluvium eſt, Sarmatici iuris fuit; quod citra, Germaniei: ad orientem ac meridiem Maſonitæ, Polonique rura colunt: occidentem Saxones occupant: A quilonem Balthei maris excipit littus. Frumenti ferax regio eſt, aquis irrigua, & plena colonis, multa ambitioſa oppida, multi maris ſinuoſi reflexus amœnam efficiunt. Pecorum ingens vis, multa venatio, piſcatio diues. Vlmerigos olim hanc terram ineoluiſſe Iordanes tradidit: quo tempore Gothi ab inſula Scandauia in continentem deſcendere. Qui per Iſtulam (vt ille air) Vlmerigorum terras inuaſere. Ptolemæus autem Amaxobios, & Alaunos, Venedes, ac Githones penes Iſtulam fluvium habitare affirmat. Barbara hæc gens, & Idolorum cultrix uſque ad Fridericum Imperatorem eius nominis ſeeundum fuit. Sub eius vero imperio, cum amiſiſſent Chriſtiani Ptolomaidem Syriæ ciuitatem, fratres Teutones (quos ſanctæ Mariæ diximus appellari) inde fugati in Germaniam rediere, viri nobiles, & rei militaris periti: qui ne per ocium marcerent, Fridericum accedentes Pruſſiam Germaniæ conterminam Chriſti cultum ſpernere dixerunt; ſæpe illius gentis homines in Saxones cæteroſque vicinos

** al. Dantiſcum.*

vicinos excurrere ; ingentem vim pecorum atque hominum abigere ; eſſe in animo ſibi compeſcere barbaram gentem, annuat tantum Imperator, prouinciamque Fratribus perpetuo iure poſſidendam tradat, ſi eam armis acquirant. Iam enim Maſouiæ Duces, qui eius ſe terræ dominos affirmabant, ius ſuum fratribus conceſſerant. Grata oblatio Friderico fuit : qui collaudato propoſito, quas voluere fratres, ſub aurea bulla literas conceſſit. Illi ſumptis armis, breui tempore quicquid Prutenici iuris citra Viſtulam fuit, occupauere. Exin tranato fluuio, vetuſtam & late patulam quercum in caſtelli modum erectis propugnaculis iuxta ripam munierunt : ubi collocato præſidio vlteriores Prutenos vexare coeperunt. Pugnatum eſt ſæpe pro quercu, & ingentes Paganorum copiæ fugatæ ac deletæ ſunt : bellum pluribus annis productum eſt. Ad extremum fortuna Fratrum imperio arridens, omnem eis Pruſſiam ſubiecit : victæ Barbaræ nationes iugum ſubiere. Ex illo tempore lingua Teutonica introducta eſt, & cultus Chriſti gentibus imperatus. Eccleſiæ quoque Pontificales erectæ trans Viſtulam Pomeſanienſis, Culmenſis, Sambienſis & Warmienſis : ad quam defuncto Franciſco epiſcopo paruitatem noſtram poſtulauere canonici. Calixtus Pontifex Maximus eam nobis annuente Senatu Apoſtolico commendauit. Quæ vna eſt illis in partibus iure ſuo vtens nec ſubiecta fratribus : reliquos Epiſcopos religionis habitum geſtare oportet. Quo in loco munitam quercum diximus fuiſſe, nobile oppidum ædificatum eſt, quod Marieburgum vocant : & arx nobilis atque ampliſſima. Hic ſedes magni Magiſtri, qui cunctis fratribus præeſt Pruſſiam incolentibus. Sunt & alii duo in eadem religione magiſtri, alter Liuoniam regit, alter conuentus Alamanniæ gubernat. Teutones huius religionis inuentores fuere : ac propterea nemo recipitur ad eam, niſi Teutonicus, nobilibus ortus parentibus, & cui propoſitum ſit pro tuendo Chriſti Euangelio adverſus ſalutiferæ Crucis inimicos armis depugnare, ob eam rem veſtimentis albis vtuntur, nigra cruce inſuta. Barbam omnes nutriunt : exceptis qui ſacris altaribus ſeruiunt. Pro canonicis horis Dominicam orationem vſurpant, neque literas diſcunt. Magnæ his opes, nec minor potentia quam Regibus, ſæpe cum Polonis de regni limitibus, acceptis atque illatis cladibus contendere, nec totis viribus belli fortunam experiri recuſarunt. Cum Vladislao Caſimiri (qui modo regnat) patre contraxerant ambæ partes validiſſimas atque ingentes copias Polonis Lituani & Tartari adiuncti erant, quos duxerat Vitoldus : Teutonici fratres ex tota Germania vires conciuerant, poſtquam prope ad viginti ferme ſtadia vterque conſedit exercitus, ſpe plenus & impatiens moræ, Prutenorum magiſter caduceatorem, qui bellum Regi denunciaret, & duos enſes, in quis ſtaret victoria, miſit : facta poteſtate, vt quem vellet hoſtis eligeret alterum ſibi remitti iuſſit. Accepit Vladislaus alacer nuncium : donatoque caduceatore, vno retento gladio, remiſit alterum. Mox iuſſi milites arma induere : bellique ſignum datum : LX. millia equitum in ambobus caſtris fuiſſe proditum inuenio. Vladislaus Tartaros ac Lituanos primum inire certamen iuſſit, ex Polonis ſubſidiarias acies elegit, contra Prutenos auxilia in poſtremis habuit, florentem ordinis ſui militiam in exercitus fronte collocauit. Commiſſo prælio inermes quodammodo Tartari ac Lituani magna ſtrage cæſi ſunt. Vrgebat tamen multitudo, nec terga dare Polonus metuens audebat, atrox pugna ſuper cadauera occiſorum edebatur. Nec tam vulnerare Prutenus alacer, quam vulnera accipere Tartarus videbatur, protractum eſt diu certamen : peracta ingens occiſio.

Warmienſis epiſcopatus.

Teutonici ordinis Magiſtri.

p. 67.

Lituani Tartarique veluti pecudes mactabantur, at cum novus ſemper hoſtis emergeret, defeſſi tanta cæde peracta Teutones, verſare ferrum vix poterant, & iam remiſſius pugnabant. Quod ubi Vladislaus animaduertit ; tum primum Polonorum aciem validam ac ferro rigentem immittit. Fit ſubito irruptio inſtauraturque prælium. Non tulere Teutones recentis agminis impetum : impar pugna recentis ac fatigati militis fuit. Oritur mox fuga ex parte fratrum : ferit terga Polonus. Magiſter ordinis vbi ſuos cedere videt, nec iam vllam in auxiliis ſpem eſſe animaduertit, collecta militum manu hoſti ſeſe obiectans, occiditur.

Fit fœdior fuga: nec prius Teutonicus fugere quam Polonus perſequi deſtitit. Perierunt in eo bello ex parte Fratrum multa hominum millia: inter quos viri primarii, quos vocant Commendatores, equeſtri dignitate inſignes, cum ipſo Magiſtro circiter ſexcenti: nec Polonis incruenta victoria ceſſit, Tartaris ac Lituanis magna ex parte cæſis. Bellum hoc anno decimo & quadringenteſimo ſupra milleſimum geſtum eſt, poſt Chriſti Saluatoris ortum. Pruſſia fortunam regis ſecuta omnis, excepto Burgo Mariæ, ad victorem defecit. Sed interueniente Sigismundo Cæſare pax inter fratres & Polonum conſtituta eſt, percuſſum fœdus, pecunia Polono data, Pruſſia reddita fratribus: nec deinde vſque ad Friderici tempora (qui modo imperat) in poſſeſſione agri ſui turbata religio eſt. Sub eius vero imperio cum populares graue ſibi iugum fratrum exiſtimarent, fœdus inter ſe inire in hunc ferme modum: vt quindecim viri ſingulis certis in locis conuenirent, qui prouincialium querelas aduerſus fratres audirent: nec ſinerent quempiam indigne vexari. Ex his quatuor ex religione viros aſſumi voluere, quatuor ex prælatis eccleſiarum, parique numero ex nobilibus ac ciuitatibus: hiſque parere omnes voluere. Per idem tempus diuiſa inter ſe religio fuit, alii magnum Magiſtrum ſequebantur, alii quoſdam commendatores, qui magiſtri regimen improbabant. Magiſter vt populares ſibi alliceret, fœdus ipſum inconſulto fratrum conuentu approbauit. Fridericus quoque Imperator eidem fœderi robur adiecit, cautione tamen inſerta, ne per ſuas literas ius religionis læderetur. Mortuo deinde Magiſtro, qui fœdus acceperat, & altero in eius locum ſuffecto. Nicolaus Pont. Max. legatum miſit, qui prouinciam Pruſſiæ inſpiceret. Cognitoque rerum ſtatu, quantum Legatus retulit, popularium fœdus damnauit: vtque ab eo diſcederent, anathema interminatus acriter imperauit: quibus pertinacius in eorum ſententia perſeuerantibus, ex conſenſu partium lis ad Fridericum Imperatorem deducta eſt. Apud quem rurſus cauſa cognita, damnato eorum fœdere iuſſi Pruteni ſunt ad obedientiam fratrum redire, qui eam prouinciam è manibus infidelium ſuis armis vendicaſſent, multoſque ſanguine coemiſſent. Qua re ciuitatibus nunciata, mox arma in fratres populariter accepta ſunt: ex quibus plures capti atque occiſi, caſtella eorum euerſa, arces à fundamentis eiectæ, quinque & quinquaginta oppida in eam rebellionem conſpirauere. Sed cum non ſatis rem ſuam contra religionem ſine externa ope tutam putarent. Caſimirum Poloniæ Regem ſibi dominum aſciuere, deuotum fratribus ſanguinem, qui ſortunam patris eius experti fuiſſent.

Ille cum exercitu prouinciam ingreſſus, dedentes ſeſe ciuitates in poteſtatem accepit: cum quo fratres diu varia victoria dimicarunt. Plures fuere congreſſus: inter quos memorabilior, qui apud Conimitium * oppidum habitus eſt, octodecim millia Polonorum obſidionem in eo loco tenebant, in quis & Rex ipſe Caſimirus fuit. Oppugnabatur oppidum dies noctesque machinis admotis. Rudolfus princeps Sagoriæ * vnus ex Sleſiæ ducibus tum religionis ductabat exercitum: qui laturus obſeſſis opem, cum ſeptem milibus militum aggredi Regem non dubitavit. Commiſſum eſt prælium in conſpectu oppidanorum, ſumma vtrinque contentione atque ardore, cæſis hinc atque inde compluribus. Cum ſuos referre pedem Rudolfus animaduertit, increpans ignauiam fugientium, interminatuſque necem, aciem ſiſtit: & progreſſus in medium cum recenti pugnatorum manu, acre certamen inſtaurat: hos ſternit, illos confodit, fit ſubita rerum mutatio.

* al. Conitium.

* al. Segana.

Vrgente Rudolpho cedit Polonis. Rurſusque Caſimirus ſuos retinet, pugnæque ſeipſum miſcet & tanquam ex integro pertinaci contentione certatur, occiditur in pugna Rudolfus. Rex vero equo deiicitur: meliores ex vtraque parte p. 68. occumbunt. Poſtremo cæſum credentes Poloni ſuum Regem, deſperata victoria fugam arripiunt. Rex ab amicis adiutus, vix ex clade ereptus eſt. Rudolfus morte ſua victoriam religioni peperit. Ex Polonis ſupra ſex millia cecidiſſe feruntur: ex Teutonibus quoque non pauci periere. Poſt eam cladem res Polonica nutare apud Prutenos cepit, eo inclinantibus populis, quo belli fortuna quæritur. Stat tamen adhuc anceps exitus, & alterius Martis iudicium moratur. Ferunt inter

ter hos Fratres, olim mortuo magistro, cum de successione ageretur; vnum fuisse, quam rogatus eligere, quem putaret religioni vtiliorem, seipsum elegisse, dicentem, *Nolle deierare. Scire se cogitationes suas, aliorum corda ignorare. Si magistratus sibi committatur, non dubitare quin reipublicæ bene consultum erit.* Motos eius verbis reliquos administrationem illi credidisse, quæ saluberrima deinde fuerit.

CAPUT XXIII.

DE SAXONIA.

POST Prutenos Saxonicum nomen incipit, gens valida & latissima: cui ab occidenti Visecra * fluuius terminum facit: plerique vsque ad Rhenum protendi Saxones arbitrati sunt. Aquilonarem plagam Dani obtinent, & mare Baltheum ad meridiem Francones, Baioarii, & Bohemi siti sunt, orientalem plagam Slesitæ simul ac Pruteni obtinent. In his terminis inclusi sunt, Turingi, Brandeburgenses, Maxinenses, Lusacii, Pomeranique: quos omnes Saxonici iuris esse volunt, priores tamen Turingos in ea terra consedisse, quam Saxones aiunt, hos enim Græcam sobolem esse affirmant, ex Macedonia classibus aduectam, quæ Turingos multis bellis defatigatos paternis agris eiecerit: quod mihi non fit verisimile. Est enim vetustissimum in Germanica terra Saxonicum nomen, cuius omnes veteres meminere: Turingos nemo antiquorum nominat, qui Germanicas gentes enumerant. In aduentu primo Francorum, (qui tempore Valentiniani Cæsaris Germaniam intravere) Turingos nominati reperio: ob quam rem male quadrat historia veritati, quæ Turingos priores Saxonib. in Germania fuisse contendit, fatebor tamen, Saxoniæ limites aliquando minores fuisse, aliquando maiores. Nam sicut imperia, ita & prouinciarum limites ex tempore variantur. Carolus M. imperator multa cum Saxonibus bella gessit, priusquam Christi cultum reciperent: eosque magnis afflixit cladibus. Postquam vero deficiente apud Francos Caroli Magni genealogia, Romanum imperium ad Teutones Orientales rediit, Saxonum aucta dignitas est: inter quos plures Imperatores fuere, singulari prouidentia & rerum gestarum magnitudine clari: maxime vero tres Othones, qui sibi inuicem succesſere, de Romana Ecclesia optime meriti: quorum virtute prolatos Saxoniæ fines minime dubitarim. Inter Pomeranos, qui orientem Saxoniæ incolunt, oppida sunt digna nomine, Wismaria, & Sundis, Gripsualdia, Stetininium, & Rostochium: in quo schola liberalium artium haud contemnenda. Et hæc quidem mari proxima, multis ac diuitibus negociatoribus habitata est: & in mediterraneis Caminum pontificalis ciuitas, cuius diœcesis latissima est, nec minor Magunstina creditur. Episcopus loci Romano duntaxat præsuli subest. Brandeburgenses in duas Marchias diuiduntur: quarum altera vetus, altera noua vocatur. Veterem Marchiam perlabitur Albis fluuius, in cuius littore Stendalum est oppidum, & Gardelevum, & Soltuedelum, & Osterburgium. Nouam Marchiam intersecat fluuius Odera, haud multo inferior Albi: in cuius ripa Francofordia est, diues emporium, & Lubecensis ciuitas. Spreua quoque fluuius eandem prouinciam irrigat, æquandus Tiberi. Berlinum in eius littore oppidum iacet. Est & aliud flumen Houela * nuncupatum, quod Brandeburgum (ex quo Marchia nomen habet) in duas partes diuidit, veterem ac nouam ciuitatem efficiens. Ibi episcopalis sedes est, & Marchionum tribunal. Ad eiusdem fluminis ripam Habelburgium quoque situm est, pontificalis ciuitas: & circum nobile territotium, cui Prigeniza est nomen, multis refertum oppidis, & Martiali populo plenum. Caput Misnensium ciuitas Misna est, vnde nomen regioni datum: hanc quoque Albis alluit fluuius, hic valida arx, & in ea cathedralis Ecclesia. In ea quoque prouincia multa sunt oppida, Martiali populo plena; & Martinopolis in honorem Martis à veteribus condita; Mersburgium hodie vocant. Similiter Lipzig vrbs, diues mercatorum emporium, præclaroque studio insignitum.

* *al. Wisera, apud antiquos Vistergnas.*

Caminensis Episcopatus.

* *al. Hortebum*

CAPUT

CAPUT XXIV.

DE THVRINGIA.

IN Thuringia nobile oppidum, & caput gentis Herfordia, Maguntino ſubiecta pontifici, ſtudiis liberalium artium inſignis. Nuenburgenſis quoque ciuitas duci Saxoniæ parens. Hæc omnia jure Saxonum vtuntur, & lingua iisdem moribusque freti. Cæterum veri Saxones Magdeburgenſes nullo dubitante habentur: Bremenſes quoque Alberſtatenſes, Hildeſinenſes, Verdenſes, Brunſuicenſes, Hamburgenſes, Luneburgenſes, & Lubecenſes. In Madeburga Archiepiſcopalis ſedes habetur, & inhonore ſancti Mauritii ex quadrato lapide diues templum, Othonum nobile opus: & in eo Sancti Florentii corpus. Credunt quoque vnam è fex hydriis ibi eſſe, in quibus vinum ex aqua factum à domino Saluatore Euangeliſtarum tradit hiſtoria: hanc plebibus oſtendunt, materia marmorea eſt, ac perlucida vini capax quantum equus ferre poſſit. Altetam ac minorem apud Hildeſinenſes eſſe affirmant; vexillum quoque ſancti Mauritii hic quotannis oſtenditur. Magiſtratus vrbis jus ciuile Romanorum abbreuiatum & Saxonica lingua conſcriptum, non ſine reuerentia cuſtodit: quod Magni Caroli auctoritate firmatum tradunt, eoque in deciſione cauſarum circumuicinæ gentes recurrunt, magna & venerabilis earum legum auctoritas habetur. Bremenſes gloriam ſuam ducunt, Danorum gentem ad Chriſtum eſſe conuerſam. Non eſt omittendum, quod de Albertſtadio traditur, hanc ciuitatem Oltemia perlabitur fluuius. In medio ferme tumulus aſſurgit, in cuius cacumine planities eſt, duorum ferme ſtadiorum contingens longitudinem: In cuius extremis angulis duo templa ſita ſunt, alterum pontificale, alterum quod Beatæ Virginis appellant. In medio late patet forum magnificis Canonicorum ædibus vndique cinctum. Vrbs hæc vocatur: quod ſub tumulo jacet, ſuburbium appellant. In monte nulla laicorum habitatio. Carolus magnus huius Eccleſiæ fundator habetur, cuius feſtiuitas quotannis celebratur. Duodecim hic dignitates, 24. præbendæ, Archidiaconatus ſupra viginti eſſe feruntur. In hac Eccleſia ſingulis annis vnus ex populo deligitur, quem peccatis grauioribus inquinatum putant: hunc veſte lugubri induunt, & voluto capite prima jeiunii die ad eccleſiam ducunt, indeque peractis diuinis officiis eliciunt. Is quadraginta * diebus nudis pedibus perambulat vrbem, & Eccleſias circuit neque ingreditur, neque quenquam alloquitur. Inuitatus à Canonicis, per vices quod apponitur, comedit. Somnus ei poſt medium noctis in plateis permittitur: die Jouis ſancta poſt conſecrationem olei, rurſus ad Eccleſiam introducitur, & oratione facta à peccatis abſoluitur: pecuniasque ei populus offert, quæ tamen Eccleſiæ dimittuntur. Hunc Adam vocant, & omni crimine liberum putant. Circa Alberſtadium ager optimus, ferax tritici, matureſcentibus frugibus, culmorum altitudinem equo inſedentem hominem ferunt excedere. Brunſuica oppidum tota Germania memorabile, magnum & populoſum, munitum mœnibus ac foſſatis, turres quoque & propugnacula excellunt, magnificæ domus, perpolitæ plateæ, ampla & ornatiſſima templa. Quinque hic fora, quinque prætoria, & totidem conſulatus jura ciuibus dicunt. Hinc appellari Duces Brunſuicenſes, tota Germania nobiliſſimos, Othonum ſoboles: quorum claritas cum potentia labente tempore defluit. Lubicenſium ciuitas potentiſſima eſt: ſine cuius auxilio vix vnquam Daciæ Reges continere ſuos ſubditos valuere. Duodecim viri reipublicæ præſunt, quos conſules appellant, quorum perpetua poteſtas eſt: & in equeſtri dignitate conſtituti ſunt. Popularibus, niſi vocentur, nulla de regimine vrbis conſulendi facultas: nec tamen ſeruire plebs videtur. Sua cuique ſubſtantia tuta eſt, & libertas ſaluis legibus, vt velint viuere. Æquum judicium Conſules agunt: ab his Cæſar, ſi exceſſerint, appellatur. Saxoniæ noſtra ætate Duces habentur, Fridericus & Wilhelmus fratres: quorum alter Electorem Imperii gerit, alter regnum Bohemiæ debitum ſibi aſſerit, vt ſupra retulimus. Fuit cum Brunſuicenſibus de electo-

p. 69.

Magdeburg.

Brema.

* *al ſingulis quadrageſimæ diebus.*

Halberſtad.

Brunſuica.

Lubeca.

electoratu dissensio. Sigismundus Imperator litem diremit: sententia (vt sæpe fit) potentiori allusit. Alter horum fratrum natu senior robustissimus venator fuit: junior alter belli appetens, & in armis exercitatus. Crudelia inter eos diu bella exarserunt hæreditatis paternæ causa: & quamuis de pace sæpe mentio fieret, impedientibus tamen Apollonio (quem Vicedominum appellant) & aliis plerisque potentibus, quibus ea discordia quæsti erat, frustra omnis tractatus abiit. Sed cum vastatis jam agris, tota provincia pessum iret, Apollonius vero fraternarum incensor discordiarum per annum Jubilæum Romam petisset: rogauit Fridericus Germanum suum, vti ad se Libecam * veniret, secum de pace acturus. Annuit Wilhelmus, iter ingresso dixere Consiliarii, *paratas sibi, & qui cum eo irent, insidias esse, caueret ne se perditum iret, neue suos ad necem traderet.* Quibus ille: *At ego*, inquit, *libens moriar, si vos prius necatos videro, qui fraternas contentiones alitis.* Atque ita locutus, sequi jussis qui se amarent, vrgensque calcaribus equum festino cursu fratrem adiit: quo cum semotis arbitris eueſtigio pacem composuit, fœdusque pepigit. Magnus vir, qui se tam liberaliter in potestatem dederit hostis. Magnus & alter, qui hostem ex fratre factum, rursus fratrem atque amicum reddiderit. Apollonius interim Roma reuersus, & qui cum eo sentiebant, ex Turingia (vbi plurima oppida possidebant) exterminati sunt. Apollonius in Coburga, quod est Franconiæ oppidum, aliquandiu se defendit: sed cum salutem in eo loco desperaret, nullius auxilio fretus, cum thesauris suis clam fugiens ad Bohemos migrauit. Ex illo tempore quietem habuere Saxones, quamuis Bohemi castella quædam ab eis repetentes, sæpe bellum minati fuerint. Inducíæ in hanc vsque diem arma partium tenuere. Lis maior nunc oritura videtur, quando Wilhelmus regiæ sororis maritus ad Bohemiæ regnum aspirare fertur, quamuis terræ proceres alium sibi regem assumpserint.

Apollonius vicedominus.

p. 70.

* *al. Liprig.*

Libet hoc loco audax priuati hominis inferere facinus. Conradus Rausses * nobili loco apud Saxones natus, bellicæ rei peritus, manu promptus, & animo imperterritus, cum se patria pulsum & paterna hæreditate priuatum per iniuriam Friderici Ducis existimaret, scelus incredibile nostra ætate perpetrauit. Arx est in Misnia in alto monte, & abruptis vndique rupibus sita, ** Altumburgum prouinciales vocant: ad radices montis oppidum egregie munitum, & populo plenum jacet. In arce duo Friderici adolescentes Ernestus & Albertus educabantur. Huc Conradus inrempesta nocte magnis itineribus, cum paucis comitibus contendit: & admotis scalis, prodente pædagogo, arcem ingressus, dormientes adolescentulos in cubili comprehendit, interminatusque mortem, si vocem emitterent, funibus colligatos extraxit: haud dubius, quin perductos in Bohemiam magno precio venderet, suasque contumelias eo pacto magnifice vltus videretur. Jam siluam Herciniam, quæ Bohemiam à Saxonia diuidit, ingressus erat. Jamque periculum omne transmissum putabat: cum junior captiuorum labore ac fame deficiens, & quietem simul & cibum popoſcit. Cuius precibus commotus prædo ad carbonarium diuertit quendam, afferrique panem & cereuisiam jussit. Interea apud Altemburgum, cognita tanta rei nouitate, clamor exoritur. Attoniti oppidani raptim arma capessunt, & pretiosam vendicaturi prædam præcipiti cursu prædonis vestigia insectantur. Siluam ingressis fortuna blanditur: quæ inter multos tramites eum teneri suasit, qui recta duxit ad carbonarium. Ibi Conradus, dum puero cibum ministrat, ex improuiso capitur: & oblatus Principi, audaciſſimi sceleris capite pœnas soluit. Federicus eodem pene nuncio, quo captos atque adductos filios audiuerat, recuperatos & domum reductos didicit. Saxoniæ Ducibus parua veræ Saxoniæ portio paret.

* *Ponendum de Kauffungen. Principum hunc raptum plenius, & mutatis paullo circumstantiis enarrat Georg. Fabricius, Orig. Saxon. lib. VII. p. 770, Spangenberg. Chron. Mansfeld. Cap. CCC XXXVIII. Müller. Ann. Saxonicis ad An. 1455. Adamus Rechenbergius singulari dissertatione de Raptu Ernesti atque Alberti.*

** *Altenburg.*

Sunt enim in ea prouincia multi alii principes, multæ ciuitates quæ vocantur imperiales: multi episcopi proprium territorium habentes. Misnia vero & Turingiæ maior pars, & Lusatiæ, & Franconiæ pleraque oppida his ducibus parent. Jus autem eligendi Romanorum Imperatorem Saxoniæ Ducibus ex paruo quodam

principatu competere aſſerunt, inter Miſniam Sleſiamque jacente: cuius caput
Wittenberg. oppidum eſt Wittenberg vulgariter appellatum, id eſt, mons albus.

In Saxonia argenti mineras apud Goslariam Otho primus Imperator inuenit, quarum magni fuerunt reditus: ibi & palacium nobilis operis ædificatum, habet & fontes amaros Saxonia: ex quibus ſal coquitur album, quod ad vicinas
Luneburg. gentes defertur. Salinæ vberrimæ atque ditiſſimæ apud Luneburgium habentur: ex quibus multi monaſteriorum Abbates, & multi Eccleſiarum Prælati vitam ducere conſueuerunt, fuit enim quæſtus ſalis vberrimus. Has ſalinas Luneburgenſes violenter vſurpauere: ob quam rem & à Nicolao Pont. Max. & à Friderico Imperatore auguſto damnati ſunt. Conſulatus, qui eius rei auctor habebatur, auctoritate Apoſtolica deiectus eſt: ſed fauore Bernardi Ducis Brunſuicenſis paulo poſtea in priſtinum ſtatum rediit. Et qui nouiter conſulatum adierant, in carcerem coniiciuntur, ciuitati rebelli & eccleſiaſticorum bonorum rapaci ſacris interdictum eſt: non tamen deſunt qui rem diuinam apud eos faciant. Tantus eſt æuo noſtro & in populo & in clero auctoritatis eccleſiaſticæ contemptus.
** al. nominis.* Eſt in Matchia Brandenburgenſi non magni momenti * ciuitas, aquis circumdata, Habelbergam vocant: in eius diœceſis loco aſpero ac deſerto paruum oppi-
** al. Wilſnach.* dum eſt nomine Vilſnacum *. Hic tres hoſtiæ habentur, ex quis cruorem ſua ſponte manaſſe tradunt: ob eam rem magnus populorum huc concurſus, & nautarum P. 71.
vota huc ſoluuntur: vulgo locum ad ſanctum Cruorem vocant. Exceſſimus ſcribendi modum Saxoniæ ciuitates nominatim commemorantes. Id fecimus, quia veteres ſcriptores parum de Germania locuti ſunt, & tanquam extra orbem ea natio jaceret, ſomniantes quodammodo res Germanicas attingunt: Ob eam rem dabitur mihi venia, fortaſſe & aliquis gratiam habebit, ſi Germanicas deſcribentes prouincias, vt res oculis ſubjiciamus, paulo prolixiores fuerimus, propoſiti noſtri metas egreſſi.

CAPUT XXV.

DE DANIA, SVECIA, NORVEGIA.

HOc loco quoniam Saxoniæ Dania iungitur, priuſquam Germaniæ reliquas partes abſoluo, de ipſo Daniæ regno viciniſque regionibus in Aquilonem verſus aliqua referre inſtitui, non indigna cognitu. Tria ſunt in ſeptentrionem vergentia regna ſibi inuicem cohærentia, Danorum (quod hodie Daciam appellant) Suetiorum, ac Noruegiorum. Dania ſiue Daciam dicere volumus conſuetudini ſeruientes, Germaniæ portio eſt Cherſonneſi habens formam.

Cymbri. Hanc quondam Cymbri tenuere, inde illa inundatio Barbarorum emerſit, quam Marius Arpinas Italiam petentem, & res Romanas euertere minitantem, ad internecionem deleuit. Poſſidonius (vt Strabo refert) coniecturam facit, quod Cymbri latrocinando incertis errabundi ſedibus ad paludem uſque Meotim militiam agitarint: ab eis enim Cymerium vocari Boſphorum arbitratur, quaſi Cymbricum, cum Græcorum lingua Cymerios Cymbros nominet. Suetia cincta vndique mari
** al. Scandia.* plures Inſulas continet: in quis Scandauia * eſt, apud veteres late memorabilis. Hinc quoque populorum innumerabilis multitudo egreſſa, omnem olim Europam armorum turbine ac procella inuoluit. Nam Gothorum, qui Hunnos bello vicere, Pannoniam, Myſiam, Macedoniam, & omnem Illyridem occupauere, Germaniam, Italiam, ac Galliam vaſtauere, & demum in Hiſpania conſedere, hinc fuit origo. Noruegia, quæ de ipſo ſeptentrione ſortita eſt nomen, continenti
Gothi. per Ruthenos iungitur, & in Arctoo protenſa incognitæ terræ, ſeu ſtricto glacie Oceano (vt plerique fabulantur) contermina eſt. Ad orientis partem ac meridiem Baltheo mari alluitur: ad occidentem Britannici finit Oceanus. Daciam Teuto-
** Dannemarc.* nes hodie Danorum appellant Marchiam * cuius lingua Germanis incognita eſt: Ex Noruegia veniſſe putant, qui Cymbrorum occupauerint loca. In hac terra patrum noſtrorum memoria Voldimarus regnavit, in Suetia Magnus, Aquinus in Noruegia:

Noruegia: quem ferunt diuinum fuiſſe hominem miro prouincialium amore atque obſequio cultum, huic coniux Margarita fuit, Voldimari filia, ex qua natus Olaus patri ſuccedens, breui tempore vita functus, regnum matri reliquit. Ea & paternum adepta eſt, extincto Voldimaro; at Magno in Suetia hominem exuente, Albertus dux Monipolenſis vocatu populi diadema ſuſcepit: qui dominatum vicinæ fœminæ contemnens, bello Daciam Noruegiamque laceſſere cœpit, occurrit ei Margarita coactis copiis, in campis late patentibus pugnatum eſt: tanquam ipſa viri, hoſtis fœminæ animum induiſſet. Victus Albertus, captusque & in triumphum ductus regnum amiſit: dimiſſus tandem infame ſenium in paterna domo finiuit. Margarita clariſſima mulier tribus imperans Regnis, ad ſenectutem vſque magnifice ac religioſe ſubditos gubernauit: demum ſenio confecta, cum tantum per ſe ferre nequiret imperium, Henricum Pomeraniæ Ducem quatuor & decem annos natum ſibi filium adoptavit, regnaque illi commiſit, & Philippam regis Angliæ filiam dedit vxorem. Is cum coniuge ſine prole defuncta, nubere vlterius nollet, iamque quinque & quinquaginta regnaſſet annos, ad extremum ſub imperio Friderici populari tumultu ex regio ſolio deturbatus eſt; & Chriſtophorus Dux Baioariæ ſibi ex ſorore nepos in eius locum ſuffectus: qui auunculum ſuum decem annis quibus ipſe imperauit in inſula Gothica regnare permiſit. Chriſtophoro autem ex hoc ſeculo abeunte. Daciæ ac Noruegiæ coronam Chriſtigernus accepit. Sueci vero in electione Regis diſcordantes, alii Carolum equeſtri dignitate inſignem, alii Canutum eius fratrem natu minorem regno præficiunt.

Margarita Regina.

* *al. Naupolenſis, lege Mogalopolenſis.*

Pendente adhuc electionis negotio, Carolus immiſſis militib. Scoltoniæ (quam hodie Stockholm) oppidum clam occupat: in quo regia ſedes habetur.
p. 72. Canutus per amicos arcem inuadit. Hinc bellum inter fratres de regno ortum, & pugna diu anceps, occiſis vtrinque pluribus: ea demum lege induciæ pactæ, vt poteſtas eligendi Regem excluſa nobilitate plebi fieret. In qua cum Carolus gratioſior eſſet, maieſtas regni ad eum defertur: Canutus priuatam vitam degit. Carolus vero nouo regno tumidus atque inſolens, armatis nauibus Henricum ætate confectum, nulli noxium, ſibi ipſi viuentem, è Gothia propulſauit. Qui etiam hodie in humanis agens apud Pomeraneos (vnde illi origo fuit) paruo contentus vitam agere fertur. Quam ſint incerta mortalia, & quam inania, ſuo exemplo docens: qui tribus potentiſſimis regnis exutus, nec paruam inſulam, in qua decem annis delituerat, uſque ad mortem retinere potuit, ætate pleniſſimus. Sed neque Carolo ſcelera ſua impunita fuere: qui dum Chriſti Eccleſias perſequitur, religionem contemnit, ſacerdotes diſpoliat, feſtos dies obſeruari prohibet, iura diuina & humana confundit; à Ioanne Benedicti filio Vrſalenſium præſule, viro cordato & impigro, à quo nobilitas regni excitata eſt, magno prælio ſuperatus eſt, ac regno propulſus in parua inſula non longe ab oſtio Viſtulæ prope Pruſſiam exilium agit. Chriſtigernus in locum eius aſſumptus, pietate ac iuſtitia melior, iterum tria regna noſtro tempore in vnum redegit: cui & Gothia paret, Gothorum quondam ſedes ac patria.

CAPUT XXVI.

DE BOHEMIA.

BOhemorum modo res geſtas attingere, ac ſitum referre locorum ratio exigeret: qui Saxonibus ad meridiem juncti ſunt. Bohemia enim intra limites Germaniæ incluſa, tota Aquilonibus expoſita eſt, habens ad orientem Morauos, & Sleſitarum partem, ad Aquilonem Saxones & Miſnenſes, ad occidentem agrum Noricum, ad meridiem Auſtriam & Bauariam, vndique Germaniæ populis cincta. Latitudo longitudoque eius pene par, trium fortaſſe dietarum. Sylua Hercinia vniuerſam cingit, Albis vero præclarior eius amnis eam mediam irrigat, aliosque non pauci nominis fluvios excipiens, vt Multauiam, quæ pene Pragam mediam

ſcindit, tandem per conualles & abrupta montium nemoroſosque ſaltus Herciniæ ſyluæ præceps labitur, per Misnenſem prouinciam fluens, prope Hamburg vrbem Saxoniæ in Germanicum mare abſorbetur. Oppida regni memorabilia ſunt Praga Regum Bohemiæ digniſſima ſedes, Cadanum, Bruxia, Schlakerwerdum, Cutianum cupri argentique mineris celebratiſſimum. Regio prorſus frigida; armentis tamen, feris, ac piſcibus abundans. Ager ei optimus, frumenti & hordei feraciſſimus.

Multa apud eos ætate noſtra memoratu digna emerſerunt, multa prælia geſta ſunt, multus ibi ſanguis effuſus, deletæ funditus ciuitates, ſpreta & conculcata religio. Exorta eſt Huſſitarum hæreſis: Adamitarum pullulauit inſania: debacchati ſunt Thaboritarum & Orphanorum exercitus: duo fulmina belli, Zyſca & Procopius, prouinciam ex arbitrio ſuo diripuere: Joannes ac Hieronymus * populum decepere, in Conſtantienſi magna Synodo demum combuſti: Jacobellus, Conradus Rocazana, & Petrus Anglicus, Euangelii corruptores tanquam magiſtri veritatis habiti. Quatuor Reges extirpare peſtiferum virus non potuere, Wenceslaus, Sigismundus, Albertus, & Vladislaus, qui apud eos veneno extinctus creditus eſt. Poſtremo Georgius Rex creatus eſt, qui Huſſitarum labe infectus putatur: magnus vir alioquin, & rebus bellicis clarus. Sed omnia hæc in hiſtoria, quam de Bohemis his diebus edidimus, conſcripta ſunt. Ibi quoque de ſitu regionis, & gentis moribus, pro captu noſtro mentionem fecimus. Inde igitur aſſumendum erit, quicquid huic operi de rebus Bohemicis deeſſe videbitur. Nos cœptum ſequentes iter, inferioris Germaniæ prouincias abſoluemus: deinde ad ſuperiores reuertemur partes.

* *Vide Poggepiſt. 3.*

CAPUT XXVII.

DE FRISIA.

PHriſones ad Oceanum ſiti, ab Oriente Saxoniam contingunt, ad meridiem Weſtfalos, ad occidentem Traiectenſium terræ junguntur: quanquam & ipſos Traiectenſes plerique Phriſones eſſe volunt. Inter quos Othonem inuenio Phriſingenſis Eccleſiæ præſulem, qui res Germanicas haud imperite conſcripſit. Albertus Epiſcopus Moguntinus, qui Fuldenſe monaſterium erexit, cum religionem Chriſti perſuadere Phriſiis niteretur, ab eis interfectus, & martyrio coronatus eſt. Gens eadem ferox, & armis excitata, robuſti & proceri corporis, ſecuri atque intrepidi animi, liberam ſe eſſe gloriatur: quamuis Philippus Burgundiæ princeps eius ſe terræ dominum vocet. Reuera libera Phriſia eſt, ſuis vtens moribus: exteris nec parere ſuſtinet, neque dominari cupit, haud inuitus Phriſo pro libertate mortem appetit. Dignitas in hac gente militaris inuiſa. Sublimem virum, qui ſe cæteris efferat, non ferunt. Magiſtratus annuos eligunt, qui rem publicam æquo iure diſponant, fœminarum impudicitiam ſeuerius puniunt. Sacerdotes, ne aliena cubilia polluant, ſine coniuge non facile admittunt. Vix enim continere hominem poſſe, & ſuper naturam arbitrantur. In pecoribus omnis eorum ſubſtantia eſt: ager planus ac paluſtris eſt, multo gramine fœcundus, ligno caret; bituminoſo ceſpite & ſicco ſtercore boum ignes fouent. Ex hac gente tradit Cornelius Tacitus imperante Nerone duos legatos Romam veniſſe, Veritum ac Malorigem: qui Pompeii theatrum intrantes, cum vidiſſent quosdam cultu externo inter ſenatores ſedere, & intellexiſſent id honoris earum gentium legatis dari, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent; *Nullos mortalium aut armis, aut fide, ante Germanos eſſe*, exclamauerunt: ac digredientes inter Patres conſedere, ob quam rem ambos Nero ciuitate donauit. p. 73.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

DE HOLLANDIA, ET SELANDIA.

HOllandia quoque prouincia Germaniæ ad ſeptentrionem Oceano alluitur mari: quod reliquum eſt, Rheni fluminis brachia intercipiunt, inſulamque conficiunt, paluſtris, paſcuoſa, pluribus ſtagnis ac maris interfuſa finibus. Nec deſunt, qui Traiectum nobilem vrbem in Hollandia ſitam dicant, nobis haud alienum eſſe videtur, aliquando Phryſiæ Traiectenſes, aliquando Hollandiæ traditos eſſe: vt ſæpe regionum terminos dominantium imperia mutant, noſtra quidem ætate neque Phryſiæ neque Hollandiæ dantur. Principatus Eccleſiæ Traiectenſis Imperatori tantum ſubiicitur, latamque poſſidet terram, diuerſis Rheni meatibus intercluſam, cui ab oriente Phryſia, à meridie Weſtfali iunguntur, Hollandia Septentrionem excipit, ab occidente ducatus Geldriæ (de quo ſuo loco dicemus) Rheno flumine diſiungitur. Imperitiſſime vero (ne dicam fallaciſſime) nonnulli ætate noſtra Traiectum Galliæ nationis ciuitatem eſſe dixerunt, cum de Pontificis ageretur electione. Nam quo pacto Traiectum Galliæ dabimus, trans duo Rheni brachia ſitum? quando & qui cis Rhenum habitant, Colonienſes, Cliuenſesque, conſtat eſſe Germanos. Traiectenſium quippe ſitus, mos, ſermoque Germanicus eſt. Traiectum diues & populoſa ciuitas eſt. Epiſcopus vrbis quadraginta millia pugnatorum, ſi quando neceſſitas ingruit, educit ab bellum, forma viris ac mulieribus egregia. Ab exterorum incurſu & aquarum inundatione, & propria virtute defenduntur: potus genti cereviſia, vinum mercatores afferunt. In ea ciuitate memoria noſtra multæ ſeditiones fuere, cum Epiſcopum vni parti acceptum, altera recuſaret. Deſiderius aliquando quietum Epiſcopatum tenuit, deinde à ciuibus electus, Romani Pontificis & vicinorum Principum aduerſus rebelles ſubditos auxilia implorauit, illi Dieſoldium quendam contra ius fasque ſibi præſulem aſſumpſere, Martinus Pontifex Maximus anathema in eos promulgauit. Contempſere Eccleſiaſticum gladium obſtinati homines: experiri arma oportuit: ingentes Burgundorum ducis vicinorumque Principum copiæ aduerſus Traiectenſes ductæ infeliciter pugnauere. Victor contumax populus ſeptem annis Eccleſiæ mandata contempſit. Deſiderius in exilio obiit. Canonici qui propter eum patria pulſi fuerant, Walramum Morſenſem, archiepiſcopi Colonienſis germanum, ſucceſſorem elegerunt. Agitata in Concilio Baſilienſi cauſa, confirmata electio: iterum damnata in ſynodo Traiectenſium rebellio: iterum fruſtra pugnatum. Poſtremo miſſus ab Eugenio legatus Joannes Coſoronenſis * epiſcopus: qui poſtea ad Cardinalatus honorem vocatus, Morinenſis appellatus eſt. Cum retuliſſet vnicam pacandæ prouinciæ viam eſſe, Dieſoldio ignoſci, eique gentis præſulatum committi, excuſo Walramo, rebelli populo ſatisfactum eſt, pulchre ſane nullæ victis leges fauent, ſacroſque Canones potentia vincit. Voluerunt Caliſti quoque imperium eludere Traiectenſes, qui mortuo Dieſoldio, Epiſcopum ab eo datum recipere recuſarunt. Sed apparatibus Philippi Burgundiæ Ducis ac potentia territi, & primis conatibus infeliciter niſi, furore depoſito paruerunt.

* al. *Cæſarienſis.*

p. 74. Vltimi Germanorum ad Septentrionem & occidentem verſi Hollandini * ſunt, inſulares populi, Rheni oſtiis obiecti: inter quos præcipue Dordracenſes * habentur. Ea ciuitas eſt egregie munita, diues opum, negociationique maxime accommoda: cuius haud paruam partem anno ſuperiore incendium abſumpſiſſe relatum eſt. Incuriâ ciuium id euenisſe conſtat: quanquam pleraque miracula referuntur, quæ prætereo, quia non ſatis digno teſtimonio comprobantur. Eſt & Brielum oppidum non ignobile, aquis circundatum: in quod etiam mercatores multi nauibus applicant.

* *Sic ex Baſilienſi editione Operum Sylvii emendans, cum antea legeretur Selandrini, ad quos neque Dordracum neque Brielum quadrat.*

* *al. Middelburgenſis.*

CAPUT XXIX.

DE WESTPHALIA.

NOn tranſibo nunc Rhenum, Germanicas, quæ ibi habitant gentes, commemoraturus: Dabitur ſuo loco de his quoque dicendi facultas. Proſequar

vetetis ac certæ Germaniæ populos : & qui iunguntur vel Traiectenſibus, vel Phriſiis ad meridiem, expediam. Weſtphalia Rheno fluuio ab occidenti clauditur, Viſurgi ab oriente, quem Veſeram hodie vocant : à Septentrione Phriſiam habet & Traiectenſium terram ; meridiem Haſſiæ montes excipiunt, quos Abnobos Ptolemæus appellare videtur : ex quibus Amaſis fluuius oritur, qui Padeburnam & Monaſterium non ignobiles ciuitates alluens, mediam ferme prouinciam interſecat, & per Phriſiam defluens fertur in mare. Sala quoque fluuius Weſtfaliam irrigat : inter quem & Rhenum cum Druſus Germanicus belligeraret, domitis hoſtibus victor oppetiit. Quomodo autem cultores huius terræ vocauerit antiquitas, difficile dictu eſt, diſcordantibus auctoribus. Strabo vicinos Rheni accolas hoc loco Sycambros appellare videtur : qui duce Milone cum Romanis bella geſſere, victique datis obſidibus pacem obtinuere, quamuis calcata fide ac proditis obſidibus rebellarunt. Ptolemæus quoque à parte primum ſeptentrionali Germaniæ circa Rhenum fluuium Buſſactores habitare tradit, Paruos appellatos, Sicambros, Oquenos, & Longobardos, inuenio apud Strabonem circa Amaſim fluuium Bructeros habitaſſe, quos Druſus nauali prœlio ſuperauit. Bructeros autem bello victos ab Auſtro in Aquilonem, & Oceanum dilapſos, ob quam rem coniecturam capere poſſumus hos eſſe, qui hodie Pruteni appellantur, Aquilonares populi : de quibus ſupra diximus, facile namque Bructeros in Prutenos ſermo conuertit. Carolus Magnus multa cum Weſtfalis prælia geſſit, eoſque magnis affecit cladibus, coegitque Chriſti religionem amplecti, relicto idolorum cultu : quam quum ſæpius abnegaſſent, nec iusiurandum aduerterent, ut metu pœnæ rebellionem compeſceret ; occultos inſtituit Iudices, quibus poteſtatem dedit, vt quamprimum deieraſſe aliquem comperiſſent, aut fregiſſe fidem aut aliquod aliud flagitium commiſiſſe, mox illum ſupplicio afficerent, vbi primum comprehendo poſſet, nulla citatione præuia, aut deſenſione præmiſſa. Elegit viros graues, & recti amantes, quos plectere innocentes haud veriſimile fuit. Terruit ea res Weſtfalos, ac demum in fide continuit : cum ſæpe in nemoribus & proceres & mediocres viri laqueo ſuſpenſi inuenirentur, nulla accuſatione prius audita. Quærentibus tamen cauſam, conſtabat fregiſſe fidem, aut magnum aliquod ſcelus commiſiſſe, qui necati reperiebantur. Id iudicium vſque ad noſtram perdurat ætatem, vocaturque vetitum. Qui ei præſunt, Scabini appellantur : quorum ea præſumptio eſt, vt per totam Germaniam iuriſdictionem extendere velint. Secretos habent ritus, & arcana quædam, quibus malefactores iudicant. Ea nondum quiſquam repertus eſt, qui vel precio vel metu reuelauerit. Ipſorum quoque Scabinorum magna pars occulta eſt : qui per prouincias diſcurrentes eriminoſos notant, & referentes iudicio occuſant, probantque vt eis mos eſt, damnati deſcribuntur in libro & minoribus Scabinis committitur executio. Reus ignarus ſuæ damnationis, vbicunque repertus fuerit, ſupplicio afficitur. Degenerauit autem hoc iudicium : nam & viles aliquæ perſonæ admittuntur, & ciuilia negocia tractare audent, quibus erat ſolum de criminalibus permiſſa poteſtas. In hac prouincia noſtro tempore Suſatenſes ab Eccleſia Colonienſi deſciuere : nec diutino vexati bello, multiſque cladibus affecti, & obſidione pertinaciſſima oppugnati, ad obedientiam rediere. Cuius rei cauſa & Theodorieus Colonienſis antiſtes (qui Weſtfalorum princeps habetur) & Ioannes Dux Cliuenſis, non paruis inter ſe odiis contendere : cum Suſatenſes ad Cliuenſium opem confugiſſent, Colonienſis Saxoniæ duces & non paruam Bohemorum manum in auxilium accerſiſſet. Apud Monaſterium quoque eiuſdem prouinciæ ciuitatem, propter Eccleſiam quam Valramus Theodorici frater ſibi debitam exiſtimabat, acriter dimicatum eſt, in quo bello multis hoſtium cæſis, vnus ex principibus Brunſuicenſibus, qui dux copiarum fuit, interceptus eſt & in poteſtate Colonienſis antiſtitis factus. Eſt autem Weſtfalia regio admodum frigida, neque frumenti abundans : pane vtuntur nigro, cereuiſia potus eſt. Vinum quod Rheno vehitur, magno emitur pretio : opulenti tantum eo vtuntur, idque raro, populus Martialis eſt, & ingenioſus : de quo pro-

Pruteni.

Weſtphalica iuſtitia.

Suſatum.

p. 75.

uer-

nerbium esse dicunt, *Vitiosos ac fallaces Westfaliam facilius quam stultos gignere.* Hic quoniam Theodorici mentio incidit, non est ab re pauca de eo referre, cui inter viros Illustres nostri sæculi nemo locum negauerit. Origo eius ex familia Morsensi, apud Germanos principes honoratissima. Fratres tres habuit; qui omnes supra sexagesimum annum vixere. Henricus natu maior paternum principatum gubernauit: Ioannes Monasterienſem Ecclesiam multis annis, usque ad exitum vitæ summa cum laude administrauit: Walranius & ad Traiectensem Ecclesiam & ad Monasterienſem defuncto fratre nequicquam aspirauit: quamuis ad Traiectum concilii Basilienſis fauore, & ad Monasterienſem Nicolai pontificis institutione vteretur. Theodoricus ipse cum Bononiæ iuri pontificio operam daret, à Ioanne 23. summo pontifice Colonienſem ecclesiam obtinuit: cui iam 17. annos non sine plebis ac nobilitatis magno fauore præfuit. Qui & si plurima pro defensione Ecclesiæ suæ vario eventu bella gessit, in quis modo strenui militis, modo fortissimi ducis officium impleuit, nunquam tamen domi aut sacerdotalia munia aut ciuilem administrationem neglexit. Corpore pulchro, & supra communem staturam eminenti, animo magno & perliberali: cuius palatium illustribus semper hospitibus patuit. *Theodoricus archiepisc. Colon.*

CAPUT XXX.

DE HASSIA.

INTER Westfalos ac Francones Hassia iacet, montana regio: quæ à Rheno in Septentrionem porrecta Thuringiæ iungitur. Princeps gentis Ludouicus Landgrauius ætate nostra ad imperium vocatus, *Imparem se esse dixit, qui tantæ rei molem sustinere posset.* Maluitque paruo imperio à parentibus sibi relicto vtiliter præesse, quam magnum accipiens dissipare. Id quoque sibi obstare ad rem Christianam gerendam dixit, quod literas ignoraret. Fuit tamen legum cultor, quas sibi proprio sermone exponi iussit, quotiens coram eo causa ventilata est: nec vnquam compertus est iniquam tulisse sententiam. Hic dum reformaturus monasterium quoddam suæ ditionis ingreditur, & inuitatus cum Monachis edit, venenum procibo inter edendum sumpsisse creditus est. Nam & ipse & Abbas, qui reformationem petierat; paulo post extincti fuerunt.

CAPUT XXXI.

DE FRANCORUM ORIGINE ET FRANCONIA.

FRANCONIA * huic succedit, nobilis sane prouincia, & admodum potens: ab incolatu Francorum sic appellata. Franci quidem Troiani ob origine fuerunt: qui deleto Ilio duce Priamo magni Priami ex sorore nepote, per pontum Euxinum & Meotidas paludes in Scythiam peruenere, ibique ciuitatem ædificarunt, quam vocauere Sycambriam: ex qua dicti Sycambri. Constat enim, post euictam incensamque Troiam qui superfuerunt excidio, in tres turmas diuisos in exilium profugisse & alios quidem Ænea duce Italiam petiuisse, à quibus Albani prodierunt, & deinde Romani, qui orbis imperio potiti sunt. Alii sub Anthenore per medios Achiuos elapsi, Illyricos penetrauere sinus, & regna Liburnorum ad intimum Hadriaticum pelagus accessere, Vrbemque condidere Patauium: vbi sepultum Anthenorem tradunt, qui Henetam fugas * secum duxit, à quibus postea dicti Veneti, quorum est hodie ingens potestas terra marique. Tertii (vt diximus) in Scythiam penetrarunt. quo in loco in magnam gentem coaluerunt. CumqueScytharum multiRomano imperio subiecti essent, & ipsi quoque tributa penderent, manseruntque vectigales vsque ad tempora Valentiniani Cæsaris. Quo imperante Alani Imperium vexare cœperunt. Imperatorvero proposito edicto libertatem in decennium eis promisit, qui Alanorum ferocitatem compescerent. Allecti eo præmio

* *al. Franconia.*

* *al. fugiens.*

mio Syeambri arma ſumpſerunt, Alanoſque bello victos deleuere. Ob quam rem libertate in decennium ab Imperatore donati ſunt, & mutato nomine Franci appellati: quod Attica lingua ſiue feroces, ſiue nobiles ſonat. Itali Francos liberos vocant. Exacto decennio, cum Romani ſolita tributa repeterent, Franci ob ipſam libertatem effrenes facti, parere recuſauerunt. p. 76.

Principes eo tempore Francis fuere Priamus, & Anthenor, antiqui nominis ac virtutis, quibus copias ductantibus, prælium cum Romanis conſertum eſt; in quo Priamus ipſe cum fortiſſimis ſuæ gentis cecidit. Qui cladi ſuperfuerunt, ex Scythia digreſſi ſunt, & in Germaniam profecti in partibus Thuringiæ conſederunt, cum principibus ſuis Priami & Anthenoris filiis Marcomede ſcilicet & Sunone. Suno ſine liberis deceſſit. Marcomedi filius fuit Faramundus, quem ſibi Franci Regem creauerunt: & hic primus inter Francos regnauit. Huic fuit filius Clodius * Crinitus, à quo Francorum Reges Criniti ſunt appellati. Per idem tempus Gothi, qui iam vrbem Romanam irruperant, ultra Ligerim fluuium in Gallia ſedes inuaſerunt. Burgundiones quoque iuxta Rhodanum habitabant, qui & ipſi paulo poſt reges habere cœperunt. Franci vero tranſmiſſo Rheno Romanos, qui ea loca tenebant, fugauerunt: paulatimque aucti potentia, Maguntinam, Treuerim, Agrippinam hodie Coloniam, ſuper Rheno fluuio, Tornacum, Cameracum, Remos, Sueſonam, Aurelianum inuaſere: ita ut ab Aquitania vſque in Baioariam imperium extenderent. Clodoueo autem mortuo Meroueus ſucceſſit filius, à quo Franci Merouingi dicti ſunt. Poſt Meroueum Hildericus regnum adeptus, dum luxurioſe viueret, à ſuis pulſus eſt Egidio Romano in eius locum ſuffecto. Hildericus regno priuatus, ad Biſinum Thuringiæ regem confugit, cuius coniugem per adulterium polluit, poſt octo autem annos reuocatus, Agrippinam inuadens, electis inde Romanis magnam regni ſui partem recuperauit. Mortuo autem Egidio filius eius Syagrius in ciuitate Sueſona regnauit. Biſina autem regina cum accepiſſet, Hildericum regnum recuperaſſe, relicto viro ad eum confugit: à quo recepta, & pro coniuge habita, Clodoueum ei peperit. Qui poſtea regnum adeptus primus Francorum Regum Chriſti religionem accepit, à beato Remigio epiſcopo baptizatus. Illud autem veritate caret, quod plerique tradunt, Agrippinam ab incolatu Francorum vocatam Coloniam.

* al. Clodoueus.

Colonia Agrippina.

Nam priuſquam Franci Germaniam intrarent, Colonia Romanorum appellata eſt, à Claudio Cæſare condita, & ab eius coniuge Agrippina nuncupata. Fuerunt inter Clodoueum ac Syagrium aliquot bella: poſtremo victus Syagrius, ad Alaricum Gothorum regem confugit, qui nonus à magno Alarico regnabat. Repoſcitur à Clodoueo Syagrius, atque obtentus occiditur: Romani quoque reliqui per Galliam habitantes exterminantur. Clodoueus Alemanos ſibi ſubiecit: Gothis quoque & Aquitanis bellum indixit, eoſque ſuperauit, occiſo Alarico Rege. Fertur cum ad bellum progrederetur, ſi victor euaderet, equum beato Martino vouiſſe, qui duodecim & centum annis ante id tempus vita exceſſerat. Victoria potitus equum tradidiſſe, eumque centum ſolidis redimere voluiſſe. Stetiſſe equum immobilem, donec precium duplicaretur. Qua ex re dixiſſe Regem ferunt: *Martinum bonum auxiliatorem eſſe, negotiatorem carum.* Hic Clodoueus uxorem duxit Clodoſindam filiam Regis Burgundionum: quæ cum eſſet Chriſtiana, adhuc ei pagano iuncta eſt, magniſque precibus virum orabat, ut baptizaretur: natoſque filios clanculum baptizabat. Cauſa autem quæ Clodoueum Chriſtianum fecit, eſſe fertur; quia quum pugnaret contra Sueuos, & pene victus eſſet, votum vouit, *Chriſtianum ſe facturum, ſi ex prælio euaderet,* ob quam rem mutata fortuna, ex victo victor factus, ſubactis Sueuis Chriſtianæ religioni ſe credidit. Cuius poſteri in Francia vſque ad Pipinum nonum patrem Caroli magni regnauerunt. Tunc vero Hilderico ſecundo per ignauiam regnum ademptum eſt: detonſo enim eo, & in monaſterium retruſo Pipinus regnum accepit. Erant tunc in Francia Maiores domus, qui regnum gubernabant. Anno Domini ſeptingeteſimo decimo, mortuo Dagoberto minore Francorum Rege, filius eius paruulus

in

in tutela Pipini groſſi (quem alii Ansgiſi filium dicunt) in tutela fuit, & per inſidias periit. Tunc Grimoaldus filius legitimus Pipini groſſi, regnum vſurpans, à conſanguineis Dagoberti Regis defuncti captus, in cuſtodia obiit. Per idem tempus Galli, qui intra Sequanam & Ligerim fluuium habitabant, adverſus Francos bella mouere: & uſque Magunciam excurrentes, eam ciuitatem obſederunt.

Franci Rege carentes Carolum Martellum ad regnum ſublimare voluerunt. Qui regnum renuens, Ducatum accepit: Gallosque bello repreſſit. Prouinciam vero inter Ligerim & Sequanam, quæ tunc Gaudina vocabatur, à ſe Carlingam vocari iuſſit: quod poſtea apud Teutonicos diu ſervatum eſt. Hic Carolus ex
P. 77. Adelheida * nobili concubina Pipini groſſi filius fuit, inclytus vir & bello potens: qui multa Sarracenorum millia gladio interemit, & pater fuit Pipini Nani, qui Carolum magnum genuit Imperatorem toti orbi cognitum, ex coniuge Berta, quam duxit ex Græcia. Hoc ergo Francorum genus, cum è Scythia in Germaniam veniſſet, ibique diu conſediſſet, Germanicum effectum eſt, & terram ipſam primo à ſe habitatam Franciam appellauit. Verum cum referet imperium, ita & Francia aucta eſt, adeo vt tota ferme Gallia, & magna Germaniæ pars, à montibus Pyrhenæis vſque ad Pannoniæ terminos Francia diceretur. Nam quicquid ſuberat, Francia vocabatur. Ea in duas partes diuiſa fuit. Nam quod eſt Galliæ occidentalis Francia dicebatur: quod eſt Germaniæ, orientalis. Et Germaniam quidem eatenus extenderunt, quatenus ſermo Germanicus protenditur. * al. Aphrida.

Hæc gens ſub Carolo Magno Romanum Imperium meruit: qui afflictam Longobardico bello ſedem Apoſtolicam conſolatus eſt. Carolus enim quamuis Galliæ potiretur imperio, Germanus tamen fuit in Germania natus alitusque. Cuius ſedes plerumque in Aquiſgrano fuit, quæ ciuitas Teutonica eſt: ibi palacium eius & caput oſtenditur. Eius poſteri imperium tenentes in Gallia & in Germania regnauerunt. Deficiente autem maſculina linea, imperium ad Germanos, id eſt ad Francos orientales rediit: inter quos primus habitus eſt Otho. Eſt autem Imperium apud Germanos non eo modo, vt nemo imperare poſſit niſi Germanus: ſed quoniam eligendi Imperatorem auctoritas Germanis tradita eſt, plerumque Germanus eligitur. Eam ob cauſam cum vacaſſet Imperium per obitum Ludouici Boſonis filii, Germani, quorum ea poteſtas erat, Germanum elegerunt; & Francum ex orientali Francia. Hæc præmiſiſſe voluimus, quoniam de Franconia ſermo incidit. Sunt enim multi, qui Francos eos ſolummodo eſſe volunt, qui circa Pariſios habitant, & illis datum Imperium eſſe volunt: quos rectius Francigenas quis appellauerit. *Francigenæ.*

Franconia vero, vt noſtra ætate recipitur, à meridie Sueuis & Baioariis iungitur, ab occaſu Rheno, ab ortu Bohemis ac Thuringis: Septentrionem iidem Thuringi Haſſique excipiunt.

Prouinciam perlabitur haud ignobilis amnis, quem Moganum vocant. Ptolemæus hunc fluuium Obrineam appellare videtur: qui ſuperiores Germanos ab inferioribus eundem diuidere affirmat: neque enim alius fluuius eſt, qui eam diuiſionem aptius quam Moganus efficere poſſit. Et hodie quidem inferiores Germani vſque ad Maguntiam procedunt: abinde ſuperiores vocantur. Moganus vero ex montibus Bohemiæ ortus à regione Maguntiæ in Rhenum exoneratur: ob quam rem non defuerunt, qui Maguntiam Moguntiam à Mogano fluuio dici crederent. Petlabitur idem fluuius non paucas ciuitates: quarum illuſtriores ſunt Herbipolis, Francofordia. In Herbipoli nobilis Epiſcopi ſedes eſt qui & Francorum Dux habetur, & cum rem diuinam facit, gladium in altari nudum ante ſe habet. Francofordia nobile emporium eſt. In quo ſuperi cum inferis Germani conueniunt, bis ſingulis annis. Ibi quoque Imperator eligitur ex veteri conſuetudine: ob quam rem palam eſt, Imperium datum eſſe Germanis, quando inter eos eligitur, & coronatur, & ſi demum ad culmen gloriæ Romæ quoque diadema ſuſcipit. Eſt & in Franconia nobilis eccleſia Bambergenſis, ad Pognitium * amnem ſita: quam fundauit Henricus ſecundus Imperator, quem accolæ reli- *Mœnus.* *Herbipolis Francoford.* * al. Regnitium.

gioſe colunt & ſanctum habent. Ibi quoque Berengarius ſepultus eſt: qui regnum Italiæ vſurpauit, & ab Othone primo captus, in Germaniam ductus, illic exulans obiit. Supra ciuitatem in ædito monte Arx eſt, & natura & arte munita, *Bamberg.* in qua nos aliquando cum Epiſcopo loci prandium fecimus. Albertus nobiliſſimus Francorum Comes, & Othonis Saxoniæ Ducis ex filia nepos, cum Conradum comitem occidiſſet, qui Ludouici Regis fuiſſe filius dicebatur; in hanc ſe arcem contulit, & aliquandiu Regis obſidionem pertulit. Difficilis expugnatio loci videbatur: ob quam rem ad dolos recurſum eſt. Otho Epiſcopus Moguntinus miniſter ſceleris inuentus eſt: qui profectus ad Albertum, litis arbitrum ſe dixit. Rogauitque Albertum, ad imperatorem in caſtra deſcenderet: quia vel pacem ei daret, vel in arcem reduceret incolumem. Credidit Albertus, & accepta iurisiurandi religione Othonem ſecutus eſt.

Vix arcem egreſſi erant, cum Otho, *Vereor*, inquit, *ne diu apud Imperatorem morari oporteat. Vtilius fortaſſe conſilium erat, prius ſumpſiſſe cibum.* Laudauit Albertus verba præſulis, & in caſtellum rediens Othoni prandium dedit.

Quo ſumpto ad Imperatorem cum eo perrexit: vbi mox captus eſt, & capitali ſententia damnatus. Cui Archiepiſcopi fidem imploranti, reſpondit parum p. 78. religioſus pontifex, *ſe fidei ſatisfeciſſe: qui ſemel reduxiſſet incolumem, cum ad prandium introiuit. Bis reducere non promiſiſſe*, infelix Albertus gladio obtruncatus eſt. Melius Romani, qui pari fraude vſum vnum ex captiuis ab Hannibale Romam miſſis, vinctum remiſere, fraus enim (vt inquit Maximus orator) aſtringit periurium, non ſoluit. Prædia quæ Albertus habuit, Eccleſiæ Bambergenſi poſtea ceſſerunt. Eſt autem Franconia partim plana, partim montoſa, montes ipſi haud difficiles ſunt, ager non admodum pinguis: nam plerumque arenoſus eſt, multis in locis conſiti colles vineis, gratum producunt vinum: maxime vero apud Herbipolim. multæ ſyluæ, & multa venatio eſt. Terra in multos partita eſt dominos. Quamuis Epiſcopum Herbipolenſem Ducem Franconiæ dicant (vt ante relatum eſt) Moguntina eccleſia, & Bambergenſis plurima obtinent loca: Palatinus quoque Comes haud paruam occupat partem. Marchiones potentes in ea ſunt. Multæ præterea ciuitates Imperiales apud Francones florent. De Norimberga dubium eſt, Franconiæ an Baioariæ cedat. Ipſum nomen indicat ad Baioarios vrbem *Norimberg.* pertinere: Norimberga enim Noricum montem ſignificat, ob quam rem patet Noricorum ciuitatem fuiſſe. Norici autem Baioarii ſucceſſere: & nunc ea portio terræ Baioariæ, quæ inter Danubium & Norimbergam iacet, Noricum appellatur.

Ciuitas tamen in parochia Bambergenſi eſt, quæ ad Francones pertinet. Ipſi Norimbergenſes nec Baioarii, nec Francones videri volunt, ſed tertium quoddam ſeparatum genus. Vrbs ea nobilis, magnificis operibus, publicis ac priuatis ornata eſt, amne Pegnitio interlabitur, in agro ſterili & arenoſo condita: atque ob eam rem induſtrioſo populo. Omnes enim aut opifices ſunt, aut negotiatores. Hinc multæ illis diuitiæ, & magnum in Germania nomen.

Aptiſſima Imperatorum ſedes, libera vrbs, & in medio ferme Germaniæ ſita. In- *Forchem.* ter Bambergam & Norimbergam Forchem iacet, famoſum niueo pane oppidum: incolæ patriam fuiſſe Pilati falſo putant, in hac prouincia Fridericus Marchio Brandenburgenſis potentiſſimus fuit. Imperatori Sigiſmundo inter caros amicos habitus: ei quatuor filii fuerunt, Joannes, Fridericus, Albertus, & alter Fridericus. Joanni, qui primogenitus eſſet, Electoratus Imperii debebatur: ſed iudicium patris Fridericum prætulit, qui ſecundogenitus erat & aptior ad obeunda Imperii munera videbatur; prius itaque quam moreretur hæreditatem ſuam inter filios diuiſit, Fridericum Electorem inſtituit: neque male iudicauit. Nam Fridericus inter principes Germaniæ ſapientia clarus habitus eſt, cuius conſilio multæ ſæpe prouinciæ pacatæ ſunt: Juſti quoque ac honeſti tenax habetur. Qui cum poſſet regnum Poloniæ conſequi per electionem Baronum, recuſauit (vt ante diximus) ne vero hæredi iniuriam faceret. Albertus vero germanus eius cum Norimbergenſibus bellum intuliſſet omnes ferme Teutonicæ principes ad ſe traxit: ciuitates ve-

to

ro Norimbergenſibus ſuppetias miſere. Graue id & atrox bellum fuit: in quo tot potentiæ concurrentes, infenſiſſimis odiis biennio certauere. Nouem prælia commiſſa feruntur: ex quibus octo victor Albertus confecit, in vno tantum victus ſuccubuit: nec de pace conuenit, niſi poſtquam exuſtis agris, attritis villis, abactis pecoribus, ruricolis interfectis, commeatus ac pecuniæ contendentibus defuere.

Tum quoque pax ex Alberti ſententia magis dicta. Hic Albertus ab ipſa pueritia ac teneris (vt aiunt) vnguiculis educatus in armis, pluribus interfuit prælis, quam alii ſui temporis Duces aut viderint aut legerint. Militauit in Polonia, pugnauit in Sleſia, Caſtra poſuit in Pruſſia, hoſtes in Bohemia fudit, ſtipendia in Auſtria fecit, prædas ex Vngaria tulit. Nullus in Germania terræ angulus, quem non calcarit armatus: duxit exercitus innumerabiles, proſtrauit ferociſſimos hoſtes, expugnauit munitiſſimas vrbes. In congreſſibus pugnam prior iniit, victor à prælio exceſſit vltimus, in oppugnationibus oppidorum ſæpe murum primus aſcendit. Ad ſingulare certamen crebris vicibus inuitatus nunquam detrectauit: nec vnquam non ſtrauit hoſtem. In militaribus ludis, quibus haſta contenditur, vnus omnium repertus eſt, qui nunquam equo deiectus ſit, & omnes in ſe currentes deiecerit.

Ex torneamentis nunquam non victor exiuit. Septies ac decies ſolo tectus clipeo ac galea, cætera nudus (vt eſt apud Teutonicos duelli quædam ſpecies) in prouocatores pariter armatos, acuta lancea cucurrit: nullo vnquam damno affectus, cum aduerſarios nunquam ipſe non equo deturbauerit. Quibus ex rebus non iniuria Teutonicus ACHILLES appellatus eſt: in quo non ſolum militares artes, & imperatoriæ virtutes ſingulari quadam gratia reluxere; ſed nobilitas quo- p. 79. que generis, proceritas corporis, ac venuſtas, & virium robur, ac facundia linguæ, admirabilem eum ac pene diuinum reddidere. *Teutonicus Achilles.*

CAPUT XXXII.

DE BAVARIA.

BAIOARIA ad ortum æſtiuum, ac meridiei partem Franconiæ proximat. Ea quoque perlata & diues terra eſt. Cui ad meridiem alpes Italiæ iunguntur, Sueui decidentem eius Solem recipiunt. Auſtrales orientem, ac Bohemi Septentrionem. Danubius mediam ferme petlabitur inter Auſtriam ac Baioariam: alii Anaſum, * alii Enum terminum poſuere: Sueuos à Baioariis Lycus diſterminat amnis, hanc olim regionem Norici tenuere, cuius adhuc portio media inter Ratiſponam & Norimbergam trans Danubium ſita (vt ante diximus) Noricum appellatur. Baioarii autem vnde dicti ſint, & vnde originem traxerint, non facile dixerim. Verum cum reperiam vetuſtiſſimos codices Baioariam appellare, quam moderni Bauariam dicunt; non difficile trahor, vt Baioarios à Bois dictos, & Gallicam fuiſſe olim gentem credam, huic opinioni Strabo v. commentarior. vires adhibet, ita inquiens: *Priſcis igitur (vt dixit) temporibus plurima Gallorum gentes fluuium incolebant* (de Pado loquitur) *è quibus ampliſſimi fuerant Boy, Iſubres, & qui olim cum Geſatis Senones Romana per impetum potiti ſunt vrbe.* Hos Romani poſterioribus annis funditus deletos perdiderunt: Boios vero è finibus eiecerunt, idem migrantes circumadiacentes Hiſtro locos cum Tauriſcis habitarunt, bellum aſſidue contra Dacos agentes. Conſtat igitur Boios in Pannonia conſediſſe: quo ex loco facile ſucceſſu temporis in Noricum, conterminam regionem, migrare potuerunt. Idem quoque Strabo lacum, qui modo Conſtantienſis appellatur, deſignans, paululum ab eo diſtare Rhætos alt, amplius Heluetios, & Vindelicos: Poſt Vindelicos autem deſertam Boiorum regionem eſſe affirmat vsque Pannonios: ob quam rem ſatis indicat Baioariorum terram à Boiis cultam fuiſſe. * *al. Iſaram.*

Idem Strabo Germaniam deſcribens, Boios prius Herciniam habitaſſe ſiluam aſſerit; & Cymbros agmine facto eorum inuaſiſſe locum, atque à Boiis reiectos fuiſſe. Itaque ſatis perſuaſum eſſe poteſt, Baioaricum nomen ex Bois deſcendere, ager enim eorum trans Danubium Herciniam ſiluam non parua ex parte occupat. Ea nunc Germanica gens eſt ſermone vtens Teutonico: neque deſerta regio (vt Strabo tradit; quod ſuo fortaſſe tempore fuit) nunc cultiſſima eſt, magnas ac ambitioſas ciuitates habens, & oppida nobiliſſima, quorum ſplendorem neſcimus totâ Europâ, quæ vincere poſſint. Pontificales vrbes quinque in ea ſunt: quarum vna metropolitica eſt, Saltzburgam vocant ex flumine Salza cui adiacet. Veteres Juuauiam vocauere. In Baioaria Ludouicus Ludouici filius, gibbo & ſtruma deformis, impia contra patrem bella ſuſcepit: venerandumque ſenem; & auctoritate inſignem, qui quondam regnum Franciæ gubernaſſet, in arce munitiſſima obſedit: ſed ſuperis vltionem tanti ſceleris petentibus, prius febre percuſſus occubuit, quam patris animum in ſuam traheret ſententiam. Ille in poteſtatem Henrici eiuſdem familiæ ducis poſtea factus, breui tempore vitam finiuit. Nec Henricus diu ſuperuixit: qui cum prohibuiſſet ſubditos in anno Jubileo Romam petere, veritus ne prouincia pecuniis exhauriretur; eodem modo * ad patres ſuos additus eſt. Succeſſit ei Ludouicus filius ex ſorore Alberti Cæſaris natus, magni animi adoleſcens, gloriæ cupidus, & pecuniarum contemptor: qui Judæos omnes publice poſitis edictis à ſuis dominiis exterminauit; vxorem de Saxonia duxit; neptem Friderici Cæſaris. Multas Germaniæ lites auctoritate ſua compoſuit: quamuis ſæpe & multum conatus reconciliare Cæſari Ladislaum Regem nequiuerit. Albertus eius terræ ac familiæ princeps; poſtquam pater eius Erneſtus puellam balnei cuſtodem ab eo perdite amatam, & in ſpem matrimonii ſuſceptam, apud Straubingam Danubii fluentis demerſit; cum diu vitam in mærore peregiſſet, tandem luctu peracto vxorem de domo Brunſuicenſi duxit: ex qua ſobolem pulcherrimam ſuſtulit. Sub imperio Friderici podagra laborans, ſepoſitis cæteris curis, ſectatus muſicam aſſiduis cantibus ac ſonis animam oblectauit: interdum & venationi operam dedit. In Saltzburga (quam Metropolicam in Baioaria ſedem obtinere diximus) tres Archiepiſcopi fuere: quorum vltimus Sigiſmundus nomine, dum ſchismatis procella deſæuit, cum eſſet adhuc Præpoſitus, Romanam Eccleſiam magnifice iuuit. Sed Archiepiſcopus à Nicolao pontifice creatus, literas Apoſtolicas quibus cenſura in Auſtrales Imperatori rebelles fulminabatur, in Eccleſia ſua publicari non ſiuit: ſiue metu potentiæ illorum, ſiue quod anathemate ſuſpenſo pacem melius inueniri putauit. Ad quam componendam & ipſe deſcendens in Auſtriam, non paruam operam impendit.

* al. anno.

Saltzburg.

CAPUT XXXIII. p. 80.

DE RHENI TRACTV.

CIRCA Rhenum, qua flos Germaniæ noſtro tempore viſitur, inter Theodoricum Maguntinenſis eccleſiæ præſulem, & Ludouicum comitem Palatinum Rheni crebræ diſſenſiones fuere: & ſæpius ad arma ventum eſt, totaque circum regio rapinis atque incendiis vaſtata. Cum Maguntino Marchiones Badenſes ac Brandeburgenſes opem ferrent, Palatino Jacobus Treuerenſis antiſtes, & nonnullæ ciuitates aſſiſterent. Mortuo Ludouico Palatino, qui relictam Ludouici regis Cypri * vxorem duxerat, filium ex ea natum infantem adhuc Fridericus frater eius, conſentientibus terræ optimatibus arrogauit, gubernationem prouinciæ tanquam dominus accepit. Electorem Imperii ſe dixit, cælibatum perpetuum promiſit, ne arrogato filio, vxorem ducens, præiudicium faceret. Rogatus Nicolaus Pontifex quintus id genus adoptionis confirmauit: recuſauit Fridericus Imperator, ſæpe multumque requiſitus.

* al. Sicilia. Fridericus Palatinus.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

DE SVEVIA, ET MARCHIONATV BADENSI.

IN Sueuia Albertus Friderici frater Imperatoris, cum pluribus ciuitatibus variante victoria bellum gessit. Ab Vlmensibus ciuitatem Rotemburgensem litigando per sententiam obtinuit.

In Marchionatu Badensi princeps Jacobus, iustitiæ ac prudentiæ fama inter Germanos clarissimus, cum sibi ad humanam felicitatem solam literaturæ peritiam deesse angeretur, quos ex coniuge legitima liberos substulit, edisce re literas compulit: inter quos diuiso patrimonio, cum Carolo primogenito singularis industriæ iuueni Imperatoris Friderici sororem matrimonio collocasset, plenus annis haud inuitus è vita decessit. Tyrolenses qui valles Eni & Athesis fluminis incolunt, cum Sigismundum principem suum in tutela Friderici Cæsaris existentem, iam grandiusculum ad se remitti frustra petiuissent, sumptis armis præfectos prouinciæ, quos Cæsar instituerat, deiecerunt. Et cum Tridentini iussu episcopi, cuius erant subditi, in fide Cæsaris perseuerarent, cum exercitu eo peruenere: ciuitatemque metu perculsam proditione ceperunt, & arcem oppugnatione fatigatam ad deditionem compulere. Exin pactionibus cum Cæsare conuenientes, minori quam crediderant felicitate suum dominum obtinuere.

CAPUT XXXV.

DE HELVETIA.

SVITENSES montani & feroces populi, cum Turicenses ex fœdere, quod cum eis pepigerunt, desciuissent; comparato exercitu in eorum agrum cuncta vastantes exire: quibus cum Turicenses prælio congredi præsumpsissent, vsque ad internitionem cæsi sunt: tantaque Suitensium in victos hostes crudelitas ac rabies fuit, vt eo ipso in loco parte victoriæ epulantes, congestis necatorum corporibus, & mensalia & sedilia ex illis apparauerint, & aperientes hostium cadauera cruorem biberint, corda dentibus laniauerunt.

CAPUT XXXVI.

DE ALSATIA.

IN Alsatia, cui quondam Heluetia nomen fuit, tunc Gallici, nunc Germanici iuris prouincia, cum Ludouicus Delphinus Viennensis in agrum Basilienſem omnem ferme militiam Gallicam eduxisset, ingentemque metum Basilienſibus incussisset, Suitenses ex fœdere sociæ ciuitati quatuor millia militum lectissimæ iuuentutis auxilio misere. Quos cum Delphinus appropinquare animaduertisset, medium inter Basileam & Suitenses cum toto exercitu se opposuit, nec detrectauere illi certamen: quamuis pedibus pugnaturi, xxx. millia equitum stare contra se aciem cernerent, pugnatum est summis vtrinque viribus: ad extremum non tam victi, quam vincendo fessi Suitenses, nimis audaces præsumpti facinoris pœnas dedere. Nam paucis fuga dilapsis, obtruncati omnes in campo iacuere. Rarus tamen ex Suitensibus inultus interiit: ex quibus plures Gallorum reperti sunt, qui lanceis Suitensium perforati, ad obtruncandum hostem per medias hastas dilapsi, vindictam accepti vulneris expetiere.

Vide Æneam Syl. epist. 87.

p. 81.

CAPUT XXXVII.

DE OTHLANDIA.

IN Othlandia nobile oppidum, Friburgium vocant, in potestate domus Austriæ multis seculis fuit, sed cum Ludovico Sabaudiæ Duci tantam pecuniam deberet, quantam nec priuatim nec publice dissoluere ciues possent;

noſtra demum ætate, & dum Fridericus imperat, in jus Sabaudienſium factum eſt. Quo in loco & ſermo Germanicus terminatur.

ADDITIO EX VETERI CODICE.

PRomiſit Pius Æneas multarum rerum doctrina illuſtriſſimus, in exordio huius operis, ſe in lucem ponere res Europeas. Cumque dirimendas ſuis limitibus Germanie terras abſoluere nititur, ipſius Germania ſuperioris & inferioris florem omiſit. Nihil enim de Sueuorum antiquiſſimis Germanie populis ſcripſit, quos Strabo, Iuliuſque Cæſar in ſuis commentariis, in re bellica miris extollit laudibus: quorum terra hodie multis Eccleſiis Pontificalibus, celebratiſſimisque vrbibus eſt referta: Multi in ea amnes clariſſimi, Lycus, Neccarus, Argos, fontesque Danubii. Terra ferax tritici, vinetis ditiſſima, ingenioſiſſimo Martialique populo exuberans. Omiſit item vtraſque ripas Rheni, à fontibus ſuis vſque ad Coloniam Aggrippinam verſus: ripas (inquam) omnè ex parte vtrimque habitatas, maximis Pontificalium vrbium, Imperialiumque & Principum oppidis habitatas. Vbi terrá vberi gleba referta, frumenti, tritici, & multorum fructuum fœcundiſſima, vino adeo exuberat, vt cuncta pene interranea, Germania etiam inferior, & totus pene occidentalis Septentrio Rhenenſi vino ſe reficiat. Pontificales vrbes ſunt Conſtantia, celebratiſſimo Martini V. Concilio illuſtrata, Baſilea, Argentina, Spira, Wormatia, (quæ olim Vangiones) Moguntia, Confluentia, omnes ciuitates celebratiſſimæ, ante muralibus, pinnis, foſſatis, propugnaculis ſuperbæ. Populus humaniſſimus partim ſuæ vberi terræ, partim negotiationibus; Nobilitas vero venationibus intenta, in delitiis & voluptate maiorem vitæ partem agit. Præteriit vero eam Alemanniæ partem, quam Limagus fluuius (vulgo Lintmag dictus à quo Alemanni proprie dicti, cuius fontes in montibus Alpium Glareſis lacum Thuricenſem influunt, in Rhenumque exonerant. Terra hæc non ſolum Limago, immo aliis celebratiſſimis fluuiis, vt Ruſſa, Arari irrigatur; oppidis, caſtelliſque fortiſſimis exuberans, quarum Berna, Lucernæ, Duregum, Solodorum, præcipuas credimus; bellicoſiſſimus populus, quem hodie ligam Suitenſium vocant, quæ terrori eſt vniuerſis circumiacentibus regnis, breuique ſuum imperium mirum in modum dilatauit. Omiſit item Flandriam, Hannoniam, Brabantiam, terras diuitiarum negotiationumque celebritate perſpicuas: in quibus Brugis, Gandauum, Mechlinia, Antuerpia; quæ licet olim Gallia Belgicæ annumeratæ ſint, tamen Germanorum imperio dilatato, omnes Germanica lingua loquuntur, propter vicinitatem cæteras linguas etiam perita. Quod ſi cuncta ſuperioris inferioriſque Germaniæ famoſiora loca deſcribere niterer, magnitudine operis legentes tædio afficerem, quapropter breuitati inſiſtens, ſtudioſo cuique, quæ animum ſuum oblectant, legenda committo.

CAPUT XXXVIII.

DE SABAVDIA, EIVSQVE DVCE AMADEO.

Amadeus Sabaudiæ.

AMEDEUS in Sabaudia dux primus eius gentis, cum annis ferme XL. poſt patris obitum prouinciæ gubernacula tenuiſſet; & admirandus adaucto paterno imperio, parta undique pace formidandus, cumulatis opibus, ſapientia plenus vicinis populis ac principibus videretur; ac demum relictis principatus gloriæ faſcibus in heremum ſe recepiſſet; & ſumpta penula, ac retorto baculo, cum ſex viris equeſtris ordinis ætate etiam prouectis, mundo & pompis eius renunciaſſet: ad extremum ſummi Pontificatus honorem, ex Baſilienſi congregatione ſibi delatum in Eccleſiæ diuiſione, ſuperis parum fauentibus accepit, barbam totondit quam promiſſam nutriuerat: ducatum primogenito ſuo tradidit, Eccleſiaſticas ceremonias & orandi morem repente didicit: ſtipatuſque magna nobilium caterua, & illuſtri comitatu circumdatus, Baſileam pertexit: ubi ab iis, qui generale Concilium facere arbitrantur, in maxima populi multitudine, quæ undique ad ſpectaculum tantæ rei confluxerat, inter duos filios egregia facie adoleſcentes, alterum Sabaudiæ ducem, alterum Gebennarum comitem, ſolennibus pro more ſeruatis,

ſeruatis, tanquam Romanæ præſul Eccleſiæ coronatus eſt. Celebrauit ſæpe diuina, benedixit plebibus, officia curiæ ordinauit, Cardinales doctrina & auctoritate præſtantes aſſumpſit. Fuerunt ei cum Rege Franciæ Carolo, cum Alfonſo rege Aragonum (qui tum hoſtis Eugenii papæ fuit) eum Philippo duce Mediolani, cum pluribus aliis de recipienda eius auctoritate tractatus : qui omnes in caſſum abie-
p. 82. re. Fuit & Fridericus Imperator apud eum in Baſilea : ſed clam nocte intempeſta, ne adoraſſe idolum videretur, abiit. Reuerentiam ei, tanquam vicario Ieſu Chriſti ſubditi eius tantum & Suitenſes populi, & Baſilenſes, & Argentinenſes, & qui Alberto parebant Baioariæ duci, præbuerunt. Fuit enim magna ſpes obtinendæ Germaniæ : cum ſex principes Electores in eam ſententiam fœdus iniſſent, *Felix V. PP.* vt niſi Eugenius poſtulatis eorum annueret (poſtulabant autem res prorſus negandas) in Amedei, quem Felicem quintum appellauerunt, obedientiam tranſirent. Sed cum illorum conſilia Fridericus peruertiſſet, & qui ſub nomine Synodi Baſileæ degebant, abire iuſſiſſet ; deſperato meliori ſucceſſu, interueniente per legatos ſuos Carolo Franciæ Rege Eccleſiæ pacem dedit : & Nicolao pontifici maximo reconciliatus, relicto nomine Papæ, Cardinalatus honorem retinuit, in quo paulo poſtea non ſine boni viri opinione deceſſit, felix princeps & nimium felix, ſi ſenium ſuum eccleſiaſticis titulis non fœdaſſet. Bolomerus, qui eius quondam & primus & dilectiſſimus conſiliorum particeps fuerat, ingenteſque opes apud eum cumulauerat, cum nobilitatis odium incidiſſet, proditionis reus factus mortis ſententiam tulit, & in Lacum Lemanum circa Gebennam præcipitatus, magno ſaxo ad collum ſuſpenſo demerſus eſt. Nobilitas exinde noui Ducis indignationem ſubiens, ad Regem Franciæ confugit : cuius opibus adiuta in patriam rediit. Io- *Iob. Segobienſis* hannes Segobienſis homo Hiſpanus, moribus & doctrina illuſtris, qui cum ſummos Theologiæ præceptores doctrina æquaret, ab Amedeo dum ſe Papam dixit, Cardinalatus eminentiam acceperat, & deinde vnioni conſentiens, à Nicolao pon. max. Cardinalatus dimiſſo titulo, Cæſarienſi eccleſiæ præfectus fuerat ; in altiſſimis reconditus montibus paruo monaſteriolo contentus, vocatis ex Hiſpania legis Arabicæ magiſtris, librum quem vocant Alchoranum, & in quo Maomethis Pſeudoprophetæ non tam myſteria quam deliramenta continentur, in noſtram linguam de nouo conuertit, & ineptias* eius veris ac viuis rationibus & argumentis exploſit. In Arelatæ ad ſepulchrum Ludouici Cardinalis ſanctæ Ceciliæ eius vrbis Epiſcopi, quem Baſileæ in confeſſu patrum præſidentem vidimus, magna miraculorum opinio orta eſt, & inualidorum frequens vndique concurſus ſpe ſanitatis factus. ** al. mendacia.*

CAPUT XXXIX.

DE FRANCIÆ REGNO.

JOHANNES comes Armeniaci inceſto Germanæ ſororis amore perculſus, nuptias *Iohanna virgo.* eius tentare conatus, haud indignus exiſtimatus eſt, quem paterna hæreditate Carolus rex Franciæ armis eiiceret. In regno ipſo Franciæ, quod noſtra ætate Joanna virgo Lotharingenſis diuinitus (vt credunt) admonita, virilibus indumentis & armis induta, Gallicas ducens acies, ex Anglicorum manibus magna ex parte (mirabile dictu) prima inter primos pugnans, eripuit : cum iam Philippus Burgundiæ dux paternæ necis iniuria remiſſa, relictis Anglis ad Francos defeciſſet ; ingentes intet Carolum Regem & filium eius Ludouicum Delphinum Viennenſem contentiones atque inimicitiæ ſuccreuerunt. Carolus Andegauenſis eo tempore Delphini auunculus, apud Regem plurimum poterat, cuius potentiam cum Johannes Alanconii * dux ferre non poſſet, Borbonii quoque princeps, & frater eius ** al. Alenconiæ.* ſpurius Andegauenſem gubernationem ægris animis intuerentur ; Delphino vti à patre diſcederet ſuaſerunt : ſic enim fieri poſſe, vt Rex deſiderio filii Carolum à ſe reiiceret, regnumque quod in eius manibus peſſum ire videbatur, meliori conſilio regeretur. Quibus permotus Delphinus inſalutato patre ad Niuernenſes diſceſ-

diſceſſit: qua re comperta Rex comparato raptim exercitu in Alconium duxit, & expugnatis non magno negotio pleriſque munitionibus, ducem in deditionem accepit. Exin contra filium profectus, cum ciuitates Niuerniæ Delphinum aduerſus patris imperium tueri non auderent, eum vt à ſe abiret rogauerunt: ille in Borboniũ ſe recepit, nec diu poſt metuens dux Borbonii Regis iram, filium patri reconciliauit, quæ res fratri ſuo ſpurio haud bene ceſſit. Nam is paruo poſt tempore captus, in profluentem demerſus, violati paterni iuris in filium pœnas dedit. Intericcta deinde non longa temporis mora, Renatus à regno Siciliæ propulſatus, filiam ſuam Henrico Regi Angliæ in matrimonium collocauit: haud abnuente Francorum Rege, qui eo coniugio inducias belli ſibi ac regno ſuo ſalutares cum Anglicis plurimum annorum obtinuit. Quibus concluſis ſecurus iam domi Rex, ut Franciam militaribus ſpoliis atque incendiis diu agitatam tantiſper ſineret requieſcere, Delphinum cum magna parte copiarum ad Heluetinos (vt eſt ſupra relatum) dimiſit, ipſe cum reliquo exercitu in Lotharingos profectus Metenſem Tulenſemque agrum vexauit, oppidumque non parui momenti, quod Spinale vocant, dedentibus oppidanis ab Eccleſia Metenſi abſtulit. Exin p. 83.

* *al. Doforſi.* Franciſcus Aragonenſis capto furtim oppido Foſerſi, * quod in Normandia ſitum in poteſtate ducis Britanniæ fuit, duorum potentiſſimorum Franciæ ac Angliæ regum interrupiſſe pacem viſus eſt. De qua re dum miſſis vltroque legationibus contenditur, Flochetus non paucis equitibus à Rege Franciæ profectus, quadrigas fœno oneratas, in quo milites armati laterent, pontem arcis, quo Sequana fluuius iungitur (qui Normanos à Francia dirimit) edoctos ruſticos educere iubet, atque in medio pontis portæ arcis ſubſiſtere. Ipſe in inſidiis cum cohortibus ſignum expectauit: quo recepto, cum milites è fœno dilapſi portam inuaſiſſent, trucidatis cuſtodibus tam diu locum tenuere, donec Flochetus aduolans & pontem & arcem in poteſtatem recepit. Cuius rei percepto nuntio, & Rex ipſe per eundem pontem in Nortmanniam copias traiecit, & ex alia parte Franciſcus Britanniæ princeps exercitum duxit. Dux Somerſeti eam prouinciam pro Rege Angliæ cum

Talbotus. imperio tenebat. Qui poſtquam tanti belli molem in ſe verti cognouit; Talbotum copiarum ducem fama clarum, & rebus geſtis inſignem, Rothomagi apud ſe eſſe iuſſit, ſpetans eius conſilio atque armis ciuitatem, cuius nutare animos animaduerterat, in fide continere. Sed fruſtra eius conſilium fuit. Nam Rothomagenſes, poſt quam Regem appropinquare didicerunt, miſſis ad eum legatis, ſuam ac fortunarum ſuarum pacti ſalutem, exercitum intra vrbem recipere, & imperata facere promiſerunt. Quibus à Rege collaudatis, & domum cum præſidio militum remiſſis, vrbs Regi dedita eſt. Talbotus eum Duce ſuiſque omnibus in arcem ſeſe recepit: quæ cum oppugnari cœpta eſſet, interuentu Renati regis ea compoſitio facta eſt, vt Anglici quæ in Nortmannia retinebant, oppidis excederent: Dux ac Talbotus cum ſuis liberi eſſent. Sed cum præfecti oppidorum non parerent; Dux Somerſeti dimiſſis in arce Talboto, & duobus priuignis ſuis, clam receſſit in Angliam. Arx poſtea dedita eſt, & priuigni ducis cum Talboto in poteſtatem Regis facti ſunt. Talbotus vero cum eſſet clara apud omnes fama, quam non malis artibus ſed robore corporis & ingenii dexteritate in aperto Marte quæſiuiſſet, data fide quod aduerſus Francos deinceps arma non geteret, libere dimiſſus eſt. Hic anno Iubilæi indulgentiæ cauſa Romam venit (vt quidam putant) abſolutionem quæſiturus eius promiſſi, quod Regi Franciæ fecerat, mihi hoc minime compertum eſt: illud conſtat, Talbotum cum in Angliam rediſſet, iamque Rex Franciæ victa omni Normannia Burdegalam quoque armis ſubegiſſet; à Rege ſuo non ſine magis copiis in Gaſconiam cum imperio miſſum, & Burdegalam recuperaſſe, & alia pleraque caſtella, quæ ab imperio Anglicano deſciuerant, partim vi expugnaſſe, partim deditione voluntaria recepiſſe. Quæ cum Rex Franciæ reſciuiſſet, è veſtigio duos exercitus inſtruxit: quorum alterum, cuius præfectus erat gener ſuus comes Clarimontis ac ducis Borbonii filius, eum quindecim millibus pugnatorum (in quibus totius militiæ robor fuit) ad vr-

bem

bem Burdegalam recto itinere contendere iuſſit: alterum quem ipſe ductauit, ex purpuratis ſuis conſcripſit, quibus & comes de Schampis annumeratus eſt: quem lecti iuuenes octingenti equites ex Britannia ſequebantur. Iuſſit & hunc exercitum retento apud ſe comite Rex præire: qui cum ſeptem (vt aiunt) leucis à Burdegala conſtitiſſent, paruum quoddam caſtellum oppugnare cœperunt, turri quadam inter Burdegalam & caſtellum ipſum occupata, ac ſagittariorum præſidio munita. Talbotus vero poſtquam ſibi cum duob. exercitibus pugnandum eſſe intellexit, eum prius aggrediendum cenſuit, quem minori negotio ſuperari poſſe confidebat. Egreſſus igitur eum robore ſui exercitus iam veſpere ad turrim (quam diximus occupatam) peruenit: qua primo impetu expugnata, ſaggittarios omnes ibi captos circiter quinquaginta interemit. Exin mane profectus, cum accepiſſet regium exercitum fugam parare, veritus tanquam ſibi è manib. præda elaberetur iuſſis aliis ſequi cum quingentis galeatis militib. DCCC. ſagittariis propere hoſtes aduolans tumultuarium prælium iniit. Conſultauerant aliquamdiu inter ſe hoſtes, an retro pedem fugiendo referrent. Sed pudore propinqui Regis experiri belli fortunam decreuerant. Erant eis treenta circiter tormenta ænea (id eſt bombardæ) quæ curribus aduexerant: ea viæ per quam Talbotus aduenturus erat, oppoſuerunt: multas præterea machinas hinc atque inde collocauerunt, quibus ignari hoſtes confici poſſent. Vt ergo ſurentes Talboti milites itinere, quod vnum patebat, in caſtra hoſtium neſcius machinarum procurrit, dato tormentis igne, primo congreſſu trecenti ferme milites ictu lapidum ex Anglicis perire. Quod vbi Talbotus animaduertit, filium qui ſe ſequebatur, vt abiret & ad meliora tempora ſe reſeruaret, admonuit. At cum filius diceret, non eſſe ſibi ex eo prælio fugiendum in quo pater periclitatus eſſet, *Ego*, inquit, *fili, multis rebus clariſſime geſtis, nec mori ſine gloria, nec fugere ſine dedecore poſſum: te nunc militare incipientem nec fuga infamem, nec mors clarum faciet.* Sed cum filium
p. 84. plus pietas quam commonitio patema moueret: cohortatis ſociis, vt forti animo pugnam redintegrarent, teſtudine ſuorum facta in hoſtes, qui nunquam munitiones caſtrorum exire præſumpſerant, audacibus inuectus animis, haud paruam illorum ſtragem edidit. Sed cum hoſtes partim tormentis ac numero militum ſuperiores eſſent, & iam crus Talboto lapis è tormento miſſus arripuiſſet; cæſis maiori ex parte ſuis, & ipſe tandem eum duobus filiis, altero legitimo, altero extra matrimonium nato, & vno genero, procumbens ceeidit. Hic poſt tot ſumptas ex hoſte victorias clariſſimi viri exitus fuit: quem Britonum potiſſimum conſtantia & audacia proſtrauit, Burdegala iterum in poteſtate Regis facta eſt. Britanniæ ducem eius germanum, qui nunc rerum potitur, eum diu ſobole caruiſſet, votum vouiſſe ferunt, liberos (ſi ſuperi darent) priores duos alterum Minorum, alterum prædicatorum religione conſecraturum. Exin voti compotem primum qui ſibi natus eſt, Franciſcum appellauit, ſecundum Dominicum. Natus eſt ei & tertius filius, quem in Angliam nutriendum miſit. Is cum mortuo patre in Britanniam Franciſco regnante rediſſet, ab eo captus & in carcere necatus eſt. Fama eſt eum, cum neci traderetur, impietatem fratris accuſando; qui non contentus regnum ſibi debitum occupaſſet, ſed animam quoque ſibi nepharius auferret: Franciſcum coram diuino iudicio de parricidio reſponſurum infra Annum citaſſe. Ob quam rem, cum infra præfinitum tempus Franciſcus hydropiſi laborans obiiſſet (vt eſt religioſa Gallorum natio) correptum diuina cenſura vulgo creditum eſt. Dominicus ei ſucceſſit: qui cum hoc anno ſine liberis deceſſiſſet, Arturum Francorum militiæ principem patruum ſuum ſucceſſorem habuit non minus prudentia quam annis grauem. Carolus dux Aurelianenſis, qui magno quondam prælio ab Anglicis captus fuerat, iam ſenex in patriam dimiſſus, defuncto Philippo Maria Mediolanenſis ducatus, tanquam ſibi ex ſucceſſione debiti, ſeſe titulis adornauit.

CAPUT XL.

DE FLANDRIA.

IN Flandria Gandauenſes aduerſus Philippum Burgundiæ ducem rebellantes, pluribus præliis victi, ad extremum ſupra viginti millibus ciuium vna pugna amiſſis, confeſſi errorem; Philippo manus dedere: legeſque victotis acceperunt. Idem Philippus & oppidum Lucenburgenſe maximum ac munitiſſimum, quod in Saxonum poteſtatem dotis nomine venerat, non ſine indignatione Ladislai Regis armis accepit. Delphinus Viennenſis, cum mulierem quandam nomine Agnetem forma præſtantem, ac patri dilectam occidere tentaſſet, iterum Regis odium incurrit, cumque nuſquam alibi ſe tutum arbitraretur, ad florentes Philippi opes confugiens, vt primum eum conuenit; *Miſerto mei, conſanguinee,* inquit, *qui ſine terra ſum filius Regis.* Ad quem Philippus: *Dum terra mihi eſt,* ait, *caue te ſine terra dixeris. Nam quæ mihi prouinciæ parent, eædem tuæ ſunt: nec minus tibi quam mihi obediant volo.* Poſt hæc ei & Brabantiæ florentiſſima oppida, & ambitioſas Flandriæ ciuitates oſtendit, Dominum eum & Principem in conſpectu ſuo nuncupari iubens.

CAPUT XLI.

DE ANGLIÆ REGNO.

VENTUM modo eſt in eum locum, de quo breuiſſimus eſt in Angliam traiectus: neque enim pluſquam xxx. millibus paſſuum id mare latum eſt, quod Flandriam atque Angliam interluit. Abſolutis Galliæ rebus, haud inconueniens fuerit tranſmiſſo Pelago Angliæ (cui quondam Britanniæ nomen fuit) quam breuiſſime mutationes ſub Friderico factas commemorare. In Anglia, quam rum Albion tum Britanniam veteres vocare, rex Henricus ſolitudinis & ocii cupidus, alieno magis quam ſuo iudicio regnum gubernauit. Potens apud eum & in primis auditus Dux Sofulſi fuit: qui leges pro ſuo arbitratu & populis & principibus dixit; ſuppreſſit quos odiuit, & rerum quos amauit, erexit. Sed cum res Anglica apud Francos imminui cœpiſſet, & iam imperium Gallicum in priſtinam gloriam emergeret: Dux Eboracenſis coactis non paruis copiis, nec paucis ſtipatus Baronibus Lundonias venit, Regis conſilium mutaturus, atque (vt ipſe dicebat) Regis & regni ſaluti conſulturus. Non expectauit eius aduentum dux Sofulſi: ſed nauigio raptim correpto per Themiſiam * fluuium ſaluti ſuæ fuga conſulere adorſus eſt. Sed deſtinatam quis mortem fugiat? Miſſi qui eum comprehenderent, per compendia itinerum curſum eius præuenere: ipſumque mox interceptum in prora nauis, qua vehebatur, obtruncauerunt. Dux quoque Somerſeti, qui perdita Normannia in Angliam remeauerat, potenſque apud Regem credebatur, in carcerem coniectus eſt. Nobiles viri complures necati, nec ſacerdotio præditis parſum eſt: inter quos & amicus noſter Adam Molines ſecreti Regis ſignaculi cuſtos, & litterarum cultor, amiſſo capite truncus iacuit. Nec diu poſtea, cum dux Eboracenſis domum rediſſet, Somerſeti princeps è carcere miſſus, permittente Rege gubernare regnum incepit: quæ res ſuppremæ ſibi cladis cauſa fuit, irritatus enim ob eam cauſam princeps Eboracenſis, cum maioribus copiis quam prius Lundanias properauit: cui eum Rex obuiam vna cum duce Somerſeti exiuiſſet, putans illum aut verborum lenocinio placare, aut regiæ maieſtatis auctoritate deterrere; nihil profecit. Eboracenſis enim, cum eſſet longe potentior, iuſſo Rege vt in partem ſe reciperet; in Somerſeti ducem ac eius equitatum irrupit, eumque mox captum: detruncato capite interfecit.

* *Tameſin.*

p. 84.

CAPUT

CAPUT XLII.

DE SCOTIA ET HIBERNIA.

SCOTIA eius insulæ in qua est Anglia suprema, portio est in Aquilonem versa: fluminibus haud magnis, & monte quodam ab Anglia discreta, hic nos brumali tempore fuimus, cum Sol paulo amplius quam tres horas terram illuminaret. Jacobus eo tempore regnabat, quadratus & multo abdomine grauis: qui cum olim in Anglia captus vndecim annis in custodia fuisset, ac dimissus tandem suscepta ex Anglicis coniuge domum reuersus, complures regulos gladio pereussisset, & ipse tandem à suis domesticis interfectus est. In quos vltione peracta filius eius regnum suscepit. Audiueramus nos olim arborem esse in Scotia, quæ supra ripam fluminis enata fructus produceret anatarum formam habentes: & eos quidem eum maturitati proximi essent, sponte sua decidere, alios in terram, alios in aquam: & in terram deiectos putrescere, in aquam vero demersos mox animatos enatare sub aquis, & in aere plumis pennisque è vestigio euolare, de qua re cum auidius inuestigaremus, didicimus miracula semper remotius fugere: famosamque arborem non in Scotia, sed apud Orcades insulas inueniri. Illud tamen nobis in Scotia miraculum repræsentatum est: nam pauperes pene nudos ad Ecclesias mendicantes, acceptis lapidibus eleemosynæ gratia datis lætos abiisse conspeximus: id genus lapidis siue sulphurea siue alia pingui materia præditum, pro ligno, quo regio nuda est, comburitur.

Hibernia nunc nobis absoluenda esset: quæ paruo à Britannia disiuncta freto, partim libera Scotorum amicitia & societate gaudet, partim Anglicano paret imperio. Sed quoniam nihil dignum memoria per hoc tempus, de quo scriptio est, gestum accepimus, ad res Hispanicas festinamus.

CAPUT XLIII.

DE HISPANIA.

LATISSIMA regio Hispania, & terra optimis comparanda, viris armisque potens; Hoc æuo nostro in quinque reges diuisa est. Primum ac maximum Castellæ regem appellant: proximum ei Aragonum: tertio Portugalensem, quarto Nauarræ, quinto Granatæ, quod ab euangelio Christi alienum est, de ritu Mahometi. In Castella prænobili ac late dominante regno, cuius Reges Gothorum sanguine creti, nunquam genus variarunt; Aluarus de Luna natione Aragonensis, *Aluarus de Luna.* nobili genere, quamuis extra matrimonium natus, cum olim Joanni Regi adeo se insinuasset, vt vnus omnium regni regique potens videretur; Johannemque Nauarræ regem & Henricum magistrum militiæ sancti Jacobi potentia sua opprimere, ac regnum gubernare conatos armis deturbasset; postea tamen aduersante sibi Regina, redeuntibus illis, ac Regem in potestatem suam recipientibus, è curia pulsus, in possessionibus suis aliquamdiu priuatus vixit: felix, si concesso frui ocio nouisset. Sed nulla est regno deiectis quies: dum ergo sublimem locum, de quo rursus maiori cum ruina præcipitetur, vendicare conatur, Regi clam suadet, vti per speciem venationis in saltus sibi propinquos egrediatur: se cum potenti manu futurum obuiam: nec dubium, quin regni optimates libertatem Regi asserant. Non fuit difficilis persuasio. Rex cum paucis egressus, parum custoditus (nam Aluari iam pene nomen extinctum erat) vbi ad insidiarum locum peruenit, mox clamore edito Aluarus inter lectos exultans milites, *liberum Regem saluere* dixit, eumque secum adduxit. Qua re vulgata confestim mira inclinatio * regni facta est, & iterum ad Aluarum regni gubernatio deuoluta, nec * *al. Innoc. tio.* diu post cum eisdem Joanne atque Henrico atrox prælium commissum est, in quo
p. 86. plures vtrinque cecidere: victoria penes Aluarum fuit. Henricus non multis post diebus ex vulnere manus, quod in ea pugna receperat, mortem obiit. Magistra-

tum eius Aluarus obtinuit, & aliquamdiu poſtea Regis pariter & regni moderator eſt habitus: ad extremum tamen potenti inuidiæ ſuccubuit. Nam cum nobilem quempiam iuſſu Regis ingrata ſibi quædam renunciantem, à feneſtra ſuæ domus præcipitari iuſſiſſet, mox captus, & in medio foro capitali ſententia damnatus eſt, non tamen vt ignauus occubuit; ſed numeratis ſuis in Regem regnumque meritis, non lachrimas aut eiulans, ſed alacri vultu & quaſi ad epulas inuitatus, ceruicem gladio præbuit: vir alti ſpiritus, non minus domi quam belli clarus, & cui magna ſemper in mente ſedetint. Joannes deinde aliquot annis per ſe regnum adminiſtrauit: quo vita functo, filius eius Henricus regnum accepit, adoleſcens animo plenus, & recti cupidus: qui relicta priori coniuge velut infœcunda, alteram ex Portugalia duxit Imperatricis ſororem: & in regnum Granatæ eum exercitu profectus magnam hoſtibus terræ partem diripuit atque protriuit. Joannes Cardinalis Hoſtienſis, ſumma vir integritate, & ſcientia iuris eminens (cui iuuenis in dictandis epiſtolis ſeruiui) ſenio confectus in eo regno, vnde illi origo erat, animam Deo dedit. In regno Nauarræ & filius in patrem, & pater in filium arma ſuſcepit: filiusque tandem regno pulſus ad Alfonſum patruum Aragonum Siciliæque regem, peragrata prius Gallia, confugit. Nunc Ludouicus Montcſiæ magiſter & Joannes Deſeritanus * viri præſtabiles, ab Alfonſo miſſi, reconciliare patri filium ſtudent. Joanna Alfonſi & ſoror & coniunx abſente viro multis annis Arragonum & Valentiæ regnis, tot potentiæ ciuitatibus, tot nobiliſſimis principibus iura dixit: caſta & ſancta mulier, & digna quæ prolem peperiſſet Alfonſo. Anno autem ab incarnatione Domini MCCCCXCI. totum regnum Beticæ (quod hodie Granata vocitatur) victis barbaris, Regeque eorum capto, ciuitateque Granata populoſiſſima armis fameque duriſſimaque obſidione obtenta, à Chriſtianis crucem Domini adorantibus pacifice hodie poſſidetur.

* al. Diſcretanus.

CAPUT XLIV.

DE PORTVGALIA, ET NOVO ORBE.

IN Portugalia Petrus cognomine infans (ſic enim filii Regis, antequam regnent, appellantur) magni nominis princeps, qui totam ferme Europam peragrauit, ſuæ virtutis documenta demonſtrans, cum regnum tutorio nomine aliquamdiu ſumma cum laude adminiſtraſſet, nec minori fide Alfonſo ex fratre nepoti ſimul & genero ſuo reſtituiſſet, tandem ſubortis vtrinque diſſenſionibus, cum odio creſcente ad prælium ventum eſſet, ſagitta in incertum miſſa transfoſſus interiit vir magnorum operum, & qui olim ſub Cæſare Sigismundo ſtipendia faciens, non paruam ſibi gloriam in Turcos pugnando parauerat. Alfonſus exinde manſuetiſſimus princeps, alti cordis & prudentia ſingulari præditus (neque enim in ſtultos vnquam regius Portugaliæ ſanguis deriuatus eſt) poſt regnum quiete tenuit: cui eum obiiſſet dilectiſſima coniunx, eademque ſoror patruelis, hortatu vt aliam ſuperduceret non ſuaderi potuit, ſed omnis eius cura eo conuerſa eſt, vt aliquid agat quod ſibi laudem & Chriſtianæ religioni fructum pariat. Quapropter inuitatis regni proceribus, ſuſcepto publicæ crucis ſigno, claſſem in Turcos & expeditionem promiſit.

Hæc e Norico Cod. non ſunt Æneæ: ſed poſtea ab aliquo addita.

Annis vero ſequentibus Henricus infans videns regni Portugaliæ fines paruis limitibus contineri, cupiens regnum ampliare, Oceanum Hiſpanicum ſummis viribus ingreditur, ſuaſu & doctrina Coſmographorum ſitus terræ & maris noſcentium. Inuentiſque multis & variis inſulis ab hominibus nunquam habitatis, inter cæteras præclaram inſulam non ſine ſuorum lætitia adnauigat, non tamen hominibus habitatam, ſed fontibus irriguam, pingui gleba refertam, nemoroſam, incolendis hominibus aptam: ad quam diuerſa hominum genera colendam immiſit. Inter tamen cæteros fructus aptiſſima eſt ad procreandum Zuccarum, quod tanto fœnore ibi nunc conficitur, vt vniuerſa Europa zuccaro plus ſolito abundet. Nomen inſulæ Madera eſt: inde zuccarum de Medera. Inuenit & alias inſulas

fulas quam plures, quas habitari hominibus, baptiſarique nominibus fecit, vt inſulam S. Georii, Feyal de Pico: quarum vnam hominibus Alemanis ex Flandria habitandam conceſſit ſeracem tritici. Annis vero poſteriotibus, ut anno Domini MCCCCLXXXIII. Ioannes ſecundus Portugaliæ Rex, altiſſimi vit cordis, certas galeas omnibus ad victum neceſſariis inſtruxit: eaſque vltra columnas Herculis ad meridiem verſus Æthiopiam inueſtigaturos miſit. Præfecit autem his patronos duos, Iacobum Canum Portugalenſem, & Martinum * Bohemum hominem Germanum, ex Norimberga ſuperioris Germaniæ de bona Bohemorum familia natum, hominem (inquam) in cognoſcendo ſitu terræ peritiſſimum mariſque patientiſſimum, quinque Ptolemæi longitudines & latitudines in occidente ad vnguem experimento longæuaque nauigatione novit.

* *Hinc Martino Behaimb Noribergenſes inuentum notum orbem tribuunt, prout demonſtrare volunt Io. Chriſtophorus Wagenſeil. in oratione parentali Georgio Friderico Behaimb Noribergæ 1682. dicata.*

p. 87. Hi duo bono Deorum auſpicio Mare meridionale ſulcantes à littore non longe euagantes, ſuperato circulo Æquinoctiali, in alterum orbem excepti ſunt: vbi ipſis ſtantibus Orientem verſus vmbra ad meridiem & dexteram proiiciebatur. Aperuere igitur ſua induſtria alium Orbem hactenus nobis incognitum, & multis annis à nullis quam Ianuenſibus (licet fruſtra) tentatum. Peracta autem huiuſmodi nauigatione, viceſimo ſexto menſe reuerſi ſunt Portugaliam, pluribus ob caliditiſſimis aeris impatientiam mortuis. In ſignum autem portauere piper, grana paradiſi, multaque alia quæ longum eſſet recenſere. Aperto illo orbe magna piperis quantitas Flandriam verſus vehitur; & licet non ſit adeo rugoſum vt orientale, tamen acumen formam, & omnia vt verum piper præ ſe fert. Multa de ea re ſcribenda ſotent, quæ ne tædii arguar, bono teſpectu omiſi.

CAPUT XLV.

DE ITALIA.

VLTIMIS Europæ finibus peragratis, & quantum propoſiti noſtri fuit Septentrione decurſo, in patriam tandem teverſus nouitates Italiæ cum iam referendæ occurrant, ab ea nimirum vrbe incipiendum eſſe arbitor, cuius creberrimas mutationes & Oriens ſimul & Occidens admiratur. Ea eſt Genua Ligurum domina ac regina: quæ ciuilibus agitata diſcotdiis, memoria noſtra imperium maris amiſit. In ea cum excluſo Philippo Maria Mediolanenſium duce, eiuſque prætore Opicino Olgate * necato, auctore Franciſco Spinola octo libertatis capitanei creati eſſent, eiſque paulo poſt ſublata libertate exactis, Iſnardus Guarro * ducatum accepiſſet annos ſupra ſeptuaginta natus, auctore Thoma Fregoſo (qui & ipſe olim ante Philippi dominium ducali honore functus fuerat) cum homo grandæuus ad gubernationem inutilis videretur, vix ſeptem diebus regnare permiſſus eſt, Thoma eius honorem ſurripiente. Quem cum quatuor gubernaſſet annis, germanus eius Baptiſta ad ſedecim circiter horas regno expulit. Nam Thomam reſumptis viribus, confeſtim fratrem palatio deturbauit: tres annos poſtea & nonnullis menſibus vrbem tegens, donec auctore Iohanne Antonio Fliſco iterum ciuitas libertatem aſſeruit, delectis octo capitaneis priori ex more rempublicam adminiſtraturis, qui Thomam Fregoſum in carcerem coniecerunt, cum iam tet patriæ ſuæ ducem geſſiſſet. Horum principes fuere Iohannes Antonius (quem prænominauimus) miles equeſtris otdinis, & Raphael Aduanus * iuris interpres. Sed hæc quoque paucorum menſium libertas fuit, cum Raphaeli non tam capitanei quam Ducis nomen placeret. Is enim gentilibus ſuis ac Spinularum primoribus in ſuam ſententiam tractis, collegas ſuos magiſtratu abdicauit, ducaleſque faſces aſſumpſit: quibus paulo ſupra duos annos eſt vſus, à Barbana * gentili & patruele ſuo à republica deiectus, Barbanam vero nondum menſe toto principatu potitum, Ianus Fregoſius Iohanni Antonio Fliſco & Aurianis fauentibus regno pepulit. Qui paulo poſt Antonio pro ſuſcepto beneficio necem parauit; interpoſito Ioanne Philippo eius gentili, qui eum percuteret: cui & caſtella defuncti condonauit.

Genua.

* *al. Eleuto.*

* *al. Suardus Smaderus.*

* *al. Adornus.*

* *al. Barnaba*

Iano vero cum rexiſſet annis paulo amplius duobus, in magiſtratu ſatis functo frater eius Ludouicus ſucceſſit: qui à Petro patruele ſuo è dignitatis culmine deiectus eſt. Is eſt Petrus Fregoſius, qui modo regnat multa vi animi & corporis: ſed optimatibus ciuitatis & omni ferme nobilitati odio habitus: qui & gentilem & patruelem ſuum Nicolaum Fregoſium honeſtis moribus præditum, & philoſophiæ ſtudiis inſignem, ob ſuſpitionem affectati dominii vocatum ad ſe in palatium, paratis percuſſoribus interemit. Hunc cum regnaſſet annis quatuor, tam ſuæ quam aliarum nobilium familiarum principes vrbe deiecerunt; Ludouico patruele ſuo (quem ipſe ante depoſuerat) in eius locum ſuffecto. Qui cum ſe parum gratum magnatibus eſſe intellexiſſet, eundem Petrum quem regno deturbauerat, in auxilium accerſiuit. Ille tertia poſt exilium die reuerſus, & patruelem ducatu amouit, & omnes aduerſarios vrbe pepulit. Quorum principes ad florentes Alfonſi Aragonum & Siciliæ Regis opes conuerſi, magnam & formidabilem claſſem ab eo impetrauerunt: cum qua iam ferme duobus annis terra marique Genuam oppreſſerunt. Ventum eſt ſæpe ad mœnia ciuitatis, & aliquando intra ipſa ſuburbia pugnatum. Hoc autem anno, cum ſigno dato & in ipſo portu & pro mœnibus vrbis vndique pugnaretur, ingreſſi ſunt Aragonenſes, duciſque milites ad magnam vrbis partem fugauerunt, paſſim cædibus, paſſim rapinis ciuitatem ſædantes, ſed adfuit præſto cum delecta iuuentute Petrus, qui fugientes ſuos ſiſtere compulit, & in Aragonenſes dilapſus ingenti edita ſtrage vrbem iam pene captam recuperauit. Actum tamen de eo fuerat, ſi portam quam ceperant hoſtes ita communiſſent, ne concludi ſuperne potuiſſet, & aditum ſequentibus noualibus ſociis potentem retinuiſſent. Nunc ambæ partes quaſi ex integro ad bellum ſe parant: quamuis fama eſt Petrum animo fractum Gallorum implorare auxilia, eorum Regi patriæ ſuæ ptincipatum quem retinere non poteſt, pecunia venditurum. p. 88.

Petrus Fregoſius.

CAPUT XLVI.

DE MEDIOLANI DVCIBVS.

Philippus Maria dux, M. dol.

APud Inſubres vrbemque tota famoſam orbe Mediolanum, Philippus Maria dux gentis, qui Genuam ditioni ſuæ quondam ſubegerat; Amedei Sabaudiæ ducis filiam matrimonio ſibi coniunxerat; Alfonſum potentiſſimum regem cum duobus fratribus, altero Rege Nauarræ, altero militiæ Compoſtellanæ magiſtroque, multiſque Regulis nauali prælio victum, captum, à Ianuenſibus, & ſibi a Iacobo Spinula Ianuenſium tunc præfecto oblatum, & ad ſe vſque deductum, inſolita vſus liberalitate, magnificentiſſime donatum libertati dimiſerat; Sigiſmundum Cæſarem Romam petentem, cum Mediolani ageret, viſitare contemſerat; Bononiam, Forliuium, Imolam è manibus Tyrannorum armis ereptas, ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ reſtituerat; atrocem Suitenſium gentem bello domuerat; de Florentinis ac Venetis per ſuos duces ſæpius triumphauerat; totamque quondam Italiam tremeſecerat: iam recedente fortuna, perdita Genua, Nicolao Piccinino (in quo maxime fidebat) defuncto, exercitu ſuo ad Caſale maius iuxta flumen Padum duce Micheleto Carimiola ab Hoſtibus prœlio ſuſo & caſtris exuto, magno numero equitum peditumque capto, eo deductus erat vt non modo Venetis, ſed omnibus per circuitum populis ac principibus contemptui eſſet. Et Veneti quidem Abdua flumine tranſmiſſo, in agro Mediolanenſi caſtra metati, tantum ei terrorem incuſſere, vt de relinquendo imperio cogitauerit: quæ ſunt ultra & citra montes auxilia Regum depoſcens. Sed quem fortunatum atque hoſtibus inſultantem omnes honore ac fauore dignum exiſtimauere, idem in calamitate conſtitutus ab omnibus tanquam odio dignus relictus eſt. Vnus tamen omnium Alfonſus accepti beneficii memor, ad opem ferendam ſeſe accinxit: Sed cum ſerius iter agit, interim Philippus primum ob aduerſam valetudinem oculis captus, deinde ex ipſa arce hoſtilium armorum fragore audito vehementer commotus, vitæ tædio ſimul & lan-

languore mortem obiit: ipſo Alfonſo hærede inſtituto. Fuit autem Philippus ingenti corpore, in iuuentute macer, in ſenectute pinguiſſimus: deformi facie ac terribili, inſtabilibus ac prægnantibus oculis, ingenio peracri & callido; in largiendo profuſus, in parcendo facilis, in audiendo difficilis, at vbi in colloquium veniſſet mitis ac placidus, cultus corporis ac mundiciarum omniſque lenocinii negligens, venandi cupidus, equorum ſtudioſus: cæterum quietis impatiens, atque imperitandi auidus: in pace bellum, in bello pacem quæſiuit: ſimulandi atque diſſimulandi egregius artifex: in milites quam in ciues indulgentior, raro in publicum prodiit, delatoribus facile credidit; in ſuſpiciones adeo pronus, ut ſæpe fidiſſimos à ſe amicos leniſſimis de cauſis alienauerit. Pulchris * indutos veſtibus ægre ad ſe venire permiſit: ſermonem de morte audiuit inuitus. Tonitrua ac fulmina mirum in modum expauit, tabifica lue percuſſos ex vrbibus migrare in agros iuſſit, eorumque domos incendio tolli: qua cura innumerabilem illum Mediolani populum multis annis intactum quodammodo ab ea peſte ſeruauit. Huic cum vita deceſſiſſet, funus nec tanto principe dignum, nec ſuis maioribus ductum eſt, nec ſepulchri decus additum. Populus cognita Ducis morte in libertatem ſeſe proclamauit, duodecim viris electis qui Rempublicam adminiſtrarent. Caſtrum portæ Iouis inſtar excellentiſſimæ Regiæ, captum ac dirutum eſt, & teſtamentum Philippi dilaniatum. At dominium Mediolanenſe multi aſpirauere: ſed qui coloratis vterentur titulis, quatuor tantum fuere. Fridericus Imperator deuolutum ad ſe principatum, Philippo ſine liberis legitimis vita ſubtracto, contendebat. Alfonſus ex teſtamento hæreditatem petebat. Carolus dux Aurelianenſis ex ſanguine Vicecomitum natus ab inteſtato ſibi deberi ducatum aiebat. Franciſcus Sforcia Vicecomes coniugem ſuam, quæ Philippi filia fuerat, hæredem patri ſuſcipiendam affirmabat. Auditæ ſunt legationes omnium in ſenatu Mediolanenſi: quarum aliquæ ſermone directo dominium petiere, aliquæ per ſimulationem oblato contra Venetos auxilii inſinuare ſe populo, atque inde paulatim vendicare dominium ſatagebant. Sed ciuitati, quæ iam libertate gauderet, & imperandi cupiditate demortui Principis militiam conduxiſſet, nulla conditio placuit, quo iugum quouis pacto in capita ciuium videretur inferre. Obtulit tamen Imperatori cenſum quotannis, aureum poculum, ſi libera ſuis
P. 89 legibus dimitteretur. Dilaniabatur interea vndique Philippi hæreditas; Veneti Placentiam, Cremam, Laudam occupauere, & multa præterea minora oppida. Dux Sabaudiæ Ludouicus Valentiam & Confluentiam inuaſit. Aſtenſes ad ducem Aurelianenſem Carolum defecere: qui ſuſceptis à Rege Franciæ non paruis auxiliis, Alexandrinorum agros vexare cœperunt. Papienſes inteſtinis agitati diſcordiis, diu ancipites fuere, quibus ſe potiſſimum partibus iungerent. Nouarienſes, Comenſes, Alexandrini, ac Terdonenſes, Mediolanenſium imperium ſubiere. Parmenſes in ſocietatem quodammodo recepti ſunt. Franciſcus Sforcia per idem tempus in Piceno agebat, quamuis maiorem eius prouinciæ partem iam amiſiſſet, cum Philippus non multo antequam moreretur, ſibi per communes amicos reconciliatum, vt ad ſe rediret in Venetos pugnaturus, accerſiuerat: rogato Alfonſo rege, ſibi vt ſeptuaginta millia auri nummum ſuo nomine numeraret; quo facto iam paratis atque inſtructis copiis itineri ſe accinxerat: cum mors Philippi enunciata, eum qui longo tempore ad Mediolanenſes opes inhiaſſet magis ac magis properare compulit. Quem vt Lombardiam primum ingreſſus eſt, Mediolanenſes incerti, quo mens eius inclinaret, ne vel per ſeipſum vel coniunctus Venetis ſuis cœptis obuiam iret; miſſis oratoribus, & oblatis non paruis ſtipendiis conduxere: moxque duce ſui exercitus facto, vt Placentiam omnibus copiis obſideret, impetauerunt. Ipſe dicto parens, dum ad Placentiam in obſidione ſedet, Papienſes (qui iam Mediolanenſe imperium tanquam faſtidioſum & inſolens detractarunt) ſeſe ſibi dedentes accepit, quæ res Mediolanenſium animos haud mediocriter contutbauit: qui per conuentiones inhibitum Franciſco dicebant, quampiam ex vrbibus, quam olim Philippus tenuiſſet, occupare. Franciſcus

* *I. pallia.*

ciſcus vero non ſe occupaſſe, ſed dedentem & vltro ſe offerentem ciuitatem recepiſſe aiebat. At Mediolanenſes cum eius potentiam vererentur, diſſimulandum potius ſtatuere. Ille continuata apud Placentiam obſidione, tandem ſumma vi oppugnare adorſus vrbem, quamuis magna & forti militum manu munitam, armis tamen expugnauit ac diripuit. Mediolanenſe regimen per id tempus penes nobiles fuit, & apud eos qui Philippi quondam conſilium direxere. Itaque res proſperæ ſapientum ductu cedebant: etiam non parua Gallorum manus*. Nam circiter tria millia equitum delecti roboris, quæ alpes tranſierat, apud Alexandriam profligata deletaque fuerat: & Veneti apud Carauagium magno prælio ſuperati, omnes pene copias amiſerant: & Lauda ab eorum imperio erepta, in poteſtatem Mediolanenſium redierat. Cum Franciſcus Sforția ad infeſtandum Brixienſes miſſus, ſiue quod principatum Mediolanenſem (cuius opinionem ſibi iam pridem finxerat) alio modo conſequi non poſſe ſperabat, ſiue quod Mediolanenſes cum Venetis amicitiam ſocietatemque clam ſequentes, ne ſolus vtriuſque populi præda relinqueretur, præueniendos cenſuit; prior cum Venetis fœdus iniit. In quo cum multa hinc atque inde promiſſa eſſent, illud inter cætera conuenit, vt ad vrbem Mediolani ditionemque eius obtinendam Franciſco cum copiis proficiſcenti, ſenatus Venetus & pecuniis & armis auxilio eſſet: qua re firmata mox in Mediolanenſem duxit. Militabant eo tempore apud Mediolanenſes Bracciani: qui cum Ludouicum de Verme, ac nonnullas alias Franciſci copias apud Modoetiam fudiſſent, tandem relictis Mediolanenſibus ad eum defecere. Franciſcus filiam ſuam Iacobo Picinino vxorem deſpondit. Carolus vero Gonzaga haud ignotus copiarum ductor, qui paulo ante à Mediolanenſibus deficiens ad Franciſcum venerat, poſtquam deſertos eoſdem Mediolanenſes, & ſine vllo duce relictos animaduertit: iterum ad Mediolanenſes relicto Franciſco tranſiuit. Erat hic vaſto corpore, formaque pene gigantea, viribus vero quæ magnitudini reſponderent; dicendi copia clarus, literis græcis ac latinis inſtructus: ſed animo inconſtanti, & ingenio ad omne facinus ſiue honeſtum ſiue nefarium parato: cui non parua ſpes fuit, oppreſſa in Mediolano libertate, dominium vrbis arripere: ſed fortuna iam Mediolanenſibus nouercante, Placentini, Therdonenſes, Nouarienſeſque populi ab eis deficientes, Franciſci præſidia receperunt. Alexandrini cum nullam in eis ſpem ſitam eſſe contuerentur, Wilhelmi Montisferrati principis fratris imperio ſe commiſerunt. Reſpublica medio tempore ex nobilitate in plebem defluxerat: lectique viri duodecim, qui vrbi de more præeſſent, ex fece
* al. ignoti. populari ignobiles, atque incogniti * magiſtratum gerebant. Hi cum ignobilitatem, quam multis modis offenderant, ſuſpectam haberent, neue cum Franciſco ſentirent; ſuadente Gonzaga (qui eam viam ad principatum vrbis arripiendum commodiſſimam exiſtimauit) ſeptem primarios ciues, genere nobiles, & opibus abundantes raptim interceptos per noctem obtruncauere: ac deinde in ſo- p. 90.
ro plebi ſpectaculum obiecerunt. Inter quos Iacobinus Boſſius egregius adoleſcens, placidus moribus, & literis eruditus, & nobis amicitia iunctus, prorſus innocens, ſupinus truncuſque iacuit. Nec diu poſt Iohannem Caynum venerabilem ſenem, & filium eius Franciſcum egregia forma iuuenem, non alio crimine irretitos, niſi quod illuſtriſſimæ Blancæ Mariæ Franciſci coniugi ſanguine iuncti
* al. Lampriartus. erant, crudelibus affectos cruciatibus necauere. Exin Georgius Lampugnanus * iuris interpres ſub ſpecie legationis, tanquam ad Imperatorem mitteretur, in Modoetia captus atque interfectus eſt; magnus libertatis aſſertor, & qui teſtamentum olim Philippi (populari fauens regimini) laniaſſet. Nec Theodoro Boſſio, admodum in ciuitate gratioſo, pepercerunt: quem cum diu in vinculis tenuiſſent, tandem interemerunt. Galeothus quoque Tuſcanus, & ipſe natu nobilis, atque opulentus ciuis, interciſus occubuit. Quibus ex rebus cum iam nulla libertatis forma relicta eſſet, & duodecim viri auſu tyrannico vrbem cædibus ac rapinis fædarent, ſucceſſorumque comitia prohibentes inuito populo ſibi ipſis imperium prorogarent; commota denique atque incenſa ciuitas, correptis armis, nouo magiſtratu

ſtratu ex nobilitate creato, Tyrannos è republica eiectos in carcerem coniecit. At eum neque hoc modo reſpirare populus poſſet (nam perditis omnibus, excepta ciuitate Comenſi ac Parmenſi, quæ in officio ad vltimum perſtiterat; Franciſcus dura obſidione ciuitatem premebat) iterum plebs ineenſa nobilitatem è palatio pepulit, Tyrannos demptis vinculis, tanquam libertatis amatores & optime de republica meritos, in priorem locum reſtituit. Illi ad priores artes reuerſi, cum ſatellites magno numero ſibi aſſumpſiſſent, multaque ſuadente Carolo ſpolia perpetrarent, nobilitatemque prorſus opprimerent; non tamen ei viam ad inuadendum principatum petmiſere. Quod cum ipſe animaduertiſſet, & iam ſibi periculoſam apud Mediolanenſes moram intellexiſſet, per internuncios Franciſco reconciliatus, ac magnis allectus præmiis Laudam illi prodidit: tertioque iam fidem fallens, non ſine magno Mediolanenſium damno, ac plebis conſternatione, ad eum tranſiuit. Non tamen defuit Tyrannis animus, quin poſtulatis vndique ſubſidiis, Franciſci iugum iam prope ceruicibus imminens excutere conarentur. Sed cum alios fruſtra rogaſſent, Venetos tandem ne ſe delinquerent, peruicerunt. Nam neque illis ex uſu videbatur, Franciſcum ætate florentem, rei bellicæ peritiſſimum, cuius iam vires atque arma non ſine graui iactura ſenſiſſent, eo imperio potiri, quod ſuo par tandem videretur, percuſſerunt igitur fœdus Veneti cum Mediolanenſibus, legeſque quas tota citerior Gallia ſequi deberet, præſcripſerunt: mandantes Sfortiæ, vt certis contentus vrbibus ac terminis, Mediolanenſes in pace dimitteret. Ille haud ignarus, ſe breui periturum vbi Venetis paruiſſet, imperium eorum contempſit: & quamuis deſertus ab omnibus videretur (nam ſoli Florentini, & hi quidem parce opem ferebant) in obſidione tamen perſeuerare decreuit. Iam mortuo Franciſco Picinino, frater eius Iacobus cum Brachianis ad Venetos tranſierat: iam Leonardus Venereus à Senatu Veneto miſſus, Mediolanum ingreſſus, auxilia & commeatus magnam copiam, quibus ciuitas indigebat, propediem affore pollicebatur. Erat & in exercitu & in ciuitate ſumma omnium rerum indigentia: ita vt dubium videri poſſet, an obſidens Franciſcus, an obſeſſus dici deberet. Vix ei bis mille equi ſupererant, qui ferre ſeſſorem poſſent: & milites ſtipendio fraudati, pro cibis ſeſe armis exuerant: neque tum Franciſco argentum erat, quò ſtipendari militi poſſet. Sed inter ſpem metumque dubius, obſidionem de die in diem, verba pro factis oſtentans, producebat. In ciuitate vero cum iam frumentum omne abſumptum eſſet, nec aliud genus edulii reſtaret: & iam canes, equi, ceteraque id generis animalia manderentur, nec ferre amplius famem multitudo poſſet: collecti in unum apud portam Veteellinam, correptis armis in forum prorumpunt, obuiumque Leonardum Venetorum legatum gladiis confodiunt ac diſcerpunt: exin palatium fuſis Tyrannorum ſatellitibus aggrediuntur: quo ſine reſiſtentia occupato, quos inuenerunt Tyrannos, in vincula coniecere. Exin miſſis ad Franciſcum legatis, principatum ei ciuitatis obtulerunt: qui mox ingreſſus dominium vrbis accepit, & deinde non multis interiectis diebus cum liberis ac coniuge reuerſus ducalibus inſignibus exornatus, in triumphantis modum vrbem intrauit, qui cum iam Comum Parmamque in deditionem accepiſſet: Wilhelmoque Monteferratenſi Alexandriam ademiſſet, non paruum deinde bellum Florentinis ſociis cum Venetis & Alfonſo Rege diutius geſſit: in quo cum acrius ptemeretur (neque enim tantæ potentiæ par eſſe poterat) Renatum Regem fortiſſimis equitum cohortibus cinctum, ex ulteriori Gallia magnis ſtipendiis ac promiſſis allectum, in auxilium accerſiuit. Qui cum ſuperatis montibus in Italiam deſcendiſſet, ac Wilhelmum è Monteferrato arma ponere per amicitiam ac neceſſitudinem compuliſſet, & iam caſtra Franciſci caſtris
p. 91. coniungens in hoſtilem agrum deſcendiſſet, expugnatiſque raptim nonnullis caſtellis (more Gallico) mortales omnes in eis comprehenſos trucidaſſet, tantus mox terror Venetos inuaſit, vt iam caſtra caſtris conferre amplius nullo pacto præſumerent: nec iam retinere poſſe vel Brixiam, vel Bergomum, agris amiſſis confiderent. Cumque Turcorum bellum res eorum maritimas infeſtaret, repente

præter omnium opinionem pax, quæ diu in Senatu Apoſtolico fruſtra fuerat agitata; denique apud Laudam interuentu cuiuſdam incogniti, ſed probatæ & integræ vitæ Monachi * inter Venetos & ipſum Franciſcum clam Rege facta eſt, quæ res ut Regi moleſta, ita Franciſco vtilis, Venetis neceſſaria fuit. Aream deinde Mediolani inſanientis populi furore dirutam, Franciſcus breui reſtaurauit; mira Fortunæ ſiue cuncta regentis Dei prouidentia, nobile ac magnificum opus hiſdem manibus ſubito refectum eſt, quibus fuerat paulo ante reiectum. Franciſcus Philelphus nobilis Satyrarum ſcriptor, per idem tempus ad heroicum carmen conuerſus, res Sfortiæ ſcribere cæpit: Leodriſius Cribellus * ſoluta oratione ac metro clarus haberi cœpit.

* vide auctoris epiſt. 172.

* al. Trebellius ad hunc auct. epiſt. 230. & 291.

CAPUT XLVII.

DE VENETORUM REPVBLICA.

APud Venetos terra marique potentiſſimos, quæ nomen Italicum apud Barbaras nationes longe lateque clarum fecere, Filius Franciſci Foſcari ducis veluti quippiam in rempublicam molitus eſſet, in exilium actus, deinde reuocatus, & iterum in ſuſpitionem criminis adductus, & crudeliſſime tortus, cum nihil mali confiteretur, relegatus in Peloponneſum, miſeram ibi vitam finiuit. Gener eiuſdem ducis Andreas Donatus, dum Cretam inſulam pro Veneto imperio gubernat, Dux inſulæ appellatus: reuocatus domum honore priuatur, & magna multatus pecunia, in exilium mittitur. Armilaus inter Venetos dignitate & auctoritate potens, dum ex conſilio ad multam noctem domum reuertitur, iaculo transfoſſus occiditur: nec qui tantum ſcelus patrauerit, inuentus eſt: quamuis id filio Dueis crimini dederint. Franciſcus Barbarus ſtudiis humanitatis excellens, editis non paucis neque illaudatis opuſculis, ſenio confectus, non ſine celebri nomine vita deceſſit. Imperator Fridericus, cum Roma rediens, eo ſe cum coniuge & Rege Hungariæ Ladislao, totoque comitatu recepiſſet, libenter & amice viſus incredibilibus honoribus cumulatus eſt. Franciſcus Dux gentis qui annos quinque & triginta ſumma cum laude ciuitatem rexerat, Philippo Mediolanenſium duci Brixiam Bergomumque ademerat, copias eius pluribus in locis fuderat, Franciſcum Carminiolam clarum ducem copiarum de proditione ſuſpectum ſecuri percuſſerat; Marſilium Cararium (cuius maiores diu Patauium per tyrannidem renuiſſent) dum paternam hæreditatem vendicare conatur, interceptum necauerat; pacem cum Turcis non tam honeſtam quam neceſſariam fecerat, imperiumque Venetum terra marique longe amplificauerat; gubernationi tandem cedere compulſus eſt: tanquam præ ſenio reipublicæ videretur inutilis. Ille veluti contumelia affectus, ingratæ Patriæ aſpectum non ferens, eamque vitam recuſans quæ careret imperio, è publico palatio in priuatam domum ſe recepit: vbi cum principatum ſuis ciuibus reddidiſſet, ægram quoque confeſtim animam naturæ reſtituit. Cuius caſum tanquam præuidiſſet, Baptiſta Blaſius Cremonenſis aſtronomus pluribus antea menſibus prædixerat. Erat autem Franciſcus cum moreretur, non longe ab anno ſuæ vitæ, nonageſimo, venerabilis ſenex, præcipua corporis maieſtate decorus, memor omnium quæ poſt infantiam aut vidiſſet aut audiuiſſet; facundia copioſus, ac ingenio prompto, ac opere impiger ac dexterrimus, & qui moderari frena Senatus optime noſſet. Eius pater in Ægypto negociatus, eum prophetam regionis illius quempiam de futuris interrogaret, reſponſum ab illo accepit, *Filium ſibi eſſe, qui aliquando ſuæ ciuitatis principatum aſſequeretur.* Franciſco ſuffectus Paſchalis, vir ſingulari prudentia, & moribus humaniſſimis: cuius ducatum nulla putant bella ſuſcepturum, niſi vel neceſſaria vel admodum glorioſa.

Franciſcus aur. Venet.

CAPUT

CAPUT XLVIII.

DE MANTUA.

LVdouicus Marchio Mantuanus inter principes noſtri ſæculi famæ non mediocris, litteris eruditus, & rebus militaribus exercitatus, in eo bello quam Veneti cum Franciſco Sforcia poſt dominium Mediolani ab eo captum geſſere partes
p. 92. illius ſecutus, magnum momentum rebus eius aeceſſit. Carolus frater eius, qui fidem Franciſco fefellerat, in vincula coniectus, ſub eius fideiuſſione dimiſſus; cum neque ſic promiſſioni ſuæ faceret ſatis, omnibus quæ in Mantuano agro renebat, oppidis priuatus eſt. Sed cum ſtipendia Venetis faceret, non paruas eorum copias in Mantuanum duxit: vbi vaſtatis late atque incenſis agris, cum fortuna principium eius belli ſecundum feciſſet, & iam Mantuani metu perculſi rebus ſuis diffidere viderentur; Ludouicus accerſitis ex Mediolano auxiliis milites ſuos in aciem producens, fratri copiam pugnæ fecit: nec ille certamen detrectauit. Commiſſum eſt atrox prælium, in quo duo fratres, ambo ætate florentes, ambo rei militaris periti, ambo corporis atque animi viribus præſtantes, de gloria, de imperio, de vita ſummis conatibus contendere. Denique victor Ludouicus ſuſo fugatoque Carolo, omnes eius copiarum Duces ac primores equitum, cæſis plurimis intercepit. Ille deinde patria extorris atque egenus, morbo confectus interiit.

CAPUT XLIX.

DE FERRARIA.

APud Ferrariam mortuo Nicolao Eſtenſi, principe omnium noſtri ſæculi fortunatiſſimo, niſi coniugis adulterium & in ea & filio dilectiſſimo vindicare olim coactus fuiſſet; Leonellus dominatum ſuſcepit, princeps pacificus, literarum peritus, & muſicæ cultor. Quo decedente Borſius frater eius, & ipſe Nicolai filius ex concubina Ptolomea Senenſi, ad principatum vocatus eſt: egregia forma iuuenis, & in armis cum laude verſatus, dicendi & agendi peritus: qui cum Cæſarem Fridericum Romam petentem, & inde reuerſum magnificentiſſime accepiſſet: ſuper Mutinam & Regium ciuitates ducatus honorem accepit: primuſque omnium in Eſtenſi familia dux appellatus eſt. Eugenius Pontifex dum Ferrariæ cum Græcis conſilium ageret; Hugo Senenſis, qui per id tempus medicorum princeps habitus eſt, omnes qui ex Græcis ſtudioſi philoſophiæ eo conueniſſe creditiſunt, apud ſe inuitauit: quos cum opipare magnificeque pauiſſet, finito praudio epulis menſiſque remotis, eos in diſputationem pedetentim placideque pellexit. Cum iam Marchio Nicolaus adeſſet, & multi in Synodo excellentes philoſophi aduentaſſent; cunctos in medium philoſophiæ locos adduxit, de quibus inter ſe Plato & Ariſtoteles in ſuis operibus contendere ac magnopere diſſentire videntur, edicens eam ſe partem defenſurum, quam Græci oppugnandam ducerent, ſiue Platonem illi, ſiue Ariſtotelem ſequendum arbitrarentur. Cum Græci certamen minime recuſaſſent, protracta eſt ad multas horas diſputatio: poſtremo cum rex conuiuii * Hugo Græcorum philoſophos alterum poſt alterum argumentis & dicendi copia victos tacere compuliſſet; palam factum eſt Latinos homines, qui iam pridem bellicis artibus & armorum gloria Græcos ſuperauerant, ætate noſtra etiam literis & omnium doctrinarum genere anteire. Fuit autem domus Eſtenſis viris ſemper doctis amica: noſtra ætate non ſolum Hugonem (de quo præfati ſumus) magnis ad ſe præmiis traxit, ſed multos in iure ciuili, plures in cæteris facultatibus honorauit. In ſtudiis vero eloquentiæ Ioannem Auriſpam Siculum græcis ac latinis edoctum, & qui verſu proſaque claruit, inter familiares habitum, ditem beatumque fecit. Guarinus autem Veronenſis omnium ferme pater ac magiſter qui noſtra ætate Græcas literas didicere, admirabilis & omni

Hugo Senenſis.

* *al. ex conuiuii ſententia H.*

Guarinus Ve-
ron.

honore diguus ſenex, qui omnem ætatem ſuam legendo, docendo, ſcribendoque percurriſſet; vnicum ſenectutis ſuæ refugium, & illud quidem honeſtum, dignumque ſuis exercitiis ac virtutibus inuenit.

CAPUT L.

DE BONONIA.

Formicarum pugna.

IN agro Bononienſi pirum quandam aridam ex minoribus formicis paſtus cauſa complures aſcenderant, ſuperuenere maiores non paruo numero, quæ illas partim occiderunt, partim deiecerunt. Poſt duas ferme horas tanta minorum formicarum vis exorta eſt, vt totus ager nigro tectus agmine videretur, acceſſere ſtipatæ omnes, & arboribus vndique ſtipitem circundantes, paulatim aſcendere ceperunt. Maiores formicæ vbi hoſtes adeſſe animaduerterunt, conglobatæ ſuperne pugnam expectauerunt, Poſtquam ſimul acies conuenere, commiſſo prælio maiores morſu rabido, modo illas, modo iſtas è minoribus interemere, totoque breui ſpacio confecerunt: vt cadentium morientiumque cumulus ad piri radices non paruus in terra ſuccreuerit. Sed eum pertinacius inſtarent minores ſemperque acies aciem premeret, vigintique aut plures vnam ex hoſtibus circum- p. 93.
darent, & à tergo & à fronte pugnantes vndequaque latera confoderent, victæ tandem maiuſculæ, & ad vnum omnes necatæ, illati prius temere prælii pœnas dedere. Hæc acta ſunt; ſpectantibus Romanæ Eccleſiæ copiis, cum Petri cathedram Eugenius quartus teneret: ea nobis qui ſe vidiſſe ait, vir fide dignus & auctoritate retulit, Nicolaus Piſtorienſis vtroque iure conſultus: qui tum in caſtris Apoſtolicis Nerii Senenſis Epiſcopi vices agebat. Simile hoc illi eſt, quod in Gallia Belgica non longe ab vrbe Leodio conſtanti fama geſtum ferunt. Nidum ſiue in arbore, ſiue in rupe falco ſibi parauerat: ouaque fouens pullos auidus expectabat. Hunc corui ſuperuenientes loco deturbauere, ouis eius effractis ac voratis. Spectauerunt id è proximo bubulci: fugientemque trepidum falconem annotauere.

Falconum & coruorum pugna.

Poſtridie (mirabile dictu) falcones coruique quaſi ex toto orbe ad pugnam vocati, iſti ſeptentrionem, illi meridionalem partem tenentes, ordinatis aciebus, & tanquam rationis capaces eſſent, aliis qui cornua obſeruarent, aliis qui media ducerent agmina diſpoſitis, atrox ac ferociſſimum prœlium in aere commiſerunt. In quo cum modo corui, modo falcones cederent, & iterum reſumptis viribus certamen inſtaurarent; totus vndique ſubiectus ager & pennis & cadaueribus obtectus eſt; ad extremum victoria penes falcones fuit: qui non ſolum roſtris, ſed etiam vnguibus acerrime decertantes, coruos omnes ad internitionem deleuere.

Leodienſe ſchiſma.

Exin paruo tempore interiecto cum duo de Leodienſi eccleſia contendentes, alter à Gregorio tertiodecimo, alter à Benedicto duodecimo in Epiſcopum electus (erat enim inter illos de Romano Pontificio diſceptatio) ambo cum copiis in eundem locum pugnaturi venerunt. Ioannes dux Burgundiæ alterum armis iuuit, alterum Leodienſis populus ſequebatur. Pugnatum eſt collatis ſignis; ſumma utrinque contentione, horrendum cruentumque prælium factum. In quo tandem victor Ioannes Dux triginta millia hoſtium cecidit, memorabile eius rei fanum conditum eſt: quod nos illac poſtea tranſeuntes, cæſorum oſſibus plenum vidimus. Sed de illo falconum atque coruorum ſuam cuique opinionem relinquimus, veri periculo penes famam dimiſſo.

Bononia quæ non tam ſtudiorum mater, quam ſeditionum alitrix appellari poteſt, ſoror & ipſa ciuitatis Genuæ, ac ſolius inconſtantiæ conſtans, cum factionem lambecariam non ſine cæde, multoſque ciues domo pepuliſſet communi Conclulorum ac Bentiuolorum conſilio regi cepit: Principes factionum Baptiſta Connetulus, & Hanibal Bentiuolius fuere ambo ſanguinarii, ambo patratis cædibus inſignes: qui licet ſimul compatratus ſacramento inuncti eſſent, nihil tamen

inter

inter ſe meliores fuere. nam Hanibal dum leuato de ſacro fonte Baptiſtæ filio, viſurus puerperam compatrem ſequitur, eique manu prenſa pro nouo nato congratulatur; ab irruentibus ex improuiſo Baptiſtæ ſatellitibus obtruncatur: vt manifeſte apparuerit, Baptiſmi ſacramentum non tam fœderis retinendi, quam cædis patrandæ cauſa à Baptiſta quæſitum fuiſſe. Sed non inulta mors Hannibalis fuit: nam qui partes eius ſequebantur, ſumptis paulo poſt armis, fugatis aduerſariis, plateam obtinuere. Baptiſta indicio tandem puerili, in ſpecu quodam ſubterraneo cum plerisque complicibus ſuis latitans, repertus & fumo compulſus exire, mox pluribus vulneribus confoſſus eſt. Cadauer eius in forum tractum, & diu ludibrio habitum, cum plerique more ferarum cor eius dentibus laniaſſent, cruoremque bibere non horruiſſent, tandem exuſtum eſt. Apud Florentiam per id tempus Xanthus latebat Herculis Bentiuolii (quem quondam Eugenius pont. max. interfici ſiue iuſſerat, ſiue permiſerat) filius extra matrimonium natus, pauperem vitam in lanificii exercitio ducens, nec ſatis gnarus, quo patre genitus eſſet: Hunc Bononienſes è veſtigio vocant, recuſantem & quodammodo inuitum in patriam ducunt, equitem ex lanifice faciunt, tutorem Hannibalis filio reipub. principem tradunt. Cuius ea in rebus aduerſis fortitudo, ea in ſecundis moderatio hactenus oſtenſa eſt, vt Herculis filium omnes norint. Qui cum exules per proditionem nocte quadam urbem intraſſent, ac excitato rumore quaſi victores inſultaſſent; haudquaquam deſtitutus animo, excitis amicis, correptis armis in eos proſiliit: nec mora, victos cæſis captisque pluribus ex ciuitate deturbauit. Beſſarion eo tempore Cardinalis Nicænus, natione Græcus, prudentia ſingulari, & noſtra ſuaque lingua peritiſſimus, Nicolai quinti pont. max. in ea vrbe vices gerebat: qui vſque ad ipſius Pontificis obitum legatione functus, nobilitati plebique iuxta carus fuit: quamuis eo deducta ciuitas eſt, vt legari Papæ rogare magis quam imperare queant. quod plane nunc experitur Ludouicus ſanctorum quatuor coronatorum Cardinalis legatus: qui quamuis ingenio valet, & ea præditus eſt auctoritate, quæ ſummi Sacerdotis nepoti deberetur, non plus tamen in vrbe poteſt quam Senatui placet & Xantho Bononienſi viro.

Beſſarion Card.

p. 94.

CAPUT LI.

DE FLORENTIA.

FLORENTIAM vrbem in Feſulanis ruinis ad ripas Arni fluuii conditam, priſci homines Fluentiam vocauere, quæ cum auſpiciis fundata felicibus, vicinas per circuitum ciuitates excellere, mitiſque modis imperium propugnare cepiſſet; Florentia longe melius quam fluentia dicta eſt. In hac vrbe Pontifex Maximus Eugenius quartus id concilium quod Ferrariæ cum Græcis cœperat, magnifice conſummauit. Erant plures inter Græcos ac Latinos ſuper arcanis orthodoxæ fidei contentiones: quarum maxima & difficillima fuit de ſancti Spiritus proceſſione: cum Græci paraclitum ex patre duntaxat, noſtri ex patre filioque procedentem aſſererent. Poſt multas ac diuerſas diſputationes (in quibus tanquam interpres Nicolaus Saguntinus vtraque lingua diſertiſſimus, ingenio facundiaque iuxta promptus, illuſtre nomen adeptus eſt) tandem cum Latina Eccleſia in vno fidei ſymbolo conſenſere. Ciuitas in imperatorem Græcorum, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, & omnes eorum comites abunde lauteque patuit: Patriarcha illic ſenio confectus deceſſit, & apud Prædicatores intra Eccleſiam humatus eſt: cui Maffæus Vegius poeta Laudenſis non ignobilis epitaphium verſibus imparibus edidit. Nicolaus Picinius illuſtris copiarum ductor, ab exulibus Florentinis inuitatus, Feſulanum ingreſſus agrum, qui à Florentia decem millibus paſſuum abeſt, hoſtiliter cuncta diripuit: nec diu poſtea in agro Aretino, cum Eugenio ſimul & Florentinis bellum intuliſſet, apud Angleria * magno prœlio victus & profligatus eſt. Ludouicus Archiepiſcopus Florentinus apoſtolicis tunc copiis præerat: qui ea victoria nobilitatus, ad cardinalatum paulo poſtea prouectus eſt. Eugeni-

* al. *Anglia-riam.*

genius enim & vnione Græcorum facta, & Picinini metu depoſito, mente atque animo auctus, ſeptem & decem cardinales creauit: viros aut genere illuſtres, aut virtute præſtantes, aut vitæ ſanctitate conſpicuos. Inter quos & duo Græci aſſumpti ſunt, Iſidorus Archiepiſcopus Ruthenorum, & Beſſarion Nicenorum pontifex: quorum ſupra meminimus. Alphonſus rex Aragonum rogatus à Philippo Maria (vt antea dictum eſt) ſibi aduerſus Venetorum potentiam opem ferret, coacto non paruo exercitu profecturus in Galliam iter ingreſſus eſt. Sed ante Philippus obiit, quam ipſe Tiburi, quo iam epulerat, digrederetur: audita vero amici morte, & quod ab eo nuncupatus hæres eſſet, & in Sabinos profectus, magnificentiſſimo illi funere iuſta perſoluit, deinde transmiſſo Tiberi recta via in Florentinum duxit, eo (vt aiebat) animo vt Florentinos reuocare ſuas copias ex Gallia cogeret, atque ita pet Tuſciam pacatam & ſibi amicam ad opem Mediolanenſibus ferendam, quos Veneti bello premebant, proficiſceretur. Noluerant Florentini ab Alfonſo Rege rogati Venetorum ſocietatem deſerere.

Quapropter Alfonſus in agrum Volaterranum profectus, Pomeratium haud ignobile oppidum, portas claudere auſum eo ipſo quo venerat die copiis circumpoſitis vi cepit, ac diripuit: deinde ad Caſtrum nouum in agro eodem ſitum mouit. Cuius incolæ audita Pomeracii clade confeſtim abſque certamine in deditionem venerunt. Idem fecere aliquot caſtella circumiecta. Exin Montecaſtellum natura & opere munitum obſedit: quo tempore ea imbrium magnitudo, eaque vis ventorum exorta eſt, vt neque extra tentoria quieſcere millites poſſent, multis eorum diſcerptis per inane raptatis: quibus ex rebus & quod annonæ inopia laborabat, mouens inde Alfonſus Campiliam duxit: ſed quoniam Florentini id oppidum præſidio & annona firmauerant, fruſtra ibi contendit. Caſtella tamen aliquot finitima in Gerardiſca (id ei regioni nomen eſt) recepit, atque illis reſtituit, quibus Florentini prius ademerant. Erat in comitatu Regis Simonetus, mille ducens equites, qui finito Florentinorum ſtipendio ad eum tranſiuerat. Sigismundus autem Malateſta (quem rex antequam Tuſciam ingrederetur, cum equitibus mille & octingentis Peditibus conduxerat) cum ab eo indies expectaretur, ad Florentinos tranſiuit. Fridericus quoque Vrbinatium princeps, notus & clarus in armis, Florentinorum ſtipendia faciebat, qui cum eſſent equitatu peditatuque haud inferiores Rege, omnemque illi expugnandorum oppidorum facultatem præriperent; non fuit Regi conſilium in obſidione Campillæ perſeuerare, & præſertim quod in montibus commeatus penuria ptemebatur. Diuertitur igitur ad loca maritima, & apud Populoniam, olim fama celebrem, nunc dirutam vrbem conſedit: quo in loco facile ſibi ex regno Neapolitano & frumenta & bellica tormenta nauibus afferri poterant. Abeſt inde tribus ferme millibus paſſuum Plumbinum, nobile oppidum. In cuius obſidione (de qua poſtea dicemus) laboranti Regi Caſtilionum, & ipſum non parui momenti oppidum, prodente Florentinorum præſidio traditum eſt, præ- p. 95.
ter arcem: quam cum Simonetus obſediſſet, paucis poſt diebus per deditionem accepit. Dum vero Rex paulo ante apud aquam viuam in hibernis ageret, à legatis Mediolanenſibus aditus eſt: qui opem eius implorantes, in eo loco decerni bellum aduerſus Venetum ſenatum obtinuere: Iam enim Franciſcus Sfortia Mediolanenſi popnlo indignatus, Venetorum auxilio fretus, eos ſubigere ſibi ſummis conatibus nitebatur, quorum paulo ante fines & arma promouerat. Cum vero Rex ſoluta Plumbini obſidione Neapolim rediſſet, & deinde in Pelignos deceſſiſſet, Florentini legatos ad eum miſere, pacem petentes. Quibus accepta fide in caſtra profectis, poſtquam mandata expoſuerunt, bellumque recuſarunt, Antonii Cardinalis Hilerdenſis nominati inter primos theologi opera, qui id negotii de Pontificis voluntate ſuſceperat, paucis poſt diebus ea lege pax Florentino populo
* al. Eulii. reddita eſt, vt Caſtilionum & inſula Gilii, * quæ ipſius belli tempore Florentinis erepta fuerant, in poteſtate Regis remanerent. Sed eum Franciſcus Sfortia Mediolano potitus eſſet, omneſque pontes & arces apud amnem Abduam tanquam Mediolanenſis agri à Venetis repeteret, Alfonſus (qui cum Franciſco eſſet infenſus,

è re ſua eſſe ratus illum, ne radices in tanto imperio ageret, impedire) per Leonellum Marchionem Eſtenſem reconciliatus Venetis, & cum eis amicitia ſocietateque facta, Florentinis qui Franciſci fortunam ſecuti & armis & pecunia eum iuuabant, ſecundo bellum indixit: Ferdinandumque filium in expeditionem contra eos mittendum duxit. Erat is eo tempore admodum adoleſcens, ingenio eximio, & ad cunctas optimas artes docili ac parato, liberalibus diſciplinis inſtitutus, armorum tractandorum ſcientia edoctus, gloriæ cupidus, inediæ ac laboris patiens: cui pater ſex millia equitum, duo millia peditum commiſit, fuerunt & in exercitu eius comes Euerſus & Vrſinus Neapoleos haud contemnendi copiarum Duces: Fridericus quoque Vrbinas, qui ſuperiori bello Florentinorum arma ſecutus erat, in eius exercitu militauit. Florentini vero poſtquam imminere ſibi belli tempeſtatem ſenſerunt, Eſtorem Faucntinum Symonetum (quem ſuprà nominauimus) ac Sigiſmundum Malateſtam, poſtremoque Alexandrum Sforſiam conduxere: qui ſimul iuncti ſupra decem millia equitum, peditum vero magnum numerum in caſtris habuerunt. Ferdinandus tamen per agrum Crotonenſem in Aretinum copias duxit: vbi caſtellis aliquibus non magni nominis vi captis atque direptis, Folianum non parui momenti oppidum cum oppugnare cœpiſſet, nec hoſtes auxilium ferrent, poſt dies octo per deditionem accepit: equitatum Eſtoris apud montem Politianum, pluribus captis, nonnullis occiſis, fudit ac fugauit. Recinium in agro Florentino vi expugnauit: Caſtellinam vero cum obſediſſet, hyberno rigore inualeſcente receſſit: & in maritima loca ad Aquam viuam patris exemplo ſeſe recepit, quo tempore & Antonius Olzina Vadam in littore maris ſitam nauibus occupauit, & ampliori foſſa à terra communiuit: quo ex loco Piſanum & Volaterranum agrum infeſtum reddidit. Cumque interea Florentinorum Duces ad Folianum caſtra mouiſſent; vellerque Ferdinandus auxilium obſeſſis ferre, iamque itineri ſe commiſiſſet: tanta in caſtra lues conſecuta eſt, vt prælanguentium numero non modo ad rem gerendam, ſed vix ad mouenda caſtra ſatis eſſet. Ob quam rem Folianum interea ſumma vi expugnatum, nec minori virtute defenſum, tandem ab oppidanis clam præſidio traditum eſt: qui tamen paulo poſt & ipſi victorum præda fuere: oppidum incenſum ac ſolo æquatum.

Per idem quoque tempus Gerardus Gambacurta, dum caſtella quatuor, quæ pater à Florentinis acceperat, intra Apenninum ſita, Ferdinando tradere vult, ab vno à ſuis proditus, caſtellis amiſſis, diu Regem mendicando ſecutus eſt. Exin pace apud Laudam (vt diximus) facta, reuocatur à patre Ferdinandus in regnum conceſſit. Florentini quæ amiſerant, cuncta receperunt. Baldatius pedeſtrium copiarum haud ignobilis ductor, manu promptus & audax, cum diu Florentinorum ſtipendia meruiſſet; in palatium tandem accerſitus, dum magiſtratui contumaciter reſpondet; captus, ex altiſſimis feneſtris in forum præcipitatur: cui quamuis magno caſu iam expiraſſet, ſecuri tamen ceruix abſciſſa eſt. Inter Florentinos omnes, qui noſtra ætate floruerunt, Coſmus cognomine Medicus & prudentia & auctoritate eminuit, is princeps vrbis habitus, Senatum quo voluit, impulit: ciuitati leges ex arbitrio dixit, inopes ciues complurimos ditauit, matrimonia conſtitutis ex argento ſuo dotibus multa coniunxit, illas magnificentiſſime exædificauit, in Eccleſias ditiſſima dona contulit, monaſterium ſancti Marci & amplum & nitidum à fundamentis erexit; parochiæ ſuæ templum, cum ſibi parum placeret, prorſus diruit: Exin ſtructuram admirandi operis ex lapide Feſulano ſuſcitauit: ædes ſuas quamuis ornatiſſimas erexiſſet, amplius tamen meditatus opus, palatium & altum & ingens ex quadratis lapidib. inſigni urbis loco adeo pulchrum, adeo amplum conſtruxit, vt ei alterum æquari tota ciuitate non poſſit. Commendanda eſt multis in rebus Florentinorum prudentia: tum maxime quod in legendis cancellariis non iuris ſcientiam (vt pleræque ciuitates) ſed oratoriam ſpectant, & quæ vocant humanitatis ſtudia.

Coſmus medices.

p. 96.

Norunt enim recte ſcribendi dicendique artem non Bartolum aut Innocentium, ſed Tullium Quintilianumque tradere. Nos tres in ea vrbe cognouimus, græ-

græcis & latinis libris & conditorum operum fama illuſtres, qui cancellariam alius poſt alium tenuere: Leonardum & Carolum Aretinos, & Pogium eiuſdem reipublicæ ciuem, qui ſecretarius Apoſtolicus tribus quondam Romanis Pontificibus dictarat epiſtolas. Illos præceſſerat Colucius, cuius ea dicendi vis fuit, vt Galeacius Mediolanenſium princeps, qui patrum noſtrorum memoria grauiſſimum Florentinis bellum intulit, crebro dicere ſit auditus. *Non tam ſibi mille Florentinorum equites quam Colucii ſcripta nocere.* Diſceptatum eſt diu inter Florentinos ob pecuniarum exactiones, quæ tenuiores ciues magis quam opulentos vrgebant. His diebus, conſentiente Coſmo noua Cataſtri, id eſt fortunarum cuiuſque ciuis deſcriptio cœpta eſt: quam raro facta ſine tumultu motuque populi ferunt. At tunc quiete tranquilleque tranſiit.

Lucenſes qui noſtra memoria bis Florentinorum obſidionem perpeſſi, bis Philippi Mediolanenſium Ducis auxilio ſuam libertatem defendere, ad extremum cum vicinis viribus pares eſſe non poſſent, nec facile inuenirent, qui quotiens hoſtis premeret, totiens ferret opem, fœdus in quinquaginta annos cum eis percuſſere: eas leges ſubeuntes, quas dixere potentiores. Inter Florentiam & Senam apud oppidum quod Caſſiam * appellant, anno poſt Iubilæum ſexto viſæ ſunt nubes viginti (vt ferunt) cubitis à terra ſublimes, inter ſe mirabili ventorum impetu agitare ac depugnare, & alteræ alteras pellere, & mutatis ſæpe vicibus pelli quæ pepulerant. Interea ſumma atque incredibili ſpiritus violentia domorum tecta per inane iactari, muros deiici, & ſaxa ingentia loco moueri, vetuſtiſſimas oliuas & antiquiſſima quercuum robora radicitus conuelli atque confringi, homines ac iumenta non paruis ſpaciis per cœlum ferri ac raptari, hæc nobis, qui ſe vidiſſe aiebant, retulere. Sed magis nos vt crederemus, epiſtolæ à grauiſſimis viris de his rebus Alfonſo Regi dum apud eum ageremus, ſcriptæ & in præſentia noſtra lectæ commouere.

* *al. fanctum Caſſianum.*

CAPVT LII.

DE SENENSIBVS.

VRBS Sena, unde mihi origo eſt, ſecundum hodie locum in Etruria obtinet: amœniſſimo ſita loco, & (ſi mihi fides habenda eſt) populo neque rudi neque inurbano. Huius rectores, qui nobilitate poſtpoſita (quæ fuit in ea ciuitate tota Italia memorabilis) & parte populi quam duodecim appellant, prorſus conculcata, multis annis in pace quieuerant, inter ſe tandem duas factiones habere cœperunt, quæ prout ſuæ rei conducere arbitratæ ſunt, ita ſe vel populis vel Italiæ principibus coniunxere. Cum vero Rex Alfonſus in Florentinos (vt antea relatum eſt) duceret exercitum, factiones ipſæ manifeſtius patefactæ. Altera regium bellum contra Florentinos iuuandum eſſe conſuluit, altera cum Florentinis auxilium dandum eſſe ſuadere non auderet, diſſimulandum eſſe cenſuit. Vicerunt primo Regis amici, & in eius caſtra commeatus miſere, ſed cum Rex ad ſextum lapidem vrbi proximus caſtramentatus eſſet, diſſeminantibus in plebe qui Florentinis ſtudebant, Alfonſum non tam Florentiæ quam Senæ dominium quærere; tota vrbe trepidatum eſt, & armati ad portas diſpoſiti, haud aliter Alfonſi milites, quam libertati ſuæ inſidiantes obſeruauere. Comminuit aliquantiſper ea populi ſuſpicionem Franciſcus Martorellus, præſtanti vir ingenio, & quo Rex libenter vteretur, legatus ad eos miſſus: Sed cum non tam Regis amore aut odio, quam priuatis ciuium contentionibus reipublicæ conſilia turbarentur; adeo tenuiter annona in caſtra Regis deportari permiſſa eſt, ut Florentinis ſimul & Regi videretur illuſum. Idem factum, cum Ferdinandus Regis filius alio poſtea tempore in eoſdem Florentinos duxiſſet: neque enim principio eius aduentus ſatis ei fauentes fuere. Sed Veneti, cum Senenſibus ac Regi fœdere iuncti eſſent, vſque adeo Senenſes legationibus agitarunt, vt & ipſi ſocietatem tandem Regis inierint, bellumque p. 97.
Florentinis publice indixerint: quod breui ſopitum eſt, Venetis apud Laudam in-

con-

conſulto Rege pacem recipientibus. Poſt hæc Senenſibus aliud è veſtigio bellum exortum eſt aduerſus Hildebrandinum Pitiliani comitem: in quo ducibus vſi ſunt Sigismundo Malateſta, & Gisberto Corrigienſi: quorum potentia non tantum hoſtibus quantum ipſis Senenſibus formidanda fuit. Suborta autem inter Sigismundum & Senenſes diſcordia, cum ſeſe ille ſuſpectum eſſe animaduerteret, non ſine ſuo & Senenſium damno receſſit: Gisbertus cum Senenſibus perſeuerauit. Interea Comes Iacobus Picininus (qui iam pridem apud Venetos ſtipendia faciens non ſine laude rerum geſtarum eorum copias duxerat) cum pace vbique parta ſtipendio carerer, in Hetruriam properans; Senenſes iure paternæ amicitiæ, vt ſibi auri viginti millia mutuo dent, miſſis legatis expetiit. quod cum fruſtra fuiſſet, acies in eos conuertit; & ingreſſus Senenſem agrum, pleraque oppida partim vi, partim proditione recepta diripit. Calixtus tertius qui recens pontificatum inierat, copias ſuas Senenſi auxilio mittit. Idem Franciſcus Sfortia, idem Florentini faciunt. Veneti quoque per fœdus requiſiti auxilium, quamuis tenue, præbent, committitur ex improuiſo prælium: ex quo ſine magno partium damno diſceſſum eſt. Iacobus cum exercitu coactus eſt Caſtilionum ſeſe recipere, quod Regis oppidum eſſe diximus à Florentinis priori bello receptum: vbi quamuis acriter oppugnaretur, expugnari tamen non valuit. Inter hæc Gisbertus in ſuſpitionem actus, tanquam cum Picinino ſentiret; cum eius rei cum parua extarent iudicia, vocatus ad vrbem in ſenatu Senenſi trucidatus eſt, & per feneſtram in forum proiectus. Picininus Paulo poſt Vrbetellum, natura loci munitiſſimum oppidum, per proditionem obtinuit: vna enim tantummodo via, eaque arctiſſima & arcis oppoſitione defenſa poteſt adiri; reliquas partes ſtagnum claudit, paruis duntaxat leuibus * cimbis nauigabile: vbi cum frumenti vinique copiam Picininus reperiſſet, tandiu, ſe continuit, donec pace apud Regem Aragonum firmata, in regnum ſeſe recepit: ſed ea pax externo bello Senenſes ſoluit, interno magis ac magis implicuit. Nam regis amici tanquam bellorum cauſa fuiſſent, Picininique ſtudia fouiſſent, partim ſecuri percuſſi ſunt, partim relegati: multi cum ſibi periculum in patria imminere cernerent, ſponte in exilium abiere. adeoque in eos qui ſuſpecti habiti ſunt, ſeueritas exercita eſt, vt etiam Florentinis videatur eſſe ſæuitum. nec dum malorum finis, quando in ciuitate parum pacata nouæ indies machinationes aut finguntur, aut inueniuntur, & ſanguis ciuilis ſorum diſpergitur. hoc fortaſſe malum equulus ille prænunciauit, qui anno Iubileo ante portam eius vrbis quæ Romam vergit, prægnans frequenti aſtante populo, dum pareret, expirauit: erat enim hermaphroditus, quamuis fœminei ſexus nullum in eo veſtigium cerneretur. Inter alios, quos vrbe relegatos haud nocentes ciuitas exiſtimauit, duo fuere ab ipſa pueritia ſocii, & ſtudiorum communione coniuncti: quamuis alter iuris ciuilis ſcientiam profiteretur, alter poeticam: Gregorius Lollius, & Franciſcus Patricius, cuius plura extant poemata, quæ doctiſſimi probant, & quæ ſibi vitam retinuiſſe creduntur. Marianus Socinus per idem tempus ſcientia iuris non ſolum apud Senenſes, ſed tota Italia late clarus habitus eſt.

* *al. lembis. cymbisque.*

vide auct. epiſt. 227. & ſeqq.

CAPUT LIII.

DE PLVMBINO ET VITERBIO.

PLUMBINUM nobile oppidum ex Populoniæ ruinis ædificatum exiſtimatur, nonnulli Populinum appellandum putant. Id eſt in littore Tuſci maris ſitum, Iluæ inſulæ oppoſitum, quæ ferri venis inexhauſta magnum quotannis vectigal Plumbini domino præbet. Huic oppido præfuit Iacobus Appianus ex Paula nobiliſſima fœmina Martini quinti Romani pontificis ſorore natus; pacificus quidem princeps & à vicinis amatus. Qui cum ex coniuge virilem ſobolem non ſuſciperet, extra matrimonium hæredem quærens, concubinam quandam amare cœpit: cuius cum venter intumuiſſet, & iam pariendi prope tempus adeſſet, incredibili gaudio ge-

ſtiens, Florentinos ac Senenſes, legatos vti ad ſe mitterent, ac partum de ſacro fonte leuarent, futuros compatres magnis precibus inuitauit. Paritum eſt.

Venere ad diem dictam legati. *mulier inter obſtetricum manus diu laborans, æthiopem tandem* peperit: *quæ res vt riſum in populo cachinnumque* excitauit, ita & compaternitates & lætitiam Principis interrupit. Tibicen tum forte Maurus in familia eius erat, ex quo natum puerum credidere: qui mox vbi detectum flagitium intellexit, ſaluti ſuæ fuga conſuluit. Mortuo Iacobo Rainaldus Vrſinus, peracri vir ingenio & rei militaris peritus, in eius locum ſuffectus eſt: non ſuo iure, ſed coniugis, quæ Iacobi filia fuiſſet. Hunc Alfonſus cum in Tuſcia Florentinorum bello diſtineretur, fauentem hoſtibus reperit. Quapropter caſtris Plumbino admoti, eum intra mœnia clauſum, terra marique ſummis viribus oppugnauit. Sed non minori virtute ipſe ab interiore parte ciues ſuos defendit, quam Regis miles ab exteriori muros inuaſit: pugnatum eſt diu acri contentione, ita vt multi vtrinque ceciderint; complures vulnerati in hoſtium manus peruenerint. In eo prœlio multorum virtus enituit. Inter quos duo Antonii, alter Fuxanus, * alter Candola ad muros pariter vadentes inter cæteros pugnare fortiter animaduerſi ſunt. Sed omnibus prælatus eſt Galeatius Baldaſinus, natione Siculus: qui ter muri faſtigio apprehenſo, qua prius tormenta disjecerant, conatus eſt oppidum irruere. cæterum feruentis aquæ viuæque calcis (quæ inter arma ingeſta vbi ad corpus penetrauerat, perurebat artus) vi deterritus, grauisque ſaxi ictu, cum reuulſa aggeris parte deturbatus eſt. Fuit autem Galeatius ſtatura quæ mediocrem excederet: robuſtis ac teretibus membris, corporis magnitudini vires reſpondebant: luctæ, iactu, ſaltuque nulli hominum ceſſit, membrorum robori par animus erat: equo ac pede iuxta bellator acerrimus: armatura graui armatus, galeatusque, humi ſtans ſiniſtra ſellam, dextra haſtam equeſtrem tenens, ſtrenuo ſaltu grandi ſtatura equum inſiliebat. Singulari certamine quater præliatus, bis in Italia, bis in Gallia tranſalpina toriens victor euaſit. A tribus hoſtium equitibus eo ipſo Florentino bello petitus, vnum ex his gladii capulo ſeminecem equo decuſſit, alium citato equo medium amplexus è ſella extractum humi ſtrauit, tertium cubito grauiter percuſſum in fugam vertit. Tanta porro modeſtia, vt nunquam ipſe de ſeſe vel rogantibus amicis diceret: vitæ cultu, morumque elegantia omnibus præterea gratus dilectusque. Perſtitit autem pluribus diebus ad Plumbinum Alfonſus: Sed cum oppidi expugnatio difficilis videretur, neque iam commeatus in caſtris eſſet, & equi conſumptis arborum foliis fame perirent, diſſoluta obſidione receſſit. Nec diu poſtea Rainaldus morbo interiit: vxor eius Catherina verita, ne Rex in ſe viri delictum puniret, miſſis ad eum oratoribus tributum ei quotannis, dum viueret, aureum poculum quingentorum aureorum daturam promiſit. Ea mortua ſollicitis oppidanis, quem ſibi potiſſime dominum legerent. vicini vero potentatus eum variis artibus ad ſe trahere conarentur, renunciatum eſt Manuelem Appianum adhuc è principum ſuorum proſapia ſupereſſe, cui ſe committere poſſent. Hic multos annos in militia verſatus, nec tamen aut opes congeſſerat, aut egregio aliquo facinore nomen quæſierat: ob quam rem dimiſſis iam armis vxorem Troiæ inter Apulos ceperat, ibique tenuiter vitam agebat, nihil minus quam dominandi ſollicitus, cum à Plumbicenſibus publice vocatus eſt: quod ei primo nuncio velut ſomnium viſum eſt. Exin Fortunæ ludum libenter amplexus, tanquam vitæ reliquum dormiuiſſet, in alterum virum mutatus, quamuis ſenex principatum iniit, rexitque poſtea plerisque annis ciuibus ſuis gratus, & vicinis amicus. Alfonſo vero, qui ei fautor fuiſſet, & ſtipendium fecit, & cenſum dedit. deceſſit autem ex duobus filiis extra legitimum coniugium ſibi natis, minore (quod eum ciuitas ſeniori præferret) hærede inſtituto.

P. 98.

* al. Riuarius.

In Viterbio vero non parui motus fuere: ſedente namque Nicolao quinto Principalles Gattus eius vrbis princeps, dum Roma redit, apud lacum Vicenſem ab inimicis inuaſus obtruncatus eſt. Exin ſedente Caliſto tertio, Wilhelmus eius nepos noctu domi necatus. ob quam rem ciuitas in vltionem ſollicita, dum malefactores

lefactores inquiruntur, dum iſti fugiunt, illi plectuntur, magnas calamitates perpeſſa eſt.

P. 99.

CAPUT LIV.

DE VRBE ROMA, ET APVD EAM PONTIFICIBVS EVGENIO NICOLAO V. CALIXTO III. ALIISQVE VIRIS CELEBRIBVS.

VRbis Romæ iam tandem nobis ſeſe res offerunt: quibus ſuam narrationem petentibus, ſeruato breuitatis inſtituto ſatisfacere pergimus. hic Ioannes Vitellicus Alexandrinus patriarcha, & cardinalis, & legatus, & patrimonii beati Petri gubernator & ductor Apoſtolici exercitus: qui Fulginates, qui Camerinos tyrannos, qui præfectum vrbis, qui Comitem Antonium Piſcinum, * qui plures alios eccleſiæ inſultantes bello victos neci dederat, dum pontem Tyberis (quem ſancti Angeli vocant) tranſire nititur, in Etruriam copias traducturus, ab his qui molem Adriani cuſtodiebant, repente inuaſus, vulneratus, captuſque in arcem rapitur: vbi paucis poſt diebus ſiue hauſto veneno, ſiue ex vulnere vitam finiuit. * *al. Piſanum.*

Prouinciam deinde ſuam ſortitus eſt Ludouicus & ipſe Cardinalis, Aquilegienſis patriarcha: iam rebus geſtis, & amicitia Pontificis late cognitus, qui pacatis in Vrbe rebus Eugenio reditum præparauit. Comprehenderant Romani Eugenium, ac libertatem aſſerentes, apud ſanctam Mariam in Tranſtyberina regione cuſtodiebant: eumque cum deceptis cuſtodibus per Tyberim nauigio fugeret, iaculis ac ſagittis petierant. Fremebat enim populus, cum externus miles infeſtis armis Romanos vaſtaret agros, homines atque armenta ſurripiens. Sed cum pluribus annis Eugenius abfuiſſet, intellexerant & opulenti ciues & inopes, Romam ſine Pontificis curia, non tam Vrbem quam vaſtam ac deſertam ſpeluncam videri: quibus ex rebus miſſis ad eum legatis, vt in vrbem ſuam rediret, magnis precibus rogauere. Rediit ille nono poſtquam effugerat anno: nec tam ignominioſe pulſus fuerat, quam exceptus eſt glorioſe. Fuit cum Franciſco Sfortia, & in Piceno (de quo poſtea dicemus) & in aliis locis periculoſum bellum, quod per Ludouicum Cardinalem, & Nicolaum Picenium iam ſibi reconciliatum confecit, Alfonſo rege opem ferente. Cogitauerat Franciſcus Sfortia Tudertinam vrbem ſibi amicam (nam eius aliquando potitus, clementi ciues imperio rexerat) deinde Romam cum exercitu petere. Erant enim inter Cardinales nonnulli, qui Ludovici potentiam indignantes, Franciſcum non quaſi aduerſus Eugenium ſed contra eius conſilium inuitabant: inter quos Nicolaum Capuenſem in vrbe gratioſum ac potentem fuiſſe commemorant. Nam Eugenius per id tempus eum de ipſa re ſuſpectum Roma amouendum curauit. Sed cum auxilia Eccleſiæ propere aduenirent, Franciſcus irrito propoſito retroceſſit. Eugenius vero, qui quondam Venetis ac Florentinis ſtudioſiſſimus fuiſſet, cum illi hoſtem ſuum Franciſcum aduerſus Eccleſiam armis pecuniiſque iuuarent, & ipſe ad eorum hoſtes declinauit, Alfonſum Regem ac Mediolanenſium principem. Et Rex quidem eius ſuaſu vſque Tiburem venerat, Philippo cuius opes iam pene collapſæ videbantur, laturus opem aut in Tuſciam contra Florentinos, aut in Galliam contra Venetos profecturus. Sed Eugenius cum quatuor Cardinales creaſſet, ex quibus ſucceſſorem ſuum aſſumendum eſſe prædixerat, in lectulo agritudinis iacens, paucis poſt diebus migrauit ad patres, & in Baſilica beati Petri apud Eugenium tertium ſepultus eſt. Prius tamen quam obiret, Germani (qui poſtquam duos de pontifice contendere animaduerterant; neutralitate quadam vtentes vtrique recuſauerant obedire) deſtinatis Romam legatis, inter quos & ego vnus eram à Friderico Imperatore miſſus, obedientiam ei iamiam morituro reſtituerunt. Ipſe vero Theodoricum Colonienſem & Iacobum Treuerenſem archiepiſcopos, quos pontificali dignitate priuauerat, mutata ſententia ad priſtinos reduxit honores. Magnus profecto & clarus pontifex fuit Eugenius: contempſit pecunias, virtutem apprime dilexit, *Eugenius, pp.*

lexit, neque ſecundis rebus intumuit, neque ſuccubuit aduerſis: neque metus triſtitiam auxit: ſedatus animus eundem ſemper eius vultum oſtendit, ſermone breui, eoque grauiſſimo vſus eſt: durus & aſper in hoſtes, propitius in fidem receptis. Ad hæc proceritas corporis, oris decor, & veneranda in ſene maieſtas: quidem fidem adhibuit, plus aliquanto credidit, & maius imperium quam par fuerat, commiſit. Huius pater cum in Ægypto negociaretur cum patre Franciſci Foſcari (de quo iam mentio facta eſt) ab Heremita, quem pariter ſciſcitandum adorſi ſunt, non minus lætum vaticinium, quam ille accepit. Ille enim filium quem habebat, futurum patriæ principem, hic ſuum inter ſacerdotes ad ſummum euaſurum didicerat. Eugenio vero Gabrieli nomen in baptiſmo inditum fuit, qui cum adoleuiſſet, conditis * parentibus, Euangelii non ſurdus auditor, patrimonium quod ab illis non tenue accepetat, inter Chriſti pauperes erogauit. Exin Antonio Corario comite, eiuſdem ſeruoris adoleſcente, religionem intrauit: in qua ſumma cum laude verſatus tam diu cum illo vixit, donec Angelus Corario Gregorius tertiuſdecimus appellatus, ſedem Petri ſortitus, cum alter ab altero ſeparari non poſſet, ambos ad ſe vocans Senenſi eum, Bononienſi Antonium præfecit eccleſiæ. Nec diu moratus, vtrunque cardinalatus honore dignatus eſt: in quo ambo claruerunt. Sed hic ſummum pontificatum adeptus, magis enituit: qui & ſi oriente ſchismate in principio ſui pontificatus vſque ad obitum cum Baſilienſibus contenderit, coronato tamen Sigismundo Cæſare Græcorum & Armeniorum peracta cum Eccleſia Latina vnione, ciuitatibus Eccleſiæ quas amiſerat recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia Romanorum edomita, victor inclitus hominem exuit. Hic me, quamuis aliquando aduerſus eum exiſtimans Deo ſacrificium facere cum Baſilienſibus ſenſiſſem * (nam meo tempore tota nutabat Eccleſia) venientem ad ſe benigne recepit, inter ſecretarios collocauit, & apoſtolici ſubdiaconatus honore donauit, Eccleſiam quoque Tergeſtinam paucis diebus antequam moreretur, cum falſo rumore vacantem audiſſet, multis illam petentibus, mihi vni ex omnibus deſtinauit, quod poſtea ſucceſſor eius impleuit.

al. defunctis. p. 100

* *Vide epiſt. 25.*

Nicolaus V. PP.

Nicolaus quintus natione Tuſcus ex oppido Sarzana, patre medico, Theologica doctrina illuſtris, & omni ferme ſcientiarum genere inſignis, poſt Eugenium in Petri cathedra ſuffectus eſt: qui paucis ante menſibus Cardinalatum ab eo, cum felicem apud Germanos legationem obiiſſet, nec diu prius epiſcopatum Bononienſem acceperat. Hic vrbem Romam multis ac maximis ædificiis mirum in modum exornauit: cuius opera ſi compleri potuiſſent, nulli veterum Imperatorum magnificentia ceſſura videbantur: ſed iacent adhuc ædificia interrupta, ruinæque murorum ingentes. Schiſma quod apud Sabaudienſes adhuc in eccleſia vigebat, exploſit: Amadeum papatui renunciantem in gratiam recepit, Cardinalatus honorem & in paterno dominio legationem reliquit. Cardinalibus aliquot ab eo creatis dignitatem dimiſit: Romanos longa pace ditauit, Iubileum feliciter geſſit, niſi quod in ponte ſancti Angeli ex concurſione populorum improuide facta ducentos circiter homines aut conculcatos aut in flumine eiectos periiſſe conſtat. Bernardinum Senenſem ordinis Minorum profeſſorem, qui paulo ante obierat, in numerum Sanctorum retulit: Fridericum tertium Imperatorem & Leonoram Auguſtam matrimonio iunxit, ac de more inunctos coronauit, eorum familias abunde & multa cum lauticia paſcens. bis cardinales creauit: & primo quidem vnum tantum Antonium natione Maioricenſem ad titulum ſancti Chryſogoni, quem ſibi philoſophiæ ſtudiis & arcanorum ſacræ Theologiæ cognitione ex omnibus parem eligeret. Secundo ſex creauit, aut doctrina percelebres; aut generis claritate inſignes, inter quos & germanum ſuum Philippum ſanctæ Suſannæ Cardinalem aſſumpſit, placidis moribus & incorruptæ fidei virum. Libros ex tota Græcia perquiſitos ad ſe iuſſit afferri, & in Latinam conuerti linguam curauit, magna præmia translatoribus præbens. acceptiſſimi ei fuerunt in transferendis operibus Georgius Trapezuntius, Laurentius Valla, Petrus Candidus December, & Gregorius Caſtellanus, item Demetrius natione Græcus, qui ſoluta oratione vtentes, cum Pontificis

ficis aures mirifice oblectarent, nihil ex eo quod peterent non abstulerunt. In Homeri vero poemate quod ab Heroico carmine latinum fieri magnopere cupiebat, cum plurimi morem ei gerere conarentur, vnus tantum inuentus est, qui acri eius iudicio satisfaceret. Oratius Romanus, qui scribatum apostolicum ea de re consecutus magnisque pollicitationibus illectus, Iliadem aggressus, nonnullos ex ea libros latinos fecit, dignos quos nostra miraretur, prisca non imploraſſet ætas. Nicolaus quoque Perotus, Polibio è Græcis commode atque ornate ad nos traducto, Joannes Tortellius Aretinus libro de Orthographia peritissime conscripto; Albertus Flotentinus conditis de Architectura egregiis voluminibus; aliique pene innumerabiles noua cudentes opera, eius Pontificis gratiam meruere. Adeo enim ingenia excitauit fouitque Nicolaus, vt vix ævum inueniri possit, quo magis humanitatis & eloquentiæ cæterarumque bonarum artium studia, quam suo tempore floruerint. Illud certe nemo negauerit, tot ei à doctissimis viris inscripta esse volumina, quot neque suorum prædecessorum neque Imperatorum cuiuspiam nomini dicata comperimus. Vnum tamen à doctis ab eo neglectum miramur, Blondum Flauium Foroliuiensem; qui res à declinatione Romani imperii vsque ad ætatem nostram toto orbe patratas mirabili ordine in tres digessit decadas, Romam describendo instaurauit, Italiam illustrauit, deinde triumphantem Vrbem scribere adorsus, omnem nobis
p. 101 vetustatem aperuit. Sed ita fuerunt hominum mores, perraro quemquam extollit Pontifex, quem præcessor amauit. Cæterum Nicolaus & veteribus & nouis codicibus ornatissimam Bibliothecam instruxit, in qua circiter tria millia librorum volumina condidit. Sacrarium apostolicum vasis aureis atque argenteis, sacerdotalium indumentis mirifice decorauit: altaris ornamenta, aulea quoque ex auro contexta mirandi operis coemit, supellectilem toto palatio necessariam magnificentissime comparatam duplicauit triplicauitque legationibus quas publice audiuit ita respondit, vt dubium esset, sapientiam eius aut eloquentiam magis admirere. Si quos esse in Vrbe peregrinos existimatione dignos accepit, confestim eos missis xeniis honorauit: nobiles domo sua extorres, qui ad se venerant, benigne confouit: pauperib. Christi largas eleemosynas dedit: religiosis mendicantibus nihil ad necessitatem deesse sustinuit. In Ecclesias vrbis plurima dona contulit. In patrimonio beati Petri plurimas ac munitissimas arces oportunis locis erexit. Huius tamen tam admirabilis tam expetendi Pontificis vitæ non defuerunt insidiatores: Stephanus enim Romanus familia Porcaria, tenui censu eques, res nouas sæpe in Vrbe molitus, ac propterea Bononiæ relegatus, clam inde excedens magnis itineribus Romam rediit, conuocatisque mox amicis mentem suam exposuit: *Turpe esse* dictitans, *eam Vrbem quæ totum sibi subiecerit orbem, nunc sacerdotum imperio subiacere, quos rectius fœminas quam viros quis appellauerit. Veniſſe ſe paratum patriæ iugum excutere. rem ſactu facilem, ſi viri fuerint: Nicolaum Pontificem celebri Epiphaniarum die in æde beati Pauli* * *ſacra facturum, haud magno negocio comprehendi poſſe: populum libertatis amore, quam proclamari audierit, mox opem audentibus daturum.* * al. Petri.

Ad colligandum autem præsulem, cathenam auream secum attulit, à se iam pridem paratam, quam congregatis ostendit. Neque enim mox occidendum præsulem ex visu esse dicebat: sed obseruandum, donec arcem sancti Angeli per eum recuperaret: atque (vt erat homo facundus) facile in suam sententiam congregatos traxit: atque eo facilius, quod inopes ære alieno grauatos, & ob patrata scelera iudicium formidantes ad se vocauerat, quibus nihil erat in pace sperandum. Sed præsensit insidias Nicolaus, missisque militibus comprehendi hominem iussit. Illi eum iam animo fractum, & apud sororem in arca latentem inuenerunt. Complices eius in domo qua conuenerant, expugnati captique sunt: è quibus vnus Baptista Sciarra manu promptus, & animo intrepido, per medias Pontificis cohortes viam gladio sibi aperiens effugit. Stephanus in arce sancti Angeli, alii in capitolio suspensi vitam finiere: atque ita Pontifex Maximus ingenti periculo liberatus, Romanæ sedis dignitatem imperiumque seruauit. felix

* vide auctoris epiſt. 162.

pontifex, & omnium iudicio beatiſſimus niſi * eo ſedente Turci (vt ante diximus) Conſtantinopolim expugnaſſent, Chriſtianorum deſidiæ atque ignauiæ memorabile perpetuum.

Acceſſit & aliud, quod non parum eius gloriam imminuit. Nam cum pacis Italiæ, quæ tum vehementer ferro vaſtabatur & igne, ipſe reparator & arbiter concordi partium voto delectus eſſet, dum diem ex die in deliberationem ducit, ſuſpectus eſſe Franciſco Sfortiæ iam Mediolanenſium principi ac Venetis cœpit: tanquam eam ſententiam promere nollet, quæ aliis pacem, Eccleſiæ bellum allatura videretur. ob quam rem intercedente Simoneto Monacho * ordinis Heremitarum ſancti Auguſtini profeſſore, obſcuri antea hominis & prorſus ignoti, ſed vitæ integritate probato, Veneti cum Franciſco Duce conuenientes inter ſe concordiæ leges dixere: præſtituta die, intra quam bello ſocii pacem ratam haberent.

* vide auctoris epiſt. 172.

Viſum eſt id omnibus monſtri ſimile, humilem & incognitum monachum Italiam pacauiſſe. Sed recuſante Alfonſo pacem (quæ ſibi inſcio dicta erat) vanam eſſe Nicolaus, quæ de ſe habita fuerat, ſuſpitionem oſtendit: miſſo ad Alfonſum legato Dominico ſanctæ crucis Cardinali, prudentia ſingulari & vitæ integritate conſpicuo. Qui cum Caietam, deinde Neapolim peruenisſet, interuenientibus Venetorum & aliarum partium legatis, differentiiſque omnibus tanquam ex integro diſcuſſis, Alfonſo Regi non ſolum pacem ſuaſit, ſed fœdus in annos quinque & viginti inter omnes Italiæ potentatus percuſſit: cuius Romanus Pontifex & conſeruator & iudex dictus eſt, Sed cum doloribus arthriticis per omnem ferme pontificatum ſuum Nicolaus vehementer laborans, indies magis ac magis opprimeretur, nec iam amplius mortalem pollutumque comitatum candidior anima dignaretur, è vita deceſſit. Ab eo, quæ mihi pontifex Eugenius munera crediderat, non ſolum confirmata ſunt, ſed amplius pontificalis dignitas adiecta: Tergeſtinaque primum Eccleſia, deinde Senenſis commiſſa.

Calixtus pp. 111.

Calixtus tertius poſt eum beati Petri cathedram obtinuit, natione Hiſpanus, p.102 ex regno Valentiæ nobili genere natus, vnus omnium qui ſuo tempore ſcientiam iuris profiterentur, eminentiſſimus: & qui conſilium regis Alfonſi (in quo multis annis præſiderat) illiuſque artes ac cautiones præ ſe ferret. Is ut primum Pontificatus apicem adeptus eſt, mox animum ad delendam Turcorum & legem & gentem conuertit, votumque vouit: ad eam rem Solennes miſit in Germaniam, in Galliam, in Hungariam, in Orientem legatos, primarios S. Romanæ Eccleſiæ Cardinales: è quibus nullus adhuc rediit: Alanum tamen cardinalem ſanctæ Braxedis, magno ingenio virum, & animo ſecuro & potenti propediem è Gallia reuerſurum putant. Naualia (quod antea inauditum fuerat) Romæ conſtituit: triremes quas plures ad ripam Tiberis in ciuitate Leonina parauit, & in Turcos miſit. Comitem Iacobum Picininum Senenſibus (vt dictum eſt) armis inſultantem miſſo milite ſuo repreſſit. Regi Alfonſo quærenti ex eo, quo pacto inuicem victuri eſſent? *regna ſua, reſpondit, ipſe regat, mihi ſummi Apoſtolatus gubernationem relinquat.* Veras eorum multis de rebus diſſenſiones, magna pars Italiæ ſimultates confictas eſſe credidit: qui fidem dedere contentioni, alii Calixtum, alii Alfonſum, alii vtrumque accuſauere. Quorum alter Regem, ſub quo natus eſſet; alter ſuum ſacerdotem, cui tanquam vicario Dei parendum eſt, ferre non poſſet. Bis cardinales à Calixto creati ſunt, primo tres, ex quibus duo nepotes eius fuere: quorum & ſi fuit ætas aliquanto minor, quam tanta dignitas videretur expoſcere, doctrina tamen & circumſpectio, & morum ſuauitas id honoris haud iniuria conſecuta cenſetur. Tertius fuit Iacobus de Portugalia, regio ſanguine natus: in quo ea modeſtia, ea grauitas, id acumen ingenii, id ſtudium literarum, is amor virtutis emicuit, vt quamuis iuuenis adhuc, tardius tamen opinione omnium ad eam dignitatem aſcenderit. Secundo loco ſex aſſumpti ſunt, haud profecto indigniſſime vnum * demas) tanto munere: meo tamen iudicio nulli dignius id honoris obuenit, quam Ioanni epiſcopo Zamorenſi, ciuilis ſapientiæ cognitione

* vide huc auct. epiſt. 188

ſubli-

ſublimi : qui vno de quadraginta annis Romanam ſecutus curiam, per omnia ferme officia caſtus innoxius tranſierat : Cancellariam vero quæ à tempore Nicolai vacauerat, Calixtus nepoti ſuo ſancti Nicolai in carcere Tulliano cardinali ac Marchiæ legato commiſit. Germanum eius Petrum Borgiam egregia ſpecie atque indole iuuenem, Eccleſiaſticæ militiæ ducem præfecit : exin præfecturam vrbis ei commiſit, Ludovico Cardinali ſanctorum quatuor Coronatorum, & ipſi quoque nepoti, legationem Bononienſem demandauit. Vincentium natione Hiſpanum, & Oſmundum Anglicum, miraculorum fama illuſtres, inter ſanctos redegit. Legatos in Scythiam, & Perſidem, in Æthiopam miſit, qui Chriſtianos per orientem in fide continerent, & aduerſus religionis hoſtes armarent. Scanderbechio in Albania, multiſque aliis per Græciam Turcorum bello laborantibus, pecuniaria ſubſidia largitus eſt. Transfigurationis Dominicæ feſtum inſtituit, & celebrari publice iuſſit. Aſſumptionem ſuam, priuſquam pontifex maximus eligeretur, pluribus annis prædixit, cladem quoque, quam Turci apud Albam in Hungaria ſuſtinuere, antequam fieret, vaticinatus eſt. Nunc quoque de futuris multa & magna promittit : quæ diuina pietas non abnuat velim.

Mortuo Ioanne comite Taliacotio, qui è proſapia Vrſinorum fuit, cum maſcula ei ſoboles nulla eſſet, Vrſini hæreditatem eius propinquitatis iure ad ſe traxerunt. Id ægre tulit comes Euerſus, cuius filio nuptâ eſſet vnica Ioannis filia : ventum eſt ad arma : Columnenſes Comiti Euerſo auxilium præbuere. deinde hortante pontifice Proſper Cardinalis, Martini quinti Romani quondam ſapientiſſimi & feliciſſimi Papæ nepos, eius gentis honoratiſſimus, & litterarum ſtudio late clarus, cognitionem ſuam bello ſubtraxit. Inter Vrſinos & Euerſum uſque hodie impacatæ durant inimicitiæ. * Latinus ſanctorum Ioannis & Pauli Cardinalis, illuſtris Vrſinorum familiæ princeps, dexterrimo vir ingenio, iuris ſcientia, & animo qui alta curet, parua deſpiciat, inſignis ; ex Vrbe profectus ad oppida ſua conceſſit, tanquam Romæ non ſe ſatis tutum exiſtimaret : ſiue Comitis inſidias veritus, ſiue Pontificis indignatione commotus : nec reuocatus in hanc vſque diem reuerti voluit. Calixto inter omnes Cardinales duo ad hoc vſque tempus in primis auditi atque accepti fuerunt : Wilhelmus Rothomagenſis, amœno ingenio, & affinitate * ſanguinis clarus, ac Petrus ſancti Marci Eugenii quarti nepos, patricia apud Venetos gente natus, & induſtria potens : ſiue quod eorum conſiliis multum ineſſe crederet, ſiue quod alterum Franciæ regnum, alterum Venetorum Rempublicam ducere poſſe arbitratus eſt. Symonem Romanum, philoſophiæ ſtudiis & arte medica excellentem, adeo dilexit, vt fratrem eius Iacobum Epiſcopum Ferretanum, quamquam virtute præſtantem, ſua potiſſimum conſideratione rubeo galero donauerit. In audiendis legationibus priuatorumque hominum cauſſis, anteceſſorum ſuorum facilitatem longe ſuperauit, epiſtolas & Regibus & amicis per ſeipſum dictauit. In ſignandis ſupplicationibus libens & hilaris tempus abſumpſit : de iure interrogatus percupide reſpondit, leges & canones tam ei fuerunt in promptu, quam ſi heri aut nudiuſtertius ſcholam iuris primum exiuiſſet, nihil enim memoria ſua excidit, quod retinendum exiſtimauit. Cæterum nulla facultas ei iuris cognitione potior viſa eſt : in qua ipſe ita excelluit, vt ſuorum prædeceſſorum, qui ſibi poſſit æquari, vix vnus aut alter inueniatur. Hic poſtquam ordini Cardinalium me inſcripſit, Varmienſem quoque Eccleſiam * ad mare Balticum inter Sarmathas ſitam poſtulantibus canonicis commendauit : cuius poſſeſſionem, frementibus ea in regione crudelibus & atrociſſimis bellis, nondum aſſequi potui.

* vide auct. epiſt. 176. 294

* al. origine.

p. 103

* vide Auctor epiſt. 275. 280. 281. 283. 296. 515. 526. 552.

CAPUT LV.

DE VMBRIA, ET PICENO.

IN Vmbria, quæ hoc tempore ſub Ducatu Spoletano continetur, paucæ ciuitates inteſtinis ſeditionibus caruerunt. Nurſia, Quinti Sertorii quondam patria, Guel-

Guelfarum partium inſidiis ſæpius agitata, vix tandem reſpirare potuit. Narnia, quam ſulphureo gurgite candidus amnis circuit, ancipiti vix adeunda iugo, * Gibellinorum factione depreſſa, Guelforum conſilio ducta quieſcit, non Amerinis, non Reatinis, non Fulginatibus, non Ortanis, non ipſis denique Spoletanis ſuæ calamitates defuerunt. Sed Aſiſina ciuitas omnium miſerior inuenta eſt: quæ dummodo Brachianam: modo Sfortianam factionem admittit; & nunc partem, quæ ſuperior, modo alteram, quæ inferior eſt, expellit,* eo deducta eſt, ut iam ciues vniuerſi non ſolum inferiores, ſed nulli potius vrbe iam pene deſerta dici poſſint.

* *Horat.*

* *al. amplectitur, ſe procellis fortunæ quatiendam proſtituit Marchiæ.*

Picentium regionem (quam noſtra ætas Marchiam vocat) Franciſcus Sfortia Vicecomes Eugenio quarto Pontifice maximo tum rebus Baſilienſibus occupato, ac non ſolum Philippi Mariæ, ſed Alfonſi quoque Regis inimicitiis implicito, vna quodammodo excurſione ademit: nonnulliſque poſt annis continuata poſſeſſione retinuit. Interim captus amore puellæ, quæ inter virgines coniugi ſuæ ſeruiebat, & ſibi multarum moleſtiarum & illi necis cauſa fuit. Perpetua ea vocata eſt, apud Nouarienſes honeſtis parentibus orta, forma egregia, & ingenuis moribus: niſi potentis domini decepta blanditiis, virginitatem cum adulterio permutaſſet. Hæc cum iam paulatim intumeſceret vterus, ad tegendum facinus quæſito, qui eam duceret, viro deſpondetur. Conſtituta nuptiarum die vocatis amicis, apparato grandi conuiuio, ſponſus in oppido, quod à Franciſci curia non longe inhabitabat, lætus aduentum nouæ nuptæ præſtolabatur, ducitur illa multis comitata nobilibus. Sed ingreſſa oppidum, cum deſcendere in domo ſponſi crederetur, iuſſa vlterius pergere, in arcem rapta eſt: nec vlterius infelici viro videndæ ſponſæ copia fuit. Quod cum Blanca Franciſci coniunx cordatiſſima mulier cognouiſſet; nunquam deinde quieuit, dimiſſis percuſſoribus puellam quamuis diligenter cuſtoditam interfecit. Franciſcus quamuis ea re valde commotus, vxoris tamen iuſto dolori cenſuit ignoſcendum. Exin pontifex Eugenius iam Philippo Regique conciliatus, Nicolaum Picininum cum exercitu adverſus Franciſcum miſit, Regemque vt iter in Marchiam duceret, adhortatus eſt, annuit Alfonſus, delectuque militum habito cum florentiſſimis equitum peditumque copiis in Picenum peruenit. Iunctiſque apud Biſium cum Picinino caſtris, eoque totius exercitus duce conſtituto, conterritos oppidanos in deditionem Eccleſiæ compulit, quorum exemplum & ſancti Seuerini incolæ ſecuti, claues portarum miſere. Quæ cum Franciſcus accepiſſet, copiis ſuis per munitiora prouinciæ oppida diſtributis, protrahere bellum è re ſua arbitratus eſt. Exin cum Petrus Brunorus unus è copiarum ſuarum ductoribus cum octingentis equitibus ad Regem tranſiſſet; Maceratenſes vero ac Colentinates deditionem Eccleſiæ feciſſent: conſentientibus Venetis ac Florentinis redire ſe in gratiam Philippi ducis Mediolani, vt Regis impetum euaderet, amicis interpoſitis ſimulauit. Credidit Philippus: literiſque ac nunciis vti copias in regnum reduceret, Alfonſum fruſtra rogauit. Turpe enim Regi videbatur, inuito Eugenio rem infectam relinqui, perſeuerauit igitur, atque acrius inſtans Cingulum oppidum in deditionem Eccleſiæ recepit. caſtrum planum vi captum militi diripiendum dedit: nec territus eſt, quamuis Philippus ea re commotus pacem cum Venetis ac Florentinis feciſſet. Sed Aeſim cum exercitu petens, Troilum copiarum ducem, cui Franciſcus maxime fidebat (nam & multos p. 104
annos in equitatu ſuo primos ordines duxerat, & ſororem eius in vxorem acceperat) tradita ciuitate ſeſe dedentem, in comitatum ſuum recepit: deinde Roccham Contratam, cum defendente Ruberto Franciſci nepote pluribus diebus fruſtra oppugnaſſe, ad Metaurum amnem ſupra Fortunæ Fanum, quo ſe Franciſcus cum reliquo equitatu receperat, continuato itinere duxit. Ibi ad Alfonſum tubicen quidam à Franciſco in caſtra venit, impetrataque à Rege pro ſui ordinis more liberius loquendi venia, multa nefaria in Nicolaum præſentem Franciſci nomine probra congeſſit; *proditorem* ac *perfidum* appellans, Regemque admonens, *ne illi ſe credat, cui fallere potiſſimum ſit.* Poſtremo Nicolaum Franciſci verbis

bis ad duellum prouocauit. In quo duces ipſi, eorumque copiæ de gloria, de dignitate certarent: apparituram quidam uno prælio ducum ſimul atque equitum virtutem; ſimul à Rege petiit, vt æquus ſpectator pugnæ adeſſet. Nicolaus iam inde ab initio ea audiens, commotus haud leuioribus conuiciis in Franciſcum abſentem coniectis; fidem ſuam multis exemplis comprobans, *ægre ſibi eſſe* reſpondit: *corpus ſuum vulnere in ceruice recepto debilitatum fuiſſe: oſtenſurum ſe ſingulari certamine vter eorum proditionis infamia cenſendus eſſet, niſi hanc fortuna ſibi facultatem abſtuliſſet: oblatam tamen pugnandi cum exercitibus conditionem læto ſe animo, cum bona Regis venia, accipere: poſtero die cum copiis ſuis ſub ipſam vrbem Fanum patenti campo futurum.* Quod cum à ſe poſtulare Nicolaum decoris tuendi cauſa Rex animaduerteret, vtriuſque patris ſecuritati ſeſe conſulturum recepit. Sed cum dicta die Nicolaus in campum cum ſuis proceſſiſſet, atque inſultans vrbis mœnibus vſque ad portas cucurriſſet: Rex vero procul inde ad mille paſſus cum exercitu conſediſſet, liberum vtrique parti præſtaturus campum. Franciſcus ſiue Regi parum fidens, ſiue gloriam ſuam (de qua per id tempus haud dubie iactabatur) in diſcrimen adducere veritus, intra vrbem ſuos continuit. Magna inter Franciſcum & Nicolaum non æmulatio modo viguit ob rei militaris gloriam, cuius primas partes ſibi vterque arrogabat: verum & ſimultas ingens ob veteres inimicitias, quæ olim inter Brachium & Sfortiam fuerant. Quorum alter Franciſco pater, alter Nicolao magiſter ac dux fuerat: atque idcirco non tantum hoſtes, ſed vt inimici inter ſe bellum gerebant: nec ſub vno eodemque principe vt militarent, adduci poterant. Nicolaus ex corporis breuitate Picinini nomen (quod Italica lingua paruum ſonat) accepit: ſed quanto mediocritate ſtatura eius inferior, tanto animi magnitudo ſuperior, pauca ei verba fuerunt, atque parum compta: ſed quæ multarum ac magnarum rerum ſententiam comprehenderent. *Picininus.* In milites ſuos indulgens, in amicos liberalis, in hoſtes durus & aſper, dimicandi cupidus, quietis impatiens, gloriæ auidus, & in periculis obeundis promptus ac ſecurus, prælium ex occaſione protinus ſumpſit, hoſtem celeritate præuenit excurſione fatigauit: leuis armaturæ equite magis quam pedite vtebatur, fortes atque aſperos milites amauit, hoſtium numero deterreri non potuit. Quibus rebus cum plurimos & in Gallia Ciſalpina, & in reliqua Italia triumphos ex hoſte duxiſſet; haud dubie rerum geſtarum magnitudine & gloria magiſtro ſuo Brachio maior euaſit. Franciſcus autem honeſto corpore fuit, & quod mediocritatem non parum excederet, amplo pectore, robuſtis membris & apte diſpoſitis, facie grata, incundis oculis, caluicie venerabilis, facundia copioſus, ingenio peracri, animo rerum magnarum cupido, ſolers in adminiſtrandis rebus, in laboribus perferendis infatigabilis, in occaſionibus proſpiciendis acutus & ſagax, in hoſtibus fallendis verſutus & vafer, in præſagiendis euitandiſque dolis ac hoſtium conſiliis præuertendis cautus atque prouidus. Raro niſi ex deſtinato conflixit, hoſtem ſæpius obſidendo quam decertando confregit. Peditatum magno in precio habuit. Argento atque auro cultos eſſe milites voluit: in exequendis conſiliis celer ac perſeuerans: in omni re nouanda præſentia animi, laborum tollerantia, vſu, exercitatione, conſilio mirifice inſtructus: quibus artibus breui adeo magnus effectus eſt, ut vnus ex omnibus copiarum ducibus inuentus ſit qui cum Nicolao de rei militaris principatu concertare poſſit. Nam cum ſcientia rei militaris atque auctoritate pares viderentur, diu dubium fuit, vter alteri anteponendus eſſet. Sed hanc litem fugatus paulo poſt Nicolai exercitus, & ingens victoriarum Franciſci curſus, & Mediolanenſium fortuna in eum pleno cornu translata, prorſus diremit. Cæterum Fani expugnationem cum Rex difficillimam intelligeret, non Franciſci ſolum magni & peritiſſimi ducis præſentia defenſi; verumetiam quod vrbs mari adiacens claudi, ne commeatus intrarent, haud quaquã potuit, inde abiens in Firmanum duxit. Quo in loco cum Alexander Franciſci frater eruptione facta poſtremum agmen eius inuaderet, conuerſus in eum ſignis hoſtem intra vrbẽ repulit, atroci pugna pro muris facta, & antemurali quod pro vallo ſtabat, vi capto. Deinde ad turrim palmarum

compoſito agmine peruenienti Franciſci epiſtola reddita eſt nuncio intercepta, quæ Troilo ac Petro Brunoro inſcripta, inter cætera ea verba continebat: *ne amplius* p.105 *differentes, iam tandem cogitata mutarent.* Quapropter ambos de proditione ſuſpectos armis equisque & omni ſuppellectili priuatos in vincula coniectos in Aragoniam miſit, & in arce Satabiæ Valentini agri cuſtodiri mandauit. Nec diu poſtea cum Temaritani deditionem feciſſent, in regnum ſuum diuertit: duobus millibus equitum ad Picininum, qui ad montem aureum cum exercitu ſubſtiterat, transmiſſis. Sed priusquam illi aduentaſſent, Picininus repentino Franciſci aduentu inuaſus, prælio fuſus pulſusque fuerat. Cliuus in quo caſtra poſita erant, & oppidum proximum diſſipatos fuga ſeruauit. Franciſcus ea victoria ſimul & profectione Regis elatus, Picenum vndique veluti victor percurrere & infeſtare cœpit. Rogatus ab Eugenio Alfonſus eo reuerti, cum iam ſe itineri accinxiſſet, nouis regni motibus domi retentus, Lupum Virreum, Vrſinum, Carſiamque cum non paruis copiis aduerſus Sfortiam miſit. Interea Nicolaus Picininus à Philippo in Galliam reuocatus, Franciſcum filium cum parte copiarum in Piceno dimiſerat; quem Sfortias ad montem Vlinum prius pugna ſuperatum intercepit, quam Regis auxilia ei adueniſſent. Poſt hæc Ludouicus Aquilegienſis patriarcha eam prouinciam ab Eugenio ſortitus, Ioannem Vintimilium inter belli duces fama præſtantem, cum magna equitum peditumque manu à Rege miſſum, omnibus copiis ſuis præfecit: Cuius induſtria Aufidam oppidum obſidione clauſum in deditionem accepit. Erant eo tempore non paruæ Philippi copiæ apud Cingulum oppidum, contra Franciſcum miſſæ. Nam Philippus cum Franciſci reconciliationem iam tandem ſimulatam * intellexiſſet, Italianum Forlanum in rebus bellicis late cognitum, qui Pontificis partes adiuuaret, eo transmiſerat: cui cum patriarcha & Vintimilius per rectam viam coniungi non poſſent (nam media loca Franciſcus obtinebat) magnis itineribus per montana ad eum peruenere. Quo cognito Franciſcus è Piceno diſcedens, in Vrbinatem agrum ſeſe recepit. Patriarcha Montem Melonem obſedit atque obtinuit: deinde oppidum ſancti Angeli vi expugnans, diripiendum militi dedit. Vintimilius paulo plus ab eo in regnum ad hiberna recedens, per agrum Firmianum non procul à Monte Sancto conſtitit. Cuius aduentu conterriti oppidani, emiſſis oratoribus deditionem fecerunt: ſimiliter circumiecta caſtella deinde ad montem altum profectus, dies aliquot ibi manſit. Interim Firmani coniuratione facta, ſpe propinqui auxilii à Franciſco deſecerunt, Alexandro fratre cum magna equitatus parte in arcem compulſo: quibus & Vintimilius & Pontificis copiæ mox auxilium præbuere. Sed cum arx eiuscemodi eſſet, vt ſola fame vinci poſſet; præmunitis vrbis partibus, ne deſcenſus ex arce fieret, Vintimilius (vti conſtituerat) in hiberna conceſſit. Sequenti anno Alfonſus Remundum Buillum, & cum eo mille equites, & totidem pedites ad Patriarcham in Picenum miſit. Qui vbi cum Iacobo Caynano in Eccleſiæ caſtra peruenit, mox Italianus Forlanus mandante Philippo Maria comprehenſus eſt, ac poſtriduo iuſſu patriarchæ apud Roccam Contratam ſecuri percuſſus. Montem fabrum deinde cepere; & aliquot Caſtella Friderico Vrbinatium principi eripuerunt. Sed cum iam duo millia equitum à Florentinis ac Venetis miſſa Franciſci exercitum auxiſſent, Philippus vero exercitu ſuo ad Caſale maius iuxta flumen Padum à Venetis pugna ſuſo ac caſtris exuto copias ſuas è Piceno reuocaſſet, & amplius Eugenii ac Regis auxilia poſtulaſſet: ad quem duo millia & quingenti equites ex caſtris Eccleſiæ iubente pontifice tranſierunt; Franciſcus iam bello ſuperior, Montem Aureum & alterum ei proximum caſtellum Sigismundi Malateſtæ (qui iam ab eo defecerat, Eccleſiæ fortunam ſecutus) expugnauit, & eiusdem oppidum Gradariam obſedit. Interim Rex alia Patriarchæ auxilia miſit: cum quibus in Picenum reuerſus Iacobum Caynanum proditionis ſuſpectum apud Roccham Contratam (vbi & Italianum Forlanum interfici iuſſerat) capitali ſupplicio affecerat. Exin nihil memoria dignum ab eo geſtum, donec Franciſcus Philippo reconciliatus, illius ſtipendia facturus, & iam dux contra Venetos deſignatus, ex Piceno receſſit.

* *al.* mutilatam.

ceſſit. Nam poſtea non ſolum arx Firmana, ſed omnis ferme prouincia in eius poteſtatem facta eſt.

CAPUT LVI.

DE ASCVLO.

IN Aſculo Ioſias nobilibus ortus parentibus admodum adoleſcens, Iohannem Franciſci Sforciæ fratrem magno animo iuuenem, & qui eam vrbem per omne belli tempus egregie defendiſſet, conſpiratione cum paucis inita incautum obtrun-
p.106 cauit. Sed cum & ipſe tyrannum in patria gereret, in exilium actus eſt. Ciuitas deinde ſub Eccleſia quieuit: quamuis anno ab hinc ſuperiore idem Ioſias arcem quandam naturali ſitu munitam & vrbi propinquam, cum pleriſque latronibus occupans, non paruas curas illi populo ingeſſerat: quæ res ei parum proſpere ceſſit. Nam Rodericus ſancti Nicolai Cardinalis, eius prouinciæ legatus, obſidionem loco admouens, poſtquam arce potitus eſt; captum ipſum vinctumque Romam miſit.

CAPUT LVII.

DE VRBINO.

IN Vrbino dux gentis Oddo, matre Columnenſi nobiliſſima natus, cum per libidinem in matronas nobiles debaccharetur, nec modum licentiæ faceret; populari tumultu interfectus eſt. Incentor nequitiæ & adoleſcentiæ ſuæ corruptor, Prothonotarius Carpenſis nobili genere ortus, ſed ingenio peſſimo: qui nuptis ac virginibus quamplurimis vim intulerat, qui per omnia ſcelera ad ſummum vitiorum peruenerat; eadem nocte cum diſcipulo ſuo necatus, inexhauſtæ libidinis pœnas dedit. Cadauer eius in forum delatum, deſecta virilia in ore mordicus tenuit. Guido pater Oddonis prius quam coniugem ex Columnenſi familia duceret, cum proles ei nulla virilis eſſet, anxius quonam pacto in gente ſua imperium propagaret, concubinam ex ſe prægnantem aſſimulauit. Exin Bernardini Cardenſis agnati ſui; præclari copiarum ducis, filium tunc forte natum ſupponi pro ſuo, nutririque iuſſit, Friderici nomine indito. Sed coniugio deinde contracto, cum filium legitimum ſuſtuliſſet, conuerſa in eum cura Fridericum adhuc puerum militiæ tradidit: in qua ille ad ætatem vſque virilem perſeuerauit. Deinde Oddone mortuo, vocatus à populo Vrbinatium factus eſt princeps. Clarus vir, & Caſtrenſibus diſciplinis apprime inſtitutus: cui nec in adminiſtrandis rebus bellicis conſilium, nec in capeſſendis periculis animus vnquam defuit: nec vero factis quam fide clarior: quæ quidem vel maxime patuit, cum bello Picenti Franciſcum Sfortiam (qui ad eum ſe receperat) fortunæ afflatu iam pene deſertum, conſtantiſſime iuuit ac fouit. Indignus profecto qui militari ludo dextrum perdiderit oculum.

CAPUT LVIII.

DE ARIMINO.

APUD Ariminum Æmiliæ vrbem Sigiſmundus Malateſta ſceleribus inſignis imperium tenuit: qui cum Sfortiæ filiam matrimonio ſibi adiunxiſſet, partes eius in Picenti bello aliquamdiu ſecutus eſt: deinde ſub Eccleſia ſtipendia fecit, militauit in Gallia contra Venetos, & in Tuſcia contra Regem Aragonum: quæ res poſtea magno ſibi detrimento fuit. Nam cum de pace Italiæ apud Neapolim ageretur, Rex huius iniuriæ memor, cum qui ſibi fidem non ſeruaſſet, extra communem pacem eſſe voluit: deinde comitem Iacobum Piciniuum, & Fridericum Vrbinatium principem cum copiis in eum miſit: qui aliquot ei non parui nominis oppida abſtulerunt, eiuſque agrum ferro & igne vaſtarunt. Ipſe cum auxilia

vndique fruſtra imploraſſet, ad extremum (quod vnum ſalutis erat remedium) Alfonſo miſſo ad eum reconciliare conſtituit: cuius nondum preces exauditæ ſunt, quamuis ſpem concordiæ Regis clementia non paruam effecit.

CAPUT LIX.

DE FAVENTIA, ET AQVILA.

IN Fauentia mortuo Guidone Antonio (cuius multa in rebus bellicis clara facinora referuntur) principatum frater eius Neſtor * arripuit, & ipſe in armis cognitus, qui Florentinis contra Regem militans, haud alia ratione quam Sigiſmundus ab Alfonſo declaratus hoſtis, extra communem pacem factus eſt.

* *al Hector.*

Fabrianenſes qui dudum tyrannide oppreſſi, necatis tandem quindecim ex familia quæ principatum inuaſerat, fugientibus reliquis ad Eccleſiæ imperium re- p.107
dierant, multiſque poſt annis in pace quieuerant, hoc anno de rebellione tentatos, ſeu conſentientes, ſeu ſuſpectos ciues aliquos in vincula adiecere. Exin tormentis ac quæſtionibus prodito expreſſo crimine, vltimo ſupplicio affecerunt.

In Aquila Marſorum vrbe, apud quam memoria noſtra Brachius Peruſinus dux belli formidatiſſimus, dum per anni temporis obſidionem tenuiſſent, Martini quinti Pont. Maxim. ab feliciſſimi armis victus interiit. Diuus Bernardinus Senenſis, poſtquam Italiam omnem Chriſti nomen prædicando peragraſſet, vitæ curſum peregit, eo in loco ſepultus clarere miraculis affirmatur. Fuit autem Bernardino clara inter Senenſes origo: nec vera eſt aſſertio eorum, qui patriam illi Maſſam fuiſſe tradunt, quamuis pueritiæ ſuæ ibidem nonnulla rudimenta peregerit, cum eſſet mater eius Maſſana: cæterum pater ac maiores ſui longa ſerie inter nobiles Senenſes habiti ſunt: vbi & ipſe natus, & maiori ex parte educatus cum adoleuiſſet, iuri pontificio ediſcendo operam dedit. Sed cum ſepultis parentibus fallaces huius mundi blandicias, & inania eius eſſe promiſſa animaduertiſſet; diſtributa inter Chriſti pauperes ſubſtantia, diui Franciſci religionem ingreſſus, traditam ſibi regulam exactiſſime obſeruauit: declinanſque maiores conuentus, eorum ductor ac magiſter effectus eſt, qui fratres Obſeruantes appellantur. Maximum autem ei ſtudium in edocendis populis fuit: qui cum eſſet facundia copioſus, & doctrina inſignis, incredibili omnium attentione audiebatur, & quaſi alter Paulus eſſet, vas electionis, in admiratione ac reuerentia habitus. Tres cum populi ſibi pontificem elegerunt: Vrbinates, Ferrarienſes, Senenſes. Sed non fuit ei conſilium linguam, quæ toti poſſet Italiæ conſulere, vnam intra vrbem concludere.

D. Bernardinus.

CAPUT LX.

DE REGNO NEAPOLITANO.

REGNUM iam Neapolitanum ingreſſi, ad felices Alfonſi mirabileſque rerum curſus ſtylum conuertimus. Poſt bellum nauale quod ipſe cum Genuenſibus infelicíter geſſit, tanquam cognorit Fortuna ſuum errorem, quæ tanto principi moleſta fuiſſet, nouercale odium in matemum mutauit affectum; & quæ illi aduerſiſſima fuerat, ſecundiſſima facta eſt. Nam Philippus Mediolanenſium princeps, vbi captiuum Regem ad ſe ductum, & ſe victorem longe minorem victo animaduertit, mox ex hoſte factus amicus, liberum eſſe iuſſit; ſocietateque ſecum æquis conditionibus facta, magnis muneribus donatum à ſe dimiſit. Iſabella interea coniux Renati Lotharingiæ ducis, qui cum Alfonſo de regno contendebat, & per id tempus in captiuitate Philippi Burgundiæ Ducis detinebatur, cum duobus paruis filiis Caietam venerat: eaque præſidio firmata, Neapolim ſe contulerat. Sed Petrus Arrago frater Alfonſi, qui ex bello nauali cum paucis triremibus

mibus euaſerat, reparata in Sicilia claſſe, præter ſpem inuitatus ab altera factione Caietanorum, nocte profectus ea, Caietam obtinuit: & expulſo hoſtium præſidio, ſuum impoſuit, miſſis ad Alfonſum nauibus quæ illum ex portu Venerii adueherent. Appulit paulo poſt Caietam in eisdem nauibus Alfonſus: deinde Capuam petiit. Quæ licet medio tempore ab Iſabella & Iacobutio Candola acriter oppugnata fuiſſet, virtute tamen Iohannis Vintimilii eius loci præfecti in fide perſtiterat. Ibi Remundus Nolanus Regulus Alfonſo reconciliatus eſt: & mox Scaphatum in inſula Sarni ſitum, caſtrumque maris in deditionem acceptum. Iſabella vbi ſe viribus Alfonſi imparem eſſe cognouit, ab Eugenio Romano Pontifice auxilium petiit: qui Ioannem Vitelliſcum patriarcham Alexandrinum cum tribus millibus equitum ac pari numero peditum ad eam miſit, profectus in agrum Campanum Patriarcha aliquot caſtella vi cepit: obſediſſetque Capuam, niſi Ioannes Vintimilius octingentos equites, quos Regina ad eum transmiſerat, ex improuiſo inuadens fudiſſet copiſſetque. Aggreſſus eſt tamen idem Patriarcha Ioannem Antonium principem Tarentinum ad montem Fuſculum: ac eum expugnatis vi caſtris captiuum abduxit; eaque demum lege dimiſit, *vt frater eius quingentis equitibus ſtipendia Pontifici faceret.* Gerebant Patriarcha & Iacobus Candola communi conſilio & amicis animis pro Regina bellum: ſed interuenientibus ſimultatibus, copias ſeparauerunt. Interea duorum menſium induciæ inter Patriarcham & Alfonſum factæ: quibus durantibus Patriarcha Iacobutio reconciliatus iunctis cum eo viribus prius opprimere Alfonſum ſtatuit, quam reconciliationis ad eum notitia peruueniret. Erat Alfonſus apud vicum Iulianum, tribus milliaribus ab Auerſa, ſecurus in caſtris: cum ſibi nunciatum eſt, hoſtes rupto induciarum fœdere aduentare, ſibique minime tutum expectare impetum. Ob quam rem ſublatis ſignis, mox Capuam ſe recepit: non tamen absque damno ſuorum, qui poſtremum agmen duxere. Exin cum Patriarcha Auerſam ſibi ad inhabitandum tradi ab Iſabella peteret, Iacobus impediret; rurſus inimicitiæ inter eos ſubortæ ſunt.

p.108 Sed cum Tramenſes, excepta arce, Alfonſum dominum appellaſſent, & arx oppugnari cœpiſſet, Patriarcha cum exercitu eo profectus obſidionem firmauit: cui & Iacobus Candola ab Iſabella rogatus, & Ioannes Antonius Vrſinus, & multi alii ſe coniunxerunt, firmata obſidione cum Ioannes Antonius haud ex animo bellum gerere crederetur, & naues regis aduentare Tranenſibus auxilio narraretur; veritus Patriarcha ne intercluderetur, cum paruo nauigio ingreſſus mare, tanquam pecunias ab Eugenio petiturus, in Picenum adnauigauit, deinde Romam ſe contulit. Milites eius ſine duce relicti, ad Candolam ſe contulerunt. Arx deinde Alfonſo dedita eſt, & Ioannes Antonius ad eum rediit. Inter hæc renatus è captiuitate dimiſſus, cum decem triremibus Neapolim venit: & vocato ad ſe Iacobo Candola ex eius conſilio Scaphatum petens, in deditionem accepit. Deinde in Sulmonenſem profectus cum fruſtra vrbem obſediſſet, agrum vaſtauit incendio. Nec Alfonſus interea quieſcebat: ſed Albano ac Celano agro ſubacto, ad Caſtrum vetus peruenerat, in valle Subletia ſitum: cui Renatus oblata pro militari more chirotheca prælium indixit, accepit Alfonſus, ſed quæſiuit, *ſingulari ne certamine, an collatis ſignis cum toto exercitu dimicandum eſſet: ſe ad vtrumque paratum eſſe. Cumque Renatus reſpondiſſet, vniuerſi certaminis cum toto exercitu fortunam ſe velle ſubire,* Renato renunciauit, *placere id quidem. Sed quoniam veteri more eius fuerit, qui prouocetur, diem ac locum prælii dicere, ſe cum exercitu inter Acerras ac Nolam proficiſci, qui campus lata planitie vtriſque idoneus eſſet, ibique eum ad diem octauam præſtolaturum.* Hinc orta diſſenſione, cum Renatus locum in quo Alfonſus eſſet, conſtituendum diceret, prælium impeditum eſt. Alfonſus in Nolanum perrexit: Renatus in eum locum, vbi Alfonſi fuerant caſtra, duxit exercitum: atque ita ſuo ſatis honori vter factum putauit. Exin Renatus in Peligños ducens, Caſtrum vetus ſubegit. Alfonſus in Vallem Cardinam profectus Arparium oppidum vi cepit, & Marinum Boffam vallis dominum captiuauit, Caſertinum regulum in fidem recepit. In Lucaniam ducens, oppidum Anglum obſidione

ſidione fatigatum obtinuit : Nuceriam dedentibus oppidanis accepit. Iam quindecim millia equitum in caſtris eius erant : quibus fretus abſente Renato Neapolim petens, cum Petro fatre binis caſtris vrbem obſedit, decem triremibus in portu collocatis, oppugnatur vrbs magnis viribus, nec ciues ſeipſos negligunt. Sed dum Petrus paululum à caſtris ſpeculandi gratia in littore vagatur, è Carmelitano templo caput tormento ictus repente occubuit. Vir apud omnes ordines gratioſus, ad rem militarem natus, animi magnitudine & corporis robore excellens, ad ſubeunda pericula impauidus, acer & manu promptus : cuius interitu conſternato exercitu eius diei dimiſſa eſt oppugnatio. Alfonſus vbi germani iacere truncum cadauer inſpexit, *Adhæc*, inquit, *ego te frater ſtipendia duxi, vt eſſes qui mihi tuo ſanguine, tuaque nece Regnum pacares :* recondique loculo corpus iuſſit, & in arcem maritimam deportari : cui poſt tempora nactus idonea dignum ſuo genere funus duceret. Sequentibus vero diebus cum oppugnatio repeteretur, tanta vis imbrium cecidit, vt neceſſario ab obſidione diſceſſum, & res in religionem ſit verſa. Exin Caynanum oppidum, tradente quodam milite, multis oppidanis occiſis, ab Alfonſo receptum eſt ; & arx fame coacta in deditionem venit. Renatus interea ex Pelignis reuerſus Neapolim, vbi quæ acta fuerant didicit ; turrim ſancti Vincentii oportune in mari ſitam ad tutelam regiæ arcis vi expugnauit : deinde arcem ipſam pluribus diebus oppugnans, dedente præfecto, cui annona prorſus deerat, in poteſtatem ſuam accepit. Alfonſus vero cum fruſtra obſeſſis auxilium ferre conatus eſſet, in Lucanos traiiciens, Salernitanos, totamque ferme prouinciam & Btutiorum multos in deditionem accepit. Iacobus autem Candola, præſtanti vir ingenio, & à literarum ſtudiis non abhorrens, atque in primis rei militaris peritus, qui ſub Bracchio ſtipendia fecerat ; dum caſtellum quoddam Iacobi Laguniſſæ oppugnare nititur, catarri profluuio correptus occidit : clarus profecto regulus, & ingenti laude dignus, ſi quanta induſtria & rei bellicæ cognitio, tanta illi fides & in promiſſo conſtantia fuiſſet. Ioannes Vintimilius & ipſe per idem tempus Acerras prodentibus oppidanis, & arcem fame laborantem in poteſtatem recepit. Auerſani quoque à Renato deficientes, Alfonſum intromiſere : qui arcem apprime munitam, & forti præſidio defenſam, cum expugnare facile non poſſet ; foſſatis ingentibus excluſit, & oppugnari quotidie iuſſit. Renatus ad Antoniū Candolæ filium in Apuliam eſt profectus, cum nihil propterea ab oppugnatione arcis Auerſiæ ceſſari animaduerteret ; per Candimā vallem, & deinde ab Alfonſo qui occurrerat impeditus, per tranſuerſos montes ſequente Antonio in Nolanum deſcendit : nec tamen obſeſſis apud Auerſam opem ferre præſumpſit ; cum Alfonſus in caſtris illic potentior videretur. Sed reuerſus Neapolim Antonium Candolam de proditione ſuſpectum, comprehendi & in carcerem retrudi iuſſit : quæ res magno ei detrimento fuit. Nam cum caſtra illius ſub vrbem poſita tumultuarentur, ducemque ſuum repoſcerent, Antonius dimiſſus eſt : qui contumeliam ſibi arrogatam iniquo ferens animo, mox ad Alfonſum tranſiuit, & arcem Auerſinam ſeptimo iam menſe obſeſſam ei tradi curauit, perſuaſo per epiſtolam Xanto, qui cum patre ſuo militauerat, præfectuſque ibi præſidii erat. Deſciuit tamen paulo poſt Antonius ab Alfonſo : deinde apud Beneuentum ei reconciliatus eſt, cum arce per proditionem tradita, ciues quoque conſternati in Alfonſi poteſtatem veniſſent. Quo tempore & Calathini adactis machinis ab Alfonſo expugnati ſunt, & caſtellum Padula, & ante Vrſariam caſtra poſita. Franciſcus Sfortia Renato amicus Arrianum, Troiam, Manfredoniam, Nuceriam, & alia pleraque oppida per idem tempus in Apulia obtinebat : quorum cuſtodiam Cæſari Martinengo cum non paruo equitatu commiſerat, ipſe in Piceno agens. Cæſar cum eſſet Alfonſo infeſtus, bis extra mœnia Troiæ pugnare auſus, bis ab Alfonſo acie fuſus, turpi fuga in vrbem ſe recepit. Nec multo poſt Vicarum oppidum reſiſtentibus oppidanis vi captum, præda militi permiſſa, fœminarum decus regio more ſeruatum. Alexander autem Franciſci Sforciæ frater ſub vrbem Thetini Remundum Candolam, ac Riccium, & Ioſiam cum copiis ad Alfonſum euntes, repente aggreſſus leui certamine fudit : p.109

Ric-

Riccium & Ioſiam præceps fuga ſaltauit; Remundus interceptus eſt: qui cum eſſet Antonii Candolæ patruus, illum ſecundo ab Alfonſo alienauit. Venit & Ioannes Cardinalis Tarentinus in regnum aduerſus Franciſcum Aquinianum Eugenii copias ducens. Sed occurrens Alfonſus retro eum repulit. Exin rupem Vilhelmam in alto monte ſitam, caſtellis circa occupatis, fame coactam obtinuit: & paulo poſt Caprea oppidum in inſula eiuſdem nominis ſitum, Tyberii quondam Cæſaris ſiue delitias, ſiue latebras dicere malis, tradentibus oppidanorum quibuſdam recepit. Nec moratus caſtra ad Neapolim poſuit, ſimulque Puteolos obſedit: qui aliquamdiu fortiter reſiſtentes, tandem rei frumentariæ inopia, defectione Regi portas aperuerunt. Turris quoque quam vocant Octatii * recepta eſt. Vrgebantur interea rei frumentariæ inopia Neapolitani: nec ſpem aliam habebant, quam vel Genuenſes mari, vel Franciſcum Sfortiam cum Antonio Candola auxilium terreſtri itinere allaturos eſſe. Anellus interea faber quidam cæmentarius, quem fames Neapoli exire compulerat ad Alfonſum profectus, ſi præmium adſit, Vrbem paruo militum periculo capi poſſe demonſtrat. Deliguntur viri fortes ducenti, qui cum Anello, eiuſque fratre per oſtenſum aquæ ductum nocte vrbem ingreſſi, mœnia occupent. Rex cum exercitu paratus ſignum certaminis audaciter expectat. Illi in domum quandam perueniunt, in qua vnica erat anus, & adulta cum ea virgo: mater quum exclamare cepiſſet, celeriter oppreſſa vocem emittere inhibita eſt: filia ſua ſponte eonticuit. Etiam Sol exortus erat, nec amplius quam viri quadraginta ex omni numero puteum inuaſerant: qui nunciare ingreſſum Regi debuerant, ſiue negligentia, ſiue aliam ob cauſam nihil Regi ſignificarunt. Exiſtimabat Alfonſus aut cœſos eſſe qui miſſi fuerant, aut metu exilire non auſos: profectusque propius vrbem, ab ea parte quæ occupanda erat, inuadit. Renatus cum ea manu, quam ad ſubitos inopinatoſque caſus parauerat, citato equo ad muros contendit: hoſteſque procul amouit. Ingens vero pauor & conſternatio eos cepit, qui è puteo euaſerant: nec regredi in puteum (ne armorum ſtrepitu proderentur) nec erumpere propter paucitatem audebant. Alfonſus vt vidit nihil à ſuis intus miſceri, deſperatis rebus in caſtra rediit. Renatus tanquam periculum depuliſſet, relictis cuſtodibus, & ipſe in Regiam conceſſit. Nec mora, nuncius ad Alfonſum currens multos è puteo prodiſſe, atque in domo tacitos ob metum latere nunciat. Iterum igitur ad mœnia ſucceditur, inſtauraturque prælium: vt erumpendi animus latentibus acuatur. Interea filius eius (quam nominauimus) aniculæ, à ſtatione ſua domum veniens, pulſatis foribus aperiri ſibi expetit. Mater & qui intus erant, exanimati quid agant neſciunt. Vincit tandem ea ſententia, vt reſeratis paululum foribus, manus ei iniiciant, eumque comprehenſum tacere iubeant. Sed ille repente vt armatos vidit, trepidus refugit; hoſteſque intra vrbem eſſe vociferat, ad Renatum vero ſubito pervolat, quæque viderit refert. At qui intus erant, uno agmine raptim è domo proſiliunt; primoque impetu mœnia propinqua, vno tantum vigile ibi reperto, turrimque occupant. Renatus eo nuncio ac tumultu excitatus, ad mœnia celerrime reuerſus, impetum in hoſtes facit. Alfonſus quo ſuis animos addat, ſcalas admoueri imperat. Sed oppidani eam muri partem facile tuebantur; & qui per
p. 110 ſcalas in captam turrim euaderent, grauium ſaxorum deiectu obſiſtebant, dum pugnatur acriter, obequitans mœnia Alfonſus, locum quendam vrbis neglectum eſſe animaduertit: eoque celeriter ſcalas admoueri iubens, murum obtinuit. Iam vero qui turrim occuperant, partim grauiter ſauciati pugnam remiſerant, partim præcipites è muro ſe dederant. Eratque Renatus eam turrim recepturus, niſi à tergo ſubito cum ingenti clamore hoſtes inuecti terrorem intuliſſent. Auxit & trepidationem oppidanorum, unus ex Alfonſi militibus: qui per mœnia vrbem ingreſſus, conſcenſo equo, quem vacuum forte inuenit, in hoſtem acerrime inuectus, opinionem præbuit proximæ portæ captæ atque infractæ. Non tamen Renato defuit animus, ſed cohortatus, qui aderant, in hoſtes fortiter irruens, eorum impetum paululum coercuit atque repreſſit. Mox vero vt creſcente hoſtium

* al. Octauii.

ſtium numero, ſuos exterritos animaduertit, ſenſim referre pedem cœpit : atque ingreſſis per diui Ianuarii portam hoſtium compluribus, in arcem regiam cum paucis ſe recepit. Tum & à fori Boarii porta, & ab diuerſis aliis muri partibus irruptio facta, atque ad prædas diſcurſum eſt : à cædibus tamen temperatum. Mox vero ingreſſo Rege & prædæ quoque finis factus. Inſignis huius anni memoria expugnatione tantæ vrbis, quæ eo modo capta eſt, quo annis antea mille per Beliſarium è Gothorum manibus erepta fuerat, quadrageſimo & quadringenteſimo ſupra milleſimum ab ortu ſaluatoris Chriſti. Is annus erat ab inito cæpti belli vnus & vigeſimus. Poſtridie duæ ingentes onerariæ naues à Genuenſibus miſſæ cum frumento applicuerunt, quæ cognita vrbis captura ſub arcem conceſſerunt, Renatumque omnium ſpe recuperandæ vrbis abiecta, inde auexerunt. Tres adhuc arces in fide Renati perſeuerabant, Capuana, Montana, Regia. Sed Capuana pactis paucorum dierum induciis, ante Renati abitum ſe dedidit : Regia aliquanto poſtea, & Montana tardius receptæ ſunt. Renatus ad Eugenium Florentiæ morantem ſeſe contulit, exin in Galliam vlteriorem abiit. Alfonſus munita Neapoli aduerſus Antonium Candolam ducens, ad Carpenonum caſtra poſuit : vbi cum facta pugnandi ab Antonio copia ineundum certamen reguli dicerent, niſi princeps adeſſet : *Ergo*, inquit Alfonſus, *qui militi animum addere conſueui, iam præſentia mea terrorem adhibebo. Abſit à noſtro ſanguine ea vecordia.* moxque galeam induit, ſignumque pugnæ dedit. Certatum eſt aliquamdiu nutante victoria. Poſtremo fuſo hoſtili exercitu Antonius ipſe captus eſt : cui erroris veniam poſtulanti, non modo ignouit Alfonſus, verum etiam oppida, quæ à patre accepta hæreditario iure poſſidebat, reliquit ; cæteris captiuis perhumaniter habitis : nec quidquam ex Antonii ſuppellectile, quæ ingens erat, præter chriſtallinum calicem cepit. Poſt hæc Pelignos Marſoſque ſubegit. Mamfredoniam, & Subindæ arcem in poteſtatem recepit, omneſque belli reliquias in Apulia extinxit : ac pacato vbique regno Neapolim rediens, in triumphantis morem, exultante populo magnificentiſſimis apparatibus ingreſſus eſt vrbem. Poſt hæc de pace inter Alfonſum & Eugenium actum. Ludouicus Cardinalis Aquilegienſis, & ſua virtute & Pontificis auctoritate potens, idcirco ad Regem miſſus, eam confecit, leges pacis in hunc modum dictæ : *Eugenius pontifex Alfonſum Regem Neapolitanum decernat appelletque : Ferdinando Regis filio, cui Rex poſt mortem regnum deſtinauerat, poteſtatem ſuccedendi faciat ; Terracinamque regno adiiciat. Alfonſus contra Eugenii auctoritati ſe ſubiiciat : atque opituletur ad agrum Picenum, quem Sforcia occupauerat, vendicandum, ſi quando pontifex aduerſus Turcos aut Afros bellum ſuſcipiat, Rex cum elaſſe adiuuet. Sacerdotes regnorum ſuorum ſub Concilii prætextu Baſileam profectos reuocet * nec patiatur tres ex ſuis, qui Cardinales ſub Amedeo Sabaudienſi creati fuerant, reuertentes pro Cardinalibus ſuſcipi haberiue. Matricem ciuitatem ducalem, atque Acumulum in Marſis oppida, Romanæ eccleſiæ tradat.* Traiecit deinde in Picenum Alfonſus, & quæ ſupra relata ſunt, felici curſu pertexit. Exin domum rediens cum Genuenſibus duce Raphaele Adurno ea lege pacem fecit, *vt bello ablata nemini petendi ius eſſet. Nec Regis hoſtes Genuenſis populus : nec Rex Genuenſium reciperet, illosve commeatu adiuuaret. Genuenſes Regi quotannis, dum viueret, honoris gratia pateram auream dono darent, ac Neapolim mitterent.* Poſt hæc Antonius paterna ſtirpe Gentilia, per matrem Vintimilius, qui multa in Apulis egregia facinora Alfonſi gratia feciſſet, ad fontem populi non procul à Theano, quo iuſſi erant regni principes conuenire, cum equitibus trecentis profectus, tanquam vnus ex purpuratis auctoritate maioribus interficere conſtituiſſet, apud Regem accuſatus, clam fugiens Cantanzanum ditionis ſuæ oppidum repetit : extinctaſque regni lites excitare conatus, non ſolum vicinos proceres, ſed Venetos & alios Italiæ potentatus, vt in Regem arma ſuſciperent & litteris &, nunciis inuitauit : ſed fruſtra illi cuncta ſucceſſere. Nam Rex cum copiis aduerſus eum profectus, & Crotonam vrbem & monem ei reliquum agrum ademit : ipſumque in Catanciano recluſum ad deditionem nulla conditione interueniente compulit : Iohannem vero Nuceum, qui contumaciæ Antonii ſua-

Neapoli capta.

1440.

* vide Auctoris epiſt. 3.

ſuaſor fuerat, oppidis omnibus exutum, regno excedere iuſſit. Secuta eſt paulo poſt profectio Regis Tuſciam: de qua ſuo loco relatum eſt. Vnde reuerſus non multo tempore interiecto Fridericum Imperatorem, & Leonoram imperatricem ex ſorore ſua neptem, ad ſe venientes tanto honore excepit, quantum referre vix oratori maximo facundia ſuppetat: donatoſque magnifice ambos à ſe remiſit. Exin quamuis pacem (vt prædictum eſt) Florentinis petentibus dediſſet, cum tamen capta Mediolanenſi vrbe à Franciſco Sforcia, Leonelli marchionis Eſtenſis interuentu cum Venetis poſitis inimicitiis fœdus iniiſſet; alterum tamen in Tuſcia bellum geſſit, miſſo in eam expeditionem Ferdinando filio: de quo ſatis inter res Etruſcas commemoratum eſt. Soluta eſt & pax cum Genuenſibus, capta naue, quæ de Chio inſula Genua petebat, vt poſtea referemus. Ob quam rem commota Reipublica Genuenſi Ioannes Philippus Fliſca gente prognatus, cum quatuordecim altiſſimis nauibus in portum vſque Neapolitanũ adnauigauit, ibi vt Regis triremes onerariaſque naues incenderet: ſed repulſus tormentis æneis inglorius abiit, nec multis poſt diebus claſſis regia ad montem Cyrceum ſex Genuenſium naues inſecuta cum homines effugiſſent, demerſit diuiti præda in eis recepta. Quibus ex rebus, quanquam de pace tota ferme Italia conueniſſet, inter Genuenſes tamen & Regem concordia fieri non potuit. Sed cum Genuenſes exules ad Regis opes confugiſſent, claſſis ei concenſa eſt, quæ Liguſticum vexans littus, etiam vrbem ipſam (vt relatum eſt) oppugnare non dubitauit: & nunc maioribus viribus idem bellum reperitur. Fuit autem Alfonſus, cum Fridericus Imperator ad eum venit, annos circiter octo & quinquaginta natus: corpore gracili, vultu pallido, ſed aſpectu læto, naſo aquilino, & illuſtribus oculis, crine nigro, & iam albicanti, ad aures vſque protenſo, ſtatura mediocri, cibi potuſque temperans: nec vino vſus, niſi aqua multa perdomito, literis per omnem ætatem operam dedit: Grammaticæ apprime peritus, quamuis latine perraro loqueretur: Hiſtorias omnes coluit, neq; poetas aut oratores ignorauit, dialecticos nodos facile ſoluit, nihil ei abditum in Philoſophia, arcana Theologiæ perſcrutatus omnia, de præſcientia Dei, de libero hominis arbitrio, de incarnatione Verbi, de ſacramento altaris, de Trinitate, de difficillimis quæſtionibus percontanti & præſto & ſapienter occurrit. In reſponſionibus dandis quamuis breuis & circumfuſus, nunquam tamen diminutus. Sermone blandus, terſusque. Summa ei cura, ne quiſpiam ab ſe abiret, ingratas petitiones differre maluit quam negare, fauit religioni; rem diuinam diligenter curauit. Sacerdotalia indumenta, & altaris ornamenta ea parauit, quibus comparari alia nulla queant. Sacram ac domeſticam ſuppellectilem auream & argenteam admirabilem & incredibilem compoſuit: margaritas, vniones, adamantes, cæterosque lapides precioſos toto orbe quæſitos coemit: ſacelli in quo ſacris interfuit, & aularum quas incoluit, parietes diuitibus atque auteis pannis ornauit. Veſtiuit ſeipſum nitide magis quam precioſe. Serico raro vſus aut oſtreo paludamento. Venationi magnam vitæ ſuæ partem conſecrauit: in bello ſeuerus & aſper, in pace clemens ac manſuetus, pepercit facile his qui contra ſe arma tulerant: humanum ſanguinem inuitus fudit. Scelera tamen odit, nec impune ſubditos derelinquere paſſus eſt. Regnum, quod multis ante ſeculis ſpelunca latronum fuerat, adeo pacatum ſecurumque reddidit, aut quacunque iter habeas, nullus prædonum metus adſit. Legatis omnibus ad ſe venientibus ſumptus opipare præbuit. Apoſtolicis qui cardinales eſſent, obuiam extra vrbem profectus, quaſi patres honorauit. Naues inſolitæ magnitudinis fecit, & quas qui procul inſpiciat, ſublimes eſſe arces per mare vadentes arbitretur. Ædificauit pluribus in locis: ſed Neapoli ſupra quam dici poſſit, ſplendide ac magnifice arcem regiam (cui Nouo Caſtro fuit nomen) à fundamentis eiectam, iterum erexit: tum opere mirabilem inexpugnabilemque, tum ſumptu magnificentiſſimamque turribus orbiculari forma ex lapide quadrato, mirifica ſtructura atque artificio, murique craſſitudine inaudita, & ingenti arcu triumphali ex marmore candidiſſimo excitatis. Reformauit & Arcem ſancti Saluatoris in mari Exono nuncupatam, cuius inexpugnabi-

lis ſitus ad vſum magnificentiſſimæ regiæ redactus eſt. Ampliauit & vrbis portum, obiecta in profundum maris altiſſima mole, craſſiſſimo muro, turribus munita. Salubritatem vrbi exiccatis paludibus dedit. Magnus profecto princeps, & in utramque fortunæ partem probatus: qui inter cætera ſibi aduerſantia etiam terræmotum anno ab hinc ſecundo paſſus eſt, toto ferme regno, qualem nec noſtra nec patrum noſtrorum memoria viſum auditumve ferunt. Nam & multa regni oppida funditus corruere: inter quæ Arrianum ita abſorptum eſt, tanquam p.112 Caſmate periſſet. Rara ciuitas abſque inſigni ruina ſuperfuit: circiter triginta millia hominum inter cadentia tecta periſſe feruntur. Neapolitanorum nobiliores ædes diſciſſæ diſiectæque ſunt: nec templum in ea vrbe læſionem non ſenſit. Sed hodie iam ciuitas ferme refecta eſt, & ciuium diligentia, & Regis liberalitate. Cæterum clariſſimi Regis, qui ſeculum noſtrum veluti ſidus quoddam præfulgidum illuſtrauit, * haud ab re fuerit quam breuiſſime velut in epilogo præclara facinora percurrere, quamuis temporis à nobis recepti pleraque modum excedant: ex quibus illuſtriora huiuſcemodo ſunt. Adoleſcens mortuo Ferdinando patre Aragoniam, & quæ ab illo in Hiſpania regna ſuſcepit, cum aliquamdiu ſapienter adminiſtraſſet, adoptatus in filium à Ioanna Neapolitanorum regina, diſſuadentibus amicis expeditionem in Italiam ſuſcepit, Regina opem tulit. Ludouicum ducem Andegauenſem, qui regnum ſibi hæreditario iure debitum arſſimabat, pluribus præliis afflictum expulit. Reginam, quæ malo vſa conſilio ab ſe defecerat, non tam puniuit, quam coercuit. Renatum alterum regni æmulum, armis victum cedere compulit. Ioannem Vitelliſcum Alexandriæ patriarcham magnis copiis inſultantem, regno fugauit. Caietam bis cepit, ſemel acri pugna deuictam, & iterum ciuitatis parte vocante, cum defeciſſet. Neapolim, quamuis Renatus & magnus ineſſet populus, expugnauit. Ioannem fratrem Nauarræ Regem in Hiſpania laborantem, armis adiuuit. Maſſiliam inſignem Prouinciæ ciuitatem, noctu adorſus obtinuit ac diripuit. Ad inſulam Gerbini (quam veteres Lotophagiten appellauerunt) à continenti Africæ quatuor millia paſſuum diſtantem obſidione admouit. Boſorium Prouinciæ Regem cum copiis aduentantem, in proximo littore victum, ex minoribus caſtris ad maiora fugere compulit: nec diu poſt ab eiſdem Barbaris tributa ſuſcepit. Ab Eugenio Pontifice maximo, qui ſibi de regno contrarius eſſet, quas tandem voluit leges pacis accepit. Franciſcum Sfortiam ex agro Piceno armis deturbauit: & in Albania & in Oriente per ſuos duces Turcis infeſtus, non parua eis damna intulit. Bis Florentinos ob res Gallicas armis afflixit. Bis eis pacem petentibus dedit. Sed maius omnibus eſt, & admiratione ſtuporeque dignius, quod prælio nauali à Genuenſibus (vt ante diximus) ſuperatus, & in Philippi Mediolanenſium ducis captiuitatem adductus, mox liberatus, potentiſſimo regno potitus eſt; & à victoribus victor tributum accepit: & adeo erga Philippum gratus inuentus eſt, vt ab illo ſuprema voluntate hæres ſit nuncupatus. Vera Gothorum ſoboles: ex quibus deriuatum eſſe regium Hiſpaniæ ſanguinem, vnde Alfonſi origo eſt, haudquaquam ambigunt: illis & prælio vincere, & regna ſibi ſubiicere proptium fuit. Quorum veſtigia Ferdinandus imitatus, haud diſſimilem filium genuit: quando & ipſe Aragoniam, Cathaloniam, Valentiam, Siciliam; Alfonſus vero eam Italiæ partem, quæ olim magna Græcia dicta eſt, pugnando, inſtando, vincendo ſibi ſubiecit: & magiſter Italicæ pacis factus, Hiſpanicarum quoque rerum moderator & arbiter eſſe videtur.

Terræmotus vide Auctor. epiſt. 207.

**Auctor. epiſt. 265. Alfonſi Regis geſta.*

SIGIS-

SIGISMUNDI AUSTRIACI, ADVENTUS CONSTANTIAM ET ADPELLATIO à PIO II. PAPA.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

ADuentum Sigismundi Auſtriæ Ducis Conſtantiam hic exhibemus, de quo nihil, quod dicamus, habemus, niſi quod Gabriel Bucelinus * eiusdem hiſtoriæ faciat mentionem, dicens, *ipſo anno* (1459.) *Archidux Sigismundus Conſtantiam venit, magna plauſu ciuium exceptus, quam pompam prolixe deſcribit Ventura de Peruſio Pontanus, ad Stephanum de Nardinis & ciuium militarem generoſitatem mirifice commendat, vt & matronarum honeſtatem. Refert etiam in occurſum Archiducis Viros Sacros veniſſe (Cathedralis procul dubio templi) cum SS. Reliquiis, e cuius verbis, quæ ſubiicere viſum eſt, colligas, neceſſe eſt, quantus Eccleſiæ Conſtantienſis ſplendor fuerit, priusquam Hæreticus furor, omnia auitæ pietatis monimenta ſacrilega lucentia diſſipaſſet, & dum in uſus proprios ſuæ fortunæ perniciem conuertiſſet.* Dolendum tamen, quod mancum hoc ſcriptum ſit, cui Freherus binas Æneæ Syluii adiecit epiſtolas controuerſias Heluetorum cum Sigismundo concernentes.

Subiunctæ ſunt *Sigismundi Auſtriaci & Gregorii Hamburgi adpellationes a Pio II. Papa ad Concilium.* Illuſtris anno 1450. oriebatur controuerſia in Brixienſi Epiſcopatu, quæ ſcriptis hiſce anſam dedit. Cauſſam exponit Gerhardus a Roo. ** dicens: *Anno quinquageſimo Brixienſes, adſtipulante Sigismundo, epiſcopum creauerunt, Leonardum Wismaierum, Parochum Tirolenſem; hunc confirmare nolens ſummus pontifex, Nicolaum Cuſanum virum eximie doctum ſubſtituit. Huic Sigismundus, circa annum ſextum & quinquageſimum, arcem Taufen cum ſubiecta ditione oppignorauerat.*

Petebat etiam epiſcopus vicum Mantem telonium Luegenſe, Salinarum domũ Hallenſem, vna cum argentifodinis Tirolenſibus tanquam ad Epiſcopatum Brixienſem ſpectantia, quæ tamen plane denegabant Sigismundi Conſiliarii.*** Ad conuentum igitur Mantuanum, a Pio II. 1459. inſtitutum, cauſſam deferebat Epiſcopus ad quem etiam Sigismundus inuitatus veniebat, ibidemque magno cum honore exceptus cauſſam per Conſiliarium ſuum Gregorium Hamburgenſem bene egit, vti nos docet Gobellinus****: *dum hæc aguntur, Sigismundus Auſtriæ Dux, qui ſe venturum ſæpe promiſerat, cum quadringentis equitibus, multaque nobilitate, & ſplendido apparatu. Mantuam venit: obuiam iere duo Cardinales & omnis ordo Curiæ,*

---

* *Chronologia Conſtantienſi ad an.* 1459. *p.* 325. 326.

** *Libro ſexto exeunte.* Eadem ratione negotium hocce prolixius paullo exponit Fugger. *im Spiegel der. Ehren. lib. V. cap. XIII. n.* 10.

*** Fugger. c. l.

**** *Comment. Pii II. lib. III. p.* 90.

ria, exceptus eſt in auditorio publico; verba eius nomine fecit Gregorius Hamburgenſis, qui multa de domo Auſtriæ commemorauit, digna relatu, & principis animum in Turcas accenſum dixit, qui nationis oblata quantum ad ſe pertinerent, præſens confirmaret. Pontifex, qui Sigiſmundum a teneris nouiſſet vnguiculis, pueritiam, & adoleſcentiam eius, ſumma cum laude peractum oſtendit, reliquam ætatem præteriit. Laudes familiæ a Gregorio explicatas & probauit & auxit: auxilia contra Turcas receptauit. Inter cetera dixerat Gregorius, Sigiſmundum Pii, cum in minoribus ageret fuiſſe diſcipulum, qui ſuas epiſtolas auide legiſſet, quarum volumen apud ſe haberet. & aliquæ illarum Sigiſmundo eſſent ſcriptæ; quod verum inueniret, ſi quis epiſtolas ſeculares legerit, quas Pius nondum ſacris initiatus ſcripſit. Verum Sigiſmundi multo melior pueritia fuit, Quam adoleſcentia, cuius ingenii mores, cum ætate ut paulo poſt dicemus perierunt. Tentabatur in eodem conuentu concordia, ſed incaſſum, prout idem tradit Gobellinus *: *vigebant per idem tempus inter Sigiſmundum & Nicolaum ſancti Petri Cardinalem, graues inimicitiæ de feudis, & iuriſdictione diu contenderant; tentatum eſt, ſi quo pacto reconciliari poſſent; ſed cum fruſtra diebus aliquot cardinales, & ipſe Pontifex concordiæ operam nauaſſent, diſceſſit Sigismundus.* Inſequenti anno 1460. Sigismundus Nicolaum epiſcopum in arce ſua Brunegga obſidet, eundemque cum arce capit, prout ex eodem Gobellino ** diſcimus: *inter hæc Sigismundus Auſtriæ Dux cum accepiſſet, Nicolaum de Caſa epiſcopum Brixionenſem Cardinalem ſancti Petri ad eccleſiam ſuam profectum eſſe, ira impatiens ac furoris, coactis vt potuit raptim copiis, quæ ſufficere videbantur, Bernecham petit, id eſt oppidum Brixionenſis eccleſiæ, in cuius arcem cardinalis ſeceſſerat, atque in ipſo Reſurrectionis Dominicæ ſacratiſſimo die, oppidum expugnat, & arcem aggreſſus, omni genere machinarum oppugnat. Cardinalis veritus ſuorum cædem (iam enim plerique vulnerati fuerunt) arcem, & ſeipſum tradidit, & in cuſtodia retentus, tandem iuratus abſolutionem Sigismundo procurare, iniuriasque nullo vnquam tempore vindicare, dimiſſus eſt.* Hanc ob cauſſam banno notabatur Sigismundus, prout tradit Gerhardus a Roo. *** *cum vero, ſe inuito, factum eſſe Epiſcopum princeps non concoqueret, ac alia item offenſiones quotidie orirentur, erupit tandem in apertum odium ſimultas, & Sigismundus captum, in oppido Brunegga, epiſcopum aliquamdiu in cuſtodia habuit, ob quam rem, Pontifex illi ſacrorum vſu interdixit. Is erat Æneas Syluius Picolominæus, qui Calixto ſuffectus Pii Secundi nomen acceperat. Multa ex eo turba extitère.* Eandem hanc excomunicationem Auguſtanis **** Noribergenſibus, ***** aliisque Papa ſignificabat. Idem fatum experiebatur Gregorius Haimburgius de quo Gobellinus: ****** *in quinta vero feria, in loco ad id electo Pontifex cum cardinalibus, & omni clero, conſuetum promulgauit anathema, & homines quatuor perditionis filios nominatim excommunicauit, atque extra Eccleſiam Chriſti fecit; Sigismundum ex Auſtriæ Principibus, qui violentas manus in cardinalem ſancti Petri epiſcopum ſuum Brixinenſem iniecerat ipſa die ſacra, & magna Dominicæ reſurrectionis: ac Gregorium Hamburgenſem cognomento Erroneum, qui paulo ante velut hæreticus fuerat condemnatus, vt qui auctoritatem Eccleſiæ parui faceret, contemneretque cenſuras & damnatos dogmatizaret errores.* Sigismundus vero publico Inſtrumento, a Papa adpellabat ad Concilium, Gregorius Heimburgius etiam a Papa ad futurum concilium adpellat, & ad diuerſa crimina ipſi obiecta reſpondet. Licet eiusmodi adpellationes a Papa ad Concilium iam ante in conuentu Mantuano publico decreto Papa

* *Pag.* 91. Eadem dicit Fuggerus, hoc addens. Sigismundum hoc negotium decreto Conuentus Mantuani ideo ſubiicere noluiſſe, quod hunc ſuſpectum iudicaret.

** *Pag.* 102.

*** *C. l.* Idem dicit Fuggerus, *c. l.*

**** Prout Fuggerus teſtatur *c. l.*

***** Prout Æneæ Syluii epiſtola teſtatur infra inſerta. De eodem teſtatur Sleidanus *lib. II. pag.* 48.

****** *Lib. VIII. p.* 28.

prohibuiſſet *. Concitabat idem contra Sigismundum Heluetos, eum quibus tamen interueniente Ludovico Palatino, paeem fecit in annos quindecim. Sic enim Gethardus Roo. ** *Pontifex Maximus hoc anno (1460.) Heluetios, in arma, contra ipſum (Sigiſmundum) ſacris prohibitum, excitauerat. Hi nulla priuata cauſa irritati, ſegnius negocium adminiſtrabant. Soli Bernhardus ac Vigilius Gradleri, tunc temporis Eglſouii Domini, antequam cum eo ſimultatem habebant, a quo pulſi, Tigurinorum patrocinio erant, ius ciuitatis apud eos adepti. Igitur ab ipſis adiuti, Fuſſatum arcem expugnarunt. Cumque Vitoduri oppidum fruſtra tentaſſent, Tigurini, maiore cum militum manu, urbe egreſſi, eo profecti oppidum obſidione cinxere, aduenientibus caterorum quoque Heluetiorum auxiliis: in oppido erant duo & quinquaginta viri nobiles, cum præſidio militum haud contemnendo. Hi ſtrenue ſe gerendo, difficilem Tigurinis obſidionem faciebant. Tandem Ludouico Palatino medium ſe interponente, pax fit in annos quindecim.* De eodem bello Heluetico Bilibaldus Birckheimerus *** ſic loquitur: *nec longe inde cum Sigiſmundus Auſtriæ Dux Brixinenſem eepiſſet Epiſcopum, qui & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis erat, Suitenſes Pontificis moti precibus, pleraque duci abſtulere, inter quæ fuere Dierſenhofen, & Frawenfeld. Cum vero Dux maius quam cui reſiſtere poſſet, periculum ſibi imminere cerneret, pacis accepit conditiones. Suitenſes vero retinere permiſit, quidquid in eorum peruenerat poteſtatem.* Qua tatione vero Sigismundo cum Papa an. 1464. iterum conuenerit, idem Gerhardus a Roo. **** narrat, dicens: *circa hæc tempora, Fridericus Cæſar diligentem nauabunt operam, uti Pontificem & Sigiſmundum patruelem conciliaret eumque ab Eccleſiaſtica cenſura ſolutum redderet, ſua intereſſe ratus videret, ne quid ex tam longa ſimultate Auſtriæ domus detrimenti patiatur id quod Friderici Senioris, patrui ſui temporibus, accidiſſe ſciebat. De cenſura illa, deque diſſidio cum Nicolao Cuſano ſuperiore libro meminimus. Sigiſmundus vero, etſi a multis admonitus nihil tamen de ſuo iure remittere, neque Pontifici ſupplex fieri volebat, ſed ab eo, ad generale concilium prouocabat, & cauſam ſuam, ab omnibus Chriſtianis principibus, cognoſci & diiudicari cupiebat. Pontifex contra, & præter maiorum inſtituta, & infra dignitatem ſuam eſſe contendebat, non agnoſcentem crimen, nec veniam eblandientem, cenſuræ nexibus exoluere. Id tum ex Pii ad Cæſarem, quam huius ad Sigismundum literis, quæ habentur conſtat. Ne igitur maius aliquod incommodum, ex ea re oriretur, Fridericus intercedens, eo negocium adduxit, uti Sigismundus, cum Cuſano prius in gratiam rediret, eoque non multo poſt Tuderti in Umbria vita ſumta, Pontifex Rudolpho Epiſcopo Lauentino negocium daret Sigismundum abſoluendo.*

Hæc ipſam Hiſtoriam concernunt, quam etiam Scriptorum quædam loca, quæ Freherus hic præfixit, illuſtrant, quibus inſignem Naucleri locum adiecimus. Ipſa vero ſcripta, circa hanc adpellationem publicata, vix dimidiam partem exhibuit Freherus, quæ ex Goldaſti Monarchia S. R. Imperii ***** ſuppleuimus & textum Freheri admodum corruptum emendauimus, vt integra nunc exhibeamus adpellationis Acta. Vſus autem fuit Sigismundus Gregorio de Heimburg, Conſiliario

---

* De hoc Gobellinus p. 91. *irrepſerat iampridem in Eccleſia Dei exitialis conſuetudo aduerſus Romani Pontificis cenſuras, vicit enim damnatique Apoſtolica ſententia ad futurum Concilium appellabant. Iudicem qui non erat, & ſuperiorem Romano Præſule dabant, qui non inuenitur in terris, & cum ipſi a ſuis ſententiis appellari non ſinerent, a Chriſti Vicario appellandum eſſe conſentiebant. Conſuluit Pius in ea re patres, qui aderant in conuentu, quod cenſerent. Illi concordi voto reſponderunt, appellationes huiuscemodi eum ſuis auctoribus, damnandas eſſe; atque ita decretum editum eſt, quod appellantes a Romano Præſule ad futurum Concilium tamquam hæreſis fautores, & læſæ maieſtatis reos plectendos eſſe ſtatuit. Exhibet decretum hoc Millerus im Reichs-Tags Theatro unter Kayſer Fridrichs des V. Regierung p. III. c. XXII.*

** *Lib. VII. p.* 116. Eadem habet Fugger. *c. l.* & Chriſtoph. Hartmann. *Annalibus Heremi Deiparæ Mariæ p.* 422.

*** *De bello Heluetico. lib. I. p.* 29.

**** *Lib. VII. p.* 161. Eadem habet Fugger. *lib. V. Cap. XVIII. num.* 5.

***** *Tom. II. p.* 1576. *ſeqq.*

liario ſuo de quo ita loquitur Henricus Whartonus * : *Gregorius de Heimburg, natione Germanus Iuris vtriusque Doctor, & Æneæ Syluio ** iudice, inter Germanos ſcientia iuris ac facundia facile princeps; authoritatis Pontificiæ, ſi quis vnquam alius, hoſtis iuratiſſimus. In Concilio Baſileenſi præſens, Papæ primatum viriliter oppugnauit: ſummamque cum Ænea Syluio amicitiam contraxit. Mox Noribergam a ciuibus accitus, Syndicatus munere per triginta annos ſumma cum laude perfungebatur. Anno* 1460. *Sigismundo Auſtriæ Duci a pontifice recens excommunicato Aduocati vices obiit: illiusque nomine ad proximum Concilium Generale appellauit: nec his contentus ipſam Romanam ſedem e fundamentis conuellere, editisque libellis, Synagogam, Babylonem & Meretricem Babylonicam appellare non ueretur. Hinc in rabiem actus Pius Pontifex, veteris amicitiæ obliuiſcitur, & exeunte anno Gregorium diris deuouet: ſcriptaque ad Norimbergenſes epiſtola, ipſum ciuitate eiici, bonaque eius in fiſcum redigi iubet. Gregorius a Pontifice ad Concilium appellat, & in Bohemiam ſe recipiens, Pii minas ridet. Poſtea a Dithero Archiepiſcopo Moguntino in Germaniam reuocatus, diem in pace obiit, illudque Paullinum *** tumulo ſuo inſcribi iuſſit, non iudicabit me humana res Scripta. Admonitio de iniuſtis vſurpationibus Paparum Romanorum ad Imperatorem, Reges, & Principes Chriſtianos, ſiue Confutatio Primatus Papæ. Extat apud Goldaſtum Monarch. Tom. I. p.* 557. *Appellatio Sigismundi Ducis ab excommunicatione Pii II. Papæ ad Concilium generale & liberum, cum Scholiis in Pii II. Breue de excommunicatione Sigismundi, & ſui: ſeu Sigismundi Ducis proceſſus contra Papam. Tom. 2. p.* 1526. *Appellatio ad Concilium generale a Bulla Pii II. Papæ contra ſe emiſſa. ibid. p.* 1592. *Apologia contra detractationes & blaſphemias Theodori Lelii Feltrenſis Epiſcopi ibid. pag.* 1604. *Inuectiua in Nicolaum Cuſanum Cardinalem Papalis plenitudinis defenſorem ibid. p.* 1626. *Prodierunt ſeorſim Opuſcula iſta Francofurti* 1608. 4. *tria priora in Antilogia Papæ Baſil.* 1553. 8. *& in Appendice ad Faſciculum Rerum Expetend. Londini* 1688. *f. p.* 114. Sequitur eundem plane Io. Gotfried Olearius in Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum ****. Quanti autem Sigismundum olim fecerit Syluius teſtatur ipſius epiſtola ad ipſum ſcripta. *****

Efflagitaſti modeſte a me pridie tibi ut amatoriam alicuius epiſtolam mitterem, qua ſuadere poſſes virgini, quam diligis, ut amare te ſineret. Alius fortaſſe tibi hoc negaſſet, timens ne prolabereris. Ego annuendum duxi. Scio namque humanæ vitæ conditionem. Nam qui non amat in adoleſcentia, in ſenio poſtmodum amat, quo tempore deriſui eſt & vulgi fit fabula: quoniam ætas illa amori inepta eſt. Noſco præterea amoris conſuetudinem, qui in iuuene torpentes virtutes excitat. Hunc in armis exercet, illum in literis. Et ſtudet quisque id agere propter quod amica placeat. Et quia virtutes nomen bonum faciunt, virtuti dat operam, qui amat, ut ante puellæ faciem laudetur. Et quanquam hoc ineptum virtutis præmium ſit, probabile tamen eſt quacunque ratione virtutes adipiſcaris. Adoleſcentes inſuper non ſunt nimium cohibendi, ne languidi & interes fiant, permittendusque his eſt aliquis ludus, indulgendum eſt aliquantiſper voluptati eorum ut animum & cor ſumant, ut ſciant bonum & malum: ut verſutias mundi noſcant, illasque cum uiri facti fuerint euitare ſciant. Hac de cauſa geſſi morem uoluntati tuæ, & optatam epiſtolam, hac conditione tibi transmitto, ut amans non negligas ſtudia literarum. Sed quemadmodum apes ex floribus mella decerpunt, ſic tu ex amoris blanditiis virtutem veneris. Vale.

Addimus aliam, quæ de eodem teſtatur. ******

Cicero cum adhuc iuuenis apud Græcos mirificam orationem habuiſſet, admirabantur qui aderant omnes, mirisque laudibus nomine Oratorem efferebant. Senex autem

---

* *Append. ad. Caue. Hiſt. Litter. p.* 98.
** *Comment. in dicta & facta Alphonſi lib. III. §.* 5.
*** 1. *Cor. IV.* 3.
**** *Tom. I. p.* 293.
***** *Ep. CXXII.*
****** *Ep. CXX.*

tem quidam amantiſſimus patriæ, inter omnium lætitiam atque tripudium ſolus flebat. Mirati circumſtantes, Quid eſt, inquiunt, quod te lætantibus cæteris mœrore conficis. Tum ille, omnes, inquid Græcorum artes in Latinum migrarunt, unica nobis & familiaris & chariſſima remanſerat eloquentia. Sed hanc etiam Cicero nobis auferet, atque in Italiam ſecum ducit, num quid iuſta eſt cauſa lachrymarum? Sic mihi hodie de Te viſum eſt, cum in regia de ſtudiis, quæ uocant humanitatis diſſertares. Nam & Legiſtam & Theutonem ſuperabas, & Italicam redolebas Oratoriam facundiamque. Sed quod fuit mœrori Græco, mihi lætitiam præbuit. Neque enim ſi Theutonia literis claret, quæ illas tradit Italia, minus habet literarum. Sunt ſcientiæ ſicut & lumina, qui de ſuo lumine lumen accendit, ſed ſibi retinet lucem & accipienti tenebras auſert. Inueni apud ſanctum Gallum, quod ſueuorum eſt oppidum, in ueteri monaſterio Bibliothecam peruetuſtam, ubi & libros reperi ornatiſſime conſcriptos, quorum autores fuerunt Theutones: Mirabar cur hodii nihil eloquentiæ his in regionibus eluceret. Sed uenit in mentem apud Italos quoque tempus fuiſſe, quo ſepulta dicendi facultate Barbarorum iuſtitia dominabatur. Ante centum ferme annos & ante trecentis quadringentisque non inuenies qui per Italiam ſermonem habuerit terſum & lucidum. Sic pingendi ſculpendique accidit arti. Si ducentorum trecentorumque annorum aut ſculpturas intueberis aut picturas, inuenies non hominum ſed monſtrorum portentorumque facies. Priſcis vero ſæculis Appellem atque zeuſim, Polycletum, Phidiam & Praxitelem, magnos fuiſſe comperimus. Et de ſtatuariis quidem ipſi videmus, & Vergilio fidem habemus dum ait: Credo equidem uiuos facient de marmore uultus. De pictoribus vero teſtimonia ſunt clariſſimorum virorum, qui profecto minime tantis eos præconiis extuliſſent ſi picturam non aſpexiſſent, ſculpturæ, vel ſimilem vel illa pulchriorem. Sed ecce iam reuixerunt ſculpendi pingendique diſciplina. Reuixit etiam eloquentia, & noſtro quidem ſeculo apud Italos maxime floret. Spero idem in Theutonia futurum, ſi tu tuique ſimiles continuare & amplecti totis conatibus Oratoriam decreueritis. Accepi apud Nurembergam plebanum ſancti Sebaldi virum grauem tua permotum ſuaſione multis lucubrationibus hiſtoriam atque Rhetoricam perſequi. Diligo ego vos ambos, qui patriam moribus ornantes etiam literis munire ſtudetis. Cæterumque de Nilo fuit hodie nobis ſermo: non video quo pacto ex Paradiſi monte progredi poſſit. Paradiſum namque terreſtrem, quam delitiarum vocant, in Oriente poſitam volunt, atque ex ipſa Euſraten fluere, quem ſcriptura Tigrim appellat: quamuis & Tigris alius in Armeniæ regione caput tollat, qui Solino teſte, Euſratem fluuium in Perſicum defert ſinum. Nilus vero a monte inferioris Mauritaniæ, qui oceano propinquat, originem habet. Sic affirmare feruntur Punicii libri & iuba Regis ſcripta. Si Solino credimus, & hinc nunc latens nunc apparens diuerſis argumentis deprehenditur is eſſe qui irrigat Aegyptum, & terminus eſt Affricæ atque Aſiæ. Licet Lucano huius origo fluminis incognita videatur dum ait: Egens ſi qua iacet naſcenti conſcia Nilo. Vale & quod verbis fieri debuiſſet, ſcriptis accipe.

Ex Noua ciuitate pridie Calendas Februarii.

DE

p.113

DE ADVENTV HONORABILISSIMI DVCIS SIGISMVNDI AVSTRIÆ, AD CONSTANTIAM CIVITATEM ALEMANIÆ, ANNO MCCCCLIX.

VENTVRE DE PERVSIO PONTANI, AD STEPHANVM DE NARDINIS DE FORLIVIO, I.V.D. SEDIS APOSTOLICÆ PROTONOTARIVM ET REFERENDARIVM, CANONICVM BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORVM DE VRBE, CAMERÆ APOSTOLICÆ CLERICVM, LITERARVMQVE APOSTOLICARVM SCRIPTOREM ET ABBREVIATOREM.

EPISTOLA.

PAter reuerendiſſime, dum animi relaxandi gratia hanc vrbem viſerem, deambularem ſublicium pontem, qui Rheni vndis inclyti fluminis alluitur, exemplo nuncius occurrit, aduentum Sigiſmundi Auſtriæ Ducis ſignificans. Quem ut exploratum habui, illic ſum paululum de induſtria commoratus, vt ingrediendi ordinem, ſimulque Ducem ipſum plane conſpicerem: quæ vbi cuncta obſeruaui, contendi domum, & ea omnia tuæ dominationi ſignificaui: mirifice (quantum colligere potui) placuerunt iuſſiſti vt illa literis mandarem, quoniam quæ verbo perceperas, maiorem animo voluptatem, ſi ſcripta legeres, te dicebas adhibiturum, & id à me conuicio quaſi quodam efflagitaſti ſæpius: quod libens renuiſſem propter meum dicendi genus obſcurum atque abiectum. Non putabam enim vllam tua excellentia dignam poſſe conficere; veruntamen velim potius rem ipſam, quam propenſam animi voluntatem abs te accuſatum iri. Summæ igitur humanitatis erit, T. R. D. quid qualecunque eſt, ferre æquo animo. Sed maiorem profecto (vt arbitror) iocunditatem cepiſſes, ſi id oneris Nicolao tuo demandaſſes, maiore enim ille dicendi copia & elegantia ſermonis: quam ipſe reſpondiſſet, propter eius ſummam & præclaram eruditionem. Tamen quod ipſi vidimus notauimuſque, quantulacunque noſtra poterimus facultate ad te ſcribam: ſed accipe paucis: nam vereor, ſi longior fierem, ne hac mea barbarie doctas aures tuas obtundam nimis.

Vniuerſam cohortem claſſicum cum tibia anteibat, pares deinde reliqui obequitabant, leui induta armatura: credo vt expeditiores ſint, ſi foret opus, ad in-

ſultum faciendum. Tunicas more patrio breues habebant, vix enim inguen ipſum operiebant, roſtratis calceis calcaria inhærebant connexa paululum, quibus equos concitabant. Verum illi obæſi, ceruice ardua, pedibus confodientes humum tam exacte ſuccuſſabant, vti in prælium atque in mediam aciem prodire viderentur. Medium fecerant Ducem ipſum, ante quem ingenuus miles enſem thecâ tota argentanea deferebat. Pectore quoque geſtabat pretioſum lapillum auro circum ligatum, quem nullo mercari theſauro poſſe aiebant inſigne imperatorium. Plerique vero militari ornamento induti eum comitabantur, ſimulque etiam ferme omnes baliſtam portabant & pharetram ſagittis refertam. Poſtremum vero equi ſex ligneam arculam opertam corio curru trahebant, argento, veſtibus, & rebus aliis ad vſum plenam, vndique ramuſculis arborum cinctam: aurigæ qui eam ſequebantur cantu & clamore replebant omnia: ſpectaculum erat perquam egregium tum viri ac mulieres ipſæ è feneſtris proſpectantes, ſua lingua interrogabant: *Was volck iſt das?* hoc eſt, quinam mortales eſſent. Io etiam triumphantis more exclamantes. Demum ſplendide ab hac Repub. magnificeque, quam pro viribus potuerunt, ſuſceptus eſt. Quod ſi Reuerendiſſime domine, vidiſſes (vt reliqua præteream) eos ſuperimpoſitis equis, maxima adductus eſſes admiratione: tam enim concinne tamque pulchre illis inſidebant, vt (ſi fabulari volueri-
Germanorum laus. mus) Centauros exiſtimare haud dubie potuiſſes. Natio eſt hæc Germana in bello firmiſſima, ad arma capienda præ cæteris promptiſſima. Quod ſi paulo conſultius in prælium prodirent, arma caperent, non tanta temeritate in hoſtes impetum facerent; conſilio, prudentia (pace aliorum dictum velim) nulla nunc Hercle eſſet gens toto terrarum orbe, quæ cum hac poſſet comparari. Quotiens cum Romanis acriter conflixere? Quotiens de ſola vita certarunt? Sed poſiti in hac plaga gelida, pertinenti ad ſeptentrionem alacriori conſilio eſſe non poſſunt. Nam axis hic gelidus nimium obtundit ingenia, adeo ut quæ magna ſunt, & cognitione digniſſima, ipſi capere non poſſint: acria ac robuſta habent corpora, ge- p. 114
lu, niuibus & leno durata aquilino, qui vero regionem calidam incolunt, enerues ac molles ſunt, propter maximam ipſius ſolis fortitudinem & vim; nam trahitur ſanguis ipſo æſtu in ſuperficie, quo magnopere vires corporis debilitantur. Ad arma nequaquam idonei, ſed excogitata quadam ſunt præditi ſapientia, nec non prudentia. Mediam qui inhabitant, quoniam neque æſtu nimio, neque frigore vexantur, beatiores dici poſſunt: nam & virtute animi & corporis maxime excellunt, ut in ipſa Italia, qui cæteris vniuerſi orbis gentibus conſilio, prudentia, ingenio & experientia rerum omnium facillime ſunt anteponendi. De quorum laude & excellentia duxi in præſentia ſatius prætereundum eſſe, nam neque hos laudare nimium, neque illos probro afficere conſilium, de re tamen luce ipſa clariore diſſerere abſurdum videtur. Sed iam ad noſtra redeo.

Poſtridie vero, reuerende domine mi, dominatio tua nouiſſe potuit, cum ſacra Diis ceremoniæque perſoluerentur, vrbsque tota luſtrata eſſet, quanta animi magnitudine, quanta prudentia, quanta morum facultate inclytus ac magnificus, magnanimus hic Dux eſſet ornatus. Adeo enim comis eſt, adeo vrbanus, adeo omni re benignus, vt vltro omnes ad ſeſe amandum allicere videatur. Præfert quandam præ ſe animi manſuetudinem ſingularem, ab omnibus veneratur, obſeruatur, diligiturque. Nihil enim præſtantius magno viro eſſe poteſt, quam omni in beneuolentiam opere conſequi; ſic nec calamitoſius quam ab omnibus odio haberi, ſed ab his præſertim à quibus coli & amari debuiſſent. Nam ſcimus Imperatorem illum Romanum dum totos pene dies recenſeret, eum diem ſolitum dicere perdidiſſe, in quo amicum nullum ſibi aſciuiſſet. Nam miſera ſolet eſſe plerumque Principum vita, quorum calamitati haud vnquam creditur, niſi dum penitus humi proſtrati ac deiecti ſemianimes iacent. Curandum eſt igitur, vt in omni vita quam cautiſſime ſimulque ſapientiſſime viuant. Quod ex eo magnam capere voluptatem potuiſti inter deambulandum, ſed enim præſertim illecebris illecti fuiſſetis

pro-

propter ciuitatis apparatum. Omnia fere loca ornata erant per quæ patebat inceſſus, vbique paſſim humi iacebant virentes herbæ, ſpiranteſque in pleriſque locis odorem ſuauiſſimum, inhærebant & domibus atque pendebant è feneſtris earum denſi arborum ramuſculi; vt iam non per ciuitatem, ſed per prata & nemora deambluare videremur, nuſquam enim domus ipſæ apparebant. Nam tum vt pompam tranſeuntem viri pariter ac mulieres intuerentur è feneſtris, ramos atque arbores ipſas conſcendiſſe profecto videbantur. Erat tranſeuntibus ſpectaculum quam gratiſſimum. Sed nec dearet ad id virorum ac mulierum ornatus, quantum pro more & conſuetudine patriæ, nam ibi latis nimium ac ſplendidis veſtibus vti non ſolent; magis enim in victu & ſuis balneis, quam in cæteris rebus pecunias erogant atque effundunt.

Iuuentuti quæ pompam ſequebatur, ornamentum erat manica auro atque argento interrexta; plerique vero quibus hic ornatus non erat, veſtem breuiuſculam illam diuerſi ac varii habebant coloris. Sed omnes fere comam muliebri more promiſſam habentes, ſerto duntaxat ornarant multis ac variis diſtincto floribus, quo vti fere ſemper ſolent diebus feſtis, vel ramuſculum arboris fronte tectum in ambitu circumductum capiti præponunt, qui profecto mos & conſuetudo placere debuit magnopere. Maioribus etiam ætate proiectis, à quibus hæc prorſus videntur abhorrere, toga erat tenus crurum, capiti pileum, manibus vero (vt vetus eſt ritus) tritas verunt ephemeridas, ad perſoluendum die credo quodianam precem. Nam hoc nocis videntur præſtare, quod religioſiores ſunt, atque ad omnem cultum diuinum quam nos propenſiores. Puellæ quoque innuptæ & ipſæ ſuum ſeruant veſtiendi morem, veſte linea vtuntur, quæ & ceruici & manibus nitentiſſimis contenta, rugis tum paululum conglobata ſpeciem præbet ſollium. Satis me hercule concinne hæret, ſed hoc ad decorem earum non parum facit; nam inſurgunt pectori ſub tenui illa veſte mammillæ orbiculatæ in modum mali Punici, quod neſcio quid iſtic lateat Deæ Cypriæ, capiti mollam floridam & ipſæ imponunt, ſparſis per humeros bipartito crinibus, inter quos pendent mappæ ſericæ colore diuerſæ, venuſtæ ſatis, ſed hoc noſtris præſtant, quod ora fuco de ceruſſa non linunt, quales namque natura progenuit eas, tales ſeſe vulgo efferunt, quod non parua profecto ex hoc viderentur dignæ laude, calceos etiam habent duplici corio ex albo & nigro confectos: & ſublati pauliſper crura ambiunt, colligati vnica fibula, tum vero ſupra paululum ligulis frequentiſſimis. Sed auſculta (quæſo) paucis earum nubendi conſuetudinem: nam ab re noſtra alienum non eſt, quam ipſi cognouimus, dum apud Arbonam templum intraremus, miſſa audiendæ gratia, Oppidum ſitum eſt in ripa lacus, dictans hinc millibus paſſuum
p. 115 ſerme quindecim. Orante me illic confluxit inopinate multitudo quædam oppidanorum, putabam primo ea de cauſa ſe quoque eo conueniſſe. Sed dum omnes aram circuirent, rem ego quaſi nouam facturos cupide obſeruaui, ſingulorum *Arbona.* ora ſacerdos aræ aſſideus manipulo verberabat, tum viro & vxori flexis genibus ante aram ſtantibus manu capiti impoſita auribus ſubmurmurauit, poſt voce altiori quiddam ſermone patrio prædixit, quæ ipſi propter huius linguæ ignorantiam percipere non potuimus, ſed credo Deos imprecatum iri, id connubium felix fauſtumque eis futurum.

Demum quibusdam dictis Euangeliis eos ſigno crucis ſignauit. Surrexerunt illi his peractis deuote vt abirent, tum extemplo accurrunt omnes eorum quanta maxima potuerunt vi capillos trahentes. Pauliſper extimui rem antea nunquam viſam, neque auditam, putabam vero in prælium incidiſſe, cum viderem tumultum illum atque concertationem, ſed vbi rem omnem plane cognoui, riſum mehercule continere non potui, Germanus eſt hic mos, quem ſi probas, ego laudo: magnam tamen hæc nobis voluptatem exhibuit. Sed iam ad noſtra redeo.

Matronæ quoque pompam ſequebantur, pallio oblongo, capite geſtantes lineum pannum, ferunt præ ſe cum venuſtate dignitatem quandam non mediocrem. Tum omnes luſtratione peracta ad templum rediuimus, comitantes tot præclaras reliquias Deorum quas per vrbem portauerant. Ignoro an vſquam terrarum res tam ſumptuoſa, tamque præclare & magnifica poſſit inueniri. Tot enim vaſa argentea, tot tabulæ aureæ, atque Deorum ſimulacra, tot arculæ reliquiis plenæ elaboratæque, vt Polycleto ac Phidiæ non cedant, quibus tot infixæ ſunt amethiſti, adamantes, berylli, ſmaragdi, vt non ignotis modo, ſed notiſſimis ſummam pariant admirationem. Obſtupuimus tum primum, cum theſaurum illum & ſuppellectilem tam inſignem conſpeximus, admirantes quodammodo, vnde nam tantum auri atque argenti & pretioſarum gemmarum cogi potuerit.

Celeberrima profecto res eſt, & prædicatione digniſſima. Quæ omnia quantum nobis iocunditatis attulerint, nec lingua quidem poſſit explicari. Demum his omnibus viſis Principem hunc illuſtriſſimum conueniſti, qui iuncta dextera perhumane tecum locutus eſt, in quem ob eius tantam manſuetudinem amorem quendam præcipuum ac beneuolentiam conflaſti ſingularem. Quantopere quoque ipſe te amet, iam plane conſtat.

Dictis deinde paucis, de rebus iis Germanis componendis, qua gratia hue à ſummo Pontifice delegatus erat, quiſque in ſuum conceſſit domicilium. Poſtero vero die eodem in templo veniſtis omnes vbi in maxima Principum frequentia ac præſtantiſſimorum virorum cœtu orationem habuiſti de laude Pacis adeo ſummam atque præclaram, vt in maximam quandam admirationem facile omnes adduxeris: ſummis illi quidem te in cœlum vſque laudibus extulerunt. Qui ſi tibi obſequentur, ſi tuis parebunt edictis, nil eis ſalubrius, nihil omni vita glorioſius contingere poterit. Quid enim præclarius atque optabilius, quam ſe inuicem colere? quid pernitioſius, quam inueteratis odiis ſibi inſidias parare, incendiis & rapinis ſeſe palam obiicere? Nam niſi inter mortales coniunctio quædam animorum, niſi mutua quædam eſſet inſeruiendi voluntas, omnia certe ruerent, interirentque penitus.

Nam ſi manus ori cibum denegarent, ſi pedes deambulandi officium corpori non ſubminiſtrarent; corpus vnum amplius dicendum non eſſet. Ita nec ciuitates, nec Respublica diutius eſſe poſſent, ſi amore mutuo & beneficiis non tuerentur, Quid concordia ſanctius? Nam (inquit Hiſtoricus iſte) concordia res paruæ creſcunt, diſcordia vero maximæ dilabuntur. Quot oppida, quot ciuitates, quot regna, quot imperia, ſolo æquata iacent?

Nam (vt reliqua prætereamus, quæ ante oculos eſſe debent) quid Roma ipſa olim caput vniuerſi orbis, ſi repetere vetuſtiora volumus, nonne propter ipſam diſcordiam, tot tantasque ſubiit calamitates? * Vt ignorem an prouincia vlla eligi poſſit, quo neſcio profecto cui dignius ipſe pene hanc prouinciam delegare potuiſſet, qui tanta prudentia, tanta animi magnitudine, tanta magnarum rerum experientia præditus ita eſſet, ſanius profecto ſibi conſulſuit. Quod niſi hanc rem ar- p.116
duam, & tanti ponderis tibi credidiſſet, expectare potuiſſet extemplo iacturam magnam ac calamitatem in omnes impetus quam maxime irruituram. Eamque ob rem ſi contemplabuntur quantum calamitatis hæ diſſenſiones & ſchiſmata afferant populis faciliores erunt ac promptiores ad omnem concordiam, ſi fugere, ſi euitare tot incendia, tot rapinas voluerint, alter alterum hortabitur ad deponenda odia: ſi exhorruerint ſtupra virginum, & ſuorum parentum, affinium, propinquorum & amicorum cædes, vltro ipſi exoptabunt, poſtulabuntque hoc ſanctiſſimum fœdus. Erigant proinde animos eorum ad hæc imminentia mala, ante oculos ſuos ponant hanc rem horrendam ac neſandam, quod ſi fecerint, beati

* *Deeſſe aliquid videtur.*

pro-

profecto dici poterint, tum euitabunt hanc pernitiem & internecionem omnium. Quod ſecus eos facere non arbitror, tum re digniſſimum virum habeant, oratorem, conſulentemque eorum vitæ ſereniſſime. Quod profecto imprimis Diis, tum vero ſummo pontifici magnopere debebunt, talem qui delegerit ad hanc Germaniam componendam. Sed tu maximam ex hoc, vbi id effeceris, gloriam in Italiam reportabis.

RELIQUA DESIDERANTVR: QUORUM LOCO DUAS HASCE PII PAPÆ II. EPISTOLAS HOC TEMPORE DE EADEM RESCRIPTAS, IN VULGATIS EDITIONIBUS NON EXTANTES, APPONEMUS.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis officialibus, & communitati ciuitatis Conſtantienſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quanto ſtudio cupiamus extingui nonnullas diſcordias, quas de nouo ſuſcitari proxime intelleximus inter dilectos filios, nobilem virum Sigismundum Ducem Auſtriæ, & confœderatos ex aduerſo, intelliget deuotio veſtra ex literis, quas ad dilectos filios, Magiſtrum ciuium & conſulatum ciuitatis Baſilienſis ſcripſimus, quarum copiam mittimus præſentibus incluſam. Quapropter deuotionem ipſam, quanto poſſumus efficacius exhortamur, vt cauſam tam piam extinguendorum ſcandalorum, & conſeruandæ pacis inter partes præmiſſas totis viribus amplectamini, & iuxta rei portantiam, ſeu à dictis magiſtro ciuium & conſolatu requiſiti fueritis, ſeu vos videritis expedire (vt decet veros filios ſedis Apoſtolicæ, & pacis ac vnionis amatores) partes veſtras pro votiua tam ſalutaris rei concluſione interponatis. Pro quo facto & meritum apud Deum, & in hoc ſæculo gloriam immortalem cum gratia & amore noſtro aſſequemini. Cæterum cum tempus appropinquet celebrandæ diætæ quam in Mantuana ciuitate diximus, requirimus affectuoſe deuotionem veſtram, vt oratores veſtros viros præſtantes, & plenis mandatis ſuffultos, iuxta alias requiſitiones noſtras, illuc transmittere velitis. Datum Senis, anno incarnationis Dominicæ 1459. Idus Aprilis. Pontificatus noſtri anno primo.

PIVS Epiſcopus dilectis filiis, magiſtro ciuium & conſulatui ciuitatis Baſilienſis ſalutem. Venit nobis nouiſſime ad notitiam inter dilectos filius, nobilem virum Sigismundum Ducem Auſtriæ, & nonnullos ex aduerſo confœderatos, graues ſuſcitari diſſenſionum cauſas, & adeo vtrinque animos incitari, vt niſi antequam odia inualeſcant, ſalubri remedio orientibus malis occurratur, dubitetur, ne iterato partes non ſine mutuis calamitatibus ad aperta bella deueniant: Quæ ſi fierent quantorum malorum daretur occaſio, deuotio veſtra abunde poteſt intelligere; quæ ex præteritis guerris quot redundauerint ſcandala, cognouerunt.

Nos igitur, qui ex paſtorali officio inter vniuerſos Chriſti fideles vnionem & concordiam conſeruare deſideramus, eo magis hoc tempore id facere exoptamus, quo cernimus maiorem inſtare Reipublicæ Chriſtianæ neceſſitatem, nihilque pernitioſius accidere poſſe, quam dum fides ipſi viciſſim domeſticis inuoluuntur concertationibus, hoſtis Chriſtiani nominis perfidus Turcus vehementius in maligno propoſito proculcandæ fidei orthodoxæ animatur, viamque ſibi munit ad id deteſtabile conceptum ſuum exequendum. Hæc non dubitamus, pro veſtra prudentia deuotioni veſtræ non eſſe incognita. Quocirca eam hortamur, vt tanquam veri Catholici, ac pacis amatores, in tempore adeſſe velint, & ne nouum incendium ſuſcitetur omni ſtudio & induſtria procurare, partes ipſas efficacibus mediis, & oportunis rationibus ad pacem & concordiam, aut ſi id ita celeriter fieri non poſſet, ſaltem ad treugas inducendo. Itaque à vi facti omnino vtrinque abſtineatur. Nos enim hoc oneris pro ſingulari noſtra in vos affectione, confidenter de-

uotioni veſtræ imponimus, nec dubitamus ſtudium & diligentiam veſtram in hoc ſalubri negotio plurimum profutura.

Quantum vero in nobis erit, pro his conficiendis nec oratores mittere ſi (neceſſe fuerit) recuſabimus, nec quicquam prætermittemus eorum, quæ ad conducendum votiue hoc factum cognoſcemus. Vos modo magno animo hoc laudabile opus amplectamini, & vobiſcum excogitetis vias & rationes, quibus deſiderium noſtrum adimpleri poſſit. Aduocando in hoc ſubſidium & fauorem dilectorum filiorum, officialium, & communitatis ciuitatis Conſtantienſis, & adiungendo vobis eas perſonas, quas ad concluſionem votiuam cognoueritis opportunas. Cæterum mittimus vobis literas, quas ad dictos confœderatos ſcribimus, quas eisdem eo tempore & modo, quibus melius & vtilius iudicabitis, facietis præſentari.

Datum, &c.

p.118 # SIGISMVNDI DVCIS AVSTRIÆ, APPELLATIO A CENSVRA PII PP. II.

Item:

GREGORII HEIMBVRG. D. APPELLATIO AB EODEM AD CONCILIVM FVTVRVM, ET AD CRIMINA OBIECTA RESPONSIO. ANNO M. CCCC. LX.

ARGVMENTVM.

Ex Alberto Grantzio, Lib. XII. Wandaliæ, Cap. XXIV.

NICOLAVS de Cuſa per ea tempora Cardinalis, Teutonicus, (quod eſt monſtrum coruo rarius albo) vir doctiſſimus, legatione fungitur ſummi Pontificis per Germaniam: quod Pius pontifex Germanis, quam à multa memoria vllus Pontifex, affectiot eſſet: quia Germaniam ille Germanicus noſſet, diu verſatus in eius prouinciis. Multa vir religioſiſſimus legatus conſtituit in prouinciis, quæ apud Metropoles ſeruantur. Peruenit Magdeburgum, & vſque Hildesheim: citra deſcendere non potuit, quod concitus in Italiam reuocaretur. Quum veniſſet ad eccleſiam ſuam Brixinenſem in Alpibus, deque illa diſponere voluiſſet, pro veteri Pontificum iure: non eſt paſſus Sigiſmundus dux Auſtriæ, vt ea in Germaniam tenderetur conſuetudo, quod Romani Cardinales eccleſias Germaniæ haberent in cõmendis, quomodo Abbatias & monaſteria Italiæ, Galliarum, Hiſpaniæ, Angliæ: quæ vna cauſa eſt in eis prouinciis creari Cardinales, non in Germania. Graue oritur diſſidium inter Cardinalem & Ducem: vterque ſuum gladium diſtringit in alterum. Captus Cardinalis, cuſtodiæ mancipatur. Pontifex execratione & maledictis infectatur Ducem. Mittit ille in vrbem pro ſe oratorem, qui pontifici reddat ſui facti rationem. Erat homo quidem doctus, ſed pertinax, qui venerat orator, & qui Pontificem in minoribus ſe minorem cognouiſſet: audentius tuetur cauſam commendatam. Vbi non profecit appellationem interponit, quæ extat: eamque in Vrbe publicat. Interim Papa & Ducem & nuncium eius execrationibus diris inſequitur. Fugit Gregorius (hoc enim illi nomen erat) in Bohemiam: ibi ducta vxore contemnit Pontificis execrationes. Interim omnis ducatus parens Sigiſmundo, eccleſiaſtico ſupponitur interdicto, vetitis omnibus vllam habere communionem cum incolis: neque

neque terram illam pertranſire fas ſit peregrino. Sed facile Principi cum principe conuenit, vbi Chriſoſtomus venit in medium.

ALIUD, EX IOANNIS TRITHEMII ABBATIS SPANHEMENS. CHRONICORUM HIRSAUGIENSIUM VOLUMINE II. SUB ANNO DOMINI M. CCCC. LX.

ANNO etiam præſignato cum Nicolaus de Cuſa Epiſcopus Brixinenſis in Bauaria, & ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ tituli ſancti Petri ad Vincula presbyter Cardinalis iura memoratæ eccleſiæ ſuæ Brixinenſis acriùs tueretur, à Sigiſmundo archiduce Auſtriæ capitur, & honeſtæ euſtodiæ mancipatur. Vnde Pontifex max. Pius ſecundus indignatione commotus contra Sigiſmundum, eum excommunicauit: & terram eius Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſuit. Cardinalis autem fuga tandem lapſus, Romam peruenit, & Papam grauius contra Ducem incitauit. Factum eſt ergo ad ipſius Cardinalis inſtantiam, ut Papa in Ducem multiplicaret cenſuras: & quantum in ipſo erat, neminem exterorum per eius terram, id eſt Comitatum Thirolis impune tranſire permittebat. Cuius rei occaſione pauperes terræ dicti comitatus grauiter affligebantur. Habebat eo tempore Dux Sigiſmundus à ſecretis Doctorem quendam in iure peritiſſimum, nomine Gregorium Heimburgum, patria Francum Orientalem. Is eum eſſet Latine Simul & Teutonice omnium ſuo tempore facundiſſimus, multa ſcripſit, dixit & fecit pro eo, Appellationem à ſententia ſummi Pontificis, ad Futurum Concilium pro Sigiſmundo con- p. 119
ſcripſit admirabilem, & pro eius abſolutione petenda Romam in perſona propria perrexit, ſed pontifex ducem abſoluere non voluit, niſi prius Cardinali ſatisfaceret pro contumelia quam intulerat. Poſtremo tamen Dux humiliatus, veniam & abſolutionem à Papa impetrauit.

ARGVMENTVM SEQVENTIVM LIBELLORVM PER W. W.

CVM Æneas Syluius, Pius II. Pontifex factus ſub triplici corona rerum potiretur, Nicolao de Cuſa creato Cardinali Brixinienſem epiſcopatum addidit: non (quod boni paſtoris erat) vt paſceret & regeret commiſſam Eccleſiam, quod potuiſſet ſane præſtare ſi tam fuiſſet pius quam fuit doctus: ſed vt Romano more in commendis (vt vocant) haberet, hoc eſt, vt deglubatis & depilatis ouibus, ex eo prouentu diteſceret, nec quicquam curaret aliud, quam vt à Romana non deficerent obedientia. Quod cum Sigismundus Dux Auſtriæ non ferendum eſſe putaret (graue enim videbatur ſibi in Germania fieri, quod Galli & Itali, cæteræque nationes non pauca magna cum iactura & rerum & animarum experiuntur) ſuæ præſertim ditioni, Cardinali ſeſe opponit. Crudeſcente itaque diſſidio, ad arma ventum eſt. Cardinalis captus cuſtodiæ mancipatur. Pontifex ob læſam maieſtatem in ſua creatura valde commotus, Sigismundum fulmine fecit. Dux grauiſſima cenſura, & quæ non modo principi, verum etiam toti mundo, eo tempore erat formidabilis, conſtrictus ſolutionem meditatur. Quam cum à nemine, niſi ipſomet pontifice, poſſe impetrari non ignoraret, Gregorium Heimburgenſem iure conſultiſſimum virum, oratorem & legatum ſuum ad Pium pontificem mittit, vt eius facti rationem redderet, ac ſi fieri poſſet, iuſta excuſatione illi ſatisfaceret. Orator autem cum vidiſſet Papam nulla ſatisfactione poſſe moueri, cauſa fortaſſis bonitate fretus, & quod magna familiaritate aliquando * Æneæ Syluii in Aula Friderici Imperatoris eſſet vſus, vehementius inſtabat, abſolutionem ſui principis vrgendo. Tandem cum intelligeret, Pontificis pertinaciam nulla æquitate poſſe frangi, hanc Principis ſui interpoſuit appellationem, atque ad valuas eccleſiæ Florentinæ publicauit. Verum mox Pontifex concitatior factus, non modo in Ducem, verum etiam in ipſum Oratorem, eeu exagitata quadam vipera, virus ſuæ maledictionis effudit: quem tum temporis Reipublicæ Noribergenſis Syndicum, fulminationis ſuæ literis ita perſequitur, vt Bohemiam (quæ tunc ſola

* vide Aen. Sylu. epiſt. 12.

Cat. teſt. verit. ex Cranzio.

ex

ex toto orbe Chriſtiano Papæ minas contemnere ſciebat) patriam ſibi quærere cogeretur. Ex qua aliquot poſtea annis accerſitus eſt à Dietero Moguntino archiepiſcopo, quem idem Pius ſecundus perſequebatur. Heimburgenſis igitur, cum aliud non haberet, quo ſuæ conſuleret famæ, ac nomen quod ſemper habuerat bonum, tueretur; à dicta pontificis ſententia ad futurum prouocat Concilium: non quod ſperaret, papam mutaturum ſententiam, aut prouocationem eam recepturum; quem non ignorabat iam antea collecta Synodo Mantuæ illiusmodi appellationes damnauiſſe, & ita appellantes, notarios ac teſtes, & adhærentes omnes excommunicaſſe: ſed vt tam ſuæ ætatis hominibus, quam toti poſteritati ſuam teſtatam faceret innocentiam, quoque in veritatem & eſſet & fuiſſet animo, declararet. Quo etiam animo libellum contra primatum Papæ, breuem quidem, ſed acrem & eruditum, in eundem Pium compoſuit. *Catal teſt. veritat ex Crantzio.*

IAC. WINPHELINGVS IN PROSTHESI SVA AD ILLVSRES VIROS GERMANIÆ, IOANNIS TRITHEMII ABBATIS.

GREGORIUS HEIMBURGIUS non mediocris iureconſultus & orator, nec ab Italis (maxime Venetis) ſine laude orationum ſuarum abſceſſit. Quanquam admirabile eius ingenium non ſola quidem inani verborum ventoſitate, ſed etiam ſacratiſſimis legibus probe inſtitutum, aliorum inuidiam ſibi comparauit. Summa enim petit liuor, perflant altiſſima venti. Orationes & epiſtolas varias ſcripſit, pro defenſione Sigiſmundi Ducis Auſtriæ, & appellationem à ſententia ſummi pontificis, & alia. *(in quibus extat etiam eius confutatio primatus Papæ, excuſa Baſileæ 1555. in Antilogia Papæ.*

p.120 ### *ÆNEAS SILVIVS PICCOLOMINEVS, INDICTA ALFONSI REGIS COMMENTARIOR. LIB. III.*

GREGORIUS Heimburgenſis, ſcientia iuris ac facundia inter omnes Germanos facile princeps, cum domum ex curia Cæſaris, in qua diu fuerat verſatus, reuertiſſet; atque non longe ab oppido Nurenbergenſi amicum offendiſſet, qui vxorem ſuam viuere & bene valere diceret, ſi viuit vxor, inquit, ego obii.

IDEM SILVIVS AD ILLVM, EPISTOLA CXX. POST ALIA:

Sic mihi hodie de te viſum eſt: eum in Regia de ſtudiis (quæ vocant) humanitatis diſſertares. Nam & Legiſtam, & Teutonem ſuperabas, & Italicam redolebas oratoriam facundiamque.

PIVS PAPA II. VENERABILI FRATRI NOSTRO, N. EPISCOPO BASILIENSI.

VEnerabilis frater, Salutem & apoſtolicam benedictionem. Intelleximus diſpliceter, quomodo non obſtante, quod Sigiſmundus ex Auſtriæ principibus propter infandum & notorium ſacrilegium in perſonam dilecti filii noſtri N. tituli S. Petri ad vincula S. Romanæ Eccleſiæ presbyteri Cardinalis, Epiſcopi Brixinenſis commiſſum in excommunicationis & alias iuris horribiles ac ſatis declaratas pœnas, cum complicibus & ſatellitibus ſuis inciderit, per noſque talis (vt noſſe debuiſti) declaratus exiſtat, poſito, vt oportuit, Eccleſiaſtico interdicto omni in loco ad quem acceſſerint: Tua tamen fraternitas eundem Sigiſmundum & ſuos (vt præfertur) ſicut tenetur, non deuitet, nec etiam (prob dolor) interdictum ſeruet, ipſoſque innodatos tremendis cenſuris non ſolum non denunciet, quin imo ſe ad tractandum inter ipſum & dilectos filios confœderatos intromittat, non aduertens quod per hoc maxime Deum offendis, cenſurasque & huius Apoſtolicæ ſedis auctoritatem contemnis, libertatem Eccleſiaſticam parui pendis, & contra præſtitum per te conſecrationis tempore iuramentum venis, proprio honori non parcis, cleruſque tuus profanans irregularis exiſtens diuinis contra Eccleſiæ ordinationem ſe temere immiſcet. Quam grauia quidem iſta ſint non ignoras. Mandamus igitur per præſentes

tuæ fraternitati, & diſtrictè per præſtitum iuramentum requirimus, quatenus ab omni dicti Sigiſmundi & ſuorum conuerſatione; atque tractatu inter ipſum & dictos confœderatos, prorſus abſtineas: Interdictum autem iuxta noſtrarum ſuperinde literarum contincntiam, inuiolabiliter teneas, & teneri facias. Secus faciendo contra tuam fraternitatem, tanquam fautricem dictorum ſacrilegorum, & Apoſtolicæ ſedis, ac noſtri, imo Dei contemtricem, nos iuſte ſentias prouocatos. Datum Romæ, apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die X. Ianuarii M. CCCC. LXI. Pontificatus noſtri anno III.

NAUCLERUS *Vol. II. Gen. XLIX. pag.* 1090.

PER hæc tempora Pius Papa Sigismundum Auſtriæ Ducem diris execrationibus perſecutus eſt, cauſa fuit: Eccleſiam Brixienſem ſub Calliſto tenebat Nicolaus Cuſanus Cardinalis ad Vincula S. Petri, cuius Eccleſiæ aduocatus eſt comes Tirolis ab imperatore conſtitutus, hunc Nicolaum Cardinal. vacanti Eccleſiæ Nicolaus quintus epiſcopum præfecit, reluctante Sigismundo, quietam tamen poſſeſſionem poſtea obtinuit. Verum cum idem Cardinalis monaſterium quoddam in Sonenbergo reformare uoluit, reſtitit illi Sigismundus Dux Auſtriæ & Comes Tirolis. Adhæc cum inueniſſet cardinalis ducem & comitem quædam feuda ab eccleſia Brixienſ. tenere, quæ non recognouiſſet, bortabatur eundem Sigismundum Spiritualem iurisdictionem ſuam ne perturbaret, & quod nouam reciperet de feudis inueſtituram, iusque iurandum præſtaret. Ex quo mox diſſenſiones ortæ ſunt & odia, ſurrexeruntque maligni homines clerici & laici nonnulli una cum prædicto duce, reformationem epiſcopi impedientes: ſed & monialium monaſterii ſupradicti, ne reformarentur, protector factus eſt Sigismundus. Inualuere odia, ut cardinalis in Epiſcopatu manere non poſſet, unde uenit ad Calliſtum Papam, qui monitione præmiſſa, Sigismundum & complices execrari, & interdictum in terram ipſius ferri mandauit. Mortuo Calliſto, Pius ſucceſſit, qui vocatum Sigismundum cum prædicto cardinali concordare uoluit, ſed incaſſum. poſtea uero ad iuſſum Pii pontificis idem cardinalis in epiſcopatum rediit, Brunecam oppidum eccleſiæ Brixienſ. peruenit, literis maxime fretus, quibus ipſe Sigismundus ſuo ſigno obſignatis, bona fide promiſit eccleſiam Brixienſem & cardinal. quoad viueret ſe protecturum. tractabatur inter ducem & cardinalem, ac tractatu durante, Sigismundus in ſacra hebdomada copias eduxit, & iter faciens, ipſa die Paſchæ ante Brunecam armatas militum acies collocauit, machinas admouit, oppidum cepit. nec moratus, arcem quoque ſumma vi oppugnare aggreſſus eſt, in qua cardinalis erat. Interuenientibus mediatoribus, certis conditionibus concluſa eſt pax: in quibus non erat dictum, quod nec arx, nec cardinalis in poteſtatem ducis veniret. nihilominus dux claues arcis extorquens cardinalem arctiſſima cuſtodia ſeruari iuſſit, & ſic aliquo tempore cum ſumma ignominia tentus eſt, nec libertatem obtinere potuit, niſi remiſſis iniuriis, quodam eccleſiæ caſtro tradito, magno auri pondere ſoluto, cum pluribus aliis conditionibus, omnibus denique eccleſiæ priuilegiis & iuribus ereptis. Nec his contentus Sigismundus, cum Sacerdotes a diuinis ceſſarent, non ueritus eſt necem cardinal. denunciare, niſi ad prophanationem ſacrorum illos compelleret. De ſingulis affirmat ſe Pius informatum fuiſſe, admoniſſeque ducem ut reſipiſceret, altera vice: & cum ad ſanitatem redire non vellet, eum anathemate notauit diriſſimo.

SIGIS-

SIGISMVNDI ARCHIDVCIS AVSTRIÆ, &c.

APPELLATIO

A BVLLA EXCOMMVNICATIONIS PII PAPÆ II. AD CONCILIVM GENERALE ET LIBERVM.

NARRATIO PAPÆ PII DE GESTIS SIGISMVNDI AVSTRIÆ DVCIS CONTRA DOMINVM CARDINALEM DE CVSA.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei uniuerſis Chriſti fidelibus ad quos hæ literæ peruenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Iuſtiſſima quamuis iudicia & honeſtiſſima ſint quæuis Apoſtolicæ ſedis Decreta, & opera eius mortalis arguere nemo poteſt, quia tamen multi reperiuntur iniquæ mentis homines, qui erecto ſupercilio tollere os in cœlum non uerentur, & gradiente lingua eorum ſuper terram in Chriſti vicarium iactantes opprobria, facta eius damnare ſæpenumero audent, & nitidam ueritatis faciem, confictis mendaciorum tenebris obnubilare conantur, operæ precium eſſe cenſemus, quæ per hos dies aduerſus Sigiſmundum ex Principibus Auſtriæ, ſua contumacia & iniquitate tequirente, per nos & ſacrum collegium noſtrum, ſtatuta, ordinata & iudicata ſunt, ad notitiam ueſtram his ſcriptis perducere, ne fama uelox præcurrens, falſa pro veris perſuadere, & ſuo more, aut addens geſtis, aut adimens ſallere poſſit. Rem igitur, ſicut geſta eſt, ante oculos veſtræ mentis ponemus, vos beneuolas aures adhibete, & boni conſulentes, matris veſtræ & omnium fidelium noſtræ ſacro ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, primæque ſedis, digna & ſolita reuerentia, Decretum ſententiamque ſuſcipite. Eccleſia Brixinenſis quæ olim Sabienſis, & aliquando Brixinenſis eſt appellata, in Alpibus ſita eſt, quæ Germaniam ab Italia ſeiungunt, admodum inſignis. Siquidem Romanorum Pontificum priuilegiis quampluribus honeſtata, & Imperatorum largitate donata, non ſolum prædia ſed arces & oppida munitiſſima poſſidet, & ipſius Brixinenſis urbis ciuile Dominum habet, diœceſis eius ad Enum fluuium protenditur, qui Danubio in Bauaria apud Patauiam miſcetur, & in Atheſim reſpicit, qui Tridentum Veronamque præterfluens inſignes urbes, in Adriaticum exoneratur pelagus. Epiſcopus eius inter principes Imperii collocatur, & ab Imperatore absque medio in feudum recipit principatum ae regalia. In eccleſiaſticis negotiis eccleſiæ Salzburgenſis ſuffraganeus eſt, & metropolitico iure illi ſubiectus. Aduocatus eius in temporali-

bus cauſis, ſi quid aduerſi patiatur Comes Tyrolis ab Imperatoribus conſtitutus eſt, qui tueaturEcclefiam, non qui impugnet: ob eam rem non parum utilitatis quotannis accipiens. Nam feuda opulenta & ampliſſima, ab ipſa Brixinenſi Eccleſia noſcitur obtinere. Principium autem aduocationis in Comite Alberto fuit, qui primo per Conradum ipſius Eccleſiæ Pontificem, non ſine pluribus conditionibus aſſumptus, & de ipſa aduocatia, quæ feudum eſt eccleſiæ, inueſtitus, ab Imperatore confirmationem obtinuit. Vacante autem hac eccleſia, ſedente Nicolao V. prædeceſſore noſtro, Nicolaus ipſe de fratrum conſilio, dilectum filium noſtrum Nicolaum tituli S. Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem, in epiſcopum & paſtorem præfecit. Qui etſi diu contradicente & reluctante Sigiſmundo, poſſeſſionem tamen pacificam & quietam eccleſiæ ſuæ denique conſecutus eſt, & utiliter plebi per plures annos prædicando, monendo, hortando, & pontificale officium exercendo præfuit. Sed cum ſedente Calixto III. qui noſter fuit immediatus prædeceſſor, Cardinalis, ipſe atque Epiſcopus Brixinenſis, more boni patrisfamilias & diligentis atque attenti prælati, pia loca reformans, & iura eccleſiæ ſuæ exacte perquirens, inueniſſet Sigiſmundum emendationi monaſterii in Sonneberg ex eo aduerſum, quod nihil ſine eius aſſenſu fiendum præſumeret, ac eum Tyrolenſem Comitem pleraque magni momenti feuda, ab eccleſia ſua obtinere, quæ minime ut moris eſt recognouiſſet, hortareturque ſpiritualem iurisdictionem ne perturbaret, & nouam reciperet inueſtituram, iuſque iurandum præſtaret, mox diſſenſiones ortæ ſunt, & ipſius Sigiſmundi grande odium aduerſus Cardinalem excitatur. Propter quod cum ſtatuiſſet Cardinalis, ut fidelis archimandrita, ſuas oues diligentius reſpicere, & à noxiis itineribus retrahere, cunctosque malos mores eradicare & plantare bonos, eliminare vitia & ſeminare virtutes, ſurrexiſſentque propterea maligni quidam homines, tam clerici quam laici, quibus amara erant præcepta iuſtitiæ, & aduerſus ſalutiferam Cardinalis reformationem contumaciæ & rebellionis cornua erigerent, cepit Sigiſmundus malignantium patrocinium. Et quamuis eſſet ipſe quoque ex ouibus, Cardinali tanquam Epiſcopo Brixinenſi commiſſis, in paſtorem tamen & patrem ac magiſtrum animæ ſuæ, ſeſe extollere non expauit, ſed omni ſtudio atque conatu adorſus eſt, ne ſalutifera morum reformatio, aut in clero aut in populo Brixinenſi locum haberet, adeoque bonis actibus ipſius Cardinalis obicem ſe præbuit ut Monialium quoque, quarum ſupra meminimus, diſſolute & turpiſſime viuentium, ne recludi reformarique poſſent, protectionem & tutelam aduerſus Cardinalem acceperit, adeoque ab honeſtate procul abiit, ut Cardinalem ipſum, neque in ſua diœceſi, neque in ciuitate tutum eſſe, aut pontificale munus exercere poſſe permitteret, introductis & perſuaſis ſicariis, qui vitæ eius inſidiarentur. Quod cum Calixtus antedictus accepiſſet, mox literas monitorii aduerſus Sigismundum decreuit, præcipiens ei, ne Cardinalem in Eccleſia ſua, in qua Pontificio fungeretur, ab executione ſui officii quoquo pacto deterreret, eumue ſuum munus exercentem impediret. Si ſecus ageret, anathema eſſet, pœnas læſæ maieſtatis incurreret, & omni territorio ſuo ſacrum interdictum ipſo facto intelligeret. Obaudiuit Sigismundus Pontificis maximi vocem atque contempſit, & interpoſita quadam appellatione, malo deceptus conſilio a Romano throno (quod nulli permiſſum eſt) contra ius fasque protocauit, & in rebellione perſeuerans, nouis dictum contumeliis Cardinalem affecit. Creuere ſupra modum Sigismundi odia aduerſus Cardinalem, nec poterat ei quiequam pacifice loqui. Ob quas res cum tuto ſibi eſſe in eccleſia ſua non poſſe Cardinalis animaduerteret, ad nos confugit. Per idem tempus iam propemodum accincti eramus recedere, Mantuanum conuentum petituri, quem pro tuitione fidei aduerſus Turcas indixeramus. Eum igitur ab Eccleſia ſua, quemadmodum profugum cœpimus benigne, & pro tempore conſolari, Legatum de Latere, qui vicem noſtram in urbe Romana & circumiacenti regione impleret, conſulentibus fratribus & cohortantibus reliquimus; Ipſi Mantuam pro communi ſalute, cum Romana curia petimus. Vbi cum aliqui-

quibus menſibus commorati eſſemus, & Sigismundum ad nos venientem intelexiſſemus, ut componere inter eos concordiam & tam atroces inimicitias amputare poſſemus, Cardinalem accerſimus, quo veniente, & Sigismundo præſente, pluribus diebus modo per Cardinales & alias interpoſitas etiam illuſtrium perſonas principum, modo per nos ipſos reconciliare alterum alteri conati ſumus, atque huic pacis negotio, ſummo niſu operam dedimus; ſed nihil profecimus, incaſſum abiere ſtudia noſtra, irriti omnes labores fuerunt; quamuis Cardinalis iudicio noſtro ſe ſubmittens, & arbitros non ſuſpectos accepturum ſe dicens, viam iuris nunquam recuſauerit nec refugerit. Abiit ex Mantua Sigismundus in patriam ſuam infecta pace, minarum plenus & iræ, & cum paulo poſt, nos quoque translato conuentu, domum repetere ſtatuiſſemus Cardinalis ex permiſſo noſtro ad Dioeceſim ſuam ſe transtulit, afferentibus amicis adhuc pacem inueniri poſſe, nec Brixinam petiit: nihil enim tutum ibi eſſe ſciebat, ſed in arcem quandam ſui epiſcopatus munitiſſimam ſe recepit. Vbi cum aliquamdiu conſediſſet, hortantibus nonnullis non paruæ auctoritatis viris, qui ſe partibus ambabus amicos oſtendebant, & nihil periculi, nihil inſidiarum timendum eſſe dicentibus, ad Brunekam ſe contulit, quod & ipſius Eccleſiæ Brixinenſis non parui momenti oppidum, literis maxime fretus, quibus idem Sigismundus ſuo ſigno obſignatis, bona fide promittit, eccleſiam Brixinenſem & Cardinalem quoad vixerit ſe protecturum, ad quem locum miſit mox Sigismundus unum ex conſilio ſuo Nobilem Virum, inter aulicos ſuos primarium, qui Cardinalem in ſuam traheret voluntarem, ſed is multa cum Cardinale prolocutus, eum nihil poſſet ei iniuſtum ſuadere, quia iura eccleſiæ ſuæ nollet proiicere, concordia tamen in omnibus reperta eſt, unico excepto articulo, qui regalia concernebat, & cum in eo aliter conueniri non poſſet, de ſuſpenſione temporali actum eſt. In qua cum Orator biennales, Cardinalis vero metuens moram tam diuturnam eccleſiæ ſuæ periculoſam eſſe, ſemeſtres tantum treugas offerret, tandemque interueniente capitulo etiam biennales admiſſurus eſſet; pendente adhuc tractatu, & oratore non a Brunegka digreſſo Sigismundus non tam concordiam, ut opere comprobauit, quam confuſionem Cardinalis, & furoris ſui curſum quærens, turgidus & nimium tumens non iracundiam cohibere, non ſe ullo pacto vincere potuit, ceſſit audaciæ, occubuit temeritati, rancori atque odio paruit, iuſſit accerſiri milites, exercitum congregari, belli machinam apparari, quibus expeditis, miſſo caduceatore, qui bellum Cardinali indiceret, quamuis eſſet maior & ſacra hebdomada, & tempus pœnitentiæ datum, copias eduxit, & iter faciens ipſa die paſchæ, ante Brunegkam armatas militum manus collocauit, machinas admouit, inſultum fecit, oppidum cepit. Non moratus arcem quoque ſumma vi oppugnare aggreſſus eſt, in qua cum familia Cardinalis ſeeeſſerat. Pugnatum eſt aliquandiu non parua contentione, ſed eum perſuaſum eſſet Cardinali, arcem diu defendi non poſſe, & pereundum omnibus eſſe, niſi ſe dederint, interuenientibus mediatoribus, certis conditionibus concluſa eſt pax; in quibus erat comminatum, quod vel arx vel Cardinalis in poteſtatem Sigismundi venirent: Et nihilominus cum iuſſiſſet pacem & ſecuritatem publicari, claues arcis extorquens, & munitionem ac Cardinalem arctiſſima cuſtodia ſeruari iuſſit, ſicque per aliquot dies cum ſummo probro & ignominia, & omni contumeliarum genere, Cardinalis in poteſtate Sigismundi retentus eſt, nec libertatem obtinere potuit, niſi remiſſis iniuriis, caſtro quodam eccleſiæ tradito, magno auri pondere ſoluto, reſtituto creditorum chirographo, compluribus aliis extortis conditionibus, præter eas quibus pax antea fuerat publicata, omnibus denique eccleſiæ iuribus & priuilegiis ereptis. Neque his contentus, ſed iniquitatem iniquitati congeminans, cum ſacerdotes ob piaculum commiſſum iuri parentes, a ſacris abſtinerent, non veritus eſt, necem Cardinali denunciare, niſi ad prophanationem ſactorum illos compelleret. Temerarius atque infelix, qui talia gerens, nihilominus protectorem ſe iactat, cuius eſt euerſor inuentus, quæ ſingula cum nobis ex ordine renunciata eſſent, mirum in modum

horruimus, congelatum eſt illico pectus & in ſtuporem ſumus conuerſi, nec ſatis deteſtari aut abominari facinus tam horribile poteramus, in ſacerdotem, in paſtorem, in epiſcopum ſuum, in Cardinalem eccleſiæ Romanæ, in fratrem noſtrum, in excellens Apoſtolicæ ſedis membrum violentas manus Sigismundi temeritas, non exhorruit, & quo rempore anni patrata ſunt, nempe in die Paſcæ, in die illa maxima & ſanctiſſima, in die qua victor mortis, & inferni triumphator, Chriſtus reſurrexit, in die qua Chriſtiani ſinguli, redemptori gratias agunt, & expurgato veteri fermento, ſacratiſſimo Chriſti corpori & ſanguini communicant, in qua die nemo tam ſceleratus eſt, tam impius, tam immanis, ſi modo Chriſtianus eſt, qui non ſacerdotibus ſe ſubiiciat, eosque ſummis proſequatur honoribus. Sed qua die ſuarum rectoribus animarum cæteri præcipue ſtudent, ea die ſacerdotem ſuum Sigismundus inuaſit, cœpit, in carcerem coniecit, inhoneſtauit, ſpreuit, turpiter habuit. Fuimus diu anxii & admodum dubii his cognitis, nec ſatis tenebamus, quid eſſet agendum, quamuis non dubius rumor, ſed certiſſimus nuncius perpetrati ſceleris ad nos peruenisſet.

Nam huius atrociſſimi ſceleris notorium factum, ad exigendum ultionem pœnamque inuitabat. Inde vetus beneuolentia, qua quondam Sigismundo coniuncti fuimus, ad clementiam & miſericordiam prouocabat. Nos enim, cum in minoribus ageremus, apud Fridericum Romanum Imperatorem tunc Dominum, nunc filium chariſſimum, diu conuerſati ſuimus, ac conſiliariatus munere honeſtati, multisque gratiis & fauoribus cumulati, plurimos annos in eius curia atque familia manſimus, nec unquam indignatum aut nubiloſum erga nos ipſius Imperatoris vultum inuenimus, ſemper læta, ſemper blanda nobis eius facies fuit, ſemper benigna & affecta mens, & noſtri honoris percupida. Sigismundus, cum primo Imperatorem adiuimus, puer bonæ admodum indolis erat, & ſub tutela patruelis ſui degens, modeſtis imbutus moribus, amorem in ſe omnino alliciebat. Alloquebatur nos ſæpe blando ſermone, quærebat noſtras epiſtolas & legebat, ut qui tam bene viuendi cupidus & literarum cultor & noſtri amans videbatur, dimiſſus extra tutelam, & in adoleſcentia ſua, ad regendam patris prouinciam profectus, ſæpe ad nos literas dedit, & noſtras accepit, ſæpe ſua negotia apud Imperatorem iuuimus, cum eo nonnunquam, domi ſuæ fuimus, neque ſine honore & ſingulari gratia ab eo receſſimus. Et cum geſta eius in Cardinalem, nondum cognita nobis eſſent, ad conuentum usque Mantuanum, continuata eſt, ut antea, ſemper caritas noſtra; ad quem Sigismundus ipſe, ſplendidum & magnificum duxit comitatum, ut qui gratias nobis referre ſtatuerat, pro pace Suitenſium, bellicoſarum & fortiſſimarum gentium, quos ſibi miſſis legatis, apud Conſtantiam reconciliauimus. Vertebantur hæc omnia in mente noſtra, & tanquam recenter geſta eſſent, ante cordis oculos voluebantur.

Suadebant imperatoris infinita erga nos beneficia, ut patrueli & ſanguini ſuo ignoſceremus, expoſcebat ipſius Sigismundi, qua nos longo tempore complexus eſt, ingens beneuolentia, ut hanc ſibi culpam condonaremus. Vrgebant inclitæ domus Auſtriæ, quæ hunc Sigismundum genuit, ingentia in nos & diu continuata merita, ut ſublimi & alto ſanguini veniam largiremur. Inſtare & Albertus videbatur, alter Sigismundi patruelis, & ipſe Dux Auſtriæ, atque Imperatoris germanus, & cum eo pariter illuſtris memoriæ Ladislai Vngariæ & Bohemiæ regis, paulo ante vita defuncti, proximi eius conſanguinei petere vehementer ac rogare, per veterem amicitiam (ambo enim aliquando nos dilexerunt, & verbis & factis ornarunt) ne ſua ex familia vindictam exigeremus, occurrebant infinitæ regum & magnorum principum facies, qui Auſtrali domui coniuncti ſanguine hanc nobis proſapiam ſummis ptecibus commendaturi offerebant.

Sed cum hæc iam pene victi conſentientes, animo voluimus, & ad ueniam tracti iam iam miſericordiæ iuſtitiam cedere mandaturi ſuimus, excitata in aduerſum conſcientia noſtra, & miris caleſacta modis: Quid tu (inquit) Pie Pontifex agis? An ignoras quem tenes locum, quam geris perſonam? Non tu modo

do ille Æneas es, qui Syluio quondam genitus patre, Friderico Imperatori ſeruiuiſti. Mutata eſt conditio tua, mutata perſona, noſce te ipſum, Tu Pius es Romanæ Præſul eccleſiæ, Chriſti vicarium & Perri ſucceſſorem geris, te caput eccleſiæ militantis, te ducem, te magiſtrum, te Doctorem, te iudicem Chriſtiani populi conſtituit Dominus, & claues tibi regni cælorum tradidit. *Noli quærere fieri Judex* inquit ſapiens, *niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in agilitate tua.* Super gentes & regna moderator cæli, & mundi Dominus te Chriſtus ordinauit, ut deſtruas & euellas, ædifices & plantes. Et quid agis? quid dubitas malas euellere plantas? Nemo iuſte iudicat, qui vel odio vel gratia vel metu flectitur. An ignoras, Sigismundus, quam ſceleſtum, quam atrox, quam tetrum ac horrendum admiſit facinus? In Epiſcopum, in Cardinalem, in re ipſum, ſi nil Corporis Cardinales, ut iura volunt, partes habentur, iniurius & improbus fuit? Non Presbyteratui, non Epiſcopatui, non Cardinalatui, non Papatui, non Chriſto pepercit, cuius ſacratiſſimum diem, pugna iniqua & Cardinalis captiuitate fœdauit.

Ecquis clericorum poſthæc tutus habebitur? ſi epiſcopi, ſi Cardinales armis atque inſidiis capiuntur? & qui deinceps vindictam timebit, ſi violatores tantarum dignitatum impune abeant? Actum de omni clero deque omni religione fuerit, ſi qui tecum unum ſunt, absque ultionis periculo uiolantur. Summa Sacerdotalis dignitas, B. Petri auctoritas, JEſu Chriſti maieſtas, palam in hoc ſcelere læſa eſt; & tu tanti piaculi vindictam aſſumere dubitas, putasque Imperatorem vel alium quemuis principem ægre laturum, ſi iudicium feceris.

Abſit a te hic metus, nihil eſt cur hæc nomina timeas. Iuſtus eſt Imperator & honeſti tenax, iuſtus Albertus, iuſti & ceteri principes, qui non conſanguineos ſolum, ſed ipſos quoque filios ex ſe genitos legum vinculis coerceri, plectique ſi peccauerunt non indigne ferent, magna vis iuſtitiæ eſt, quæ vel damnatum, iure ſe paſſum eſſe fateri cogit. Nihil imperatori magis cordi eſt, quam iuſtitia, communis & ſanctiſſima virtus. Scit ſua manſuetudo, quia iuſtitia pacem quærit, gentem cleuat, ſolium & regnum confirmat, lætitiam gignit, & amatores ſuos beatos & immortales efficit, utilius Imperatori uidebitur, infructuoſum palmitem amputari, quam in perniciem bonæ vitis retineri. Nec propterea Domus Auſtriæ gloria interibit, quia unus aut alter ex principibus eius damnatur, quæ Rudolphos, Albertos, Fridericos, Leopoldos, Erneſtos, Wilhelmos & alios quam plures illuſtres animas peperit, non Auſtriæ ſolum ac Sueuiæ, ſed Hungariæ, Bohemiæ & ipſius Romani Imperii Gubernatores. Æacidarum quippe decus, Oreſtis infamia non extinxit, nec ſplendorum Iuliæ gentis Neronis turpitudo deleuit; nec Francorum lucem Hilderici obfuſcauit ignauia, nec ſenatus Apoſtolici puritatem atque nitorem impurus ac fœtidus Judas commaculare potuit, illuſtrium familiarum non texiſſe, ſed non habuiſſe maleficium vera eſt & ſolida laus. Rara proſapia eſt, quæ non aliquando monſtra pepererit. In omni gente & in omni domo Catilinam inuenies & Cethegum.

CITATUR SIGISMUNDUS DUX AD RESPONDENDUM DE FIDE.

PIUS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, uniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus ſalutem & Apoſtolicam benedictionem: contra Sathanæ, aduerſarii Chriſti domini & ſaluatoris noſtri, indeficientes inſidias, quas in ſua membra tendere non deſiſtit, ut Chriſtianorum improuidas animas maculet, nos qui licet immeriti paſtorale tenemus officium, vigili oportet ſollicitudine ſpeculari.

Nam ex quo Sathanæ ipſius membrum principale, impius Sigiſmundus ex Auſtriæ principibus, qui aliquando nobiscum Chriſti & Eccleſiæ membrum fuerat, in ſacratiſſima Paſchalis feſti celebritate, in ſathanicam ſe a catholicorum cœtu abſciſſus præcipitauit ingluuiem, & ab Apoſtolica eccleſia transfuga effectus, ſub Diaboli cœpit vexillo militare, anathema proh dolor incurrit & demum infa-

mias

famias cumulando, & ſeſe apoſtatare ſuperbiendo facto quoque ſe unitatis eccleſiæ fidem auctoritatisque eius rationem per cenſurarum contemptum non habere palam demonſtrauit, & demum ut eum in malorum omnium profundum peruenisſe omnibus certum foret, eadem iactat temeritate, nec ſacro ſanctos canones, nec Apoſtolica præcepta iuſtiſſima nec iudicia ex canonicis ſanctionibus facta ſoleniſſime, eum in ullo poſſe contingere, quanquam ipſe Dei nefarius deriſor & eccleſiæ contemptor, de Chriſtiano adhuc non erubeſcat nomine gloriari, ob quas res tametſi propter facti notorietatem, unusquisque ipſum rectiſſime hæreticum iudicarit, ut tamen ex ſuo ore iudicium prodeat, habentes priores noſtros proceſſus, in quibus anathematis, criminis læſæ maieſtatis, & fautoriæ hereſis declaratus eſt, pœnas incurriſſe, in his literis pro inuiolatis & expreſſis, quo conſtare ualeat, non ſolum ex operum improbitate ſceleſtorum, ſed ſua etiam propria confeſſione an ſit hereticus vel non, nouum demuo proceſſum inchoauimus aduerſus dictum Sigiſmundum; tanquam de damnatiſſima hæreſi, quæ eſt omnium hæreſum hæreſis, non ſolum ſuſpectum notorie ſed ſenſibiliter maculatum, tanquam ſanctæ fidei non recipientem articulum, quem per hæc ſymboli Apoſtolici verba, fidelium exprimit unusquique: *Credo in unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam eccleſiam.* Nam cum ipſius eccleſiæ Romanus Pontifex caput ſit, canonesque & cenſuræ ſic ſint eccleſiæ, quod quiſque in eccleſia poſitus eſt, & credens capiti, canonibus & eius cenſuris teneatur obedire.

Dictus quidem Sigismundus non ſolum illis non obedit, ſed prædicat inſuper, quod minime obedire teneatur, atque in ſuam proteruam ſententiam, tam ſubditos quam quoscunque poteſt, accedere compellit, & hæc ubique ſunt notoria, nec hodieque ceſſat per ſe & ſuos hanc ſuam perfidiam diuulgare, quæ cum ad uehementiſſimam ſuſpicionem pluſquam ſatis ſint aperta, idcirco ipſum Sigiſmundum notorie de hæreſi ſuſpectum per præſentes auctoritate Apoſtolica peremptorie citamus & requirimus, ut ſexageſima die ab hac die datæ, quæ & affixionis huius, ad ualuas eccleſiæ principis Apoſtolorum de urbe, & ut ſequitur ſucceſſiue computanda, perſonaliter coram nobis compareat, & de fide catholica, præſertim in prætacto articulo unitatis eccleſiæ, & quæ ad ipſum ex ſanctorum doctorum doctrina ſequuntur reſpondeat, & verbo & facto ſe purget de ſuſpicione, ſub confeſſi & conuicti criminis hæreſis poena, alioquin nos contra ipſum, tanquam confeſſum & conuictum Dei omnipotentis uomine ad diffinitiuam ſententiam, iuſtitia mediante procedamus.

Similiter etiam Georgium pro Tridentinenſe Epiſcopo ſe gerentem, obnoxiam eius adhæſionem, quam facto quotidie Sigismundo oſtendit, cum quo & idem ſentire videtur cenſuras contemnendo, & ideo de fide catholica vehementer ſuſpectum, nec non Gregorium de Heimburg, Laurentium Glömenow erroneos Doctores, Parcifalum de Annenberg, Iacobum Traff, Balthaſarum de Welſchberg & Oſualdum Wolckenſteiuer, aliosque omnes ipſius Sigismundi conſiliarios & domeſticos, atque etiam oppidanos & incolas oppidorum de Meran, Curienſium, Halis, Inſpruck & Stetzingen Brixinenſis diœceſis, omnesque etiam ipſius Sigismundi ſubditos Curienſis, Tridentinenſis & Brixinenſis Diœceſis, ciuesque Brixinenſes, & illius eccleſiæ ſubditos, qui interdictum eccleſiaſticum, & eccleſiaſticas vilipendunt cenſuras, ac Wolffgangum Nidlinger, Stephanum Steinhorn aſſertos canonicos Brixinenſes; Georgium in Stams, Ingeminum in Wiltina, Iohannem in Monte ſancti Georgii Abbates; Caſparem Præpoſitum Nouæ cellenſem, & Barbarum aſſertam Abbatiſſam in Sonneburg, monaſteriorum dictæ Brixinenſis diœceſis, atque etiam uniuerſos & ſingulos canonicos ipſius Eccleſiæ Brixinenſis, plebanos quoque ſiue vicarios eccleſiarum Parochialium ciuitatum & diœceſeon prædictarum, ac cunctos Presbyteros etiam Religioſos exemptos & non exemptos, qui temere prophanando, Apoſtolicum Interdictum non obſeruare, & ſe per ſedem Apoſtolicam & nos prohibitis diuinis intromittere non uerentur, quorum omnium ac ſingulorum nomina ac cognomina ac ſi de uerbo ad uerbum exprimerentur, præ-

ſentibus

ſentibus habere volumus pro ſufficienter expreſſis, quos omnes cenſurarum & Apoſtolicorum mandatorum contemptores, de hæreſi vehementer non imerito ſuſpectos reputamus, ut die & ſub pœna prædictis compareant perſonaliter coram nobis, de ipſa fide catholica, & præſertim articulo prædicto legitime reſponſuri, & ſe modo prædicto purgaturi.

Cum certificatione modoque & forma præmiſſis citamus etiam per præſentes. Volumus autem ex dicta auctoritate tenore præſentium decernimus, quod hæ noſtræ literæ, ſicut præmittitur, affixæ & executæ, prædictos omnes & ſingolos ſic arceant & aſtringant, ac ſi eis omnibus & ſingulis in ſpecie & ingenere ac præſentialiter lectæ & inſinuatæ fuiſſent, cum non ſit veriſimile apud eos remanere incognitum, quod tam patenter omnibus extitit publicatum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quadringenteſimo ſexageſimo, 10. Calen. Februarii, Pontificatus noſtri Anno tertio.

A CITATIONE PRÆSCRIPTA APPELLAT SIGISMUNDUS.

CUm in grauatorum atque læſorum, nec non lædi, & opprimi timentium ſubſidium, appellationis remedium ſit adinuentum: Quare nos Sigismundus Dei gratia Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux, Comes Tyrolis, &c. Vniuerſis iuſtitiæ cultoribus, fautoribus innocentiæ, ceterisque quos virtus humanitatis ad compaſſionem oppreſſorum adhortatur, notum eſſe cupimus, quod Romanus Pontifex nondum ſatiatus iniuriis ſuis, quibus nos ac ſubditos noſtros affecit, audientiam nobis denegando, defenſiones auferendo, legatum noſtrum minis ac terrore carceris diſterrendo, & ſacra violando (ſiquidem legati iure publico inter ſacra referuntur) eccleſiaſticæ cenſuræ pœnas in nos pro libito plus euomendo quam edicendo, noua nunc in nos noſtrosque molimina parat.

Quippe relatum eſt nobis, qualiter Romanus Pontifex, nos omnesque ſubditos noſtros fingat, de hæreſi ſibi ſuſpectos, quod nemo unquam de nobis neque de ſubditis noſtris principatus Tyrolis ſuſpicatus eſt. Suſpicio autem non fingi, ſed indiciis non quidem æmulorum aut ſuſpectorum, ſed fide dignorum & honeſtorum virorum apparere debet, antequam prælatus odorem bonæ famæ coñaculet, aut ſinceritatem fidei Chriſtianæ & ſubditorum ſimplicitatem perturbet. Sed dicit Papa, nos eſſe contemptores cenſurarum atque de hæreſi ſuſpectos. Nos vero iam dudum reſpondimus, nulla cenſura nos ligatos, quos Papa contempſit audire. Auditus eſt Adam præuaricator, Cain fratricida, Sodomitæ viſitati ſunt poſt clamorem, qui ab eis in cœlum aſcenderat, dicente Domino; *deſcendam & uidebo an clamorem qui ad me peruenit, opere compleuerunt.* Nobis audientia negata & defenſio ablata eſt: hanc negamus eſſe cenſuram, quam Papa pro libito & contra legem naturæ aduerſum nos eſſauit. Hanc primum iuſtificet, antequam nos arguat de contemptu cenſurarum. Ipſe vero Pontifex, nos omnesque ſubditos noſtros nuper apud Roberetum velut in albo prætoris edicto affixo ad urbem Romanam dicitur euocaſſe, quatenus ſuper articulis fidei perſonaliter reſpondeamus. O perfunctoriam citationem absque diſcretione ſexus, ætatis, valetudinis, infantiæ, pubertatis, ſanæ mentis, vel amentiæ! O confuſam plusquam centum millium perſonarum euocationem, & undé ememus panes ut manducent? Quis baiulabit infantulos & lactantes? quis geſtabit valetudinarios? quis cœcos ducet? quis prægnantibus & parturientibus obſtetricabit? at omnes illos ſine delectu perſonaliter euocauit. Oportet autem ſuperioris præcepta poſſibilia iuſta & honeſta, factuque facilia eſſe. Quis vero domum ſeruabit? quis arces tutabitur? quis patriam defendet? ſi nos cum ſubditis noſtris emigrabimus. Hoc ergo Papale mandatum, quid aliud in ſe habet, niſi quod præcipere uidetur, quatenus relictis ſedibus noſtris, cum coniugibus & liberis noſtris exulemus? quod nulla unquam barbara poteſtas poſtulauit, nullus tam crudelis poſt victoriam a uictis ex-

petiuit, hoc ipſe pater ſpiritualis a nobis requirit, qui virtutibus noſtris inuidet; quod in ſaluatore noſtro IEſu gloriamur, dum de nobis loquens dicit: *De Chriſtiano adhuc non erubeſcit nomine gloriari, propter quod unusquisque ipſum rectiſſime hæreticum iudicabit.* Et infra ſubdit? *ſuis literis prioribus læſæ maieſtatis & fautoriæ hæreſis pœnas incurriſſe declaratum eſſe.* Hæc ſunt ex quibus hæreſis ſuſpicionem Papa de nobis ſibi fingit. Quorum alterum ſemet utique iuſtificat, eo quod quisque Chriſtianus, in Chriſto rite gloriatur, cuius nomen geſtat, & nomen eius in ſe ſanctificari deprecatur. Alterum vero a ſuſpecto Pontifice contra indefenſum emanauit.

Non poſſumus autem hoc loco præterire, quin illorum ineptiam perſtringamus. Inquit Papa, ſe Mantuæ ſtatuiſſe, nequis ad futurum concilium appellet, quod nuſquam eſt, contrafaciendes anathematiſarit læſæ maieſtatis hæreſisque crimine mulctarit, ac reos eſſe decreuerit, Sigismundus ex Auſtriæ Ducibus, duobus poſtea menſibus elapſis, quod eſt tempus nouis conſtitutionibus præfinitum, contrauenit, ergo eſt læſæ maieſtatis hæreſisque reus. Nos autem edocti ſumus, quod magna Synodus Conſtantienſis decreuit, uniuerſale Concilium a Chriſto immediate poteſtatem habere ſuper Papam, in his quæ fidei, reformationis & pacis eſſe dignoſcuntur, quæ etiam ſacra Baſilienſis Synodus innouauit, & Eugenius ac Nicolaus Romani Pontifices recognouerunt. Vnde ergo Papa Pius auctoritatem uſurpauit, ut ſuperiori ſuo, ſcilicet uniuerſali Concilio, manum clauderet, cui & ipſe tenetur obedire? nec quisquam miretur, ſi ad concilium, quod nondum congregatum, appellatur, quoniam auctoritas eccleſiæ, quæ immortalis eſt firma perſiſtit, & quæ nunc exiſtit in eccleſia toto orbe diſperſa, tunc erit in illa ipſa legitime congregata. Quod vero neſcitur, quando congregabitur, hoc ipſum non eſt impedimento, quominus illuc appelletur. Hoc enim ſcitur, quod ex decretis magnæ Synodi Conſtantienſis de decennio in decennium perpetuis temporibus concilia habent celebrari, & nunc tempus interpellat obligationis, dies ceſſit, ſed cuius culpa impeditur, vel differtur executio, illi imputetur in pœnam, nam qui vetat iudicium fieri, is utique de ſua iuſtitia diffidere conuincitur.

Transgrediamur nunc ad circumſtantias citationis, & quidem coram ſe mandat Papa compareri, qui legationis ſacra violauit, tunc Senis agens, nunc Romæ manens. Quam ſecuritatem nobis aut noſtris polliceri poteſt, qui publici iuris fidem fecit irritam, & per prædeceſſores ſuos aliquando dictum eſt, fauore Roberti Regis Siciliæ, contra Henricum Imperatorem, non teneri ipſum ſeſe in manibus inimici credere, etiam ſub fide ſalui conductus. Papa vero iam quidem nos diffidauit, & antea legatum noſtrum iuſto metu perculſum perſequutus eſt, fugientem, cui ſi tertio credamus, noſmet ipſos decepiſſe videbimur, quippe qui fallenti fidem accommodat ſi rurſum fallatur, iam ſe ipſum fefellit. Nunc deſcendamus ad cauſam. Ait Papa, *Nouum proceſſum inchoamus aduerſus Sigismundum, tanquam ſanæ fidei non recipientem Articulum quem per hæc ſymboli Apoſtolici verba, fidelium exprimit unusquisque: Credo in unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.* Nos profecto didicimus a patre noſtro, *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ, & in IEſum Chriſtum filium eius unicum: Dominum noſtrum, & in ſpiritum ſanctum:* non autem in eccleſiam, neque hoc habet ſymbolum Apoſtolorum, ut credamus in Dei creaturam.

Hoc nempe Symbolum, quod Apoſtoli, quod milites Chriſti ad bellum diuinum profecturi, quo cum idololatris, quod cum omni gentilitate geſturi erant, concordi animo, & uno ſpiritu aſſumpſerunt, cuius armati clypeo, cuneos hoſtium penetrarunt, hæc verba continet; *Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam eccleſiam catholicam;* non autem, *in eccleſiam.* In qua fide perſtamus cum Apoſtolis, poſtquam adoleuimus, & ad cultum diuinum, prout eccleſiæ ſanctæ catholicæ doctrinis inſtitutus eſt, animaduertimus, ex Symbolo Niceni concilii didicimus credere *in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium,* & in unum *Dominum noſtrum JEſum Chriſtum filium Dei unigenitum.*

genitum. Et infra; *& in Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem;* Et infra; *& unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam eccleſiam*, non autem, *in eccleſiam.* Quia & factura Dei eſt factoris omnium viſibilium & inuiſibilium. Pergit propterea dicens: *Nunc ergo canonibus & cenſuris eius obedire tenetur.* Scimus quod canonum ſtatuta ab omnibus ſunt cuſtodienda, & honeſta præcepta ſuperiorum a ſubditis reuerenter ſuſcipienda: At non ita, ut iubeamur credere in eccleſiam, aut ullam Dei creaturam ſeu facturam, ſed nec ut credamus, nos rite neque iuſte, ſed nec ullo modo putemus excommunicaros, qui nec auditi quidem ſumus, quin etiam nec vim, vel iniuriam ullam intulerimus Cardinali, cuius iniurias crudelesque factiones a nobis & ſubditis noſtris, naturæ gentium iure propulſamus, quod nemo nobis prohibere poteſt, nec a nobis auferre: quia natura nobis inſtinxit, & nobiſcum natum eſt, ipſaque pietatis & æquitatis naturalis ratio, nullius exteri iuris aut inſtitutionis indiga firmauit.

Hoc quippe ius ſolidum iniuriæ propulſandæ naſcitur, non fingitur. Et idcirco apud omnes gentes & nationes æque colitur & obſeruatur. Ex quo & bella tum publica tum etiam priuata iuſtificantur, nonnunquam vero conſecrantur & ſanctificantur; & pro ipſis æternæ vitæ præmia conceduntur.

Quid ergo aliud videtur egiſſe Papa, aut quid aliud quæri videtur Cardinalis, quam quod nos homicidia in noſtros admiſſa, turbationes metallariarum per ipſum nobis illatas non voluimus ſuſtinere, neque expectare donec ipſe alienigenas, qui in comitatu Goritiæ ſiue militabant, ſiue graſſabantur, in ſuas ſortias introduxiſſet, quippe qui treugas annuales inire recuſauit. Nonne ſatis oſtendit, qualis animus ſibi eſſet? maxime autem imminente ſibi occaſione tam optata, & opportunitate tam ſpetata, Comitis de Poſingen, Johannis de Rein de Wittwis & aliorum, qui comitatum Goritiæ in confiniis principatus noſtri ſitum populerentur, caſtra, terras, fortias eius ſubigendo. At quis tam hebetis ſenſus, tam obtuſi cordis, qui ſuam negligens opportunitatem atque impendentem neceſſitatem, belligerandi opportunitatem concedat aduerſario, eum ſcilicet quaſi dubius, *mediis Mars errat in armis?* In his quæ violentiæ Martis committuntur propter periculi grauitatem, turpe eſt dicere: *non putaram.* O quantum cachinnum excitaſſet ſacerdos ille, ſi nos oſcitantes aut dormientes præueniſſet.

Nos vero ſubito reſtitimus factionibus ſuis, & parua manu impetus & incurſiones alienigenarum cohibuimus, ut absque ulla cæde pacem reſtitueremus. Laudine vel vituperiodentur hæc opera, omnium bonorum virorum ſit arbitrium. Sequitur in hoc erroneo citatorio; *Citamus Sigismundum ut compareat de fide Catholica, præſertim de pretacto articulo vnitatis eccleſiæ, & quæ ad ipſum ex ſanctorum doctorum doctrina ſequuntur, reſpondeat.* Jam ſatis reſpondimus, nos credere unam ſanctam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam; non autem in illam, ne latriam ſoli Deo debitam creaturæ & facturæ impendamus. Quod vero ſubiicir; *& quæ ad ipſum ex ſanctorum patrum doctrina ſequuntur.* O copioſum verbum & infinitam habens indaginem. O ridiculoſum, a ſeculari principe requirere, quæ Doctores & ſcholaſtici viri diſceptant, pro quibus eis inſignia & præclari ſcientiarum tituli decernuntur. Satis eſt nobis, expreſſe credere, quæ Apoſtoli crediderunt, quæque Patres Niceni Concilii declarauerunt; cætera ſub generali fide ſanctæ matris Eccleſiæ credere, eiusque fidem una tenere, imitantes Apoſtoli Doctrinam, ne ſcilicet plus ſapere uelimus quam oportet. O quot Sancti iam triumphant in cœlis, qui ſanguinem ſuum pro Chriſti nomine fuderunt, qui illas doctorum ſcientias nunquam audierunt neque cogitarunt, profecto maxima pars cœli, illotum ſcilicet qui a ſeculo migrauerunt, eorum eſt qui caritate arſerunt; ſcripturarum autem arcana minime inueſtigarunt. Ideo propheta non ex hoc beatos ait eos, qui ſcrutantur teſtimonia Domini, quod & ſuperbi faciunt & impugnatores & qui contra talia nituntur, approbant ut reprobant; ſed ita demum beatos ait ſi in toto corde Deum exquirant. Hunc ſincero corde liber exquirere, absque Scripturarum profunditate, quæ noſtrum ſuperat ſenſum. Noſtrum eſt, patriam

noſtram tutare alacriter, quod ſeruando, iuuando, rite ac fideliter adaugendo, ſub fide Chriſti & Apoſtolorum eius, etiam in Niceno Concilio declarata, quam expreſſe credimus & explicite, cætera quæ ad finem pertinent, cum eccleſia tenemus, ſperamus æternæ retributionis præmia promoueri. Sed neque contentus manſit, nos modo præmiſſo citaſſe, quin etiam ad conſiliarios atque omnes omnino ſubditos digreſſus eſt dicens: *Similiter etiam*, & infra: *aliosque omnes ipſius Sigismundi conſiliarios, domeſticos, oppidanos*, & infra: *omnes etiam ipſius Sigismundus ſubditos Curienſis, Tridentinenſis, & Brixinenſis diœceſeon, qui eccleſiaſticas cenſuras vilipendunt*, &c. Certe nemo vilipendit cenſuras, quia nullæ adhuc rite emanarunt, ſed pro libito Cardinalis, conuitia multa, contumeliæ, iniuriæ & calumniæ in nos dictæ & factæ ſunt contra nos & noſtros inauditos, quæ potius expiandæ forent quam exaggerandæ ut prædiximus & iure cautum eſt, quæ pœna debetur illis, qui cenſuras efflant, irrite abutentes conceſſa ſibi poteſtate. Eſt tamen in hoc ineptia illius præſumptionis expugnanda & euacuanda, quod omnes ſubditos examinari cupit, ſuper articulo fidei, & quæ ex ſanctorum doctrina ſequuntur ad illum, nam hoc eſt de fide vulgo diſputare, quod lege vetitum eſt. Siquidem id publice fit, quod ducentis millibus marium, fœminarum & puerorum agitur? Quid dicet agricola interrogatus, quid ſit eccleſia, aut in quo ſuſtentetur, Papa errante: & an Græcus ſit Pars Eccleſiæ, vel Judæus, vel alius Chriſtianus habitans in extremis terræ? in quo differat verum caput Eccleſiæ a miniſteriali? Quam auctoritatem dederit ſcripturis, & qualem receperit ab illis? Tantum certe ſtudium fuit maioribus noſtris, arcana ſcripturarum cuſtodiendi, ne vulgo tractarentur, ut maxime reprehenderent, qui Bibliam ex lingua Latina in Teutonicam traduxerunt. Nunc vero Cardinalis ille ruſticos vult interrogare, de his, quæ ex ſanctorum doctrina ſequuntur ad ipſum fidei articulum. Hanc diſceptationem ſcholaſticis permittamus; Agricolis & vinitoribus arua colenda & paſtinanda ſunt, quibus ſatis eſt Symbolum Apoſtolorum recitare: diſcuſſionem vero unionis collectiuæ myſticæ, aut quot modis plures ſint unum, non eſt diſputatio laicorum. Sed ſi placet Cardinali ruſticam gentem ex ſententiis doctorum expolire, poterit (ſi velit) erigere ſcholas quo diebus feriatis confluant, ita ſcilic. ne cultum aruorum omittant. Sed non ſic docuit beatiſſimus Papa Gregorius *in Paſtoralibus*, ut tacenda pro loco & perſona proferantur, & ſine delectu, quod eſt ante porcos mittere margaritas, ſcilicet arcana ſcripturarum vulgo tractare. Si Papa putaret nos minus doctum in fide, & hoc ex ſincero corde manaret, facile hoc reſciſcere poſſet ex ſummis viris ac principibus, qui nobiſcum verſantur, absque contumeliis, quibus ſe contra nos oblectat. Si de ſubditis noſtris eccleſiaſticis vel ſecularibus, aliqua talis diſputatio eſſet, id facile reſciſceret absque tot perſonarum commotione. Poſtulauit autem impoſſibilia, vt occaſionem ſibi confingeret ſæuiendi. Quis oro gentilium ſeu Idololatrarum in Chriſtianos tantam mouit perſecutionem, ut tot Chriſtianorum animas, una ſententia condemnaret, quot ille Papa iam euocauit, ut occaſionem condemnationis inueniret? quippe qui legationis ſancta prophanauit. Profecto quid de ſua clementia vel crudelitate ſentiendum ſit, ſatis abundeque monſtrauit. Nos vero apud illum comparcamus noſtriue ſubditi Clerici ſiue Laici, & illi fidem habeamus, qui nos audire contempſit, abſit a nobis hæc inſania, ſed fidem noſtram tum ſcilicet Apoſtolorum, tum etiam Patrum Niceni Concilii apud omnes principes palam faciemus, vt nemo de ſinceritate fidei noſtræ valeat hæſitare. Clerum & ſacra loca præcipua veneratione proſequimur, temporalia eorum ſincera protectione cuſtodimus, nec ullus epiſcoporum aut prælatorum, qui ſub temporali ditione Papæ conſiſtit, perſonæ aut rerum tanta libertate potitur. Hæc certe non poſſunt eſſe hæreſis aut fidei ſuſpecta indicia, ſed bonorum morum exemplaria ineuitabilia.

Idcirco ab illis ſuis iniuriis, conuitiis & contumeliis, ab illa erronea citatione, & illa iniurioſa comminatione appellamus & prouocamus pro nobis & ſubditis noſtris, eccleſiaſticis & ſecularibus, ſalua tamen nullitate ipſius, & permanentibus

nentibus erroribus eius tam in fide quam in iure, quibus per hoc nullatenus assentimus, sed Christi fidem & Apostolorum eius in Nicena etiam Synodo declaratam profitemur, etiam si Papa & Cardinalis Cusa aliter sentirent. Est enim fides ipsa uniuersalis & omnium communis, quae non solum ad clericos, verum etiam ad laicos, & omnes omnino pertinet Christianos.

Appellationis vero nostrae gradus facimus. Primo, si Papa causam, quam ipse & Cardinalis contra nos praesumunt, voluerit viro non suspecto delegare. Sunt enim plurimi praelati principes integerrimi per Germaniam, quibus status & conditio Brixinensis Ecclesiae, simul ac nostri ac ipsius Cardinalis mores & vita innotescunt: quorum arbitrium qui detrectauerit, suo se indicat iuri minime confidere, Alioquin ad futurum concilium, cuius praefinitum tempus, scilicet decennium, iamdudum elapsum est prouocamus, cum stet per Papam, quominus celebretur. Similiter ad Romanum futurum Pontificem, absque omnibus modis & gradibus, prout in priori nostra appellatione in valuis ecclesiae Florentinae affixa continetur, quam Papa profitetur ad sui peruenisse notitiam, cum petitione Apostolorum, & protestationibus inibi comprehensis & contentis.

DECLARATIO APOSTOLICA POENALIS CONTRA SIGISMUNDUM DUCEM.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam: Ineffabilis summi prouidentia Patris super gentes & regna, iuxta prophetae verbum, licet insufficientibus meritis constituti, officii nostri debitum ut tenemur exequimur, de vinea Domini Sabaoth euellenda euellimus, in eaque plantanda plantamus, ac recta regimus, & dirigimus indirecta, perfidosque ac facinorosos quosque, cum scandalo corpori ecclesiae sint, a fidelium coetu praescindimus. Nam sacro testante Euangelio, inutilibus membris a corporis compage diuisis, eis carere magis proficiat ad salutem, quam cum illis aeterna supplicia introire. Nuper siquidem postquam nobis innotuerat, quod dilectus filius noster Nicolaus tituli sancti Petri ad vincula presbyter Cardinalis, & ex dispensatione sedis Apostolicae Episcopus Brixinensis, dum curae dictae suae ecclesiae Brixinensis intenderet, & in castro Brunegk, suae Brixinensis diocesis, ad ecclesiam curandam pleno iure spectantem resideret, per Sigismundum tunc Austriae Ducem hostiliter primo per suos in aurora diei Paschae in dicto castro obsessus fuerat; & quod castro ipso per eosdem nomine ipsius Sigismundi recepto, idem Sigismundus die sequente praefatum Cardinalem missis ad eum duobus tubicinis, suo & omnium subditorum suorum nomine publice diffidauerat, atque cum magna armatorum copia, bombardis & aliis instrumentis bellicis, eundem Cardinalem, tunc in arce dicti Castri existentem, minaciter valde & hostiliter fuerat persecutus, quousque ipsius Cardinalis personam in suam redegisset potestatem, & sic diebus multis tenuisset, & quod infra dies illos, quoddam castrum nomine Taufers, nec non notabilem quantitatem pecuniarum, obligationesque & literas plures ab eodem Cardinale & Capitulo Brixinensi extorsisset, ac damna multa sibi & suis intulisset, quae summam triginta quinque millium florenorum transcendere, ac in eneruationem ecclesiasticae libertatis, totalemque exinanitionem priuilegiorum dictae ecclesiae vergere dicebantur. Et postquam praemissa & etiam certa alia ea concernentia in consistorio generali, promouente dilecto filio Michaele de Prato causarum cameræ Apostolicae procuratore, per dilectum filium Andream de sancta Cruce, utriusque Juris Doctorem, dictique consistorii & fisci nostri aduocatum, petendo Sigismundum ipsum, & alios culpabiles in praemissis etiam omnes & singulos, sententias ac poenas in constitutione felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, quae incipit, Felicis, contentas, & alias in tales, a iure inflictas & promulgatas incidisse declarari, & contra eos procedi, aliasque & alia fieri & decerni, prout in commissione tunc publice exposita continetur, nos tunc facinoris huiusmodi (quod adeo notorium erat, ut nulla posset tergiuersatione celari) enormitatem, & grauitatem

cauſæ penſantes, antequam in ea quicquam ageremus, ad maiorem rei certitudinem & noſtram informationem dicto procuratore ex ſuo officio promouente, dilecto Filio noſtro Johanni tituli ſanctæ Priſcæ Presbytero Cardinali, ac venerabilibus Fratribus noſtris Johanni Attrebatenſi & Dominico Torcellanenſi epiſcopis, viuæ vocis oraculo commiſimus, ut ſe ſuper expoſitis huiusmodi informarent, & nobis quæ reperirent veritate ſubniti referrent. Poſtmodum vero facta per eosdem nobis relatione fideli, inuenimus quod dolenter referimus, præmiſſa & alia tunc expoſita veritate fulciri, habito tunc per nos cum eisdem commiſſariis ac aliis venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus, ſuper his maturo conſilio, tantam DEI & eccleſiæ offenſam, tantamque temeritatis audaciam, inultam & ſub diſſimulatione pertranſire nequeuntes, ipſum Sigismundum, ac omnes alios & ſingulos cuiuscunque, etiam pontificalis, dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis forent eccleſiaſticæ vel mundanæ, qui eidem Sigismundo in præmiſſis conſilium, auxilium vel fauorem dederant, arma contra dictum Cardinalem ſuſceperant, huiusmodique nefandum facinus facto reatum habuerant, ſeu Sigismundum & alios prædictos poſtea receptauerant, ſeu defenſauerant, eosdem & eos qui diffidationi per ipſum Sigismundum eidem Cardinali factæ adhæſerant, aut Cardinalem ipſum per ſuas litteras diffidauerant, aut in diffidatione ipſius Ducis comprehenſi erant, ac eos qui eidem Cardinali defecerant, atque ipſum Sigismundum & ſuos contra eunc'-m Cardinalem hoſtiliter venientes in caſtris & locis etiam ad præfatam eccleſian. Brixinenſem, ſpectantibus admiſerant; eccleſiaſticos & ſeculares, eorum nomina & cognomina pro expreſſis habenda, per edictum publicum Apoſtolica auctoritate, per alias noſtras certi tenoris literas ex abundanti moneri fecimus peremptorie & requiri, ut certa die per nos eis præfixa in conſiſtorio generali, coram nobis perſonaliter comparerent, allegaturi cauſas ſi quas haberent rationes, cur ad declarationem pœnarum tam in conſtitutione ipſa, quam dictis noſtris literis monitorialibus contentarum, procedere non deberemus.

Aliquin quod tam ad declarationem ipſam, irritationemque omnium & ſingulorum vt & metu ſic per ipſum Cardinalem geſtorum, & ab eo extortorum huius modi, etiam iuramento vallatorum, nec non reſtitutionem tam mobilium quam immobilium ſic ab eodem Cardinale ablatorum, interdicti eccleſiaſtici in locis, in quibus præmiſſa commiſſa fuere, & omnibus aliis locis, ipſis Sigismundo & aliis præfatis ſubiectis etiam nouam poſitionem, atque ad ulteriora, & ad omnia ea procedemus, quæ nobis iuxta tanti exceſſus exigentiam, & rei notorietatem iuſta uiderentur fieri & decerni, prout hæc & alia, litteris noſtris aliis deſuper emanatis, quarum tenores, acſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, plenius continentur. Verum etſi dictum Sigismundum, quem antea ſemper ſpeciali fauore fuimus proſecuti, & in viſceribus dileximus caritatis, cuiusque diſideria quantum cum Deo licuiſſet fuimus exaudire parati, & etiam alios prædictos ſperaremus pendente termino dicti monitorii ad cor redire, & tam grauem eorum reatum recognoſcere, ſeque nobis tanquam Chriſti vicario, cuius vices quamuis immeriti in terris gerimus, totaliter ſubmittere debuiſſe; ipſi tamen (de quo ab intimis dolemus præcordiis) diabolica fraude ſeducti, in profundum malorum ſe præcipitantes, animarum ſuarum ſalutem negligentes, & honorem ſuum pro nihilo habentes, in ſathanica ſuperbia perſeuerauerunt. Sicque adueniente termino in ipſo noſtro monitorio expreſſo, & eis non comparentibus, comparuit dictus Michael de Prato, Procurator noſter fiſcalis, & eo nomine in conſiſtorio publico, per nos propterea celebrato, literasque monitoriales noſtras antedictas, una cum earum executionibus in locis aſſignatis legitime factis, ſcripto producens, monitorum eorundem contumaciam accuſauit, & eos contumaces reputari ac omnes & ſingulas pœnas prædictas incurriſſe ac incidiſſe, ac alias iuxta monitorii illius contumaciam declarari, ulteriusque contra eosdem monitos, prout iuris eſſet, procedi per nos, debita cum

in-

inſtantia poſtulauit. Eoque facto, comparuit ibidem quidam, Laurentius nomine, qui ſe Doctorem & dicti Sigismundi nuncium aſſeruit, ac eiusdem Sigismundi ex parte audiri petiit, quem etiam alias ad partem ſuper his extenſe ſatis & ſæpius audiueramus, quam plura minus vera dicti Sigismundi & ſuorum complicum parte, nobis referentem; a quo tunc, ut mandatum, ſi quod in hac cauſa haberet, produceret, requiſiuimus, & cum is nullum haberet mandatum, ad termino monitionis ſatisfaciendum, quoddam procuratorium ad nobis inſinuandam quandam prætenſam appellationem, tanquam à nobis male informato ad nos melius informandum exhibuit. Conſiderantes autem quod Sigismundus ipſe & alii prædicti ex abundanti, & de mera noſtra gratia moniti fuerunt, ut ſi quid dicere vellent, cur iuxta monitorium per nos emiſſum declarari non debeant, tunc die lunæ quarta Auguſti coram nobis perſonaliter compareremt, id quod per aliud id facere eis conceſſum non fuerat; ut tamen omnis noſtra manſuetudo appareret, procuratorium illud audire decreuimus, ſi forte ipſe Sigismundus cum ſuis complicibus, per procuratorem idoneum ſe nobis perſonaliter ſubmittere & abſolutionem a ſententiis, cenſuris & pœnis incurſis petere, aliasque iuxta canonicas ſanctiones facere vellet; quo caſu eundem Laurentium libenter utique audiviſſemus, ſed eum audito procuratorio illo, quod ibidem publice alta & intelligibili voce legi fecimus, conſideraremus etiam, quod ipſe Laurentius ſolum ad nos illudendum, & obedientiam & correctionem fugiendum advenerat, ad idque mandatum haberet; quodque opus non erat, nos qui iam de notorietate commiſſi ſacrilegii, & tam neſando actu huiusmodi, plene & plenius eſſemus informati, ita quod amplius nos informari opus non erat, prætenſam & ineptam appellationem illam, de qua in dicto procuratorio mentio fiebat, ac quamcunque aliam contra præmiſſa interpoſitan forſan ac interponendam, friuolam & non admittendam, ſed tanquam iniuſtam, reiiciendam eſſe decreuimus & reiecimus, ipſi Laurentio ſilentium imponentes. Venerabilibus vero Fratribus noſtris Cluſienſi & Ortonenſi Eipiſcopis mandauimus, ut ad portas eccleſiæ Senenſis cum nunciis ad hoc deputatis accederent, & per eosdem nuncios alta voce vicibus tribus ibidem vocari facereut, ſi adeſſet ipſe Sigismundus aut alii prædicti per ſe aut procuratores legitimos, & iuxta dicti monitorii noſtri continentiam aliquid dicere vellent, nam eos benigne audire parati eramus. Cumque epiſcopi ipſi mandatum noſtrum huiusmodi exequentes, ad nos in eodem conſiſtorio rediſſent, retulerunt, nec Sigismundum ipſum nec complices ſuos ſeu monitos huiusmodi aut eorum nomine aliquem procuratorem comparuiſſe ſeu aduenisſe. Idcirco nos ad dicti procuratoris fiſcalis inſtantiam Sigismundum, & alios monitos præfatos non comparentes reputauimus merito, prout erant quoad actum & terminum huiusmodi iuſtitia id exigente contumaces. Et licet tunc contra monitos ipſos ad declarationem huiusmodi & alias, prout petitum fuerat, procedere potuiſſemus & debuiſſemus: Nos tamen, qui præmiſſa ea moleſtius fecimus quo ipſum Sigismundum ab ineunte eius ætate dileximus ad omnem noſtram, ob eius ſpecialem dilectionem, quæ claræ & omni laude dignæ domui Auſtriæ, ex qua ipſe Sigismundus originem traxit, coniungimur: manſuetudinem oſtendendam, utque ipſi moniti penitus conuincerentur, dictum terminum usque in præſens continuauimus, mandantes ad ipſius Sigismundi & aliorum prædictorum malitiam, & cordis ipſorum duritiam conuincendum, eosdem iterum per edictum publicum in valuis dictæ Senenſis Eccleſiæ affigendum vocari; quatenus die datæ præſentium coram nobis in conſiſtorio publico, quod etiam propterea tenere decreuimus, perſonaliter compararent, ad audiendum ſe pœnas, ſententias & cenſuras in dicto monitorio noſtro contentas incidiſſe declarari, vel cauſas cur Id fieri non deberet, ſi quas haberent rationabiles allegandum. Cum autem facta executione huiusmodi noſtræ vocationis, indictis valuis, eaque reproducta hodie coram nobis; tanta fuerit ipſius Sigismundi & aliorum monitorum & vocatorum rebellio atque proteruia, ut nec hodierna die nefandiſſimum eorum exceſſum huiusmodi piis acti-

actibus humiliter recognoſcere & expiare, nec ſe excuſare, nec creatori omniũ & Eccleſiæ ſanctæ Dei ſatisfacere nec alias iuxta canonicas ſanctiones & ſanctorum Patrum & prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum inſtituta agere curarunt, cuncta interne rimantes, cenſuimus non dedecori, ſed maximæ gloriæ & honori eſſe, ipſi inclitæ Domui Auſtriæ, ſi contra dictum Sigismundum, eiusdem atque progenitorum ſuorum ſplendorem & famam denigrantem & ſcandaliſantem, qui etiam honoris & dignitatis tam præclaræ domus, eius demeritis indignum ſe reddidit, armis iuſtitiæ inſurgamus, ipſum tanquam palmitem, fructum non ferentem & membrum putridum ab eadem domo reſecemus. Ad Dei igitur laudem & gloriam, hac noſtra ſumma in perpetuum valitura, de conſilio eorundem fratrum decernimus ac auctoritate Apoſtolica tenore præſentium declaramus, dictum Sigismundum ac eos omnes & ſingulos, qui dictum Cardinalem & Epiſcopum diffidarunt expreſſe, & cæteros quosque cuiuscunque etiam pontificalis dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis forent, eccleſiaſticæ vel mundanæ, qui eidem Sigismundo & aliis prædictis in præmiſſis præbuerunt auxilium, conſilium vel fauorem, & qui arma contra dictum Cardinalem ſuſceperunt, huiusmodi quoque nefandum facinus ratum habuerunt, ſeu Sigismundum aliosque prædictos poſtea receptarunt, aut defenſarunt, nec non eos, qui diffidationi ipſius Sigismundi huiusmodi adhæſerunt, aut in diffidationibus eiusdem Sigismundi & diffidantium aliorum prædictorum comprehenſi ſunt, atque eos qui dicto Cardinali infidelitate & auxilio, cum potuerunt, eo tempore defecerunt, ipſumque Sigismundum & alios prædictos contrà præfatum Cardinalem hoſtiliter venientes in caſtris & locis etiam ad ipſam Eccleſiam Brixinenſem ſpectantibus, & ſpecialiter dictum caſtrum Brunegk & eius inhabitatores, qui ipſum Sigismundum & ſuos ſic admiſerunt, & eos qui præfata facinora rata habuerunt, eccleſiaſticos & ſeculares, eorum omnium ac ſingulorum nomina & cognomina, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, ob præmiſſa ſicut reos criminis læſæ maieſtatis, anathematiſatos, perpetuo infames, diffidatos, bannitos & inteſtabiles, atque ab omni ſucceſſione expulſos, ædificia etiam eorum in ruinam danda, & eis de nullo debito reſpondendum ſeu reſponderi debere, omnia pacta promiſſa etiam Sacramenti firmata, & quæcunque fœdera etiam pacis ſeruandæ cum dictis, Sigismundo, & aliis præfatis, inita fore irrita & inania, dictorumque Sigismundi & aliorum declaratorum huiusmodi bona quæcunque mobilia & immobilia fiſco noſtro & Romanæ Eccleſiæ, cui in Perſona & Cardinalis Epiſcopi iniuriatum exiſtit, penitus applicanda, & noſtræ & Apoſtolicæ ſedis diſpoſitioni totaliter reſeruanda, ita ut nihil de illis transmittatur ad poſteros: ac eos omnesque & ſingulos in præmiſſis culpabiles, ſiue Epiſcopi, Abbates, Præpoſiti, Decani, aut etiam Canonici Brixinenſis; aut cuiuscunque alterius Eccleſiæ fuerint, in ſpecie & in genere, omni honore & dignitate eccleſiaſtica ſeu ſeculari, omnique feudo, locatione, officioque ac beneficio quocunque ſpirituali aut temporali, quæ a quacunque Eccleſia, monaſterio ſiue Prælato obtinent, priuatos. Quoniam Feudorum ad Eccleſiam devolutorum collationem & ordinationem ex certis cauſis animam noſtram mouentibus, noſtræ & Apoſtolicæ ſedis diſpoſitioni ſimiliter reſeruamus. Eorundem etiam filios & nepotes per rectam lineam deſcendentes, beneficiatos, quouis beneficio eccleſiaſtico, etiam pontificali dignitate priuatos, eisque omnis promotionis ſpem ſublatam. Nobis etiam ipſorum filiorum atque nepotum ex virili ſexu deſcendentium ab eisdem, alicuius dignitatis aut honoris eccleſiaſtici vel mundani, aut alicuius loci regiminis ianuam aperiendam, ac eis quodlibet officium publicum ſeu miniſterium interdictum, atque in iudiciis eorum dictis & depoſitionibus nihil fidei aut credulitatis contra quemcunque adhibendum, & ad teſtimonia perhibenda eſſe indignos; eisque ad beneficium aut officium eccleſiaſticum & ordines ſacros negatum aſcenſum, & ad actus legitimos nullum eis patere aditum, absque omni ſpe diſpenſationis ſuper aliquo præmiſſorum. Nec non omnes & ſingulos præfa-

tos

tos excommunicationis maioris ſententiam aliasque ſententias, cenſuras & pœnas in tales a iure latas, inflictas ac promulgatas damnabiliter incidiſſe. Eosdem quoque Sigismundum & alios ſupradictos excommunicationis ſententia innodamus, anathematiſamus, bannimus: Infames, bannitos, inteſtabiles, honore & bonis ac ſucceſſione priuatos eſſe ac aliis omnibus pœnis ſupradictis cum terris per eos poſſeſſis ſiue occupatis ſubiacere decernimus per præſentes. Terras quoq; & dominia per ipſum Sigismundum & alios prædictos occupata & poſſeſſa quæcunque, ubicunque & in quibuscunque diœceſibus conſiſtant, ac omnia alia loca, ad quæ eos aut eorum aliquem declinare & quamdiu ibi moram trahere contigerit, eccleſiaſtico & ſtrictiſſimo interdicto ſore ſuppoſita declaramus & etiam ipſum interdictum in prædictis locis Apoſtolica auctoritate de nouo ponimus. Mandantes omnibus & ſingulis Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Decanis, Prouincialium, Eccleſiarum Rectoribus & Presbyteris aliis, ut ipſum Sigismundum & alios prædictos etiam nominatim ſingulis Diebus Dominicis & feſtiuis in diuinis, ſic excommunicatos, anathemathiſatos, infames, diffidatos, priuatos & alias ut perfertur per nos declaratos, in eorum eccleſiis denuncient, & denunciari faciant, uniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus diſtrictius iniungentes, ut dictos excommunicatos, anathematiſatos & declaratos vbilibet evitent & faciant euitari, nec cum eis aut eorum aliquo poſt ſpatium unius menſis a data præſentium computando, quæuis commercia ſiue ſalis ſiue mineræ argenti aut alterius generis cuiuscunque emendo vel vendendo quodlibet habeant, aut eis communicent, nec ipſis aliquod humanitatis opus aut ſolatium exhibeant, ſeu etiam victualia aut merces alias eis uendant, aut ab ipſis emant ſed eos omnes & ſingulos pro excommunicatis & anathematiſatis ac pro diffidatis habeant inimicis. Et quoniam firmum eſſe nequit, quod vi & metu conſtat eſſe factum, harum ſerie dicta apoſtolica auctoritate ſimiliter pronunciamus, decernimus & declaramus, extorſionem & traditionem dicti caſtri Tauffers/ cum ſuis adhærentiis, nec non ſex millia florenorum Rhenenſium dicto Sigismundo per ipſum Cardinalem prompto & dicto tempore ſolutorum, promiſſionemque de ſoluendo per eundem Cardinalem quatuor millium florenorum ſimilium, ipſi olim Duci in terminis duobus; nec non quantitatem de tribus millibus florenorum eorundem eidem olim Duci per ipſum Cardinalem prius amicabiliter mutuatorum. Ac quod ipſe Cardinalis Capitulum Brixinenſe ad regimen ciuitatis Brixinenſis, caſtrorumque & oppidorum Eccleſiæ ſuæ Brixinenſis ponere caſtellanosque nonnullos ipſi Cardinali & dictæ ſuæ Eccleſiæ fideles amouere. Et quod ipſum Brixinenſe Capitulum dicto olim Duci omnia caſtra & oppida Eccleſiæ præfatæ aperta tenere, nec in eis alios quam eidem Sigismundo gratos caſtellanos ſeu officiales inſtituere debeant ſeu teneantur, ac alia quæcunque à dicto Cardinale, dum in ipſius Sigismundi poteſtate, ac ut præmittatur, detinebatur, atque etiam, quæ tunc a dicto Capitulo per præfatum Sigismundum aut ſuos extorta, ac per ipſum Cardinalem ſeu etiam Capitulum antedictos tunc promiſſa ſeu literaliter facta, nec non ſigillationem eiusdem literæ inter alia continentis, quod ipſe Cardinalis eidem Capitulo omne regimen ciuitatis, caſtrorum & oppidorum ſuæ Eccleſiæ committeret, quam eodem tempore quidam ſe nominantes dictum Capitulum a præfato Cardinale eorum Epiſcopo tum anguſtiato & oppreſſo ſimiliter extorſerunt. Omnia quoque alia etiam inde ſecuta, cum non ſolum ſint violenta & iniuſtiſſima, ſed & contra omnem honorem & honeſtatem damnabiliter extorſa, fuiſſe & eſſe nulla, irrita & inualida, nulliusque efficaciæ roboris vel momenti: Ipſumque Cardinalem ad ea obſeruandum nunquam fuiſſe obligatum neque ſe ſic in præiudicium Eccleſiæ obligare potuiſſe, eademque omnia & ſingula ad cautelam caſſamus, irritamus & annulamus ac ipſum Cardinalem ad ea obſeruandum nullatenus obligatum ſore, ac ipſum caſtrum Tauffers/ cum ſuis adhærentiis uniuerſis, & inde perceptis ab eodem tempore fructibus, ac ſex millia florenorum prædicta & damna illata alia, nec non literas ſic extortas, tam per olim Ducem quam Capitulum præfatos, nobis aut noſtro Commiſ-

ſario infra duorum menſium ſpatium a die datæ præſentium computando, ſub pœnis antedictis libere reſtitui debere decernimus. Quodque niſi ipſum Capitulum infra dictum ſpatium literas per ipſum à dicto Cardinale & Epiſcopo eorum ſic extortas, ciuitatemque Brixinenſem caſtra & oppida eiusdem Eccleſiæ amotis inde nouis iam poſitis caſtellanis & repoſitis inibi illis, quos ipſe Cardinalis ibidem poſuerat, nobis aut noſtro Commiſſario plene reſtituerunt, & tunc lapſo duorum menſium ſpatio huiusmodi omnes incorporationes quarumcunque prouincialium Eccleſiarum, quas ipſum Capitulum obtinere dignoſcitur, ad menſam epiſcopalem Brixinenſem eo ipſo revertantur & Capitulum ipſum huiusmodi incorporationibus Eccleſiarum omnesque & ſingulas perſonas eiusdem capituli in prædictis culpabiles, quorum nomina & cognomina præſentibus habere volumus pro expreſſis, ultra pœnas iam dictas, omnibus & ſingulis eorum beneficiis eccleſiaſticis cum cura vel ſine cura, canonicatibus & Præbendis, dignitatibus, perſonalibus, officiis ſeu adminiſtrationibus absque alia declaratione, quacunque priuatos eſſe volumus, atque priuamus per præſentes, eaque ſic vacare decernimus. Per præmiſſa tamen, tam cariſſimo in Chriſto filio noſtro, Friderico Romanorum Imperatori, quam dilecto filio, nobili viro Alberto Duci eius germano, ex eadem domo Auſtriæ, oriundis, & etiam omnibus iuribus, nec non etiam doti aut donationi propter nuptias dilectæ in Chriſto filiæ Eleonoræ de Scotia, dicti Sigismundi conthoralis, quæ ut veridice accepimus, præfatis facinoribus & nefandis nequaquam conſenſit, nolumus in aliquo præiudicare, ſed ea ſua bona ſibi quoad vixerit illæſa remanere. Nulli ergo omnium hominum, liceat tam paginam noſtræ reſeruationis, innodationis, anathematis, bannimenti, conſtitutionis, poſitionis, mandati, iniunctionis, pronunciationis, declarationis, caſſationis, irritationis, annulationis, voluntatis, priuationis & decreti infringere vel ei auſu temerario contrauenire? ſi quis autem hoc attemptoſe præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Senis Anno incarnationis Dominicæ M. CCCC. LX. ſexto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.



APPEL-



p.121.

APPELLATIO A CENSVRA P.P. II. INTERPOSITA PRO PATRE DOMINI SIGISMVNDI DVCIS AVSTRIÆ, &c.

IN Nomine Domini, Amen. Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis patear euidenter, quod Anno à natiuitate Domini M. CCCC. LX. Indictione octaua, die vero Mercurii, XIII. menſis Auguſti, hora meridici, vel quaſi, pontificatus ſanctiſſimi in Christo patris ac domini, domini Pii, diuina prouidentia Papæ II. anno eius ſecundo, in oppido Isbruck, in mei notarii publici teſtiumque infra ſcriptorum adhoc ſpecialiter vocatorum, rogatorum & requiſitorum præſentia perſonaliter conſtitutus, illuſtriſſimus Princeps & dominus, dominus Sigiſmundus Dux Auſtriæ, animo & intentione prouocandi ſeu appellandi, quandam papyrum, ſchedam, notam prouocatoriam ſeu appellatoriam in ſe continentem, quam ibidem in manibus ſuis tenebat, & in medium produxit, mihi aſſignauit, nec non per me publice legi fecit, ac ſibi apoſtolos ſeu literas teſtimoniales per me dari petiit, & poſtulauit, nec non alia fecit, vt in prædicta prouocationis ſeu appellationis ſchedula continebatur, cuius tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

Cum æterni tribunal iudicis eum reum non habeat, quem iudex humanus inique condemnat, eo quod eius iudicium infallibili innititur veritati: humanum vero iudicium tum falſis ſuggeſtionibus, tum errore aut fragilitate, nonnunquam vero gratia & fauore peruertitur: Et idcirco prouocationis & varii recurſus ac refugii remedia à maioribus noſtris in ſubſidium oppreſſorum ſalubriter ſunt inuenta.

Nos itaque Sigiſmundus Dei gratia Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ Dux, Comeſque Tirolis, &c. oppreſſionem noſtram cunctis Christi fidelibus, præcipue vero Principibus ſecularibus, aduocatias & protectiones Eccleſiarum & prælatorum habentibus, innoteſcere cupientes, hinc ordimur, quod principatus noſter vetuſtiſſimus & ſolidiſſimus Comitatus Tirolis, ab antiquiſſimis annis, etiam antequam in noſtrum & inclytæ ſtirpis Auſtriæ dominium ſeu ditionem peruenisſet, inter varias ſuas aduocatias, hæreditario ac perpetuo iure ſibi affixam habuit aduocatiam Eccleſiæ Brixinenſis, cuius vigore poteſtatem habuerunt ſinguli Comites Tirolis pro tempore in omnes ſortias, caſtra, terras & homines ipſius Eccleſiæ, in dicto Comitatu, & eius confiniis ſituatas, quantum ad ciuile dominium attinet, ſcil. tuitionis & protectionis omnium hominum ad Comitatum ipſum pertinentium, ſiue ipſi Comiti & Principi ſubiaciant immediate, ſive aliis perſonis eccleſiaſticis vel ſecularibus ad ipſum Comitatum ſpectantibus, coloniæ vel emphytemſeos, vel alio quouis iure attineatur. Ipſe quoque Epiſcopus Brixinenſis, nunc exiſtens Cardinalis tituli ſancti Petri ad vincula, in exordio introitus ſui in Eccleſiam Brixinenſem, interueniente domino Friderico, Archiepiſcopo Saltzburgenſi, Metropolitano ſuo, nobis huiuſce aduocatiæ ius recognouit, deſpons ſeſe erga nos gerere velle per omnia; ſicuti prædeceſſores ſui erga nos & anteceſſores

noſtros hactenus tenuiſſent. Quin etiam, vt ipſa aduocatia circa nos & principatum noſtrum ſyncerius & ſolidius firmaretur, inter nos actum & condictum eſt, quod nos omnia Epiſcopalia & capitularia ipſius Eccleſiæ caſtra, terras atque iura ſub protectionis noſtræ clypeo diligenter conſeruare debemus: exceptis illis, quæ ſub alieno, & non principatu noſtro conſiſtunt.

Sed etſi inter nos ſimultates & differentiæ ſuſcitarentur, forma data eſt, quibus cognitoribus illæ diſcutiantur, ne alter alterum coercitiua interdictione diſtringere cogatur, ſed coram arbitris receptis iuxta formam compromiſſi omnia determinentur. Cardinalis vero quietem publicam ipſius Principatus ac propriam ferre non valens (quo ſpiritu ductus, neſcimus) nulla cauſa vrgente, ſed nec vlla ſuſpicione prævia, contra nos confinxit, qualiter vitæ ſuæ inſidiati ſimus, & in quandam fortiam Eccleſiæ Brixinenſis feceſſit, ſuggerens ſe inibi metu potentiæ noſtræ latitare, & ob id Eccleſiaſticum interdictum fulminandum eſſe cenſuit.

Deinde Papa Calixtus ſuis delationibus permotus, edicta pœnalia contra p. 122
nos emiſit: à quibus cum prouocaremus ad eundem ſyncerius informandum, & tota prouincia Comitatus noſtri Tirolis ſtatus utriuſque ſcilicet Eccleſiaſtici & ſecularis, nobis adhæreret: & interim annus, qui appellationi proſequendæ à iure præfixus eſt, laberetur. Papa ipſe ex hac vita migrauit. Succedens poſtea Papa Pius, ipſe nobis alterum fatale conceſſit, appellationem noſtram per hoc tacite admittendo.

Deinde Cardinalis ipſe prioribus iniuriis in nos renouatis, nouas accumulauit, deferens nos, qualiter caſtra noſtra, quæ in feudum ab Eccleſia Brixinenſi dependerent, recognoſcere nollemus, & metallarias ſeu mineras & ſalinas ad ſe ſpectantes detineremus, Item nos Mantuam applicuimus, Apoſtolico conſpectui nos præſentantes, ubi ipſi Cardinali obtulimus omnia illa feuda recognoſcere & ſuſcipere, ac fidelitatis debitum inde præſtare, prout quondam genitor noſter feciſſet erga prædeceſſores ſuos, cum adiectione clauſulæ, quod ſi qua plura feuda teneremus, illa ipſa etiam ſuſcepta & recognita habeantur: cumque feuda huiusmodi particulatim fuerint declarata, nos etiam illa ſingulatim & expreſſe in feudum accipere vellemus: & de aliis ſimultatibus, ſi forent, iuxta compromiſſi formam iam dudum inter nos conuenti, omni cunctatione ſemota, experiri.

Porro, ſi quid differentiarum ſubeſſet, quæ per viam compromiſſi decidi non poſſent ſeu deberent, illæ per compromiſſarios ad competentem iudicem remitterentur. Quæ omnia Cardinalis ipſe refutauit, contra fœdus pactum & conuentum, ut præfertur. Inſuper aliarum prouinciarum principes in noſtrum principatum accerſere tentauit, offerens illis ſpontaneam inueſtituram feudorum noſtrorum. Sed (Deo propitio) neminem inuenit, qui ſibi tantæ factionis adiutor eſſe vellet.

Ex aduerſo autem innocentiam noſtram ſuper criminationibus ipſius Cardinalis oſtendimus, quia conſtabat, Cardinalem ipſum tempore confícti metus ſui in monaſterio Wiſten, iuxta locum noſtræ Ducalis reſidentiæ, & aliis patulis locis, officium Pontificale palam exercuiſſe, ubi nemo inuitis nobis, ne momento quidem ſecurus perſiſtere poſſet. Et alias tam clare deteximus, quod Cardinalis ipſe fiam contra nos infamationem tam petulantem ſubterfugere volens, dixit ſe noſtram præſentiam non deuitaſſe.

Nos autem illico literam manu ſua ſcriptam produximus, in qua nos palam nuncupauit: nec tamen in ea correptus fuit, nec reprehenſus. Suam vero in nos ſentiens audaciam impunitam, maiora molimina continuo in nos & ſubditos noſtros læuiendo eſt auſus, & fortias Eccleſiæ variis machinis bellicis inſtruxit, arcibus ſuis cuſtodes præfecit exteros, audaciæ pletumque aſſuetos, victualia ingeſſit, quorum uſus in pace minime conſuetus, ſed obſidionis tempore plurimum aptus, & urgente fame gratiſſimus eſt obſeſſis, quanquam nulla tunc eſſet hoſtilis incurſionis ſuſpicio, ſed omnia tranquilla, præter illa, quæ inter nos, & ipſum tunc amicabiliter tractabantur. quibus adhuc vehementius inhærentes,

miſi-

miſimus fidelem noſtrum Barzeſalem de Annenberg Conſiliarum noſtrum hortantes, ne ullam nouitatem attentaret, ſed viam amicabilis tractatus amplecteretur : & omnia prius per nos oblata renouauimus.

Omni tandem via concordiæ deficiente, obtulit idem Conſiliarius noſter trengas biennales, ad ultimum ſaltem annales, ut interea differentiæ illæ aut amicabili concordia terminarentur, aut ſaltem per viam compromiſſi arbitrali iudicio ſubiicerentur, quæ omnia Cardinalis ipſe refutauit, ſpem ponens (ut creditur) in certis armigeris, qui tunc Comitatum Goriciæ nobis finitimum inuaſerunt. Et cum ipſe Cardinalis à ſuis admoneretur, ne ullum adparatum hoſtilem oſtenderet, ne publicam pacem perturbaret, contra iura prouinciæ Comitatus Tirolis, alioquin ſibi exitium immineret, ſiquidem hoſtis patriæ iudicaretur, Reſpondit, *nihil vereri, oportere ſibi eſſe armigeros & homines qui nedum unam ſed plures valles replere valerent.*

Cum ergo ipſe Cardinalis patientia noſtra tam inſolenter abuteretur, totuſque populus Comitatus noſtri audaciam eius faſtidiret, ac nonnulli populi parerent auſus ipſius vi propria comprimere : nos ueriti, ne furor popularis in ipſum indiſcretius irruens, maioris mali periculum afferret, tandem via regia & ſubordinaria diſciplina, cohortes & turmas inſtructas miſimus, ad hæc omnia compeſcenda. Quibus applicantibus, ſubito Cardinalis ipſe de capituli Brixinenſis Eccleſiæ gremio, & alios de latero ſuo ad nos miſit, pacem poſtulans. Illico pacis tractatores de-
p.123 putauimus, & pax ſubito concluſa eſt. Videns quippe Cardinalis, neminem audaciæ ſuæ fauere, nec quenquam à fide noſtra deficere, ſpe ſua fruſtratus, omnia in manibus noſtris repoſuit. Sed abſit à nobis, vt propter audaciam Prælati, bona Eccleſiæ uſurpemus. Omnia etenim caſtra ad manus capituli tradidimus, ea lege, vt talibus rectoribus tutanda committantur, qui eccleſiæ, nobis & principatui vniuerſo grati ac fideles conſpicerentur, ut ita pax, tranquillitas, & unanimis concordia per uniuerſum principatum, omnesque populos eius, in utroque ſtatu Eccleſiaſtico & ſeculari conſeruaretur, vitaretur ſeditio, & omnis tumultuationis ſuſpitio caueretur : pro damnis autem & intereſſe noſtro, caſtrum noſtrum Transfers, (al. Tamfers) quod ipſe à nobis pro certa Florenorum ſumma tenuit pignoratum, cum tenuiſſimis pecuniarum ſummulis retinemus in recompenſam : quæ tamen omnia uſque medietatem expenſarum, damnorum & intereſſe huiusmodi non attingunt. Hanc compoſitionem, nedum ipſe Cardinalis emologauit : verum etiam poſtea extra territoria noſtra, & in urbibus ampliſſimis degens ratificauit.

Poſt hæc omnia Dominus noſter ſanctiſſimus Papa, monitorium pœnale contra nos emiſit, quo præcepit, hæc omnia reſcindi, & in eum ſtatum reponi ſingula, quo fuiſſet in vigilia Paſchæ.

Nos rati ſanctitatem ſuam male informatam, ad ipſum melius informandum, miſimus alioquin ad prouocandum poteſtatem dedimus egregio utriuſque iuris doctori Laurentio de Blumenauu, conſiliario noſtro : quem ſanctitas ſua recuſauit audire, ipſumque iterum audientiam poſtulantem : tandem prouocare volentem, minis affecit, carcerem comminando ſibi pro apoſtolis : ipſumque ad nos redire parantem, arreſtari fecit, hæreſis ſuſpicione ipſum innocentiſſime maculare volens, eo quod ſanctitatem ſuam de facti qualitate (in qua etiam Romanus Pontifex ſæpe fallitur) de mandato noſtro voluit informare.

Demum ad nos proficiſcentem perſequi fecit : hodieque nobis incertum eſt, an perſequentium manus aufugerit, aut inſidiatoris dicti laqueos inciderit. Hoc vero certum eſt, quod ſecuritas experiendi, de iure, nobis & noſtris in curia papali penitus adempta eſt. Cum itaque ſanctitas ſua omnem ſpem conſequendi iuſtitiam ſuſtulerit à nobis, ideoque ad ipſum melius informandum prouocare non poſſimus, quia aures eius in nos obſurduerunt, & indignatio pro libitu ſuccenſa eſt : ideoque ad futurum Romanum Pontificem appellamus,

qui de geſtis anteceſſoris ſui de iure habet cognoſcere. Item ad generale Concilium inſtituendum, vel inſtitutum prout ex forma ſanctorum & Catholicorum decretorum ſacri Conſtantienſis Concilii, innouatorum per ſanctiſſimum Baſilienſe Concilium, de tempore in tempus præfinitum iure celebrari debet. Et ne quisquam putet, nos hanc noſtram appellationem ſubterfugiendi iuris cauſa interpoſuiſſe: offerimus & proteſtamur, quod vias naturalis iuris nullo pacto volumus declinare. Et in primis, ſi ſanctiſſimus Dominus noſter cauſam noſtram, in qua ſe ſuſpectum reddidit notorie, alteri non ſuſpecto velit delegare, nos illius delegati inſtituendi iudicium ſubire non detractabimus, uti vetuſtiſſima iuris ciuilis tradidit doctrina.

Et hoc modo ſedis Apoſtolicæ illibata manebit auctoritas. Quia illius auctoritate manente, ſola perſonæ ſuſpicione ſubmota, cauſa terminabitur. Item, ſi ſanctitas ſua ſe putaret non eſſe ſuſpectam, nos ſuper hac differentia compromittere parati ſumus, ut iuris canonici traditio docet. Sed & cum ipſo Cardinali ſimili via experiri offerimus, ne quis putet nos translatiuam ſubmittere conſtitutionem. Inſuper ad ipſum eumdem Romanum pontificem, ſi adiungere ſibi velit perſonas nobis non ſuſpectas, quorum conſilio cauſam agat, prouocamus: ipſiusque iudicium, ſi in uniuerſali concilio præſederit, non declinamus.

Poſtremo quascunque vias, quibus nobis & noſtris ſecuritas cauſæ proſequendæ dabitur, & ſuſpicionis metus auferetur, in huiusmodi cauſæ proſecutione amplectemur. Quæ omnia ſi nobis denegabuntur, tandem ad uniuerſum Saluatoris & Domini noſtri IEſu Chriſti populum, * & quicunque noſtræ oppreſſioni miſereri velit, aut iuſtitiam infetioris etiam contra ſuperiores in ipſum incandeſcentes ament, omnesque iuſtitiæ & innocentiæ fautores appellamus & prouocamus, ac ad ipſos concurrimus, apoſtolosque primo, ſecundo & tertio inſtanter, inſtantius & inſtantiſſime petimus, ſi quis ſit, qui dare velit, aut poſſit: & à te notario publico ſaltem teſtimoniales, pro nobis & ſubditis noſtris, Eccleſiaſticis & ſecularibus, ac adhærentibus & fautoribus noſtris: ſubiicientes nos & illos iurisdictioni & cognitioni illorum quos ſupra nominauimus: & promittentes nos iuri modo præmiſſo parere. Quæ ſi nobis denegata fuerint, Deum æternum iudicem, & omnes iuſtitiæ ac innocentiæ fautores conteſtamur, per nos non ſtare, quo minus iuſtitia reddatur: nos vero oppreſſos eſſe. De quibus proſequendis proteſtamur eeſſante, etiam coram Romano Pontifice, & ubi opus erit, & iuris ordo depoſcit, vel perſuadet æquitas rationis: ſaluo iure addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, & aliam vel alias appellationem ſiue appellationes interponendi, & quolibet iuris, beneficio: & proteſtamur prout fuit & eſt moris atque ſtyli.

Qua quidem ſchedula per me expreſſe lecta præfato Illuſtriſſimo Principi ſic appellanti & prouocanti, ac apoſtolos petendi in quantum de iure potui & debui, has literas teſtimoniales dedi & conceſſi. Acta ſunt hæc anno &c. præſentibus ibidem egregiis & honorabilibus viris, Dominis Georgio Heimburg utriusque juris Doctore, &c. *Martinus Marquarti Notarius, &c.*

MANDAT PAPA DENVNTIARI DVCEM SIGISMVNDVM, ET CERTOS SVOS ADHÆRENTES, PER BREVE APOSTOLICVM.

PIUS Papa Dilecto Filio N. Plebano Eccleſiæ S. Stephani Conſtantienſis. Dilecto filio ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Præſentium tibi tenore. Sub excommunicationis & depoſitionis ab ordine & officio latæ ſententiæ pœnis, diſtricte præcipimus & mandamus, quatinus his litteris acceptis & continue in poſterum, donec aliud tibi mandauerimus in contrarium, Sigismundum ex Auſtriæ

ſtriæ Principibus cum Satellitibus ſuis, omnibus diebus feſtis, congregato populo ita denuncies, ut in forma introcluſa, quam tibi ſpecialiter ad hoc mittimus cernis contineri. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 22. Januarii, M. CCCC LXI. Pontificatus noſtri anno tertio.

COPIA FORMÆ INTROCLUSÆ PRÆTACTÆ.

DE ſpeciali diſtricto & expreſſo mandato ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Sigismundum ex Auſtriæ Principibus, ob hoſtilem inſecutionem & ſacrilegium in Perſonam Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Nicolai tituli S. Petri ad Vincula ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis, Epiſcopi Brixinenſis, in Paſchalibus feſtiuitatibus perpetratum, vobis omnibus, cum adhærentibus & fautoribus ſuis, denuncio excomunicatum maiori excommunicatione, ac pœnis criminis læſæ maieſtatis & perpetuæ infamiæ innodatum, bannitum diffidatum, & bonis & honore priuatum. Et cum hoc etiam iterum de nouo, ob damnatam ſuam appellarionem ad futurum Concilium, denuncio ipſum eſſe anathematiſatum, crimine læſæ maieſtatis & fautoriæ hæreſis irretitum: eſſeque etiam in omnibus dominiis, quæ occupat, & ad quæ ipſe aut aliquis de ſuis adhærentibus accedit, poſitum Apoſtolica auctoritate ſtrictiſſimum interdictum. Mandoque vobis, ut ipſum cum adhærentibus, ſatellitibus & fautoribus ſuis, ut præfertur, vitetis, & pro talibus habeatis. Simili modo denuntio excommunicatos & eisdem ſupraſcriptis pœnis irretitos, omnes & ſingulos, quos ſanctiſſimus Dominus noſter in ſuis Bullis tales eſſe exprimit: ex quibus ſunt nominatim iſti, qui ſequuntur, ſcilicet Wolffgangus Neydlinger, Stephanus Steynhorn, aſſerti Canonici Brixinenſes: Gregorius de Heymburg & Laurentius Blomenow, erronei Doctores: Parciſal Annenberger, Jacobus Traff, Turingus de Halwil, Baltaſar de Weltzſperg, Chriſtophorus Voxs, & Caſpar Loubenberg, aſſerti milites: Happo Hacke, Leonardus Weynecker, Oſwaldus, Eghardus, Berchtoldus condicti Wolckenſteyner, Caſpar Trautſon, Jacobus Tonner, Johannes Kripp, Rolandus Glandenſperger, Waltherus de Monthein, Leopoldus Spieſs, Joannes de Friberg de Aſtetten, Joannes de Friberg de Pfaffenhuſen, Georgius Burggraue, Georgius de Annenberg, Dionyſius Heidelberger, Georgius Diepoltzkirchen, Caſpar Spieſs, Caſpar Ramінger, Paulus Rentel, Conradus Clammer, Wilhelmus Baldlouff, Vlricus Honr, Barbara de Sonnenberg, Georgius Ragant, Ioannes Rummer, Iacobus Füeger, Gunrherus de Inſpruck, Auguſtinus Teutſch cum illorum ſociis & adhærentibus, in Apoſtolicis literis in ſpecie, genere aut quocunque modo nominatis & comprehenſis.

Intimo etiam, quòd quicunque uadit per pattiam illam Atheſim ſeu vallis Eni, aut emit ſal, argentum vinum, aut alia de illis partibus, ſiue uendit illis quicquam, cadir in excommunicationem & perditionem bonorum ſecundùm continentiam Apoſtolicarum Bullarum ſuper hoc editarum.

Simile Breue diuerſis Plebanis per diocœſim Conſtantienſem directum eſt.

QVOD

QUOD EPISCOPUS BASILIENSIS, CONTEMPTA PAPALI BVLLA, ET INTERDICTO EXCOMMUNICATORIO NON CURATO, SEMPER SIGISMUNDUM DUCEM FOVERIT, EX SEQUENTI PATET EPISTOLA.

PIUS PAPA II.

Venerabili Fratri N. Epiſcopo Baſilienſi.

VEnerabilis Frater, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Intelleximus diſplicenter, quomodo non obſtante, quod Sigismundus ex Auſtriæ Principibus propter infandum & notorium ſacrilegium in perſonam dilecti Fratris noſtri Nicolai tituli S. Petri ad vincula S. Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis, Epiſcopi Brixinenſis, commiſſum in excommunicationis & alias iuris horribiles ac ſaris declaratas pœnas, cum complicibus & ſatellitibus ſuis inciderit, per nosque talis (ut noſſe debuiſti) declaratus exiſtat, poſito, ut oportuit, Eccleſiaſtico interdicto omni in loco, ad quem acceſſerint: Tua tamen fraternitas eundem Sigismundum & ſuos (ut præfertur) ſicut tenetur, non deuitet, nec etiam (proh dolor) interdictum ſeruet, ipſosque innodatos tremendis cenſuris non ſolum non denuntiet, quin imo ſe ad tractandum inter ipſum & dilectos filios confœderatos intromittat: non aduertens, quod pet hoc maximè Deum offendis, cenſurasque & huius Apoſtolicæ Sedis auctoritatem contemnis, libertatem Eccleſiaſticam paruipendis, & contra præſtitum per te conſecrationis tempore iuramentum venis, proprio honori non parcis, clerusque tuus profanans irregularis exiſtens, diuinis contra Eccleſiæ ordinationem ſe temerè immiſcet. Quàm grauia quidem iſta ſint, non ignoras.

Mandamus igitur pet præſentes Tuæ fratemitati, & diſtrictè per præſtitum iutamentum requirimus, quatenus ab omni dicti Sigismundi & ſuorum conuerſatione, atque tractatu inter ipſum & dictos confœderatos, prorſus abſtineas. Interdictum autem iuxta noſtrarum ſuperinde literarum continentiam, inuiolabiliter teneas, & teneri facias. Secus faciendo contra Tuam fraternitatem, tanquam fautricem dictorum, ſacrilegorum, & Apoſtolicæ Sedis ac noſtri, imò Dei contemptricem, nos iuſtè ſentias prouocatos. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die X. Ian. M. CCCC. LXI. Pontificatus noſtri anno III.

Iacob. Papienſis

PII II. PAPÆ EPISTOLA AD NORIBERGENSES, QVA GREGORIVS HEIMBVRG, DENVNCIATVR EXCOMMVNICATVS.

PIVS Papa ſecundus, dilectis filiis, Burgimagiſtris & ſenatui oppidi Nurmberg, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Saluator humani generis in hunc veniens mundum, vt ex mortalibus genitos DEI filios, & ſibi ipſi in ſummi Patris ſui regno cohæredes efficeret, vnum ex omnibus fidelibus in eum credentibus regnum conſtituit, idque vnam ipſius Eccleſiam nuncupauit, cuius ipſe caput eſſet, & regnator ſempiternus. Viſibilem vero humanis oculis præſentiam ſui per admirabilem ad patrem omnipotentem aſcenſum mundo ſubtracturus, Petrum Apoſtolorum principem, eiuſque legi-

timos

timos ſucceſſores, vicarios ſibi cum plenitudine poteſtatis, ad propria gubernationem Eccleſiæ ſubſtituit, tribuens omnimodam per temporalem ſucceſſionem vicariis ipſis in terris & in cœlis omnia ligandi ſoluendique poteſtatem: præcipienſque diſtricte ipſos audiri, & in eorum iuſſionibus pernorari. Quia ſi qui tranſgreſſores veneno imbuti, eos non audirent; huiuſmodi omnes pro excluſis à ſuo regno, eiectiſque à ſancta Eccleſia, inter ethnicos & publicanos, cum perditionis & mortis filiis voluit computari. Cum enim nullum regnum (vt ipſius domini noſtri verbis didicimus) in ſe diuiſum ſtare poſſit: quo nam modo ſacroſanctum ſtabit Eccleſiæ regnum, ſi illi, qui Chriſti ſupremi Regis vicario parere contemnunt, de regni non valeant ſorte depelli? Aduerſus hoc inquaſſabile fundamentum, & Eccleſiæ firmam petram, hæreſis quædam à paruo tempore citra ſenſum viſa ſuboriri pullulauit: quæ ſub ouium veſtibus lupos rapaces intrinſecus celans, ſub appellationis ſpecie Eccleſiæ ſatagit vnitatem conuellere. Nam ſi qua Chriſti vnicus vicarius, canonibus ſacris etiam & iuri ſcripto inhærendo decreuit, ſtatuitque, & ſeruari (vt dignum eſt) præcepit, calumniatores maleuoli & peruerſi ſubterfugere iuſtitiam præſumentes, per ludibria friuolarum appellationum ad futurum Concilium (ceu ad id, quod nuſquam eſt, ac ſuper CHRISTI vicarium eſſe aut reperiri nequit) obedientiam quæ eſt de neceſſitate Eccleſiæ & ſalutis vniuerſorum, improbe declinant, ac temere.

Hanc igitur Diabolico ſpiritu & inſtinctu nouitatem exortam conſiderantes, in totius Eccleſiæ catholica non tantum eneruationem, ſed euerſionem, in Mantuano conuentu ſæpe & multum diſcuſſam, de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, pluriumque aliorum præſulum & peritorum qui aderant, maturo conſilio & conſenſu, illiuſmodi appellationes damnauimus: atque ita appellantes, notarioſque ac teſtes, & adhærentes omnes excommunicauimus, læſæque maieſtatis hæreſeos crimina & pœnas, eo ipſo illos diffiniuimus incidiſſe, prout in Apoſtolicis literis ſuperinde confectis plenius continetur. Cæterum his omnibus non obſtantibus, quidam ex patre Diabolo mendaciorum artifice natus, Gregorius de Heimburg nomine, auaritiæ contaminatus illuuie, & ſuperatus ardoribus, quæ eſt ſeruitus idolorum, de menſe Auguſti proxime præterito, à noſtra ſolenni declaratoria ſententia, qua Senis exiſtentes, impium Sigismundum ex principibus Auſtriæ, ob notorium ſacrilegium propter hoſtilem perſecutionem in perſonam dilecti filii noſtri Nicolai tit. ſancti Petri ad vincula, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyteri, Cardinalis, & Epiſcopi Brixinenſis, & rapinam bonorum eccleſiæ illius, perpetratum, iuris ſcripti pœnas declarauimus incurriſſe, à nobis ad futurum Concilium improbam, neſariam, temerariam, ſeditioſam denique appellationem dictauit: & illius interpoſitionis per dictum Sigismundum factæ, ipſe dictator in originali inſtrumento Florentiæ ad valuas Eccleſiæ affixo, teſtis inſcribitur. Quod quia loquax ille, præſumptuoſus & præceps, mendax atque turbulentus, temerarius, ob iſtud facinus communicatus exiſtit, eriminaque & pœnas incidit læſæ maieſtatis atque hæreſis, adeo vt vltra execrationem honore omni & bonis iure ſit priuatus:

p. 125 *Deuotiones veſtras in Domino requirentes admonemus, huiuſmodi peſtiferum hominem pro tali excommunicato habeatis, & priuato, ab veſtrisque ciuibus omnibus haberi mandetis: ipſumque non ſolum vitetis, ſed procul eiiciatis ab oppido & dominio veſtro: & bona quæcunque habet apud vos, tam mobilia, quam immobilia fiſco veſtro applicetis: & alia omnia faciatis, quæ contra hæreticos de iure canonico fieri mandantur. In quo vos nobis oſtendetis, exhibebitisque catholicos (ſicut plene confidimus) & Deo gratos ciues, in talem pernicioſum Eccleſiæ Chriſti perſecutorem vos fideles, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientes oſtendendo. Nobisque in hoc eo magis deuotiones veſtræ complacebunt, quanto ſcimus plurimum eſſe Deo carum, eo Eccleſiæ ſuæ perutile, ac in primis neceſſarium, quod profugus iſte peſtiferque ſacrorum contemptor, ab omni expellatur conuerſatione & conſortio Chriſtianorum. Facite nobis, quid egeritis, per literas veſtras referibatur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub annulo piſcatoris, die XVIII. octobris. M. CCCC. LX. pontificatus noſtri anno ſertio.*

* Extat iſta inter alias Syluii Epiſtolas editionis Baſileenſis 1481. *Ep. CCCCXV.* In Baſileenſi vero de anno 1551. *Ep. CCCC.*

SCHOLIA GREGORII HEIMBURG, IN BREVE PAPALE.

PEtrum Apoſtolorum Principem, eiusque legitimos ſucceſſores] Non ſacrilegos, avaros & amatores baſtardorum.

Vicariis ipſis in terris ac in cœlis omnia ligandi] Claue non errante.

Non enim pro libito, ſed pro ratione.

Eos non audirent] juſta jubentes.

Vicario parere contemnunt] Dicit Gregorius: *Nolite obedire Prælatis, ut eorum ſcelera approbetis.*

Chriſti unicus Vicarius, canonibus ſacris] Non dicunt ſacri Canones, quod Epiſcopus debeat ſibi uſurpare poteſtatem gladii contra Principem ſuum uniuerſalem, ratione ſui dominii particularis.

Supra Chriſti Vicarium eſſe aut reperiri nequit] Hæc eſt hæreſis in ſacro Concilio Conſtantienſi & Baſilienſi reprobata, tunc quando erat indubitatum.

Illiusmodi appellationes damnavimus] Tanto fuiſti ſtultior, quia admonuiſti nos quid timeres, & voluiſti viam præcludere ad refugium, ratione oppreſſorum, quibus pro libito illuſiſti.

Plenius continetur] Immò ſacrilegius.

Natus Gregorius de Heimburg] Probè & legitimè natus, qui non fovet adulterina conjugia, ſicut Papa facit, qui fouet Fernandum baſtardum contra heredem legitimum.

Avaritiæ contaminatus illuuie] Parum recepi pro patrocinio juſtitiæ; ſed Papa plurimum recepit pro fomento baſtardiæ, & nondum contentus quærit talliam ſub colore Turchino.

Impium Sigismundum] Magnificum, qui auſus fuit corripere factiones improbas Cardinalis.

Ob notorium ſacrilegium] Ob magnificum & animoſum factum.

Juris ſcripti pœnas declarauimus incurriſſe] Non auditum contra jus naturæ, & obſurduerunt aures Papæ tanquam aſpidis, ita fuit incantatus amore Cæſaris, cui viliſſimè ſeruit.

Seditioſam denique appellationem] O quantum times, miſerrime Papa, qui non audes in publicum prodire, ne cognoſcatur temeritas tua.

Et quia loquax ille] Quis te loquacior, qui tribus horis loquacitatem tuam protelaſti pro baſtardo Aragoniæ arrogantiſſimè.

Læſæ Majeſtatis] Læſæ Majeſtatis Papalis.

Fiſco veſtro applicetis] Ita ſi vultis perdere mercantias veſtras.

Quanto ſcimus plurimum eſſe Deo carum] Jam fingit ſe in conſilio DEI veri fuiſſe, ac ſi conſcripſiſſet decreta DEI, & ſe reponit in numero ſacrilegus ille, fingens ſe ſocium, qui præter ſacra & aniles fabulas nil habet doctrinarum.

GREGORII HEIMBVRCH APPELLATIO A PAPA VARIIS MODIS AD CONCILIUM FUTURUM: SIMULQUE RESPONSIO AD CRIMINA SIBI MODO OBIECTA.

VIS consilii expers mole ruit sua. Vim temperatam in sublime provehit Deus. Papa Pius iam pridem per breue Apostolicum non testatum, sed annulo piscatoris obsignatum, fertur excommunicasse Gregorium Heimburg, nunquam euocatum, contra legem Dei, qui damnaturus protoplastum præuaricatorem, præmisit vocationem dicens: *Adam ubi es:* Similiter & Cain, fraterno adhuc sanguine madentem, interrogans dixit: *Vbi est Abel frater tuus?* Sodomorum quoque flagitia, antequam sulphuris exureret igne: *Descendam*, inquit, *& videbo, an clamorem, qui ad me peruenit, opere compleuerint.* Papa vero Pius, vi sola fretus, omni consilio neglecto, quam tenuem * telam orsus, quam debilem texit rationem quæso videte. *Saluator* (inquit) *noster Petrum Apostolorum principem ad gubernationem Ecclesiæ substituit.* * al. tenere.

Quis ignorat omnibus Apostolis a JEsu esse præceptum, vt eant in orbem prædicaturi fidem, baptismum & salutem? Quis nescit passim omnibus esse promissum, ligatum esse in cœlis, quod ipsi ligarent in terris: & solutum esse, quod soluerent? sed quod Cephæ singulariter dictum est, *Tibi dabo, &c.*

Hoc ait Hieronymus, esse factum, vt schismatis tolleretur occasio, & Ambrosius in Pastorali suo dicit, quod ne dum Petro trina rogatione interrogato, an amaret? ac terna responsione subsequente, amare se, teste ipso interrogatore JEsu, traditas sibi esse claues, sed & omnibus Apostolis vna contraditas.

Apostoli quoque post ascensionem Domini conuenisse, ac Petrum sibi principem constituisse, & Antiochiæ in cathedram colloçasse referuntur: nihil tamen de potestate vniuersis Apostolis à Saluatore data, & ipsorum omnium vniuersali missione diminuerunt. Ergo & hodie Catholica exorat Ecclesia, sese per Apostolos ipsos continua protectione custodiri, quos Saluator ipse vicarios tanti operis constituit præesse pastores.

Horum legitimos sucecessores constat esse vniuersalia Concilia, Christianæ fidei firmamenta, quæ Pontificum actiones pro tempore saluberrimis doctrinis instruxerunt, errores emendarunt. De quibus summus ille Pontifex Gregorius scribit: *Quisquis illa destruere tentauerit, seipsum destruit.* Sed quorsum hæc? Eo certe pertingunt, vt conuellatur illa superstitio, in qua Papa pius factionibus Cardinalis Cusani astruit, Concilium supra Papam non esse, dum dicit (vt eius verbis vtar) *ad futurum Concilium, quod supra Christi vicarium esse nequit.*

Videte ergo, quam vim omnis consilii expertem Papa inferre tentauit. Nam si omnes Apostoli missi sunt à Domino JEsu, dicente illis; *Ite in orbem, &c. Quodcunque ligaueritis,* &c. quos constat conciliariter postea esse congregatos, ac ipsum Cepham in messem Domini misisse: quis dubitat, Concilia sacra vicem Christi gerere, quæ & cœtui Apostolico succesisse comprobantur? siquidem Orbis maior est Vrbe. Subdit Papa Pius *Rem illam in conuentu Mantuano sæpe & multum esse discussam:* quasi concilium habuerit procerum, vti sacræ leges iubent in rebus nouis constituendis: quas tamen pro nudo libitu plus euomuit, quam edixit.
p. 126 Profecto siquidem ipse conuentum Mantuanum nuncupat conuentum Regalium & Principalium oratorum, illue transmissorum, in illo certe nihil de hoc ne cogitatum quidem extat.

Dicitur autem *Papa Pius cum Cardinalibus suis ita decreuisse.* Cur hoc? Nisi quia voluit Papa ipse abuti potestate sua, talliam * imponendo, & sub velamento militaris expeditionis in Turcam instauraudæ, facultates Germaniæ illius, quæ est inter Coloniam Agrippinam & Austriam, ac rursus inter Daciam & Alpes, quæ Germaniam ab Italia discriminant, medullitus exhaurire. Nam ex illis solis finibus oratores Mantuæ ad tractandum conuenere. Illi quippe soli videbantur apti * i tributum.

Papæ, quos luderet: Brabantia, Hollandia, Gelria, cum circumiacentibus reclamarunt, clam illis quos ſupra nominaui. Vtcumque res acta ſit, nullus illorum interfuit tractatibus noſtris, ergo vim ſuam exſortem eſſe voluit à ſenſu illorum, quorum æra concupiuit. Hinc profecto non inepte, nec ſupine, Papa ipſe negatis ſibi pecuniis, quas ſolas ardebat, ſuam ratus lædi maieſtatem, vim aſtu conceptam, totius Concilii expertem adhibuit: ac imprimis ſuam dimenſus poteſtatem, ſimul & Imperatoris noſtri ſplendorem ante oculos ponens, putauit neminem reſiſtere poſſe, vel audere, conatibus eorum.

Veruntamen ſuam poteſtatem ſtupendo, quæ latior eſt quam hodie ſit Imperii gloria Romani (quæ quondam Caucaſi montis limite coartata, de hinc fracto Caucaſi limite per totum orbem vires ſuas terra marique exporrexit: nunc autem Auguſtorum deſidia anguſto limite cingitur) nihil profecto ſuis machinationibus in hiſce partibus, quas Imperialis tituli ſplendor illuſtrat, obſtare poſſe rebatur, niſi fortaſſe totius Orbis Chriſtiani conuentus cieretur, quod uniuerſale Concilium nuncupamus.

Hanc ſanctiſſimam Chriſtianorum conuentionem, libertatis alumnam, Papa velut Iliacam horrens paſſionem, illam præuenire credens, vaniſſimo decreto, antequam naſceretur, condemnauit, ſed condemnando potius indicauit. Cum enim ſedulo vetat, profecto magis timere deprehenditur. Nam quod veteri ſilentio reſtinxit litura, hoc totum inuida damnatio viuificauit: non aliter quam qui latentes vires calcis, aquæ rigentis & gelidæ ſuperfuſione obruere cupiens, inuitus ac nolens exuſcitauit.

Prudentius Solon ille Athenienſis, legibus ordinatiſſime compoſitis, interrogatus, *Cur nihil ſeuerius in parricidas ſtatuiſſet, qui tamen ſicariis longe immaniores eſſent?* reſpondiſſe fertur: *Ideo ſe reticuiſſe, ne vetando admoniuiſſe videretur.* Hunc locum Prælati capeſſite, qui libertatis veſtræ certiſſimum eſt refugium, dignitatisque firmamentum, infirmos rumpite caſſes & inanes laqueos diſſipate, qui ſcholaſticis datis opetam diſciplinis. Seculis vero Principes, & viri militares, ad bellaque doctiores, quibus eſt diſciplina, ſi quando proficiſcimini, editiora loca hoſtibus intercipere, hunc eminentiſſimum locum Vniuerſalis Concilii quæſo ante capite, vnde vobis ſit proſpectus liberior, fortior & intentior propugnatio, tutelaque ſecurior. Quod ſi Papa hoc tale tantumque aſylum interceperit, hoc roboris vallum fortaſſe demolitus fuerit ſeu obruerit, antequam emineat ſeu oriatur, vos abiecto clypeo exarmati tandem, precii venalitate, hoc eſt tributorum penſitatione, animas veſtras cogemini redimere: pecuniaque veſtra, ſub velamento militaris expeditionis aduerſus Turcas inſtaurandæ, in damnatum & ſceleſtum vſum conuertetur, ſcilicet in ſubſidium Fernandi, ex damnato complexu quondam Alfonſi regis Aragonum, connixi contra Renatum regni Siciliæ hætedem legitimum, & inclytum Joannem Calabtiæ Principem, Chriſtianæ nobilitatis ac militaris gloriæ decus & ornamentum & exemplar imitabile. Et idcirco dicit Papa, *Gregorium Heimburch ex diabolo natum:* quia non ex damnato coitu, ſed legitimo coniugio progenitus: quorum oſor eſt Papa, fautor baſtardorum, pro quibus longiſſimam, & fere quaſi trium horarum prolixam fecit otationem, dum Fernandi Baſthardi laudes Mantuæ perſonaret.

Quod vero ſubdit Papa, *Gregorium Heimburch auarum, mendacem, & turbulentum* nuncupando, benedictis ſi certaret bona audiret: ſed cum certet maledictis, alium quærat qui reſpondeat. Ego ex illo grege non ſum, quippe cui facultates pro meritis minime reſpondent, qui plura ſuffragia liberaliter impendi, quam honoraria ſuſceperim: & libertatis amator plus ſemper fui quam blandi- p. 127
tiarum, quæ mendaciis & auaritiæ minime conuenire poſſunt: ſed ipſe aliquando audiet, quid geſſerit, qualem vitam egerit, & quid apud Cumas. Sed reprimo me, pergens ad illius decreti vanitatem, in quo vetantur oppreſſi, vel optimendi, ad Concilium prouocare, *quod non eſt, & quod* (ut ait) *ſupra papam eſſe nequit.* Iam ſupra oſtenſum eſt cœtum Apoſtolicum fuiſſe ſupra Petrum: &

nunc

nunc affirmo, quod ſicut ad ſedem Apoſtolicam vacantem appellari poteſt, ſic ad Concilium quod nondum eſt congregatum, rite appellatur. Quia poteſtas Eccleſiæ immortalis eſt, quemadmodum ipſa Eccleſia: quæ etſi nunc diſperſa eſt, aliquando habet congregari: & hoc nunc maxime opus eſſe, nemo dubitat, qui calamitates Eccleſiæ intelligit & cognoſcit: cuius ſi ſe Papa partem eſſe fateatur, ſe utique minorem illa fateri neceſſe eſt: ſiquidem Orbis eſt maior Vrbe. Papa autem hoc vetando, quid aliud agit, quam quod cauſatur aduerſus nos, quod eius imperium truculentiſſimum non ſuſtinemus: quod facultates noſtras, tam noſtro quam maiorum noſtrorum ſudore & ſanguine partas, in ſuas delicias effundere negamus: velut ille, qui ex vulneribus à ſe iniectis recreatum accuſauit, quod telum parcens corpore ſuſcepiſſet. Hoc dominicum in ſeruos extat imperium, quod in nos exercere cupit. Hoc eſt ſeruile ſeruitium, quod à nobis exigit: non filialis reuerentia; quibus certe nec peculium relinquere curat. Nemo ſanæ mentis hoc non percipit, nullus emunctæ naris homo non olfacit, quorſum tendat hæc tam grauis exactio.

Quod uero me *loquacem* facit, vir omni picâ dicatior, quid dixetim? niſi Horatii verbo reſpondiſſe velim, dicentis: *Ignoras te, an ignotum dare nobis verba putas? Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis, cur in aliorum vitiis tam cernis acutum, quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? hinc tibi contra venit, inquirant vitia ut tua rurſus & illi.* Fateor quippe, me ventoſitati verborum pro tempore operam dediſſe: at non ita, ut ciuilis & Canonicæ traditionis præcepta contemplerim: quæ ille ne unquam quidem olfecit, nuda verboſitate contentus. Porro ſi quod tale vitium apud me deprehendit, inepte tamen id ipſum mihi exprobrauit, quo & ipſe potiſſimum turget. Mihi ſatis eſt, didiciſſe ciuiles ſententias: & quicquid præcipuum habet ratio & induſtria, & quicquid ſacra tradunt vtriuſque iuris inſtituta, hiſce literis & floribus exornare poſſe, & in illo grege me eſſe profiteor. Ipſe in numero ſit illorum, qui putant hæc omnia vi & artificio Rhetorum contineri. Ergo ſi Papa ob id facinus me excommunicatum dicit, quis erit eiectior ipſo, qui præter verboſitatem nihil habet in ſe virtutis? Subdit, *& læſæ maieſtatis crimine me irretitum:* Credo eum culicibus & muſcis has leges edidiſſe, aut animalibus quæ in tabidis corporibus naſci ſolent: vti aranearum telas in occurſum fragiles, legis conſilii exſortis æquauit: quas ſi culex, aut quod imbecillius animantium inciderit, euoluere ſe neſcit, ſi quis autem validiorum animantium incurrerit, penetrat atque diſrumpit. Neque enim rete ficedulis aut coturnicibus contextum, aptum eſt vincire vulturem vel aquilam. Irretiat ipſe Reatinos ſuos, & eos quos ſeruili metu conſtrictos habet: mecum erit (Deo duce) libertas Diogenis & Catonis. Nec ſatiatus eſt Papa conuiciis vulgaribus: quin etiam *Hæreticum* me audeat nuncupare. Siquidem hæreſim voluit ſectam vel ſententiam nuncupare, ut Cicero noſter Catonem recte appellat: hæreticus ſum ego, qui aio; *Concilium orbis Chriſtiani ſore ſupra Papam:* hæreticus eſt Papa, qui contrariam ſectam fouet. Videte quod nihil grauius in eum dico, qui tamen abiecta rationis & concilii moderatione, cuncta in me pro libitu iuſſit ſcribi. Poſtremo nec adhuc ſatiatus Papa conuiciis, *mandat bona mea confiſcari*: quæ utinam tanta eſſent, quod rapacibus viris hiatum pandere poſſent. Ego inter bonos conuerſari volo, qui uirtutes meas opibus ſuis foueant, & pluris faciant ſuffragia mea, quam locupletiuam, quam ex mea ruina ſperare poſſent. Maiori enim utentur conſilio, quam Papa fretus eſt in procacitate ſua. Pollicetur tandem eis Papa, qui res meas inuaſerint, *Catholicorum hominum operas impendiſſe.* Maxime ridiculoſum eſſet hoc verbum, niſi ipſius Papæ ineptia iam antea vobis comprobata eſſet; dum ipſe inceſtuoſos complexus, & vitia honeſtati publicæ inimica, Mantuæ tam copioſe & loquaciter perſonauit.

Expugnatis nunc aranearum telis, & infirmorum retium vinculis nodiſque diſſolutis, ad remedium moribus introductum, quo aduerſus ſuperiorem truculentiam & amariſſimas leges ſe tuetur innocentia, ſtylum conuertere depropero.

Et in primis plane conſtat, ſemper & ubique ab inferiore ad ſuperiorem rite prouocari. Nemo enim tam obtuſi cordis eſt, qui non in ſeipſo periculum fecerit, p.128 à ſenſualitatis fragilitate ad intellectualis potentiæ diſcurſum prouocando. Sed & qui morbo aut vitio animi tenetur, ut neſciat cernere verum, ſi lapſus fuerit in vitium, defecato tandem animo ad ſe rediens, ad animum irâ, odio, gratiaque vacuum prouocat, quo certius de rebus dubiis conſultet atque decernat, & vim ſuam grauitate conſilii moderetur. Ideo laudata eſt illa mulier, quæ à temulento Rege Philippo, ad eundem ſobrium prouocauit. Sit ergo mihi gradus primus, ab irato Papa, qui me laceſſit, ad eundem mitem factum appellare: & ab oratore topico ad eundem, ſi ventoſitate abdicata, ſi Muſis relegatis, ad ſacras leges ſe conuerterit: vbi diſcet, *Neminem indemnatum rebus aut famæ ſpoliare, nec quenquam inauditum condemnare.* Deinde qui ſcriptum eſt, *Papam omnes iudicare ipſum autem à nemine iudicandum*: quod & ego fateor verum, quantum attinet ad ſedis ipſius & Papalis poteſtatis plenitudinem: ſed non ita, ut ſub inimico & ſuſpecto iudice quiſquam cogatur famam aut res ſuas decertate. Ad eundem itaque prouoco, ſi ſe iuxta boni viri arbitrium aſtrinxerit iudicaturum. Et is ſit appellationis meæ gradus ſecundus. Si vero cauſam delegare malit viro non ſuſpecto, rurſus ad eundem Papam, ſeu quem deligit, prouoco & appello, & hunc tertium appellationis meæ modum offero, meque tali iudicio ſiſto. Et in ſumma, Papali cognitioni ea lege me ſubmitto, ſi ſuſpicionis cauſa tollatur è medio. Et hic quartus ordo, omnem tollit tergiuerſationis notam, quam mihi iniicere poſſit Cuſana procacitas, cuius ductu hæc omnia diriguntur. Quæ omnia ſi Papa contemſerit, quid reſtat, niſi ad uniuerſalem Eccleſiam prouocare, prout à Senatu ad populum Romanum ſæpe reperimus appellatum? Nec obiiciat mihi Papa, *Eccleſiam non eſſe congregatam*: quoniam id ipſum factionibus ſuis impeditur & diſturbatur. Apud me nulla mora, culpa nuſquam, cum non per me, ſed per ipſum ſtet, quo minus fiat. Siquis enim in ius vocatum vi eximat, contumaciam remouet citato, ſed omne vitium & crimen in ſe transfert. Papa metum intulit mihi, ipſe ſibi iuſtitiam indixit: qui ſe conuiciis ſuis aduerſus me ſuſpectum reddidit, qui ſe ſapientis arbitrio aſtringere declinauit. De ſuſpicione experiri recuſat, ne iudicem ſuſpicione carentem delegare dignatur: quique Vniuerſale Concilium conciere negat, hic ſi aduerſum me quicquam attentauerit, aduerſus ipſum prouoco, gradatim atque alternatim, vt præmiſi: & teſtimonium eius rei poſtulo, & de metu iuſto proteſtor coram vicinis. Quo ceſſante, proſequor, ſi opus erit, & opportunitas concedatur, prout iuris publici ratio poſcit ſaluo iure addendi, omnibusque remediis, moribus & lege introductis.

* *Iſta Appellatio eſt interpoſita per doctorem Gregorium Heimburg. de menſe Ianuar. anno M. CCCC. LXI.*

REPLICA THEODORI LÆLII EPISCOPI FELTRENSIS, PRO PIO PAPA II. ET SEDE ROMANA, AD SUPERIUS SCRIPTUM GREGORII HEIMBURG.

OBlatrantem te, Gregori, aduerſus Chriſtum Domini ore ſacrilego, & impiis vocibus obſtrepentem, Pius Pontifex Maximus iure contempſit: non quod garrulitati tuæ atque blaſphemiæ diſertiſſimus virorum reſpondere non poſſet, ſed quia æterni Paſtoris, cuius vices gerit, qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, imitandum humilitatis exemplum putauit. Meminerat quippe & Chriſtum Dominum à Phariſæis, quorum tu perfidiam imitaris, crebris conuiciis laceſſitum, & nunc voracem, nunc vini potatorem, nunc Samariten & Dæmoniacum appellatum: & patientiæ ipſius documenta ſuſcipiens, illud dominicum arcano voluebat in pectore; *Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, nec diſcipulus eo qui miſit illum. Quoniam ſi Patrem familias Beelzebub vocaue-*

vocauerunt, quanto magis domeſticos eius. Sic illi non quod tu merebaris, ſed quid ſe deceret, attendit. Verum & plurimi & magno atque excellenti ingenio viri tuis blasphemiis reſpondere potuiſſent, ſi vel ad illos maledicta illa ſacrilega peruenisſent, vel ineptiſſimum, atque perditiſſimum hominem coinquinationis & maculæ voluptatibus fluentem, & tanquam beſtiam inter luxum ſemper epulasque ſudantem, dignum reſponſo putauiſſent: quorum plerique inſaniam indicentem, atque iuxta Sapientis eloquium in ore ſtulti eſſe baculum contumeliæ agnoſcentes, illud ex Sapiente proferebant: *Noli reſpondere ſtulto ſecundum ſtultitiam ſuam, ne fortè ſimilis fias ei.*

Ineptum ſane exiſtimabant congredi tecum, cum nec docere indocibilem, nec reducere pertinacem, nec cohibere furentem poſſe confidcrent. Ac talia cogitantes errantem perfidum hactenus ſilentio contempſere. Sed cum patientia illorum abutens contra lenitatem odio & adverſus Pontificis manſuetudinem furore & inſania bacchari cœpiſſes, & blaſphemiarum tuarum exempla per Italiam Germaniamque diſpergere, me unum ex puſillis Curiæ & Apoſtolicæ ſedis miniſtris domus Dei zelus accendit, ut diutius me continere non poſſem, quin uolantia iam pene toto orbe iacula falſitatis, clypeo veritatis exciperem. Verebar enim, ne ſi nullus tuis calumniis reſponderet, iam patientia diffidentiæ inciperet imputari, ut vel ſaltem iniuſtæ damnationis tuæ Apoſtolica ſedes uideretur crimen agnoſcere. Licet enim apud ipſius ſedis Pontificem iuſti iudicii conſcientia ſola ſufficeret: non incongruum tamen uiſum eſt, & reliquis, ſi qui fortè quaſi de iniuſto anathemate tuo uiderentur offenſi, congrue ſatisfacere. Sic quondam Gelaſius ac Nicolaus ſanctiſſimi diſſertiſſimique Pontifices, alter de Achatii, alter de Photii Pſeudo epiſcoporum damnatione, Anaſtaſio Michaelique Principibus & Orientalibus populis tomos ſcribentes ſatisfecerunt. In quo genere illud aureum Pii Pontificis flumen eloquentiæ omnes facile ſuperaſſet, niſi illum vel indignitas tua, vel criminis euidentia, vel forſan remaledicendi apud quosdam ſuſpicio retraxiſſent. Mouit nos præterea & Catholicæ fidei ratio, contra quam cum multa in ipſis tuis blaſphemiis hæretice impieque prolata legiſſem, & ſcandalo & periculo verebar amplius eſſe ſilentium, ac proinde populare quaſi apud Chriſtianos tuendæ fidei officium arbitrabar. Nam etſi cætera crimina ſilentio præteriri queant, hoc tamen in fide ſi fiat, & ſcandalum & periculum generat. Licet apud te caſſo labore deſudem, apud cæteros tamen, quos tuis blaſphemiis forſan concitaſti, atque impia & maledicta ſeminando tui erroris comites effeciſti, ſperamus Deo propitio aliquid profuturos. Nam qui per errorem moti ſunt tuo mendacio ſallente, facilius ueritatem admittent ratione cogente. Reſpondebimus ergo licet incompoſitis uerbis, ueniam à legentibus rudioris ſtyli facile præſumentes: quoniam contra impias blaſphemias iuſtitia ac fidei patrocinium ſuſcepturi non nitori ſermonis, ſed ueritati ſtudemus. Ante tamen quam tuis maledictis reſpondeam, abs te poſtulare libet, Doctorum eximiè & Iurisconſultorum diſſertiſſimè, qui tibi utriusque Iuris ſcientiam vendicas, & (ut tuis uerbis utar) qui te *quicquid ratio & induſtria præcipuum habet, & quidquid tradunt utriusque iuris inſtituta*, percepiſſe gloriaris; hoc ne in legibus aut Canonibus, aut in moralibus diſciplinis didiciſti, ut contra Pontificem ſummum, Eccleſiæ caput & Principem, & miſeræ animæ tuæ Epiſcopum atque Paſtorem, vel quomodo libet læſus inueheres? Hominum perditiſſimè, quis unquam hæreticorum, qui à Romana damnati ſunt ſede, in illius antiſtitem talia maledicta congeſſit? Lege Neſtorium, Macedonium, Eutychen, Cœleſtinum atque Pelagium, Macarium atque Dioſcorum, & cæteras hæredicorum peſtes: quis unquam tam turpiter ora laxauit? Qui licet damnationem ſuam grauiter tulerint, tamen à talibus blaſphemiis temperarunt. Unus inuentus eſt Dioſcorus, qui pro eo ſolo, quod Anathema dicere in ſanctum & venerabilem Leonem auſus eſt, in chaleedonenſi Synodo ſiue ulla fuit reſtitutione damnatus. Cuius præſumptionem ob hoc potiſſimum ſancti Patres deteſtati ſunt, quia ponens os in cœlum, & lingua eius tranſeunte

ſuper

ſuper terram, inferiot maiorem, iniuriis laceſſere auſus eſt. Et hoc noſcens Concilii ſuiſſe ſtatutum, adhuc Conciliotum audes mentionem facere, nec revereris illorum pro minori culpa cenſuram. Miſerrimè Hominum, non te terruit Evangelica illa tuba, quod *qui ſcandalizauerit unum ex puſillis illis minimis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum.* Quod ſi ſcandalizandi unumquemque puſillum in Chriſtum credentem talem uindictam comminatur; qua ultione plectendus eris, qui totum corpus ſcandalizas Eccleſiæ, qui Eccleſiarum omnium Patrem & Paſtorem, hæreticum, garrulum, inſanum, & quicquid turpitudinis tuæ immunditiæque ſœtor ingerit, in illum cauſaris? Nec mirum quidem, quoniam non poteſt niſi ſpurce loqui, qui conſueuit ſpurca committere. Ex abundantia enim cordis os loquitur, & malus homo de malo cordis theſauro non poteſt niſi mala proferre. An vetò quanti ſacrilegii ſit Principi populi maledicere, ex lege diſcere non potuiſti? quæ maledictio æterna morte condemnat. Cuius uerba non modo in Romani, ſed omnium Epiſcoporum inunctione ſolemni, inter ipſa ſacra terribiliter intonantur, pronuntiante Epiſcopo & conformantibus cæteris: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixit, ipſe benedictionibus repleatur.* Quod ſi de probis non de reprobis Principibus ac Sacerdotibus dictum eſſe contendis, audias Paulum Apoſtolorum, qui cum iuſſu Principis Sacerdotum iniuſtè cæſus, illi diuinam ultionem precaretur, atque aſtantes dicerent: *ſummum Sacerdotem Dei maledicis?* mox territus lege diuina ſe purgans, ait: *Neſciebam, fratres, quia Princeps eſſet Sacerdotum. Scriptum eſt enim, Principem populi tui non maledices.* An forte iuſtè homini iniquo, ſacrilego, & contra legem agenti ſe maledixiſſe contendit, & non potius errati veniam petiit, & nefas Principi Sacerdotum maledicere legis auctoritate profeſſus eſt? Sed quid ego Paulum memoro? Ipſe Dominus noſter JEſus Chriſtus, ſummus Sacerdos, Rex & Judex, uſque ad paſſionis ſuæ diem non ſolùm bonis & piis, ſed etiam indignis & reprobis detulit Sacerdotibus: quamuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent. Ut enim alia omittamus, ipſe ſubditus paſſioni cum alapam accepiſſet, & ei diceretur, *ſic reſpondes Pontifici?* nihil contumelioſe in perſonam locutus eſt, quem ſciebat eſſe ſacrilegum, ſed magis innocentiam ſuam tutatus eſt, dicens: *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis?* Quod idem beato Cyptiano teſte & Canone atteſtante factum eſt, ut humilitatis & patientiæ ipſius haberemus exemplum. Docuit enim Sacerdotes ueros plenius honorandos, dum ipſe circa falſos talis extiterit. At verò Gregorius contra legem ſe afferens iniuſtè communione deiectum, non ſolùm in verba contumeliæ iniuriæque prorupit, ſed famoſum libellum totam ſcandalizantem Eccleſiam blaſphemans evomuit: nec illi ſatis eſt deliquiſſe, niſi de malitia gloriabundus exemplaria congteget, & publicè legenda diſpergat. Leges ciuiles, quarum ſe Profeſſorem uaniloquus temerator gloriatur, eum qui libellum famoſum in iniuriam alicuius ediderit, vel ab alio editum non cælauerit, capitali ſententia damnant. Et tamen audet leges appellare, qui tam ſacrilege committit in legem. Præuaricator legis legem attende, quoniam non in unumquemque priuatum, ſed Dei vicarium atque legatum gregis dominici directorem, Eccleſiarum omnium Patrem, ſed & miſeræ animæ tuæ & cunctorum fidelium Epiſcopum atque Paſtorem parricidali furore bacharis, lingua interficis, maledictis diſcerpis, blaſphemiis laceras, & quantum ad reatum tuum attinet, tanquam truculentus homicida transfodis ac iugulas. Homicidam rectè appellauerim: cùm ex Canone tria homicidiorum genera, & poenam eorum parilem cognoſcamus: inter quæ detractores linguis proximos confodientes conſtat eſſe deterrima. Impudentiſſime hominum, non te diuina terruerunt exempla, cùm legas Mariam ſororem Aaron, quæ prima poſt tranſitum maris rubri in tympano hymnum cantare meruerat, eò quod murmuraſſet in Moyſen, lepra fuiſſe percuſſam. Ecce tu non ſolùm murmuraſti, ſed publicè blaſphemaſti, certe non Moyſen, (qui & ipſe inter Sacerdotes inſcribitur, Pſalmiſta teſtante atque

que dicente. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius)* ſed Moyſe non merito, ſed auctoritate maiorem. Oziam audiſti pro eo, quod Sacerdotes contemnens ſacrorum præſumptor extiterit, ſimili plaga percuſſum eſſe. Bethleemiticos pueros ob deriſionem Prophetæ morte damnatos. Ecce autem plusquam Moyſes aut aliquis Prophetarum, quem tu impie blaſphemas, niſi forte mentitus ſit Bernhardus Doctor illuſtris, qui Eugenium Papam ad conſiderationem ſuæ auctoritatis adducens, atque oſtendens, qualem in Dei Eccleſia Romanus Pontifex perſonam gerat: *Attende, inquit, quis ſis, & quam videlicet pro tempore in Eccleſia Dei perſonam geras. Sacerdos magnus es, ſummus Pontifex, Princeps Epiſcoporum, tu heres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatione Noah, patriarchatu Abraham, ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt.* Hunc ergo perfidiſſime blaſphemare non veritus es: ſaltem illud conſideraſſes arcanum, quod in Epiſtola Clementis habetur, quæ aliàs Petri dicitur in ordinatione Clementis, cuius plurima in Decretis & Conciliorum geſtis propter auctoritatem habentur excerpta: ubi claviger regni cœleſtis Clementem ſibi ordinans ſucceſſorem, poſtquam illius Eccleſiaſtici Principatus miniſterium multis verbis extulerat, cunctos fideles quanta reuerentia illum obſeruare, quo timore reuereri quo affectu complecti deberent, admonuit. Ubi inter reliqua: *Vos, inquit, fratres & conſerui mei, huic, qui præſidet uobis, in omnibus obedire oportet, atque ſummo ſtudio niti, ut omni erga eum vinculo amoris innexi, pleniſſimo erga eum inhæreatis affectu. Rurſus ſi inimicus fuerit Clemens iſte alicui, pro actibus ſuis, nolite vos exſpectare, ut ipſe vobis dicat: Illi nolite amici eſſe, ſed prudenter obſeruare debetis, & voluntati eius absque eommonitione obſeeundare.* Et paulò poſt in tui ſimiles maledictionem terribilem comminatur, quæ tuæ iniquitatis merito iam interiora tua intrauit, ut ſubter te ſcateat: *Scientes*, inquit, *quod ſi quis hunc contriſtauerit, Chriſtum, qui ei credidit eathedram, non receipit; & tanquam qui Chriſtum non ſuſeepit, non ſuſcipietur in regnum eœlorum.* Et iterum terribilius inſonat: *Quicunque contriſtauerit Doctorem veritatis, peccat in Chriſtum, & patrem omnium exacerbat Deum, propter quod & vita carebit.* Hæc tu inde excerpta in Canonibus legere debuiſſes.

Verùm non uno tantùm blaſphemiæ ſacrilegio contentus, ne aliquid intentatum relinqueres, etiam in alterum Monarcham maledicta depromis, Cæſarem væcordiæ ignaviæque condemnas, ut utramque poteſtatem, quibus principaliter hic mundus regitur, blaſphemares, Senatum quoque Eccleſiæ, videlicet Cardinalium cœtum, tanquam Conſilii expertem & temerarium, tu totius orbis cenſor notas & arguis: in unum, contra quem commiſſum nefarium ſacrilegium defendis, plus cæteris debaccharis, & virum ſanctiſſimum, vita & religione, doctrina & integritate incomparabilem, Cardinalem S. Petri ad vincula, infamia conaris aſpergere. Et cùm nihil comperias, quo innocentiam vitæ etiam inimicis percognitam obfuſcare queas, tu omnium factioſiſſimus & procaciſſimus ipſum modo factionis, modo procacitatis accuſas. O linguam maledicam & radicitus præcidendam! Nonne licet cum Prophera clamare: *Diſperdat Dominus labia doloſa, & linguam magniloquam.* Nempe ex illis es, qui dixerunt: *Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt.* Quibus noſter Dominus verè inquit: Tu ex illis es inflatus ſenſu carnis, nullum in terris agnoſcens caput, qui ordinatas à Deo poteſtates blasphemare te putas impunè.

Cæterùm ne putes, me execrationibus blasphemiarum tuarum detrectare pugnam, & manum non audere conferre, vel tuos inextricabiles nodos non poſſe diſſoluere, ecce iam ad ſingula feſtinat oratio. Poſtquam noſter Demoſthenes altius quædam de vi conſilii experte ac moderata exorſus, caua verba in modum veſicarum tumentia buccis ebuccinauit inflatis, primum accuſationis caput intendit, queſtus *ſe contra diuinam & humanam legem non vocatum damnatum.* Quod indignum facinus eſſe proclamans exempla producit primi parentis & Cain, quo-

rum alter propter præuaricationem, alter propter homicidium non niſi vocati damnati fuere. Subdens ipſum Deum, cui aperta ſunt omnia, ut nos à præcipitante ſententiæ temeritate compeſceret, Sodomos prius petdere noluiſſe, quàm eorum ſcelera manifeſte cognoſceret. Sicque trifaria exemplorum compage, quaſi phalange quadam aciem ſtruit. Verùm nos invalidam ſtruem uno poſſemus arietis ictu concutere, & paria referendo exemplorum ſylvam obùcere. Sed ut ex mult:s pauca proferamus, Moyſen legimus comperto populi ſcelere, quod palam contra DEUM commiſſum erat, nulla accuſatione vel cognitione prævia vindicaſſe, & immane idololatriæ crimen plurima populi ſtrage expiaſſe. Phinees accepimus ultionem non præmiſſa ſententia, cùm agentes contra legem & edictum ante prolatum propria manu transfoderet. Nouimus, Heliam Sacerdotes Balaam prius ad ſupplicium quàm ad judicium produxiſſe. Eundem ſcimus, Ochoziæ Regis nuntios igne de cœlo impetrato cremaſſe. Par zelus in Scripturis Eleazari commendatur. Et ut ad recentiora veniamus, conſtat, Petrum Apoſtolorum Principem mox prolato mendacio Ananiam & Saphiram morte mulctaſſe. Paulum vero Coapoſtolum eius Cliniam magum reſiſtentem Spiritui ſancto ſubita coecitate damnaſſe. Et ut efficacius aliquid proferamus, Apoſtolus abſens corpore, ſpiritu præſens, Corinthium excommunicauit, tradens in interitum carnis, ut ſaluus fieret Spiritus, nullus adhibitus ſtrepitus fori, nullus judiciarius ordo, nulla tela judicii. Nunquid Prophetæ Domini, nunquid Apoſtoli perperam aliquid egerunt? Nunquid præcones legis legem transgreſſi ſunt, vel nuntii potuerunt his, quæ à Spiritu Sancto edocti erant, aduerſa docere? Sunt ergò iudicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa: quoniam ea quæ ulta & vindicata præſcripſimus, ita clara & aperta erant, ut ad tenorem cæterorum & ædificationem naſcentis Eccleſiæ plectenda magis quam diſcutienda viderentur. Hoc eſt quod Canones ſæpe proclamant, *Quod nota & manifeſta inquiſitione non indigent.* Talibus ſanctionibus referti ſunt Codices: & tu id ſimulas ignorare. Satis ad excommunicationem tuam Ambroſ. in Epiſtolæ Pauli ſufficiebat auctoritas, dicentis: *Licet judicis non ſit ſine accuſatione damnare, quia Dominus Judam cum fur eſſet, non eiecit: Apoſtolus tamen cognito Cerinthi opere, eum de cœtu fraternitatis eiecit. Omnes enim ſciebant, crimen eius, publicè nouercam loco uxoris habebat: in qua re nec opus erat teſtibus, nec aliqua tergiuerſatione tegi poterat crimen.* Vides quantum inter occultum, quale Judæ fuit, & manifeſtum quale Cerinthi, crimen interſit. An verò inficiari poteris crimen tuum non fuiſſe notorium? qui palam criminoſum & ſacrilegum Sigismundum in crimen confovebas, qui in eluſionem Eccleſiaſticæ diſtrictionis damnatam appellationem emiſeras, qui eam ipſam per urbes, oppida, plateas & vicos palam iactitabas. Nec verò calumnieris, id non permanentis facti fuiſſe notorium. Non enim diſtat evidentia facti ab eo, qui in publico opere, & quidem participatione continua criminis ſuum etiam reatum publicè confitetur, & (quod deterius eſt) Dæmonum imitando duritiem iure factum eſſe contendit, quod publicis ſanctionibus nouerit eſſe damnatum. Verùm ut intelligas te omninò non ſapere, & vix prima legum & Canonum rudimenta guſtaſſe, intellige quæ vel, omnino neſcis, vel te ſcire diſſimulas. Inter modernos veteresque juris interpretes fuit ſæpe tractatum, an in re notoria, de qua Canones, loquuntur, ſit præmittenda citatio? In quo quidem inter notorium & manifeſtum iuris, & notorium facti diſtinxerunt: Omnes tamen in eam ſententiam conueniunt, ut ſi tale ſit factum & tam manifeſtum, ut nulla ad eius probationem indagine opus eſſe videatur, nec poſſit aliqua tergiverſatione cælari, contra quod nec ulla competere poſſit defenſio, quia id criminoſus agat, quod iam conſtat eſſe damnatum, nullam exigi citationem. Pro quo expreſſi Canones allegantur, quos tu niſi inſcitiam tuam fateri volueris, ipſe comperies. Rurſus & id conuenit inter eos, quod ubi apud iudicem & in iudicis conſpectu delinquitur, poteſt is quidem id mox damnare, ac plectere delinquentem minimè citatum. At in te quis negare poteſt utrumque concurrere, qui non ſolùm factum dam-

damnatum vetitæ appellationis palam admiſeras, verùm in iudicem & iudicis præſentiam plus quàm notoriè deliqueras; qui in Pontificis curia funeſtas ſchedulas appellationum in baſilicarum foribus platearumque porticibus appendi curaveras?

Verùm ne tibi inter opinionum varietatem contentionis relinquatur occaſio, aliud tuæ garrulitati reſponſum opponamus, quod te ſcio toruo oculo & elato ſupercilio auditurum. Diſce miſer, inter principalem & priuatum multum diſtare judicandi poteſtatem. Formam iudiciorum cæteris eſſe præfixam, ad temeraria coërcenda iudicia. Principem verò legibus ſolutum formæ non ſubiici: atque proinde quicquid cenſeatur in aliis, tamen liberè atque intrepidè confitendum proceſſum atque ſententiam Pontificis ſummi in notoriis absque citatione valere, præſertim ubi notorietas ipſa reſurgit ex his, quæ acta ſunt coram eo. Hæc non noſtra, ſed probatiſſimorum Jurisconſultorum verba ſunt, quorum in ſcholis & iudiciis grauiſſima fuit auctoritas atque ſententia. Attende ſimile aliquid in iure ſcripto, reperies teſtamentum, quod exactam ſcrupuloſamque ſolemnitatem exigit, ex Principis præſentia ſine ulla obſeruatione vires aſſumere, propter principalem præſentiam cuncta ſupplentem, quæ formæ à lege introductæ non ſubditur. Ex hac quidem auctoritate Gelaſius Papa Silla nos in ius non vocatos, ob notorium proprii antiſtitis parricidium damnauit. Innocentius III. electionem Philippi ad imperium, Henrici perſecutoris Eccleſiæ ſtirpe progeniti, licet non citati, ob notorium defectum jure dicit improbatam. Innocentius IV. Clericos, qui Friderico fatali Eccleſiæ hoſti adhæſerant. Clemens IV. auctores cædis Silvani Epiſcopi, & idem eos, qui Conradino paruerunt, anathematis mucrone & temporalium mulctatione damnauit: ſicut nos vel ex Canonibus, vel ex Pontificum geſtis agnouimus, quæ ſi quis curioſius perſcrutetur, exempla plura reperiet. Scio te inclamaturum, & more, quo ſoles cuncta cenſere, dicturum, *ad adulationem Pontificum iſta præſcripta.* Verùm quis loquacitati tuæ plura tribuet, quàm probatiſſimis Juris conſultis?

At nunc miſſa omnia priora faciamus. Tu qui tibi utriusque iuris vendicas principatum, tuam aliquando inſcitiam (ne dicam ruditatem) agnoſce, atque intellige, te ariſtas tantùm in ſtudiis meſſuiſſe. Nonne intelligis permagni referre, an de crimine contra quempiam inquiratur, ut damnetur, vel tantum declaretur, aliquem ſub facto damnatum in pœnam à jure aut ſtatuto promulgatam incidiſſe. Non enim aliquid noui facit, qui declarat, non damnat, non pronuntiat, ſed aliquem in pœnam iam legis conſtitutione irrogatam incidiſſe denuntiat. In quo caſu conſtat, non exigi citationem, cùm non ſententiam ferre, ſed magis ſententiam à iure latam iudex exequi videatur. Quod usque adeo tenuere Doctores, ut cenſuerint excommunicatum ſiue monitioni ſubditum eo caſu, quo à jure vel ſtatuto excommunicatus apparet, non incurrere pœnam à Canonibus infli ctam. Hoc iuris interpretes conſtanter affirmant: quos ſi forte non legeris, tuam ignorantiam fateare; ſi verò legiſti, dolum atque perfidiam confiteri neceſſe eſt, qui generalibus vulgatisque etiam apud pueros diuini teſtimonii exemplis odium & inuidiam Romano Pontifici concitare voluiſti. Jam igitur obtrectator abſolue te ab hoc nexu, ſi potes. Pridem fuerat generali conſtitutione ſancitum, & quidem æquiſſimè, ut infra ſubdemus: *Ne quis in eluſionem eccleſiaſticæ cenſuræ ad futurum Concilium, ſub pœna anathematis & læſæ Maieſtatis, appellaret.* Appellaſti, & quidem notoriè, & appellationem etiam palam non tam inſinuare quam inculcare curaſti. Declarat te Pontifex pro eo, quòd damnatum iam facinus admiſiſti, in ſpirituales ac temporales pœnas à lege inflictas incidiſſe. Quid habes, quod conqueraris? quid quod deteſteris, quid quod inclames diuina & humana iura violata? te non citatum, ob illa quæ non ſolùm publicè confiteris, ſed tumentibus buccis in cœtu Principum te feciſſe gloriaris. Satis ſuperque, ſatis te blaſphemiæ & procacitatis arguimus, & obiectam diuini iuris violati calumniam confutauimus utriusque Teſtamenti exemplis. Oſtendimus facinoroſos homines pro manifeſtis criminibus ſine ullo iudiciario ordine potuiſſe damnari. & probaui-

mus, delictum tuum omnibus fuiſſe notorium in conſpectu ſummi iudicis & contemptum Apoſtolicæ Maieſtatis admiſſum: ab eo prolatum eſſe iudicium, qui ſupra ius conſtitutus iuris ordini & formæ non ſubditur. Poſtremò, non ab homine neque per hominem, ſed ex lege & per legem, merito tuæ iniquitatis te fuiſſe damnatum. Supereſt, ut reliquas inuectiuarum tuarum partes percurrentes, non ſolùm procacem te atque maledicum, ſed etiam hæreticum & infidelem, ex ipſis tuis ſermonibus conuincamus.

Proſequamur igitur reliqua, & ne nos carpendi ſtudio aliquid confingere ſuſpicetur, ipſâ prout locutus es, verba proponamus. *Quam tenuem*, inquit, *telam exorſus, quam debilem texit rationem, quæſo videte. Saluator*, inquit, *noſter Petrum Apoſtolorum principem ad gubernationem Eccleſiæ ſubſtituit, &c. Quis ignorat omnibus Apoſtolis à JEſu eſſe præceptum, ut eant in orbem prædicaturi fidem, baptismum & ſalutem? Quis neſcit paſſim omnibus eſſe promiſſum, ligatum in cœlis quod ipſi ligarent in terris, & ſolutum eſſe quod ſoluerent. Sed quod Cephæ ſingulariter dictum eſt, Tibi dabo claves cœlorum, hoc ait Hieronymus eſſe factum, ut ſchismatis tolleretur occaſio.* Et Ambroſius in ſuo Paſtorali dicit: *Quod ne dum Petro trina rogatione interrogato, an amaret, ac trina reſponſione ſubſequente, amare ſe teſte ipſo interrogatore JEſu, traditas ſibi eſſe claves, ſed omnibus ipſis contraditas, Apoſtolosque poſt aſcenſionem Domini conueniſſe, ac Petrum ſibi Principem conſtituiſſe, & Antiochiæ in cathedra collocaſſe referuntur. Nihil tamen de poteſtate uniuerſis Apoſtolis à Saluatore data, ipſorum omnium uniuerſali miſſione diminuerunt. Ergo & hodie exorat Eccleſia Catholica, ſeſe per Apoſtolos ipſos continua protectione cuſtodiri, quos Saluator ipſe vicarios tanti operis conſtituit præeſſe Paſtores. Horum legitimos ſucceſſores conſtat eſſe uniuerſalia Concilia, Chriſtianæ fidei fundamenta, quæ Pontificum actiones pro tempore ſaluberrimis doctrinis inſtruxerunt, errores emendarunt. De quibus ſummus ille Pontifex Gregorius ſcribit: Quisquis illa deſtruere tentaret, ſeipſum deſtruit. Sed quorſum hæc? Eo certè pertingunt, ut conuellatur illa ſuperſtitio, in qua Pius Papæ factionibus Cardinalis Cuſani aſtruit, Concilium ſupra Papam non eſſe, dum dicit, (ut eius verbis utar) ad futurum Concilium appellari non poſſe, quod ſupra Chriſti vicarium eſſe nequit. Videte ergò quam vim conſilii exſortem Papa inferre tentauit. Nam ſi omnes Apoſtoli ſunt miſſi à Domino JEſu, dicente illis; ite in orbem, quodcunque ligaueritis &c. quos conſtat poſtea conciliariter congregatos, ac ipſum Cephan in meſſem Domini miſiſſe, quis dubitat Concilia ſacra vicem Chriſti gerere, quæ cœtui Apoſtolico ſucceſſiſſe comprobantur, ſiquidem orbis maior eſt urbe.* Hæc ſunt illius portenta verborum. Miror profectò, cùm apud Aurelium Auguſtinum legerim, nullam falſam eſſe doctrinam, quæ non aliqua vera permiſceat, Gregorium in tantam prolapſum eſſe væſaniam, ut breui verborum ſerie pene quaſi plura expreſſerit vitia, quàm verba: ſicut quisque facile percipere poteſt. In ipſo námque ſermonis huius exordio pariter Apoſtolis Eccleſiam fuiſſe commiſſam, ex miſſionis, Baptismi ac prædicationis communione coniectat, ipſosque in traditione clauium parem poteſtatem accepiſſe profitetur. Tum verò ob hoc uni ſingulariter claues eſſe permiſſas, ut ſchismatis tollatur occaſio, Apoſtolum Petrum apoſtolica & humana inſtitutione Cathedram & prælationem accepiſſe. Et ne dubium relinqueretur ex præmiſſis, primatum Petri negaſſe, etiam veterum hæreticorum ab arcanis usque depromptum de miſſione Petri argumentum inducit, innuens maiorem miſſo eſſe mittentem. Inde transuolans ad alia, ut quem ſingulis æquauerat Apoſtolis, in unum collectis oſtenderet fuiſſe minorem, uniuerſalia Concilia (ut ineptiis ſuis utar) Apoſtolorum dicit legitimos ſucceſſores. Quorum auctoritatem extollens tria planè infert ridicula: Concilia Chriſtianæ fidei fundamenta, Pontificum actiones inſtruxiſſe, & errata correxiſſe, eadem vicem Chriſti gerere, & ab illo poteſtatem accipere, ac propterea Petro illiusque ſucceſſoribus ſuperiora eſſe contendit.

Sequamur ordinem propoſitionum ſuarum, veniam (ut opinamur) à legentibus impetraturi, ſi paulò altius principia repetentes, ſermonem longius protendamus.

mus. Neceſſe eſt enim, ut vana procacitas, quæ ſibi non legum tantùm & Canonum, ſed omnium diuinarum atque humanarum rerum arrogat ſapientiam, non diuinis ſolum atque humanis teſtimoniis, ſed ex ipſis quoque naturæ principiis reuincatur, ut iuxta Apoſtolum ſe euanuiſſe in cogitationibus ſuis & obſeruatum inſipiens eor eius agnoſcat, qui cum dixerit ſe ſapientem, ſtultum ſe factum intelligat. Credere te Gregori arbitramur, Eccleſiam Chriſti, quæ in hoc mundo peregrinatur ex fide uiuens, aliquo ordine eſſe diſtinctam, utpote ab eo conſtitutam, cuius perfecta ſunt opera, quique hanc legem naturæ indidit, ut infima ſummis, ſumma infimis per media copulentur, qui otdinem cœlis ac terris dedit. Nam cum dicat Apoſtolus; *Quæ à Deo ſunt eſſe ordinata*, aut Eccleſiam ex Deo non eſſe, aut ab illo ordinatam eſſe oportet: præſertim cùm illam Spiritus ſanctus vocet in Canticis, *Caſtrorum aciem ordinatam*, & ſuperiori Hierarchiæ dicatur exemplata diuinitus, in qua (ut ſcribit Gregorius,) cœleſtium militiarum exempla nos inſtruunt. Quia dum ſunt Angeli & Archangeli, liquet non eſſe æquales, ſed ordine & poteſtate diſcretos. Nec enim uniuerſitas poſſet alia ratione ſubſiſtere, niſi huiusmodi magnus eam talis, qua totum corpus ſanum ſit, & quæque organa ſuis fungantur officiis, differentiæ ordo ſeruaret. Porro ſi ordinem non diffiteris, magis ex naturæ ptincipiis, quibus tamen pet omnia non in uno ſolo, quod præoptas, non ſolum ex diuina inſtitutione, ſed ex ipſis quoque naturæ principiis, cuiusuis politiæ recto regimine unum caput, unius eccleſiaſtici eorporis, unum Principem ſanctæ ciuitatis, unum Monarcham eccleſiaſticæ Hieratchiæ, unum Paſtorem dominici gregis atque ovilis in terris fateare neceſſe eſt. Nam cum omnis ordo ſit multorum in gradibus differentium, & id ipſum ſit ſecundum prælationem & ſubiectionem, ad unum tantum deueniri neceſſe eſt, in quo finis ſtatusque conſiſtat, ut euitetur infinitas: quem ſupremum in Eccleſia Principem atque Rectorem eſſe conſtat, in quo & ex quo totius Eccleſiæ poteſtas & ſtatus. Ubi enim unitas, ibi perfectio: reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſiones ab unitate recedentes. Porro ut Aurelius Auguſt: ait, *Multis præponitur unum. Non enim à multis unum, ſed multa ab uno.* Cæterum nemo tam iniquus exiſtimatot eſſe poteſt, ut regimen Eccleſiæ minus ordinatum eſſe credat, quàm naturæ: cùm gratia ſupergrediatur ſuperetque naturam. Quod ſi in his, quæ à natura ſunt, omne regimen naturale ad unum dirigitur principale, quod regit, ut in corpore multa membra uarietate compacta unius eapitis ſumunt influxum, & de fonte uno riui plurimi defluunt, & multi arboris rami ad unum ſtipitem reducuntur, & multi ſtipites una radice figuntur, & inferioris eorporis motus uno primo mobili mouetur & regitur, quis non credat, Eccleſiam diuerſis gradibus in unum Chriſti corpus unitam, uno in terris capite gubernari? Præſertim cùm dicat Propheta: *Congregabuntur filii Judæ & filii Iſraël pariter, ut ponant ſibi caput unum.* Probat autem ratio finis, qui pax eſt, & unitas ſubditorum, quæ quidem niſi ab uno & per unum conſiſtere rectè non poſſet. Ad hoc enim diuina prouidentia gradus & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut ex reuerentia inferioris ad eaput, vera concordia fieret, & ex diuerſitate contextio, & rectè officiorum gererctur adminiſtratio ſingulorum. Quod etiam Philoſophorum Princeps in Metaphyſicis recognouit, dicens: *Entia nolle male diſponi. Pluralitatem principatuum malam.* Neceſſario igitur unum Principem eſſe, fatendum. *Natura enim principiorum amat ſingularitatem*, ut beatus Auguſtinus ait: Ita ut ipſius ſingularis principatus bonum etiam quibusdam ingerat animantibus, ut in apibus unus principetur. Et ſicut beatus quoque Hieronymus ait, grues unam ſequuntur ordine literario. Hoc nobis repræſentat ad Moyſen de figura cœleſtis hierarchiæ diuina præceptio dicens: *Omnia fac ſecundum exemplar tibi in monte monſtratum.* Et viſio Ioannis in Apocalypſi reuelata, qui ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam deſcendentem de cœlo ſe vidiſſe perhibuit: quam figuram clarus ille Doctor, Claræuallis Abbas eximius Bernardus exponit, dicens: *Non vilis putanda eſt forma terreſtris Hieruſalem, quæ formam habet à cœlo, ut ſicut*

ibi Seraphin & Cherubin & cæteri ordines ſub uno capite Deo, ita & hic Patriarchæ, Archiepiſcopi & reliqui ſub uno ſummo Pontifice. Hoc denique ratio unitatis inſinuat, ut unius corporis unum caput neceſſariò prædicetur. Nam ſi ſecundùm Apoſtolum unum corpus multi ſumus, & unam eſſe Eccleſiam Spiritus ſancti in Canticis, conſequens eſt, quod beatus ac facundiſſimus Martyr Cyprianus ait, cuius verba tuam de patilitate Apoſtolorum hæreſin transfodiunt atque confundunt: Inquit Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Super unum ædificabo Eccleſiam. Et quamuis omnibus Apoſtolis poſt reſurrectionem parem poteſtatem tribuat, dicens: Sicut me miſit Pater, & ego mitto uos, accipite Spiritum ſanctum. Tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.* Et poſt pauca: *Exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una monſtretur, quoniam unam Eccleſiam Spiritus ſanctus in Cantico Canticorum ex perſona Chriſti deſignat, & dicit: Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matris ſuæ filia, electa genitricis.* Hoc denique Chriſti inſtitutio nobis inſinuat, qui velut paſtor bonus oves errantes collecturus aduenerat, & unitatem nobis oſtendens de diuina auctoritate venientem, ait: *Ego & Pater* ſecundum diuinitatem *unum ſumus.* Ad quam unitatem redigens Eccleſiam ſuam, dicit: *Erit unum ouile & unus paſtor.* Qui cum in tantum dilexiſſet Eccleſiam, ut propter nimiam charitatem ſanguinem ſuum profuderit, nusquam putandus eſt illi in neceſſariis defuiſſe. Cum & de Synagoga per Iſaiam ipſe prædixerit: *Quid ultra facere debui vineæ meæ, & non feci?* de fuiſſet utique, ſi aſcenſurus ad Patrem, & corporalem præſentiam ſuis fidelibus ſubtracturus aliquem non ſubſtituiſſet, qui vice ſua uniuerſali Eccleſiæ præſideret, & cum illa viſibiliter verſaretur, ac uniuerſa Rectoris impleret officia. Ne ergo ullo munere illi deeſſet, ipſius curam Apoſtolorum Principi Petro commiſit, qui ſuæ fidei ſtabilitate cæteros in Chriſtiana religione firmaret. Propter quod illum ante paſſionem gregem ſibi commendans: *Paſce, inquit, oues meas.* Quæ uerba exponens Bernhardus præclarus Doctor Eccleſiæ, in opere inſigni, quod ad Eugenium Papam de conſideratione conſcripſit: *Sunt inquit, quidem & alii cœlipatores, & gregum paſtores: ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi uniuerſi aſſignantur. Nec modo ouium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor. Unde probem quæris? Si me amas, Petre, paſce oues meas. Quas? Illius vel illuius populi, ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum eſt, non deſignaſſe aliquas, ſed deſignaſſe omnes. Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes & cæteri diſcipuli erant, cum committens uni unitatem omnibus commendaret in uno grege & uno paſtore, ſecundum illud: Una eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio.* Et poſt pauca: *Inde eſt, quod alii ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes Sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ, una contentus eſt Hieroſolyma, Petro uniuerſitatem eredens. Pulchrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen fratris defuncti, ubi occiſus eſt ille: nam dictus eſt frater Domini. Petro cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogativæ? Ergo (juxta Canones tuos) alii in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem vocatus es poteſtatis. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui ſuper alios poteſtatem acceperunt.* Audis igitur, quæ Doctor eximius loquitur, ex quo diſcere potuiſti, Petri poteſtatem à cæteris Apoſtolis & uniuerſitate & prælatione diſcretam: cùm illi ſingulis, iſte uniuerſis plebibus & ipſis quoque Apoſtolis, (quos ex ovibus Chriſti, & Petro commendatas fuiſſe nemo ambigit, prælatus extiterit. Scio te frontem contracturum, & (ſicut aſſoles) nos Horatiano ſale deciſurum atque dicturum: *Troianum gemino bellum ordiris ab ovo.*

Sed tua nos coëgit impudentia, qui coruſcante Evangelio, & totiens in conſortibus tuis damnatis hæreticis, ſingularem Petri in uniuerſalem Eccleſiam poteſtatem diffitentibus, tu eandem palam ingerere & refutare curaſti. Audi igitur vel inuitus, quos prædictus Doctor ex Evangelio typos annectit, quos recenſendos

ſendos exiſtimo, quo magis confutetur tua inſania. Accipe, (inquam) illud, quod nihil ominus id ipſum confirmatur. *Diſcipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore, quodque jucundius erat in corpore rediuiuo. Scieus Petrus quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, aliis nauigio peruenientibus. Quid iſtud? Nempe ſignum ſingulorum Pontificatus Petri, per quod non nauim unam, ut cæteri quisque ſuam, ſed ſeculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſeculum, & naves Eccleſiæ. Inde eſt, quum altera vice inſtar Domini gradientis ſuper aquas, unicum ſe Chriſti vicarium deſignauit, qui non uni populo, ſed cunctis præeſſe debet. Siquidem aquæ multæ populi multi. Ita cum quisque cæterorum habeat ſuam, tibi una commiſſa eſt grandiſſima nauis, facta ex omnibus ipſa uniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa.*

Cum igitur ſuperiorum omnium ratio deducta concludat ſingularem Petri in uniuerſalem Eccleſiam poteſtatem, quæ & in naturis oſtenditur, in cœlo exemplificatur, in operibus typicè demonſtratur, & in toto corpore myſtico obſeruatur, & in lege diuina ac Euangelio commendatur: Tu tamen, uirorum acutiſſime, auſus es quibusdam uerborum ſtrophis illam parilem cæteris Apoſtolis iudicare, atque ex humana magis quam diuina inſtitutione, vel ab Apoſtolis ſine imminutione propriæ poteſtatis, vel conſenſu Eccleſiæ in remedium ſchismatis, attributam aſſerere: illud in tui erroris argumentum adducens, *quod cæteris quoque Apoſtolis claues*, (ut tuis utar uerbis) *contraditæ fuerint.* Ad quod licet per ſuperiora monſtrauerim, ita reliquis traditas claues, ut tamen Petro præ omnibus, & pro omnibus ante tradiderit, ita à ſe petra Petri nomen indicens, & in illo huius muneris Sacramentum imponens, ut non niſi per Petrum uelut à capite in eos ſit deriuata poteſtas, eaque non uniuerſaliter ſed certis coartata limitibus, trium tamen ſanctorum Patrum ſuper ea re viſum eſt tibi explicare ſententias, ut eorum mentes ædificent, quos forte verborum tuorum virus infecit. Poſſemus quidem infinita congetere; ſed eui pauca non ſufficiunt, nec multa proficiunt. Primus igitur excitetur beatus Martyr Anacletus, vicinus Apoſtolorum, atque ipſius Petri ſucceſſor: qui tuæ reſpondens inſaniæ, in decretali Epiſtola ita præfatur: *Sacroſancta Romana Eccleſia & Apoſtolica, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Saluatore primatum obtinuit, ſicut beato Apoſtolo dixit: Tu es Petrus.* Et poſt aliqua: *Inter beatos Apoſtolos quædam fuit diſcretio poteſtatis, & licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen conceſſum eſt à Domino, & ipſi inter ſe voluerunt id ipſum, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis, & Cephas, id eſt, caput & principium teneret Apoſtolatus.* Exſurgat & Canonis lator, veritatis præco, Leo Papa in Canone dicens: *Ita Dominus noſter JEſus Chriſtus humani generis Saluator inſtituit, ut veritas, quæ antea legis & Prophetarum præconio continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem uniuerſitatis exiret, ſicut ſcriptum eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum. Sed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, ut in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummum principatum collocaret, ut ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, ut exſortem ſe miniſterii intelligeret eſſe diuini, qui auſus fuiſſet à Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium individuæ unitatis aſſumtum, quod erat ipſe, Dominus voluit nominari, dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri ſoliditate exiſteret, hanc Eccleſiam ſua etiam corroborans firmitate, ut illam nec humana temeritas poſſet appetere, nec portæ inferi contra illam prævalerent.* Et continuo, quaſi Gregorium hæreticum & blaſphemum ſpiritu prævidens, adiecit: *Verum hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem Deo (ut diximus) ædificante conſtructam, nimis impia vult præſumptione violare, quisquis eius poteſtatem tentat infringere, id quod accepit à veteribus non ſequendo.* Clangat nunc tuba Euangelii, tuba (inquam) ſacerdotalis, qua clangente ſicut olim muri Hiericho, ita Neſtoriana atque Eutychiana propugnacula corruerunt. Magnus ille Leo, quem Chalcedonenſis Synodus columnam fidei, Oecumenicum atque Apoſtolicum acclamauit, cuius auctoritati Canon tan-

tantum attribuit, ut ſi quis eius dicta usque ad iotam ſcrutari voluerit, & non in omnibus reuerentet receperit, anathema ſit: is ergo in ſermone de ordinatione ſua, de primatu Petri ſic loquitur: *Utile ac dignum eſt, ad beatiſſimi Apoſtoli Petri gloriam contemplandam aciem mentis attollere, qui ab ipſo omnium Chrismatum fonte tam copioſis eſt irrigationibus inundatus, ut cum multa ſolus acceperit, nihil in quenquam ſine illius participatione tranſierit.* Et iterum in eadem: *De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & uniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ partibus præponatur; vt quamuis in populo DEI multi Sacerdotes ſunt, multique Paſtores, omnes tamen regat Petrus, quos principaliter regit Chriſtus. Magnum & mirabile huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio, ut ſic quod cum eo commune cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicunque aliis non negauit.* Et poſt pauca: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus: hoc eſt, ſicut tibi Pater meus manifeſtauit diuinitatem meam, ita & ego tibi notam facio excellentiam tuam, quia tu es Petrus, id eſt, cum ego ſim immobilis petra, ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum præter quod nemo poteſt aliud ponere: tum tu quoque petra es, quia mea virtute ſolidaris, ut quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi participatione communia.* Et alibi: *Tibi dabo claues regni cœlorum, & quæcunque ligaueris &c. Tranſiuit quidem & in alios Apoſtolos ius poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti hujus conſtitutio commigrauit. Sed non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro ideò ſingulariter hoc creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma proponitur.* Quid ergò hoc teſtimonio firmius, quid hac aſſertione ſtabilius eſſe poteſt? Et poſt hæc tanta teſtimonia non erubeſcit inſaniens, paritatem in Apoſtolis poteſtatis atque jurisdictionis aſſerere, & in augmentum ſui erroris etiam impia veterum hæretieorum argumenta non veretur congerere. Sic enim in ſuperioribus dixit: *Apoſtolos conciliariter congregatos, & ipſum Cepham in meſſem Domini transmiſiſſe,* quaſi ſuperioritatem ex miſſionis authoritate pronuntians. Hoc idem pronuntians argumentabatur impius Arrius, adſtruens in diuinis perſonis inæqualitatem ſubeſſe, pro eo quod *Filius & Spiritus ſanctus mitti* dicuntur. Ignorabat quippe, quod tu quoque ignoras, aut ignorare te ſimulas, triplicem miſſionis modum, vel ſecundum authoritatis imperium, ptout Dominus ſeruum emittit, vel ſecundum originem, prout florem arbor producit (ex quo ſenſu *miſſio* licet ſublimius atque ineffabilius dicitur in diuinis) vel ſecundum conſilium, prout Conſiliarii Regem mittere dicuntur ad bellum, cùm tamen cunctorum ipſe ſit Dominus. Adücere nos poſſumus miſſionem ſecundum amotem. His duobus extremis modis Samariam ab Apoſtolis miſſus eſt Petrus, conſilio quidem illorum atque ſuaſu, & amore eorum, ad quos mittebatur impulſus, cùm inter Apoſtolos maiori auctoritate atque miraculorum gratia eoruſcaret. Hæc quidem dicimus damnantes ſermones tuos: neque enim aliam Petri in meſſem Domini legimus miſſionem. Nam ſi forte Romam Petrum ex Antiochia à reliquis Apoſtolis aſſetis transmiſſum fuiſſe, quam te continuo mendacii falſitatisque conuincat Euſebius Cæſarienſis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptor illuſtris, Marcellus Papa ac Martyr inſignis, & magnus ille Leo vir authoritatis incomparabilis qui diuina reuelatione & Dei inſtinctu ad oppugnandum Simonem Magum teſtantur eſſe profectum. Sic namque ſecundo Eceleſiaſticæ hiſtoriæ libro teſtatur: *In ipſis Claudii temporibus diuinam clementiam probatiſſimum omnium Apoſtolorum, & maximum fidei magnificentia meritoque virtutis Principem, Petrum ad urbem Romam velut aduerſum humani generis perniciem communem deduxiſſe.* Marcellus quoque beatiſſimus, ſcribens uniuerſis Epiſcopis per Antiochiæ conſtitutis pronunciam, in hæc verba conſentit? *Rogamus vos dilectiſſimi, ut non aliud doceatis, quàm quod à beato Petro & à reliquis Apoſtolis accepiſtis. Ipſe enim eſt caput totius Eccleſiæ, cuius ſedes primitus apud vos fuit, qua poſtea iubente Domino Romam translata eſt.* Leo quoque ad Petrum dirigens ſermonem ita teſtatur: *Jam Antiochenam Eccleſiam (ubi primum Chriſtiani nominis dignitas exorta) fundaueras, iam Ponrum, Galatiam, Cappadociam, Aſiam atque Bithyniam legibus Euangelica pradicationis*

cationis impleueras. Nec aut dubius de prouentu operum, aut de ſpatio tuæ ignarus ætatis, trophæum crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas. Quodque diuinis præparationibus anteibant & honor poteſtatis & gloria paſſionis, meritò dixit, *diuina præordinatione id ante fuiſſe ſtatutum*, in quantum per Iſaiam antea fuerat prophetatum, urbem Romam orbis caput iugo Chriſti per Apoſtolorum Petri & Pauli prædicationem ſubigendam. Sic enim prophetauerat: *Ciuitatem ſublimem humiliabit & conculcabit eam pes pauperum*, ſcilicet Chriſti, *& egenorum*, id eſt Apoſtolorum Petri & Pauli, ut ſacri expoſuère Doctores. Cui ſententiæ adſtipulatur & beatus Ambroſius Doctor, diuinitus inſtitutum fuiſſe confirmans, *ut in urbe Romana, quæ caput obtinet Nationum, uno die & ſub uno perſecutore Apoſtolorum Principes paterentur, & ubi erat caput ſuperſtitionis, illic caput quieſceret Sanctitatis: & ubi gentilium principes habitabant, illic Eccleſiæ principes morarentur.*

Vides ergo, qui aliis obiiciebas, *tenuem telam eſſe contextam*, te nec tenuem quidem vaniſſimis argumentationibus texere potuiſſe, ſed cùm ad huc ordiretur, præciſam eſſe. Somniaſti namque Petrum conciliariter fuiſſe transmiſſum: eum in Apoſtolico Concilio Petrus primus ſententiam tuliſſe legatur: nec ipſum ab Apoſtolis & ſenioribus tunc convenientibus Antiochiam miſſum, ſed Barnabam & Sillam ſacra Apoſtolorum actuum teſtetur hiſtoria. Ex Chryſippi aut Theophraſti te credo acumine argumenta talia mutuatum: ex quo genere illud dici poteſt, ut arguas Eccleſiam non uni capiti, ſed omnibus pariter Apoſtolis fuiſſe commiſſam, pro eo quod *hodie usque oret Eccleſia, eorum protectione defendi.* Quod ſi ita eſt, nullum ordinem manſionum, nullam graduum differentiam arguamus in cœlis: cùm Eccleſia per ſingulas horas in communi commemoratione Dominum deprecetur, ut *quorum merita recolit, eorum ſentiat patrocinia.* Ergò iam ſtella à ſtella non differet in claritate, & falſa diuerſitas manſionum in cœlo in Euangelio repromittitur. Illud verò qualis impudentiæ? ut beatum Petrum ab Apoſtolis Principem conſtitutum ſine propriæ imminutione poteſtatis aſſeueret, ex ipſo conſtitutionis verbo Petri primatum ex Apoſtolica magis quàm diuina inſtitutione manaſſe ſignificat? ac ſi coetus aliquis aut collegium Prælatum ſibi præficeret. Improbiſſimè hæreticorum, quis iſta te docuit? Cùm omnes verè Euangelii textus Apoſtolorum electione, inter quos Petrus non vocatione, ſed dignitate dictus eſt primus, usque ad aſcenſum Domini Saluatoris, Petri principatum aut promiſſum, aut figuratum, aut redditum eloquatur, ubi omnium cura immediate committitur, *Paſce oues meas.* Quo verbo, ut beatus Chryſoſtomus ſcribit, ſignanter expreſſit, *Loco mei præpoſitus, & caput eſto fratrum tuorum.* Nonne hæreſin tuam diſertiſſime Nicolaus confutat in Canone dicens: *Non qualibet terrena ſapientia, ſed illud verbum, quo conſtructum eſt cœlum & terra, per quod omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam, cuius priuilegium ab ipſo ſummo capite Eccleſiarum traditum, qui auferre conatur, hic procul dubio in hæreſin labitur.* Et eadem de Conciliis, à quibus quidam temere prælationem Eccleſiæ Romanæ conceſſam aſſeuerabant, teſtatur beatus Pelagius dicens: *Quamuis uniuerſa per orbem Catholice inſtituta Eccleſia unius thalamus Chriſti ſunt, tamen ſancta Romana Eccleſia Catholica Apoſtolica nullis Synodici conſtitutis cæteris Eccleſiis prælata eſt, ſed Euangelica voce Domini & Saluatoris primatum obtinuit.*

Patet igitur, Apoſtolos non inſtituiſſe Petri primatum, ſed Dominicæ atque Evangelicæ inſtitutionis, quam noverant executos, illi humiliter detuliſſe. Sicut beatus Anacletus in Canone, *Licet*, inquit, *omnes eſſent Apoſtoli Petro tamen conceſſum eſt à Domino, & ipſi inter ſe voluerunt id ipſum, ut reliquis omnibus præeſſet Apoſtolis.* Notandum verò, quam fallaciter beati Hieronymi teſtimonium inducat, ut aſſerat uni ad ſchiſma ſubmovendum ſingulariter claues Eccleſiæ permiſſas, id eſt, quaſi hæc ſola fuerit diuini altitudo conſilii, Petrum præficere, ut ſcandala ſubmoueret. Non illi ſatis eſt hæreticum eſſe, niſi probatiſſimo omnium Catholicorum tractatorum ſimilem notam, infligat. Audi, miſer, quid Hieronymus ſentiat,

hoc nempe quod cæteri, & quod ex illius auctoritate Gloſſa ordinaria ſcribit ſuper Matthæum : *Specialiter Petro claves conceſſit, ut ad unitatem nos inuitaret. Ideò enim Principem Apoſtolorum conſtituit, ut Eccleſia haberet unum principalem Chriſti vicarium, ad quem diverſa Chriſti membra recurrerent, ſi fortè inter ſe diſſentirent. Quod ſi diverſa forent in Eccleſia capita, unitatis vincula rumperentur.* Nonne & tibi videtur, & unitatis cauſam, & fidei conuenientiam, & in vicariatu Chriſti plenitudinem poteſtatis & myſtici corporis caput contra caput ſchiſmatis breui verborum ſerie coniunxiſſe? Si id tibi non ſufficit, & Hieronymi de primatu Petri vis plenius noſſe ſententiam, ex aliis mutuare codicibus. Sed videbis in Commentariis ſuper Matthæum dicentem ; *Simonem propter fidem in petram Chriſtum, Petri ſortitum eſſe vocabulum : ac ſecundum metaphorum illi dictum, Ædificabo Eccleſiam meam : in quo manifeſtè primatus ipſius ſuper totam Eccleſiam deſignatur.* Intuere eundem ſcribentem ad Terentium, de vera circumciſione, & Noui Teſtamenti Patres Patribus veteribus comparantem, Petrum Apoſtolum Abrahæ præferentem, ut *ſicut illi generatio larga promittitur, ita huic generatio paſcenda traditur, & cum ab illo iuſtificando procedant, in hoc iuſtificato fundantur.* Et multa percurrens, Petrum *dominici gregis Paſtorem, Eccleſiæ fundamentum, Apoſtolorum verticem* clariſſimè profitetur. Lege rurſus hæretice, quemadmodum apud Petri ſucceſſorem Damaſum fidem exponat? *Ego : inquit, nullum primum niſi Petrum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communicando conſortio, ſuper illam petram fundatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt à lege.* Iterum cum in libro Virorum illuſtrium tantum auctoritatis Petro attribueret, ut ab eo conſummatum Evangelium eſſe teſtetur, *ſcripſit, inquit, Marcus Evangelium Romanis, rogatus à fratribus : quod cum Petrus audiſſet, probavit, & Eccleſia legendum ſua auctoritate dedit.* Ad quod Clementis etiam Papæ inducit teſtimonium. Audi denique illum ad Auguſtinum de Cap. ad Galatas differentem, tantum Petro tribuere, ut ſuper illo, *Aſcendi autem ſecundum revelationem & expoſui eis Evangelium*, dicat, Paulum hiſce ipſis verbis oſtendere, non habuiſſe ſecuritatem Evangelii prædicandi, niſi Petri & eorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum? Talia legens aut audiens de fine Catholico, deſine hæreticorum proſecutioni tuæ participationis inferre calumniam. Quæ eſt enim ſocietas lucis & tenebrarum, conuentio Chriſti ad Belial, quæ pars fidelis tecum, hominum perfidiſſime? Alterum rectius Hieronymum pro ſimili errore Conſtantiæ damnatum allegare debueras, ſi tibi credi volebas. Nam de beatiſſimo viro, quod minus recte de Eccleſiæ inſtitutione ſenſerit, refugiunt autes Catholicorum audire.

Et quoniam beato quoque Ambroſio ſimilem tentaſti inferre calumniam, eum illum Paſtorali dixiſſe refers, *omnibus Apoſtolis claves una fuiſſe contraditas*, diſce miſer illum ita affirmare claves Apoſtolis pariter eſſe contraditas, ut tamen intelligat Petrum præ omnibus & pro omnibus claves regni cœlorum accepiſſe : ut & unitas & prælatio demonſtraretur in Petro. Quod ex ipſius ſcriptis in pluribus licet cognoſcere, quibus illum fundamentum Eccleſiæ, totius dominici gregis paſtorem eſſe commemorat : cuius prælatio typicè figuratur, cui nauis regendi committitur, ut totius corporis Chriſtianitatis compagem molemque contineat. Cogis nos de multis pauca proferre. Illuſtris ille Doctor in Commentariis ſuper Lucam exponens eum locum, in quo Dominus in nauiculam Petri conſcendiſſe perhibetur. *Non turbatur, inquit, nauis quæ Petrum habet : turbatur illa quæ Judam habet.* Et poſt pauca : *Quemadmodum enim turbari poterit, cui præerat is, in quo fundamentum Eccleſiæ eſt.* Et deinde illius primatum in agnitione ac determinatione fidei attollens, ait : *Denique & aliis imperatur, ut laxent retia in capturam. Soli tamen Petro dicitur, dux in altum, hoc eſt, in profundum diſputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divinitatis videre, id eſt, ſcire Dei filium, & profeſſionem divinæ generationis aſſumere?* Idem quoque de Apoſtolorum principibus Petro & Paulo, quod emineant inter uniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam virtute præcelleant, ſatis euidens profert & omnibus notum teſtimonium, in quo-

rum

rum Martyrio Romanæ Eccleſiæ primatum ac ſingularem indicat dignitatem, uno loco illos occubuiſſe perhibens, *ne alteri Roma deeſſet, atque in urbe quæ principatum & caput obtinet nationum, ut illic caput quieſceret ſanctitatis.* Et reliqua leguntur in Canone, quæ principatum Apoſtolicæ ſedis inſinuant. De cuius principatus myſtica in Evangelio figura alio loco ſic loquitur: *Eſt aliud piſcandi genus, quo genere ſolum Petrum dominus piſcari iubet, dicens: mitte hamum, & eum piſcem, qui primum aſcenderit, tolle.* Ubi ſatis aperte demonſtrat, per hamum intelligi iuriſdictionem, qua Petrus præfuit uniuerſis. Denique ut nulla tibi relinquatur tergiuerſandi occaſio, ac fatearis Ambroſium publicè eſſe teſtatum, Petrum totius fuiſſe gregis paſtorem, qui firmamentum ſit Eccleſiæ inſtitutum, & non unius tantum partis, ſed totius Chriſtianitatis uelut myſtici corporis compagem molemque continere, audi mihi hunc ipſum in Homilia apertius proteſtantem: *Maiorem*, inquit, *gratiam Petrus reperit, poſtquam fidem ſe perdidiſſe deflevit. Tanquam bonus enim paſtor tuendum gregem accepit; ut is, qui ſibi ante infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum, & qui interrogationis tentatione nutaverat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret. Denique pro ſoliditate elevationis Eccleſiarum Petra dicitur, eo quod prius in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius corporis Chriſtianitatis compagem molemque contineat.* Deſine hæreticorum more truncata verba profetendo, tanti Præſulis calumniari ſententias. Deſine fidei ipſius puritati inferre calumniam: cuius omnes ſententiæ (beato teſte Hieronymo) fidei Eccleſiæ, & omnium virtutum firmæ ſunt columnæ. Poſſem & aliorum ſanctorum Patrum teſtimonia infinita congerere. Sed nimis præpoſterum videretur, in re tam perſpicua, quam totus orbis profitetur & noſcit, quaſi in recenti controuerſia exquirere teſtimonia: ut cum ſecundum humanas leges triginta annis præſcribatur, primatus Petri poſt tot ſæcula diſputatione temeraria ventiletur. At Hieronymi & Ambroſii non alia de cauſa ſubiecimus, niſi ut eorum rectam Catholicamque ſententiam proferentes, ad tuæ prauitatis robur de illorum auctoritate tibi non blandireris, & ſimpliciores quosque eorum conſideratione non falleres.

Liquet igitur, te Orientalibus atque Bohemicis venenis imbutum talia protuliſſe, quæ Petri primatum eiusque ſuper omnem Eccleſiam principatum negarunt. Qui quidem error tam deteſtabilis atque grauis eſt, ut eos ſanctus Doctor Thomas de Aquino illis hæreticis comparauerit, qui Spiritum ſanctum negant à Patre Filioque procedere. Quoniam ſicut Chriſtus Dei Filius Eccleſiam ſuam conſecrat & conſignat Spiritu ſancto, quaſi ſuo charactere & ſigillo; ita Chriſti vicarius ſuo primatu uniuerſalem Eccleſiam, tanquam fidelis miniſter. Nec mirum quidem. Tales enim grauiſſimum ſchismatis reatum incurrunt, cuius tam immanis eſt culpa, ut (Auguſtino & Cypriano teſtibus) illam nec eleemoſyna redimere, nec Baptiſmus abluere, nec pro Chriſti nomine ſanguis effuſus valeat expiare. Hanc igitur tuam, quam ſub verborum præſtigiis contra Primatum Petri declaraſti ſententiam, ex Venenis Orientalis erroris procedentem, quidam ante te apud occiduas partes aſtruere conati ſunt. Marſilius Patauinus & Iohannes de Iauduno, non ueriti dicere, *Apoſtolorum Principem Petrum, nec plus auctoritatis accepiſſe, nec pro reliquis Apoſtolis caput Eccleſiæ diuinitus inſtitutum.* Hi quidem à Ioanne XXII. Pontifice iuſto anathemate damnati ſunt. Sed & Iohannem Wickleff, & ſectatorem eius hæreſeos Iohannem Huſs, eadem diſſeminantes magna Conſtantienſis Synodus condemnauit. Tu verò poſt damnationem eorum eandem hæreſin inſtaurare moliris, & Catholicorum Principum auribus inculcare. Mirum profectò eſt, te, quorum actus imitaris, eorum exitus non perhorreſcere. Quid ergò reſtat, niſi, ut ſancti illi beatiſſimique Pontifices excitentur, Felix, atque Gelaſius, hæreticorum expugnatores acerrimi? quorum alter ſi viueret, nunc contra te ut quondam contra Achatium inclamaret: *Gregorius non eſt factus erroris novi inventor, ſed veteris imitator, atque ideo non eſt neceſſe, ut aduerſus eum nova ſententia prodeat, ſed vetus tantummodò renouetur. Quicunque enim in hæreſin ſemel damnatam labitur, eius damnationi ſe involuit.* Alter verò re Perpetui anathematis mucrone

feriret ac diceret : *Habeto cum his, quos libenter amplecteris, portionem, non cum honore & communione Catholica ; nec non etiam à fidelium numero ſegregatus, ſublatum tibi nomen, & inimicus Chriſtiana religionis agnoſce, ſanctis Spiritus judicio & Apoſtolica auctoritate damnatus, nunquam ab anathematis vinculis excipiendus.*

APOLOGIA GREGORII HEIMBURG, CONTRA DETRACTIONES ET BLASPHEMIAS THEODORI LÆLII FELTRENSIS EPISCOPI.

APud Ciceronem *in Officialibus* ſuis duo iniuſtitiæ genera leguntur, unum ſcilicet eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab his quibus infertur, dum poſſunt, non propulſant. Læli Theodore, canis aduerſum lupos ignaue, quid dente cruento clandeſtina fundis opprobria, me fortè remorſurum ſuſpicans ſi reſciſcam, quid tu furtim aduerſum me fabricaſti. Ut enim moloſſus paſtorum amicus, & tutator gregum, per altas niues agere non deſinam, quæcunque fera dabit. Ac tu dente me petiſti : vicißim attollo cornua, nec inultus flebo, tanquam puer laceſſitus. Duas ignominioſorum calumniatorum eſſe conditiones quisque facile deprehendit, quem nutantis mundi liuor malignitatisque tentauit peruerſitas. Quidam enim apertam leuitatem oſtendere non erubeſcunt his, apud quos ſe primos omnium eſſe putant : qualem te Læli eſſe iudico. Alii verò grauitatem ſimulantes, clam ſunt factioſi : quales aſſero eos, qui te ſubornarunt, vanitates tuas ſuggerentes, ut eorum errores in te transferens retorcurionis iacula pro iis excipias. Neuter verò veſtrum in campum deſcendens palam audet occurſare.

Primum me calumniaris blasphemiæ pontificialis. Deinde Pontificem in meritum iaculatum eſſe mentiris. Tertio me reum hæreſeos mendaciſſimè criminaris. Hæc certè propulſare in animo eſt : ſed prius te ineptum & perplexum oſtendere, qui quod in me arguis, flagitioſiſſimè admittis, quin absque conuicio, blasphemiis & contumeliis nec verbum profers ullum. Tanta animo tuo criminandi libido inceſſit, uti gloriæ cupido tenet eos, qui humilitatem ſimulantes de gloria contemnenda ſcribendo illis ipſis tabellis ſua nomina ob gloriam inſcripſerunt : illicò prodentes ſeſe criminum reos, quæ ipſi alios accuſando committunt. Sic Pſeudoſacerdotes, amicti pallio, pileoque operti, aliorum vitia fœcundiſſimè accuſantes, intercutibus vitiis ipſi madentes. Cum itaque vim & iniuriam propulſare, ac illatam referre, omnemque iniquitatem retorquere fas & iura ſinant, & lex planè permittat, arguere mendacii eum, qui alium falſo criminatur ; huc totius ſimultatis ſumma redit, uter utri prior iniuriam irrogauerit. Et hoc nunc tecum expoſtulare iuuat, de qua re ſic accipe.

Ab Archiduce Auſtriæ miſſus patruelem eius Sigismundum acceſſi, hortator pacis, totiusque manſuetudinis perſuaſor ſollicitus, ne quidquam ſeuerius victor in uictum ſtatueret, nec fautores quondam victæ partis inclementius pertractaret. Illic et mihi relatum eſt Cardinalem illum, quem tu laudibus effers, honorem Principis ſui ſuggillaſſe, Eccleſiaſtica cenſura pro libito abuſum, metallarias mineras, ſalinas inhiaſſe, & in ſumma ſtatui principis inſidiatum eſſe. Quam coniecturam temporis ſuſpicio exaggerabat, quo confinia illius principatus truculentus hoſtis inuaſerat, partim verò nuper occuparat. Tunc ego animum meum

pauliſper

pauliſper ſuſpendi, verſans, volutans & cogitans, Cardinalem eſſe durum hominem & rigidum, acrem, immitem, inexorabilem, aliis perſuaſuorem vehementem, & acutum inuentorem eorum, quæ utriquè diſſidentium prodeſſe vel minus obeſſe videantur, ſuis tamen rebus afflictis minus conſulentem, ſuisque motibus ſeu pathiis minimè temperantem. Erat autem adhuc ira recens, ut non ſperarem inflammata pridem pectora reſtingui, animosque utrimque induratos permolliri poſſe. Meme continui, diem tempusque forſitan ipſum ratum leniturum iras. Cumque diutius cogitationis me fatigatio tenuiſſet, venit ecce familia Laurentii Blumenaw profuga, inſidiis Pontificis clam elapſa, Laurentium Principis legatum apud Senas contra ius revocandi domum vetuſto iure gentium introductum nuncians arreſtatum eſſe, & idcirco fugam adornaſſe: fugerime an comprehenſus ſit, parum ſibi conſtare. Igitur ab omni ſpe pacis & concordiæ ſeiectus, nil præter refugium oppreſſorum habens, illud amplexus cum omni veneratione Pontificis reverenter appellaui, id eſt, appellandum eſſe perſuaſi. Recenſe iam, Læli, ſi quid habes quod arguas. Miſſio quidem officioſa, paritio reverentialis & obedientiaria, profecto honeſta, adhortatio ac perſuaſio manſuetudine pietateque pleniſſima, remanſio verò cum operarum exhibitione neceſſitatem habuit euidentem, etiamſi manus conſerendæ & gladio decertandum fuiſſet. Nam cuius officii ſuſceptio honeſta, etiamſi ſpontanea fuiſſet, eius impletio ineuitabilem affert neceſſitatem. Hoc, Læli, iunior didiciſti & in negotiorum geſtione, & in comodato rerum vel operarum optimo iure ſancitum. Quid vero oro gratiæ medicus reſerret, qui latentem morbi materiam movendo torpentem naturam excitaret, ſebrem prouocando; tumque ſecedens nullum æſtuanti præberet antidotum, dicens ſe perfunctum opera medicantis: æger è contra quereretur ſe derelictum, ac ſatius ſe naturæ ſagaciſſimæ poteſtati relictum eſſe. Rurſus ſi quis rei militaris ſcientia peritus inſtruxiſſet aciem, militum ordines explicaſſet, præfectos in utrumque cornu conſiſtere iuſſiſſet, primipilum pila emittere ſigno dato monuiſſet, pugna verò iam in manus, iam ad gladios, ubi Mars eſt atrociſſimus, veniente diſcedat, prætendens ſe Imperatoris vel Ducis opera defunctum: nam ſi turbatis ordinibus nemo reſtituat, rem deficientem nemo ſufficiat, labentem nullus erigat vel inclinantem ſuſtineat, ſpeculator alta rupe conſidens, uel Tiburno littus oberrans; Gnatonicus rite conclamet: *Ita Pyrrhus ſapè facſitauit.* Nunc contra hæc quid Pontifex, vel (quod ego veriſimilius duco) Cardinalis tuus machinatus eſt, aſpice. Nam qualis Pleiadum choro ſtridente nubes Auſter exercet undas indomitas, tales ductu Cuſani contra me fulminauit epiſtolas, quibus & me comprehendi, bona mea confiſcari, ac in me uelut hæreticum animaduerti iuſſit; & hæc omnia me clam ferociſſimis hoſtibus meis proditorie demandata ſunt: quaſi me uno intercepto à ceruicibus ſuis periculum omne depuliſſent, ſuaque machinamenta in tuto collocaſſent. Quod hinc conjicere licet. Eſt mihi rus quoddam vinetis fœcundum, fontium eruptione ſalubre, decurſu inſuper amnis ac rubetis littoreisque hortulis amoenum, quo me vindemiæ tempore conferre ſolebam. Ibi me coniux operiebatur. Exſpectatus adveni, deliciis autumnalibus cum fructu dulcis muſti potiturus: iam etenim grauidis Autumnus fluxerat uvis. Æſtatis verò ſuauitatem negotiorum præfatorum ſunctio præoccuparat: Illicet mihi ſtructæ ſunt inſidiæ. Foelix & fatale negotium emerſit, quod me à deliciis ad partes Rheni auocauit, ſimulque inſidiarum molimina diſſoluit. Namque (ut fieri aſſolet) negotium aliud ex alio partum inibi me detinuit, donec hyemis aſperitas ſolum omne frigoribus, niuibus rigentique pruina confunderet. Mirati ſunt inſidiatores mei, tam breui velut puncto temporis ſua deſtinationis certiſſimæ verſa eſſe momenta. Poſtquam enim horrida tempeſtas cœlum contraxerat, ſyluæque Threicio Aquilone perſonarent, ſatius duxi foco iunctis ulmis curas domi reſoluere, quam ſtridentibus campis aut ruri incumbere glaciali; neque aliud oraui, quam ut perennia hæc mihi munera ſtabiliret Deus. Erant inſidiæ non ſatis cautè creditæ, ſed partim in aure rimoſa depoſitæ, hinc effluentes meas uſque mana-

runt aures. Egomet mecum ſic cogitaui: Inſidias mihi paratas ſors diſturbauit: Poſthæc abeuntem me negotia vexant aliena: centum per caput & circum latus ſaliunt quietis impedimenta: labuntur miſero dies inter vota clamanti: O! rus dulce, an nunquam te aſpiciam, ſalictis, corylis vitibusque redimitum! O quando licebit ſub alta pinu aut inter denſas corylos ſomno vacare, & inertibus horis iucunda obliuia fouere ſollicitæ vitæ! O ſtultas precationes meas! Nam ſi Deus votis meis annuiſſet, inſidias incidiſſem exitiales. Quam porro prudenter Socrates nil certum à ſuperis poſtulandum eſſe monuit. Nam qui facile bona dare ſolet, ipſe nouit precanti quid expediret. Ergo qui ueris iucundi, mollis ætatis, autumnique patris dulces illecebras concedere noluit, genialis hyemis quietem propicie conceſſit. Iam etenim fruſtratis inſidiatorum concinnamentis, hoſtes ab omni mei perſecutione diſterritos eſſe rebar, ut me uelut numine diuino defenſum pertinacius à modo perſequi ſacrilegium eſſe ducerent. Curas abieci, conuiuia lætus inſtauraui, ceu nauræ, qui per ſaxa & per ſcopulos, æſtuoſaſue Syrtes varie diuque iactati, optatum tandem portum ſaluis attigere carinis. Tanto vero amplius gaudendum mihi eſſe duxi, quod expers omnis curæ tantorum hoſtium dolos & aſtutias inſcius euaſi. At cum inſidiatores iam deſperaſſent me perſonaliter comprehendere, uirus iamdiu retentum paſſim effudere, breuia illa virulenta circumquaque diſpergendo, ſi quem fortè fortunis meis inuidentem vel auentem res meas excitare, vel aduerſum me prouocare poſſent. Hæc tamen palam ad me, dulci fortuna plusquam Falerno bacchatum, perlata rurſum commouerunt. Et quis, inquam, finis inſidiarum? quid peccaui, quid commerui? Vah mihi uni tot laqueos tendi aliud profectò agitur, aliud verò prætenditur. Repetebam ergo mecum nuper æui geſta præteriti, dum Pontifex apud Mantuam bellum in Turcos appararet, vel (ſi vera potius quam dictu ſpecioſa dicenda ſunt) pecuniam ex omni Germanicæ nationis ſtatu ſub prætextu belli apparandi elicere cogitaret. Cuius doli ſuſpicionem peperit Cardinalis tui, quem Pontifex tractatui adhibuit, aſtutia iam dudum per Germaniam longe lateque recognita. Omni quippe ſucco iam pridem per Jubilæum exhauſto, Cardinalis ipſe velut non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirundo, tenaciter hæſit, auarior pſyllo vel ſanguiſuga: Nouis enim ac ſupererogatiuis indulgentiis, toſta poſt iecora medullas ex oſſibus ſuxit. Verumtamen ne uana ſuſpicione aut opinione temeraria ſpectatam aliis fortaſſe uirturem uiolaſſe criminarer, certius experimentum cenſui eſſe faciendum, an reuera eſſet in Pontifice Turci nedum inuadendi, ſed efficaciter oppugnandi ardor, an Pontifex & Cardinales compoſito niterentur. Eſt autem modus experientiæ ſumendæ non vilis, nec infimis ſolùm, ſed & ſummis quoque conueniens, præcipuè autem audaciæ plenis viris, quem ego ſtatim aduéniens ſenſi & in Pontifice & Cardinali facilè euenire poſſe. Oſtenſum eſt enim illis, qui rem dubiam aggredi ſe velle aſſerunt, permagnum eſſe negotium, magnorumque laborum ac difficultatum, & periculoſæ plenum opus aleæ, in quo etiam aliqua nedum puſilla, ſed etiam mediocris victoria explicata parum boni, parum fructus ſit allatura: at ex diuerſo plurimum mali res quantulumque addubitat. Id ego proceribus primo perſuaſis, ad Pontificem detuli, adjiciens alia plura, quæ introducendis & pabulandis exercitibus caſtrisque locandis, impedimentis bellicis euehendis, trajiciendis fluminibus, & receptationi militum potiſſime ſunt prouidenda. Maxime autem illud commemoraui, quod ſcriptores rei militaris præcipuè admonuerunt, quo pacto militum concordia foueatur. In cuius conſiderationis pondere præcipue verſatur, Imperatorem Romanorum (qui capitis occupat locum) & Hunnorum Regem ſuper Hungariæ regno diſſidentes in gratiam reducere. Et hic labor, hoc opus, ſi nobilis exercitus regionibus illis concredi debeat? Neque enim Hunnorum Rex Imperialem exercitum receptet, neque enim Chriſti hoſtes oppugnet, niſi ſtatui ſuo prius cauto. Et hoc idem circa plerosque alios Imperii proceres conditio temporis adhortatur. Parum enim ſunt bella foris, niſi eſt conſilium domi: pulcherrimorum exemplorum eſt plena vetuſtas, ſed ea prolixa nec ſatis opportuna relatu.

Noſtræ

Noſtræ autem ætatis referre libet exemplum familiare, quo inclita Eliſabetha Ungariæ regina cum recolendæ memoriæ Uladislao Rege Poloniæ inducias depaciſci maluit, ne priuata contentio vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ pareret detrimenta. Porro ſi ſit alicubi huius rei judicium, etiam alia dicerem clariora iis, quæ dixi, probaremque manifeſte me ſuaſiſſe, Papam verò recuſaſſe ea, in quibus ſi mihi paritum eſſet, longe melius & honeſtius omnia (ut mea ſert opinio) proceſſiſſent. Sed verba mortuo feci, narraui ſurdo fabulam. Aliud nempe animum eius ſollicitauit, qui de belli adminiſtratione ne verbum quidem facere vel audire ſuſtinuit: Sed pecuniæ per Clericos & Laicos, ſed etiam Hebræos conferendæ ſollicitior fuit. Cardinalis verò tuus palam cenſuit *his omnibus poſthabitis in DEO ſpem nudam eſſe ponendam.* Quod nil aliud eſt, quam rem omnem nullo conſilio adminiſtrare, ſed temeritati audaciæque permittere. Non tamen adeo ſpem firmam in DEO repoſuit, quin in exigenda pecunia remorari vellet, qui nusquam virtuti vel gratiæ locum eſſe putat, niſi effuſæ affluant opes. E contra vetò & proceres, & ego una rati, non eſſe audendum vel experiundum ſacinus, cuius tota ſalus ex euentu fortunæ penderet: ſummi Scipionis auctoritate, eiusque diſciplinæ teſtis adprime idonei cenſentis, nullam eſſe negligentiam ignauiorem, quam eam quæ violentiæ Martis permittitur: neque enim ſarciri, purgari vel emendari poteſt eiuſce jactura, & accepta clade turpe eſt dicere; *Non putaram.* Hæc dum ipſe tacitus mente agitarem, illamque truculentam epiſtolam ſeu breue Papale legendo repeterem, qua ſumma crudelitas in me fortunasque meas proditorie conflata videbatur, & ne gratuita crudelitas eſſet, bona mea in precium concedebantur quibusque violentis, (hæc ſunt enim illius epiſtolæ verba: *Et bona quæcunque habet apud vos, tam mobilia quam etiam immobilia, fiſco veſtro applicetis, &c.* rurſus ad appellationem, libertatis & innocentiæ tutamen præſidiumque, aduerſus furorem Pontificis ſcutum & clypeum, ſed Mantuæ jampridem euerſum, animum aduerti. Cumque in illa nil impium, nil deſpicabile, nil contumelioſum inueniſſem, mirabar quid tantam iracundiam tantumque furorem in animo Pontificis excitaſſet, quid commouiſſet bilem, ut tam felleos humores euomuerit, aut fortaſſe ipſa ultionis & iræ ſatiandæ dulcedo animum fragilem diſtendiſſet. Inter cogitandum autem Oratores Principum noſtrorum à Cæſare dimiſſi redierunt, omnia inibi dicta factaque referentes, maxime autem illius appellationis notam, quæ contra Pontificis auaritiam & Imperatoris aſtutiam ad uniuerſale Concilium poſtea interiecta fuit, recitantes. Et quia eundem ludum continuo luſerat Pontifex, eandem cecinit cantilenam, videlicet machinationem eliciendæ pecuniæ cum ſuis cenſuris, cum Cæſaris auctoritate pertinaciſſime proſequendo: illic pedum viſa eſt via, illic & Pontificis detecta verſutia. Hæc illa hæreſis Gregorii, ſtrenuitas in repugnando, conſtantia in reſiſtendo auaritiæ Pontificiali, & in conſulendo dirigendoque perſeuerantia. Hoc ſacrilegium Gregorii, libertatis fomentum & eleuamen oppreſſorum, ac defenſio ſacrorum Conciliorum, quorum auctoritas per conſtitutionem Mantuanam euertebatur. Hæc læſæ Maieſtatis noxa, exigendæ per Germaniam grauis collectæ molimina diſturbata. Hinc vulnus ſub pectore Papæ ſeruatum intumuiſſe, aut cicatrix obducta putruiſſe comperta eſt, ira in me Pontificis Mantuæ cælata & compreſſa, tam crudeliter aduerſus me erumpente, ut absque ulla vocatione bona mea concederet in precium crudelitatis. Cenſe nunc, Læli, ſi quid moderationis habes, an hoc ſit judicare, an potius ſæuire pro libitu. Numquid juſtus fuit Zelus in me, qui me in fauorem mirę nationis accendit, ut exclamarem: *Vis conſilii expers*, & iniuriam meam retorquerem. Fruſtra ergò, Læli, me criminaris (ſibilans anguis) blaſphemiæ pontificalis: quia à Pontifice doloſe potitus, perſona rebusque pulſatus iniurias ſtructas propulſaui.

Aſſentando verò Pontifici, ô vulpes ganniens, ais, *illum imitari Chriſtum, qui cum malediceretur, non maledicebat.* Si Chriſtum imitatus ipſe fuiſſet, nullas mihi perſonales aut reales ſtruxiſſet inſidias, neque Monachum ſcurram elegiſſet, qui vanita-

vanitates eius per orbem diſſeminaſſet. Subdis Læli procaciſſime, nuncupando me *beſtiam inter luxum epulasque ſudantem.* Miror ſi in capri pedes Satyros aures acueris, qui jam ſaliaribus dapibus habebis aſſueſcere pontificatus. Teque bis ſtulte facere dico, qui Pontifex ipſe Pontificum arguis cœnas, ſummosque viros accuſas, ex quibus Coruinus, quanquam Socraticis madens ſermonibus, Maſticum lectum vinaque promere juſſit languidiora: Sed & priſci Catonis vigor legitur mero caluiſſe: quod lene tormentum adhibet ingenio plerumque duro. Sed ne me putes nocturno certare mero, putere diurno, nimium læue mancoque tempore nobis exprobras voluptatem. Non eſt nobis ſuauium rerum ſuppetentia, nonnunquam aper Auſtro leui, putidus, lardumue rancidum prima iratum ventrem eſca pacauit. Deinde Chiam vel Mareoticum, ſed maris expers, me potauit ſitientem. Optaſſem fauces obſurduiſſe, naresque obturatas, ne guſtus vel odoratus compaterentur. Poſthac reſciſces ſingula, cum manſueſcet utrinque animus rancore iraque defæcatus.

Quosdam Pontifices ais *in plagam Orientis contra accuſatores ſuos Tomos ſcribentes ſatisfeciſſe.* Id certè ualere ſino, tuis Satyris tragicisue ſcriptis hanc apologiam objicio. Subnectis, *Pium Pontificem eloquentiæ flumine manantem, omnes facile ſuperare.* Hic pol rectè ſapis, ſiquidem eſt ſapere, ſummos viros aſſentationum laqueis infaſcinare. Unde certè tibi non minima merces rei ſpeique reſulſit. Satis caute ſciſti uti foro. Quisquis enim Regibus uti ſcierit, holus faſtidiet pauone rhomboque ſatiandus. Non cuiuis homini contingit pontificari. Sed miſſam faciamus ironiam. Iamdudum ego conſpexi, perditiſſime Læli, & nunc etiam proſpicio, opes & priuatorum & dominantium quanto maiores ſunt, tanto magis obtrectatores adulatoresque ac turpium voluptatum machinatores nutrire: quo nil, pernicioſius gignit opulentia atque poteſtas. Noſti voces Sirenum & pocula Circes: quæ ſi bibiſſet dux Ithacus, turpis certè vixiſſet & excors. Optarem ergo, Pontificem aduerſus huiuscemodi blanditias aures pice obdurare, quam adulationibus ſe ſinere capi.

Poſtea certas maledictis, homo mendaciſſime, donec veniam petas *ſtyli rudioris:* quaſi nos nitori plus quam veritati ſtudeamus, quod mihi ſuper omnia viſum eſt impudentiſſimum. Niſi, fortè *nitorem ſermonem* vocas verum dicere, quod ſi facis, profiteor me nitoris & expolitionis peritiſſimum eſſe. Nam qui meam iuuentutem diligentius obſeruauit, facile coniiciet mihi quandam dicendi facultatem à natura profectam ineſſe: quisquis ſtudia mea conſiderauit, mihi teſtis erit, quia vere hoſpes & aduena ſum rhetoricæ adulationis: qui etiam in Phyſicis, Ethicis, Metaphyſicis diſciplinis adoleſcentiam conſumpſi meamque juuentam.

Pergis in nugis, vir impudens, quaſi ego mihi *utriusque iuris arrogaſſem inſtituta.* Calumniator fraudulentiſſime, hic veritas pro me loquitur. Hæc ſunt enim verba defenſionis meæ: *Mihi ſatis eſt didiciſſe ciuiles ſententias, & quidquid præcipuum habet ratio vel induſtria, quidquid ſacra tradunt utriusque iuris inſtituta, biſce literis & floribus exornari poſſe.* Hoc & tu minimè inficiaberis, niſi id agas ut cum ratione inſanias. Nam hac arte, quæ à dicendi copia nomen traxit, ſuadentes ad legendum ad hortamur, & quidquid legendo hauſeris, ea ipſa arte potentius perſuadebis. Apud Socratem habes Gorgiam, (quem Iſidorus Principem eius artis facit, Cicero verò Lyſiam inuentorem vocat) ita loquentem: *Sæpe iam cum fratre meo, & cum aliis medicis ad aliquem ægrotum ingreſſus, cum ille vel pharmacum potare nollet, vel ſecandum urendumque ſe medico non permitteret, nec valeret medicus ſuadere, ego perſuaſi, non alia arte quam rhetorica.* Rurſus ſi aliquam urbem adveniat Rhetor & Medicus, & in concione alioue cœtu inter ipſos certaretur, uter ſit pro medico eligendus; Medicum quidem nuſquam comparere ſed illum electum iri, qui dicendi peritiam facultatemque habebit. Potentia quidem huius artis tanta & talis eſt. Sed quid multa; in re non dubia Hieronymum habes dicentem, *beatum Iob artis eius ſummam eſſe complexum, cum ſcilicet cum Deo diſputans*

tans ipſum tanquam admonens fragilitatis humanæ naturæ tributæ, ſecum expoſtulat, non æquum eſſe ab homine infirmo tam fortem & perſeuerantem exigere patientiam. Aſpice hymnos nedum Prudentii, ſed & illos vulgares, qui in laudem Dei vulgo decantantur: & certè videbis etiam divinas laudes floribus ipſius artis illuſtrari. Apud Ciceronem habes, *Nil tam horridum, aut tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione.* Et alibi è contra: *Nil tam ſimplex aut ſincerum, quin dicendo poſſit deprauarier.* Potens eſt vis eloquentiæ, magnum eſt momentum in ea, quam ſi à Pontifice ſuſtuleris, parum reliquabis quod laudes.

Sed rogationem tuam, qua rogas, ubi lege permiſſum compererim, licere Pontificem laceſſere maledictis? contraria quæſtione vacuabo. Ubinam didiciſti, Pontificem iuſtum inſidiis proditoriis perſecutum eſſe quemquam propter appellationem reuerenter cum ad ſe, tum ad ſuperiorem ſuum, ſacrum ſcilicet Concilium, interpoſitam? De quibus beatus Gregorius ſcribens ait, *Quod quisquis ea deſtruere temptet, ſeipſum deſtruit.* Quod & Eugenius nouiſſimus, ac poſt ipſum Nicolaus ſub bulla recognouerunt. Legiſti autem Innocentium quartum Pontificem ſe arbitrio Concilii inſtituendi ſubmiſiſſe. Illi verò quos tu commemoras hæreſeos damnatos, in fide Chriſti pertinaciter errauerunt, nulli Concilio ſeſe ſubmittentes iudicandos. Quod ſi neſcis, & ſcire cupis, non eſt difficile Pontifices enarrare, qui culpis ſuis exigentibus nedum maledicta, ſed depoſitionem, caſtigationem, mortem quoque meritam exceperunt. Id certè iuſtiſſimum cenſeo, quod in Dioſcorum impium animaduerſum eſt. Sed quid putas? ſi venerabilis Leo Pontifex Dioſcorum inauditum capi ac ſpoliari iuſſiſſet, quia à ſe ad Concilium Chalcedonenſe appellaſſet, nullum autem erroneum dogma ſeminaſſet, vir doctiſſimus & perfectus, quemadmodum tale nefas non iuſſiſſet, ita & ſi errore lapſus fortè propipuiſſet, ratione tandem duce potius lapſum & errorem reſtituiſſet ac reuocaſſet.

Procedis longa verboſitate execrando vitium ſcandali, quo tu me calumniaris, homo vaniſſime: qui non cernis ſcandalum Pontificis, proditionem inſidioſam aduerſum me conflantis. Audi Socratem contra Anitum & Melitum ſe defendentem: *Non eſt*, inquit, *Judices tam opus mihi defenſionem meditari, quam vobis, ne delinquatis me condemnantes.* Et lex ait, Euangeliorum Codicem iudici propoſitum eſſe, ut *ſe DEO inſpectore ſciat judicare.* At ſi Pontifici Ptolomæi bibliothecam proponas, & Demetrium Phalereum præficias, non eum reuocabis à Piccolominum & Corſiniani conſideratione. Sed lenonem imitaris Terentianum, quem non pnduit uanitatis, dum ob rem, &c. Nam ſi cæteræ vanitates pari voto ſucceſſerint tibi, breui temporis ſpacio rubeſcet uertex capitis tui, cum incedes capillo rubeo pileatus.

Ritum & cerimonias conſecrationis pontificalis adducis, quod inibi pronunciatur, qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus. Sanioſo vulneri callum ſuper ducis tumidum. Urendus certè callus & ſecandus eſt, ut purgato intus vulnere caro ſolidetur & pellis. Si malefacta Pontificum benefacta nuncupabimus, eosque fecerimus licentioſos, miniſterium ſibi commiſſum vertemus in tyrannidem. Audi ergò beatum Gregorium dicentem, *Non oportere Prælatos adeò reuereri, ut ipſorum vitia foueamus.* Quod autem Apoſtolus ait: *Neſciebam quia Princeps Sacerdotum eſſet*: porrò Saluator non maledixit colaphiſantes (quod tamen non ad Pontifices modò, ſed ad cunctos milites crucifixores æque ſpectat) ô Læli procaciſſime, quanto conamine perurgeris, quanto flagras ardore, qui quo tendis adeò feſtinas, ut obuia non cernas, ſed raperis per inuia, tandemque præcipitas in ſcenam Comicam, perſonis aut inepte diſtribuis actus. Proſpice, circumſpice, retroſpice, quid aliud paraueris, quam ut Gregorius perſonam Chriſti gerens, iniurias Papæ ſuſtineat, cuius typum eſſe facis Annam, Caipham, Pilatum ac Herodem. Attamen quantum ad patientiam ſub iure diſtrictiuo vel cohercitiuo reductam, aut perfectionis doctrina perſuaſam attinere videtur, hæc & talia ſic enodabo. Et quod maximum eſt, quod à me poſtulas, quod nunquam ipſe præſta-

res, maledicendi benedicere, quin & inſidianti Pontifici vitæque meæ perſecutori, quique de rebus ſanguine meo ſudoreque partis crudelitatis in me precium ſtatueret approprianti; hoc certè ſummæ perfectionis opus mihi non arrogo. Nec ſatis exploratum habeo, ſi perſequenti me occidendum præbuiſſem, an ſæuitia ſatiatus tandem manſueuiſſet, an potius maiori ferocia frenduiſſet: quippe qui non contentus me perdidiſſe, in coniugem & liberos meos bonorum meorum ademptione ſæuire cupiebat. *Nec enim ſemel ore receptus polluto ſanguis patitur manſueſcere fauces.* Ut ergo ſcias, in quo philoſophantium grege meme profitear, altius ordiri iuuat intentum. Vitæ Philoſophia Dux, rationis interpres, virtutum cultrix, & expultrix vitiorum, duas partes habere perhibetur: quas qui confundit, aut minus caute ſecernit, labyrinthum inextricabilem texit. Hanc veteres eius profeſſores in ſumma perfectione poſteris tradiderunt, ut illi ſeptem per ſeptem urbes Græciæ diſperſi. Biantem certe Prienæum, cum patriam eius hoſtis adeò preſſiſſet, ut cuncti ciues emigrarent plauſtris onuſti, ipſeque liber & expeditus commigrans interrogaretur, cur non aliquid rerum euexiſſet, reſpondiſſe ferunt; *Ego verò omnia mea mecum porto.* Nos non ſic: quia aliter interpretamur, *Rem in bonis eſſe.* Mileſium Thalen alterum ex ipſis ſeptem, qui primus cœli cauſas atque vim rerum naturalium contemplatiua ratione ſuſpexit, tantæ moderationis fuiſſe proditum eſt literis, ut auream menſam in Mileſia repertam, & ſapientiori Delphico debitam reſponſo, ideoque ſibi delatam, alteri ceſſerit: quo pari moderatione freto, menſa per ſapientum ordinem ad Solonem vicaria ceſſione peruenit. Uter materia eſt, qua patientia, humilitate, qua etiam abſtinentia & continentia ſui, ac moderatione & paupertate ſummi viri pro tempore vixerunt, quasque virtutes præceperunt docendo, viuendoque docuerunt; quas neque tu imitaris, neque nos imitati ſumus. Quid Socrates? nonne coram iudicibus capitaliter accuſatus, *non rectè*, inquit, *putare, qui exiſtimet magnam vitæ mortisue habendam eſſe rationem.* Quid, quod nec carceris infortunium ipſum diſterrere, nec Critonis perſuaſio, qui corruptis cuſtodibus in ipſo carcere cum morituro diſputauit: nec ille aut ſua, aut Simiæ Thebani, aut Cebetis & aliorum pecunia liberaliter oblata, illum inducere potuit virum perfectum, ut euaderet, ſeu furtim migraret, aut latitaret? Quod tamen hodie lege probatur, quæ euaſorem à transfuga ſecernit, & captiuum precio redimere ſinit. Cuius hæc erat ſententia: *Ego is ſum, qui non modo nunc, ſed* ſemper, meorum nulli paruerim alteri quam rationi. Sed hæc ſunt altiſſimæ Philoſophiæ ſumma conſilia, & præcepta ſalutaria, ac ſaluberrima inſtituta, ad extremam tendentia perfectionem: non autem communi hominum ſtatui vitæque doctrinalis, cuius auctores plurimum repudiati, quandoque damnati & addicti ſupplicio, tanquam Reipublicæ damnoſi. Zenonis, Socratis, & aliorum innocentiſſimorum apud Græcos abundant exempla. Nam & diuinus ille Plato apud Dionyſium Siciliæ tyrannum commanens, perfectæ cultor virtutis, in tale periculum incidit, ut poſtea Principibus Syracuſanis ſcribens ſic enarraret: *Hucusque igitur mihi & philoſophiæ & amicis auxiliatum eſt; poſthac autem ita uiximus ego & Dionyſius, ut ego quidem ſemper extra ſpectarem, quaſi auis quædam euolare cupiens.* Succeſſit proinde alia, docens & inter ſceleratos innoxiè viuere, multa quidem tolerans, ne lolium extirpando uberem ſegetem necet. Porro autem aſtutiam contrahentium diſſimulatione præteriens, ea demum caſtigans, quibus Reipublicæ ſtatus labefactari, aut humanæ ſocietatis commercia periclitari poſſent, ut Jutis conſultorum traditiones ac præcepta Catonis & Ciceronis volunt, apud quem Diogenes & Antipater diſputant, *Num vir bonus vendens rem vitioſam, ſatisfecerit ea demum explicando vitia, quæ legibus ſunt definita?* Ac rurſus apud Flaccum contra Ariſtippum Diogenes diſputans, omnem ſæculi vitam mordere videtur. Sexcenta ſunt quæ memorem. Sed ea tam breui reſponſo Tullius abſoluit: *Aliter leges, aliter Philoſophi tollunt aſtutias.* Leges certæ cohercitionis præcepta vocans, ut verba ſequentia clare demonſtrant, dum dicit: *Leges quantum manu tenere poſſunt.* Prima ergò

gò Philoſophia cohercitionem diſtrictiuam non habet, habet verò doctrinam ſalutarem. Ipſe enim Cicero officia hominum præclarè diſtribuens ſecundum illius ſecundæ philoſophiæ traditionem. *Boni viri, inquit, officium eſt omnibus velle prodeſſe, ut obeſſe nemini, niſi laceſſitus.* Hoc poſtremum Lactantius mordens inquit: O quam iuſtam ſanctamque ſententiam duorum uerborum adiectione corrupit. Unde hæc tantorum virorum controuerſia? niſi quod alter ſecundum philoſophiam mediam, alter verò ſecundum perfectam doctrinam locutus eſt: iuxta quam & Cicero Fimbriam Conſularem virum laudat, volentem probatum hominem *bonum virum* iudicare, quum ea res infinitis virtutibus & meritis contineatur. Idem in Paradoxis neminem bonum cenſet, cui quid deſit: *In qua conſideratione parva, inquit, eſt et magna culpa; quamquam alio loco dicatur eſſe diſtorto diſtortius. Nam etſi peccatum eſt tranſire lineam rationis, alter tamen altero plus aberat, tardius reuocatur.* Noli ergò mihi obiectare Dominum & Saluatorem noſtrum IEſum Chriſtum, conſubſtantialem & coæternum patri, per quem omnia facta ſunt, de cœlo deſcendentem, in ſumma humilitate & huiuſce mundi contemptu natum, pannis inuolutum, in præſepio reclinatum, Doctorem patientiæ & altiſſimæ paupertatis, nec habentem ubi caput reclinet ſecundum carnem. Nec diſcipulos eius, quibus dixit: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet*, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hoc enim perfectionis ſtatum innuit, ipſo dicente: *Si vis perfectus eſſe, omnia quæcunque habes, vende & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo. Atque ei qui aufert tibi veſtimentum, & tunicam noli prohibere, & qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium.* Hæc ſi mihi eſſet perfectio, fortaſſe nedum re familiari adempta, ſed & vita iam fugiente, necdum indignatus eſſem, niſi forte Laurentium imitatus dixiſſem, *Immaniſſime Tyranne*, &c. Apoſtolus quoque ſummæ perfectionis imitator Corinthios increpans, *Iam quidem, inquit, omnino delictum eſt in nobis, habere iudicia. Quare non magis iniuriam accipitis, fraudemque patimini.* Ergò perfectus diſcipulus perfecti magiſtri perfectionem, quam verbo doctrinæ perſuaſit, etiam exemplo vitæ docuit. Hanc perfectionem ſi tu vel Pontifex aut quisquam illi commanens, verbis ſibi arrogat, ſeſe fallit, ſibique falſo blanditur. Utinam mihi ad vitam ingredi Dominus concedat. Noſti, Læli, aliud reſpondiſſe Dominum volenti ad vitam ingredi, aliam vero perfectionis legem docuiſſe. Vas autem electionis, Apoſtolorum Chryſoſtomo teſte perfectiſſimus (qui Job Apoſtolis præferens, Paulum æquauit) ſi ſuper erogauit, non eſt idcirco talis imitatio ab aliis exigenda, & per illum qui nunquam ipſe præſtaret. Putasne, ſi tempus efflagitaſſet, Paulusque reſpondiſſet; Nonne Chriſtus verus Deus, cuius Evangelium prædicamus, maior eſt Pontifice, ſed & ipſo legislatore, vel Aaron ſacerdote, num peccaſſet? Minime. Sicut nec peccauit, dum Cephæ reſtitit in faciem, quia reprehenſibilis erat. Nonne didiciſti, ea quæ Spiritu Dei per quosdam ſingulari gratia & nutu quodam aguntur, ſub humanis legibus non eſſe redigenda? Neque enim humana priuilegia in conſequentiam trahi debent. Erat autem ipſe ſpiritu Dei plenus.

Habes nunc, Læli Theodore, diſcretionem ſummæ & extremæ philoſophiæ, quæ iniuriam referre vetat, ſeu retorquere, & alterius philoſophiæ, tolerantis ea, quæ ſunt humanæ conditionis. Pergens nunc ad ea, quæ lex ſtatuit de carminibus ſeu libellis Feſcenninis, legem Digeſti iuris, quæ blaſphemos aut falſos obtrectatores mendacii redarguere ſinit, noſtin? Eam Flaccus naturæ atque inſtitutionis legem eſſe probat, Stertiniumque (quem ſeptem Sapientibus æquando facit octavum) hæc arma ſibi contra vaniloquos Muſam dediſſe gloriatur, ne compellaretur inultus in hunc modum comminando:

Dixerit inſanum qui me, totidem audiet, atque
Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.

Nec tamen inficiabor, rebus ineſſe menſuram & certos denique fines, & quadamtenus prodeundum ſiſtendumque. Sic enim compoſita eſt Feſcennina licentia, quæ lætis agricolarum poſt condita frumenta cum ſociis operum pueris & coniuge fida ; conuiuis alternatim opprobria fundit. Sublato autem iure nocendi, chorus obticuit. Quin etiam lex poenaque lata veterem laſciuiam vertit formidine fuſtis, & infamiam irrogat ei, qui ob carmen famoſum condemnatus. Poſtremo lex capitalis ſancita, cuius tu ſiliquas ingerens vim legis minime ponderaſti. An tu famoſum carmen ſeu libellum recte nuncupes, cuius auctor non clam, ſed palam (quod tu culpas) pro ſua ac Reipublicæ tutela dictaſſe fatetur, ipſe videris. De hinc ipſam legis animam, hoc eſt, ſanctionis rationem contemplare : ſcilicet ne quis ſibi ius dicat, neu ſe præter iudicem vindicet ; quin tramite legitimo & auctoritate iudiciaria proſequatur, quod ſibi debetur, aut accuſando præmia ferat vel denunciando : alioquin neque nocentem laceſſat, niſi Reipublicæ interſit nocentis noſcere crimen. Si in orientis aut obeuntis Solis ultimis oris, ſi denique in torridis Libyæ arenis, aut qua pruina rigens Pontum Scythicum glaciali frigore ſtringit, arbiter ſederet iudicare dignus & potens, an Sigismundus poſt legatum ſuum violatum, & tam varias iuris experiundi vias refutatas, ad ſacrum Concilium ritè appellaſſet, an Gregorius appellans idcircò hæreticus iure habeatur, profecto aliquid rationis haberes. Sed cum nec rimam neque porum aut poriſma, per quæ aditus ad iuſtitiam pateret, aperire poſſis ; vacuatam, tene legem, cuius rationem Papa ſubmouit. Non eſt hoc meum inuentum ſed magnæ Synodi Conſtantienſis excogitatum, ſtatuentis *decennio in decennium uniuerſale Concilium celebrari*, ut ſit quo oppreſſi confugiant, ſitque quod Pontifex metuat ac reuereatur. Sed eſt vetus querela : *Papam voluntate pro lege abuti.* Hoc Bernardus Claræuallenſis ad Eugenium ſcribens conqueritur, ac pie admonet ; Quomodo non indecens tibi voluntate pro lege uti ? & quia non eſt ad quem appelleris, poteſtatem excercere, negligere rationem ? & cætera, quæ latius exequar, cum tuis nugis candorem veritatis opponam, quam tu Lucifuga horres aſpicere, in tenebris oberrans. Contritusque eſt laqueus tuus de Maria, Aaron, Oſia & pueris Bethleemiticis : quia neuter horum fuit prouocatus, nec vitæ ſuæ per Sacerdotes inſidiatum.

Quod vero Papalem dignitatem ex verbis Bernardi Claræuallenſis, & epiſtola Clementis ſublimius effers, hoc ad rem nihil attinere recognoſcis : quia neutrobi Papa rem ſeu facultates ſubditorum in precium crudelitatis cuiuspiam auſus eſt concedere. Sed te aſſentandi ſtudio illac euectum eſſe conjicio, teque aſſuefacere, ut iisdem rebus gaudeas, iisdemque doleas, quibus ipſe dominans : poſtremo te ita compares, ut illi quam maximè placeas. Thraſonis ſiquidem & Gnathonis abs te non multum abludit imago. Ac ne putes hanc fuiſſe Bernhardi ſententiam, ut Epiſcopus Romanus propter ſuæ auctoritatis amplitudinem pro libito agere poſſit impune, ipſum in eisdem libris arguentem exceſſus eius tu viciſſim audi. Verba eius, quæ tu doloſe truncaſti, fideliter repetam, addens illa quæ tu calumnioſe ſuppreſſiſti. Inquit Bernardus ad Eugenium de conſideratione libro II. *Sacerdos magnus es, Summus Pontifex, Princeps Epiſcoporum, Tu heres Apoſtolorum, Tu primatu Abel, Gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyſes, Judicatu Samuel, Poteſtate Petrus, Unctione Chriſtus, Tibi claues traditæ, Tibi oues creditæ.* Beaſti me, Theodore, Bernhardum proferendo, quem aduerſus Pontificis calumnias objicere verebar, ne tejiceres illum velut contemplatiuum virum actiuæ vitæ leges horruiſſe. Nunc ergò lex prodeat, cuius in agendo judicium elegiſti. Eiusdem Bernhardi jaculis feriendus eris, eiusque ſcuto protegendus. Ergò huius tu ſpiculis calumnioſè quidem elicitis me confodere, nec apud improuidas mentes paraſti præoccupando commaculare ? O vaniſſime Theodore, quaſi Bernardus ille in vanam gloriam Eugenii blandas effuderit laudes : ac ob id Pontifici liceat pro ſua libidine, dominatum imò verò tyrannidem exercere, glotiabundus exclamaſti :

Sacer-

Sacerdos magnus es. Id certe Chriſtianorum nemo negat. Sed quod tu magnum Sacerdotem hiſce delinimentis circumſcribis, arma crudelitatis in me acuendo, hinc contra eiusdem Bernhardi dogma, ipſum etiam Papam alloquentis, oppono: *Facilitas*, inquit, *crudelitas hæc eſt, cuius callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi cauiſſe verſutias. Inde enim ipſis pro nihilo magnæ mulctæ, inde innocentum frequens addictio, inde præiudicia in abſentes, &c.* Miror quod non dixiſti, *Maximus:* quia nec id quidem inficiatus eſſem. Nam & omnes Epiſcopos magnos conſtat eſſe Sacerdotes: ſicut Imperatores, Duces, tribunos, præfectos, centurionesque *magnos milites* vocare ſolemus, quod gregarii milites ab illis vel arma ſuſcipiunt, vel in ordines jubentur conſiſtere: ſicut Presbyteri, (quod *Seniores* interpretatur) à ſuperintendentibus (quod *Epiſcopi* dicitur) noui ritus inſtrumenta ſuſcipiunt, & per limites ritè diſtribuuntur. At quæ ſit hæc magnitudo, eundem audi. *Præes & ſingulariter. Ad quid? eget (tibi dico) conſideratione. Numquid ut de ſubditis creſcas? nequaquam. Sed ut ipſi de te. Principem ſibi te conſtituerunt; ſed ſibi, non tibi. Alioquin quo pacto te reputas ſuperiorem iis, à quibus beneficium mendicas. Audi dominum: Qui poteſtatem habent ſuper eos. Benefici vocantur. At iſtud de iis qui foris ſunt, quid ad nos? Tu id mendaciter dicis, ſi non tam beneficus eſſe, quam beneficis præeſſe intendas.* Nunc quomodo ſummus Pontifex ſit, rurſus audi, quid idem dicat: *Dele fucum fucati honoris, & male coloratæ nitorem gloriæ. Salubris copula, ut cogitans te ſummum Pontificem, attendas pariter utiliſſimum cinerem.* Et idem alio loco: *Non eſt quod blandiatur celſitudo. Sollicitudo maior, illa diſcrimen intendit, hæc animum probat, huic accingamur, ſi nolumus tandem cum rubore nouiſſimum locum tenere. Diſce ſæculo tibi opus eſſe, non ſceptro.* Sequitur *Princeps Epiſcoporum.* Eundem Bernhardum audi contra Satrapas (qualis tu es) loquentem, plus Maieſtati quàm veritati fauentes: *Vides omnem Eccleſiaſticum zelum feruere, ſola pro dignitate tuenda. Honori totum datur, Sanctitati nihil vel parum, ſi ſocialius te habere tentaueris; Abſit, inquiunt, non decet, tempori non congruit, Maieſtati non conuenit. Quod ſublime, hoc ſalutare dicamus, & quod gloriam redolet, hoc iuſtum. Omne humile probro ducitur inter Palatinos.* Ergò Principatus illius naturam vir ſanctus explicauit his verbis: *Conſideres ante omnia Romanam, & cui de auctore præes, Eccleſiam matrem eſſe, non dominam: Te verò nec Dominum Epiſcoporum, ſed unum ex ipſis, porro fratrem diligentium Deum, & participem timentium eum.* Et alio loco idem Bernhardus: *Tibi urbem Romam pro Epiſcopio deputat dicens clerus & populus tui, ac per hoc ſpecialis curæ teneris debitor.* Ubi dicit, *Romam Papæ domeſticam eſſe Eccleſiam.* Ac niſi iam ſolius Bernhardi doctrinis tecum certarem, perfacile probarem, Epiſcoporum Principem non decere Epiſcopia confundere, de omnibus diſponendo, quæ ſunt per Metropoles & diœceſes ordinatiſſime diſtributa. Hoc beatiſſimus Papa Gregorius conſiderans noluit uniuerſalis Eccleſiæ Pontifex nuncupari.

Sequitur ergò, *Tu heres Apoſtolorum.* In hac hereditate meſſis quidem multa, operarii verò pauci. *Paternam tibi vendicato*, inquit, *hæreditatem. Quid ſtas ociosus, quid reſupinus pompis. Nil horum tabulæ teſtatoris tibi aſſignant: quarum ſi tenore contenteris, curam potius hæreditatis & operam, quam diuitias & gloriam.* Aut Fernandi Regis affinitatem. *Blanditur cathedra? Specula eſt. Inde tibi Epiſcopi nomen, non dominium ſonans, ſed officium.* Quid Petrus tibi reliquit? *Quod habeo*, inquit, *hoc tibi do. Argentum & aurum non eſt mihi, &c. Eſto ut alia quacunque ratione hæc tibi vendices, ſed non Apoſtolico jure. Nec enim Apoſtoli quod non habuerunt, tibi reliquerunt. Audi ipſum: Non dominantes*, inquit, *in clero, ſed forma facti gregis, &c. Apoſtolis interdicitur dominatus. Ergò tu & uſurpare aude, aut dominantem Apoſtolatum aut Apoſtolicum dominatum, plane ab alterutro prohiberis, ſi utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque, ne ex illis habearis, de quibus Veritas conqueritur: Ipſi regnauerunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non cognoui eos. Agnoſce hæreditatem tuam in cruce Chriſti. Exi in agrum Domini tui, non tanquam Dominus, ſed tanquam villicus.*

Pergis dicens, *Tu primatu Abel.* Si filius, ſi ſucceſſor Abel vis haberi, ipſum imiteris. Erat enim Abel paſtor, Cain autem agricola. Sacrificauit ille de primogenitis, Cain excuſſas obtulit ſpicas, fraudis ſacrificium, non autem amoris holocauſtum. Cain ergò magis æquare videris, qui ſpolia Eccleſiarum in Pientiam, imò in affinitatem Fernandi prodegiſti: ſiliquas vix Deo ſacrificaſti. Num tibi quadrat hoc verbum Bernardi, quo libellum ſuum tertium claudit ad Eugenium: *O miſerandam ſponſam talibus creditam Paranymphis, qui aſſignata cultui eius proprio retinere quæſtui non verentur, non amici profectò ſponſi ſed æmuli ſunt.* Rurſus in quarto: *Quale eſt quod de ſpoliis Eccleſiarum emuntur, qui dicunt tibi, Euge, euge. Pauperum vita in plateis diuitum ſeminatur. Argentum micat in luto, tollit non pauperior, ſed fortior. Primatum tuum certè nemo negat. At tu videris, ne juxta parabolam Nathan centum oues habens, unicam pauperis concupiſcas.* Eundem Clarævallenſem in tertio loquentem audi: *Quid item tam indignum tibi, quam ut totum tenens non ſis contentus toto, niſi minutias quasdam atque exiguas portiones ipſius tibi credita uniuerſitatis, tanquam non ſint tua, ſatagas neſcio quo modo adhuc facere tuas. Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas. Si hoc ſentis, diſſentis ab eo, qui dixit: Non eſt poteſtas, niſi à Deo, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Et ſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Rurſus, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non dixit, ſublimiori:* Subnectis dicens, *Gubernatu Noe*; Illi archa extruenda, & palatiis ac ſtegis diſtinguenda ruandatur. Tibi corpus Chriſti myſticum delegatur ædificandum. Juſtum exemplar, ſed uſus longè diſpar. Quod Noe diſcreuit ſubordinando, tu confundis permiſcendo. Hoc idem Bernardus queritur in hunc modum: *Monſtrum facis, ſi manui ſubmoues digitum. Tale eſt, ſi in corpore Chriſti membra locas aliter, quam diſpoſuit ipſe. Niſi tu putas alium eſſe, qui poſuit in Eccleſia quosdam Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios Doctores & Paſtores, in ædificationem corporis Chriſti.* Atque hoc corpus, quod ipſe Paulus ſuo Apoſtolico figurans eloquio & capiti coaptans totum ex eo compactum, prohibet per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis faciens in ædificationem ſui *in charitate*, non dixit, *in Petro*, nec *imperio.*

Subſequeris dicens, *Patriarchatu Abraham* Abrahæ ſummi Patriarchæ fides inprimis effertur, quia eius virtutis opus præcipue executus eſt. Nam ſecundum rationem actuum exteriorum alios alia virtute pollere dicimus, ſeu præcellere in aliorum hominum comparatione. Neque nunc id agimus, quomodo virtutes pares ſunt, vel connexæ. Sed ſi quid in operibus Pontificis emicat operationis virtuoſæ, id ſi noſſem, teſtificarer. Sed ſi patriarchali vel dignitati vel auctoritati hoc tribuis, ut illi omnia ſingulaque licere, expedireque contenderis, fallis, & falleris, plurimumque deciperis, eodem Bernardo teſtante; *quod ſicut Cherubin & Seraphin, ac cæteri, qui ad Archangelos & Angelos ordinantur, ſub uno capite Deo, ita ſub uno Pontifice ſummo Primates vel Patriarcha, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri, &c. Quid ſi dicat Epiſcopus, Nolo eſſe ſub Archiepiſcopo. Hoc de cælo non eſt, niſi tu forte Angelorum quempiam dicentem audiſti, Nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem cuiquam ſubeſſe, niſi Deo.* Romanus verò Patriarcha ſuæ diſpoſitioni cuncta reſeruat.

Nunc quid ſibi velit, *Ordine Melchiſedech*, commemoremus, ſiue ille fuerit Sem filius Noë, primus poſt cataclyſmum Deo ſacrificans, ſicut Abel protoplaſti primogenitus, ſiue alius Rex Salem, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, qui interpretatur Rex iuſtitiæ, Rex pacis; Chriſtus certe Dominus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech; & ideò Aaron, ille mediator DEI & hominum, ſecundum humanitatem in illo figuratur. Et quia ſubmittitur *Unctione Chriſtus*, illic adiiciemus, quæ hic dici à me potuiſſent.

Porrò quod dixiſti, *Dignitate Aaron*, is Moyſi viro Dei, Duci Iſraëlis, paruiſſe traditur cum uniuerſo ordine Leuitico. Præcepit quippe Dominus Moyſi, ut

poſt

poſt ordinationem Aaron & filiorum eius, prorſus tribus Leui ad diuini cultus miniſteria ordinaretur & conſecraretur Domino, & ſeruirent pro Iſrael coram Aaron & filiis eius in tabernaculo. Hos duos ordines veteris legis fuiſſe, nemo tibi negat. Alios quoque novo ritu Eccleſia introduxit, quorum omnium officia caput noſtrum JEſus Chriſtus in ſemetipſo exhibuit, & corpori ſuo (quod eſt Eccleſia) eosdem ordines inſtar ſeptiformis gratiæ Spiritus reliquit obſeruandos. Ergo & hunc paſſum unctioni Chriſti reſeruemus. Quod autem ſubdis *Authoritate Moyſes*, id eo ſpectat, quod idem Bernardus admonet in quarto: *Tuum eſt vnumquemque evocare & adſciſcere tibi, exemplo Moyſi ſenes & iuvenes: ſed ſenes, non tàm ætate quàm moribus, quos tu noſti, quia ſenes populi ſunt, &c. Conſilio non prece agendem eſt.* Id certe quomodo ſeruetur, ipſe iudicato. Sed pergamus ultra.

Judicatu Samuel. Caveat ergo ne dicatur ſibi, ditavimus Abraham. Sed ut cum eodem Samuele libere ad populum concionari ſibi liceat: *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, utrum bovem cuiuſpiam tulerim, aut aſinum; ſi quempiam calumniatus ſum, ſi oppreſſi aliquem, ſi de manu cuiusquam munus accepi: & contemnam illud hodie, uobisque reſtituam.* His enarratis ſubdit Bernardus: *O ſi daretur talium copia virorum, quales perſtrinximus nunc, quid illo iucundius ſeculo. Nonne ſecunda ab æternitate illorum tibi temporum beatitudo videretur, &c. Et nunc reduc oculos, mi Eugeni, ad eum qui nunc tuæ curiæ ſeu Eccleſiæ eſt, ſtatum, & ſtudia Prælatorum, eorum præſertim, qui in circuitu tuo ſunt.* Sed de his hactenus, ego palpaui non fodi parietem.

Nunc ſequitur, *Poteſtate Petrus.* Sed Bernardum tuum rurſus audi: Tu paſtor procedis deauratus, tam multa circumdatus varietate. *Oves quid capiunt? ſi auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium paſcua hæc, &c. Scio ubi habitas, increduli & ſubverſores ſunt tecum. Lupi, non oves ſunt. Scilicet ſic factitabat Petrus, ſic Paulus ludebat, &c. Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus, vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec conſtrepentibus ſeptus miniſtris. Absque his tamen credidit ſatis adimpleri poſſe ſalutare mandatum: ſi amas me, paſce oves meas. In hiis ſucceſſiſti non Petro, ſed Conſtantino, &c. Opus ſac Evangeliſtæ, & paſtorum opus impleſti. Dracones (inquis) me paſcere & ſcorpiones, non oves. Propter hoc (inquam) magis aggredere eos: ſed verbo, non ferro: Quid tu denuo uſurpare gladium tentas, qui ſemel iuſſus es reponere in vaginam, &c.* Quod ſequitur de gladio bifario, id certè prætereo & ad Monarchiam Dantis Aligherii remitto, transcurrens uſque illac.

Unctione Chriſtus. Siue dixeris, chriſmate unctus, ſeu unctione chriſmatus, utrumque tibi conceditur. Dixeris fortaſſe regium nomen Chriſtus eſt, ſed eius regnum ſecundum carnem non eſt de hoc mundo. Eundem Bernardum lege dicentem: *Non tu ille de quo Propheta: Et erit omnis terra poſſeſſio eius. Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſionem ſibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum eſt: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Poſſeſſionem & dominium tede huic. Tu curam illius habe, pars tua hæc, ultra ne extendas manum tuam. Nunquid non & villa villico, & parvulus Dominus ſubiectus eſt pædago? Nec tamen is villa, nec iſte Domini ſui Dominus eſt. Præſis ut fidelis ſervus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Nullum tibi venenum, nullum gladium plus formido, quam libidinem dominandi.*

Sed proſequamur illud, *Tibi claues tradita.* Magna eſt clauium ſignificantia materialium. Clavium in conſpectu rei traditio, ſiquidem aceeſſus patet non impeditus, facit poſſeſſorem accipientem, ſi adfuit animus transferendi: alioquin cuſtodia commendatur, quia deponere eſt commendare non imperium concedere. Hæ vero claves regni cœlorum non adimunt carnis fragilitatem, facultatemque peccandi. Ideo ſecundum eundem Bernardum ſollicitudinem tibi iniunctam intellige evangelizandi, ac non poteſtatem imperandi. Quod hiis verbis innuit: *Non eſt ſapiens inter vos, ait ille, qui iudicet inter fratrem & fratrem?*

Ad

Ad ignominiam vobis dico, contemptibiliores, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicium. Ita ſecundum Apoſtolum indigne tibi uſurpas officium vile, gradum contemptibilium. Et ne dicas Apoſtolum pro tempore locutum, ſubiicit Bernardus: *Putaſne hæc tempora ſuſtinerent, ſi hominibus litigantibus pro terrena hæreditate more Domini reſponderes. Quis me conſtituit iudicem ſuper vos, &c. Niſi aliquando quiſpiam Apoſtolorum iudex ſederit hominum. Stetiſſe denique lego Apoſtolos iudicandos, ſediſſe iudicantes non lego. Erit illud, non fuit.* Bernhardum tuum tibi retorqueo, meam ſententiam comprimo, quia nimietatem meo iudicio damnarem ego, ut idem ait, ne aſſiduo coram te reſonent leges Iuſtiniani, non Domini. Oppreſſis ſuccurrere minime vitupero, ambitionem autem præcipuè condemno.

Poſtremo dicis, *Tibi oves credita.* Si amas me, paſce oues meas, dixit Dominus, ubi Bernardus ait: *Donabis lupos, ſed ouibus non dominaberis. Paſcendas utique, non premendas ſuſcepiſti.* Neque exploratum habes, an tunc præſto fuerint cæteri diſcipuli, ſicut dum omnes miſit in orbem. At ne Bernardum egrediamur, eundem in tertio ſic ordientem legito: *Parentes tui deſtinati ſunt, non ad aliquas regiones, ſed ipſum orbem debellaturi. Ite in orbem uniuerſum, dictum eſt illis. Ipſi verò vendentes tunicas, emerunt gladios, ignitum eloquium ſpiritum vehementem, arma potentia Deo. Quo non pervenere victores inclyti filii excuſſorum? Quo non ſagittæ potentis arcus, &c. Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ virtus eorum. Nimis confortatus eſt principatus eorum.* Vide, Læli, ſi hæc ſoli Cephæ digne defetas, quod olim Dominus per Prophetas de omnibus præconiſauit, nouiſſime per filium ſuum dixit ad omnes. Hoc Bernardus intelligens ſubdit eis, *Tu ſucceſſiſti in hæreditatem, non ergò ſoli Petro.* Et niſi me intra Bernardi dogma continerem, jam decertarem, an quadrans an dodrans hæreditatis Chriſti ad Papam aut Epiſcopos per eum, cui creditum eſt præputium, an per eum qui circumciſis euangeliſauit, deriuatus ſit. Sed quartam vel ſolidum ſibi deferamus, dummodo meminerimus eiusdem Bernhardi dicentis: *Præſis ut fidelis ſeruus, ad quid? Ut des illis eſcam in tempore, hoc eſt, ut diſpenſes non imperes. Recordare vocis illius: Sapientibus & inſipientibus debitor ſum. Ergò & infidelibus debitor es. Qua fiducia, qua conſcientia Chriſtum non offerimus eis, qui non habent? Expectamus ut fides incidat in gentes. At cui eaſu credere contigit? quomodo credent ſine prædicante? Petrus ad Cornelium, Philippus ad Eunuchum miſſi ſunt. Auguſtinus à Gregorio deſtinatus formam fidei tradidit Anglis, &c. An non limina Apoſtolorum plus jam ambitio, quam deuotio erit? an non vocibus eius tota die veſtrum reſultat palatium? an non ſpoliis eius omnis Italica inhiat inexplebili auiditate rapacitas?* Et rurſus in quarto: *Fuerunt ante te, qui ſe totos paſcendis ouibus exponerent, paſtoris opere & nomine gloriantes, nil ſibi reputantes indignum, niſi quod ſaluti omnium obeſſe putarent, impendebant ſubſtantiam, impendentes & ſemetipſos, ut is qui ait: Et ego ſuperimpendor pro animabus veſtris, ponebant quoties oportuiſſet ſine ſumptu Evangelium.*

Hæc ſuper paſtura pompaque pontificali ex Claræuallenſi dixiſſe ſufficiat. Me verò quoddam Concilium memini legiſſe, ubi ſuper inueſtitura Eccleſiaſticorum beneficiorum Clericis reſtituenda, & è contra de regalia ſecularibus reſtituenda Principibus diſceptabatur: qua & priſci mores patrum præſenti Prælatorum pompæ conferebantur, & quod ſecularia ſine lictoribus & appariroribus & ornatus luxu vix adminiſtrari poſſunt. Talis tandem incidit conſideratio, quod ſicut ſponſæ vel nouæ nuptæ primum ſolis ornantur, ut ſponſis placeant, deinde ſponſi adornant ipſas, ut & coram uniuerſo mundo gloria Chriſti ornamentis ſponſæ ſuæ refulgeat: Habeat igitur regalias, & quæ duntaxat Eccleſiam fuiſſe * quam vidit ille ciuitatem ſanctam Jeruſalem nouam deſcentem de cœlo, à DEO paratam, velut ſponſam ornatam viro ſuo: cum utique nos ſumus, in quos fines ſeculi deuenerunt, nullam aliam expectantes præter aduentum in gloria filii DEI. Sed neque ſatis parabola quadrat. Quippe apud Comicum Clitipho Cliniam Zelotypia

pia languentem ſolatur ex eo, quod amica eius humili veſte amicta, non alieno ſed proprio, uti quæ ſibi ornantur fœminæ, ſit ornata. Eſt ergò fornicaria ſponſa, quæ ornatur alteri quàm Chriſto. In gentilitate fateor turpe reputatum eſſe absque ornatu ſacerdotium. Nam eum tribunitiis, maxime Syllanis, factionibus nedum conſulatus, ſed & triumphus ac quæſtura plebi cum patribus eſſet communicata, & (ut Liuius ait in quarto) Quæſturam *namque eam non honoris ipſius ſine eſtimabant, ſed patefactus ad Conſulatum ac triumphos locus nouis hominibus eſſe videbatur: Patres contra non pro communicatis, ſed pro amiſſis honoribus fremere, negare, ſi ea ita ſint, liberos tollendos eſſe, qui pulſi maiorum loco, cernentesque altos in poſſeſſione dignitatis ſuæ, Salii Flaminesque nusquam alio quam ad ſacrificandum pro populo ſine imperiis ac poteſtatibus relinquantur.* Satis palpaui, non fodi parietem; Fodiat, cuius eſt fodere. Ideò autem extendimus ſermonem nòſtrum, ut intelligas quam vane linguam tuam in me acuiſti.

Transgrediamur ad illam epiſtolam, qua dicitur, *Si quis hunc* (ſcilicet Romanum Pontificem) *contriſtauerit Chriſtum, qui & credidit cathedram, non recipit, & quicunque contriſtauerit Doctorem veritatis, peccat in Chriſtum.* Hæc ſuapte natura & ſignificantia veriſſima ſunt. Nam & Rex & Princeps, omnisque poteſtas ſublimior, auctoritatis ſuæ virtutem per miniſtros expediat neceſſe eſt: quos ſi quis impedierit, DEI ordinationi reſiſtit. Hoc nouit Appius Claudius, qui Magiſtratum primus ſuaſit dictatoriæ poteſtatis cum lictoribus præeuntibus, dum dicit: *Pulſet cum mihi lictorem, qui ſciet jus de tergo vitaque ſua penes unum illum eſſe, cuius Maieſtatem violauerit.* Ecce quod Maieſtatem violat eius cuius lictorem pulſat violentus. Hoc hæreticus Septimus declarauit, dum docuit eos rebelles haberi, qui Magiſtratus & apparitores in exercitio commiſſi ſibi officii impediunt rebellando. Ergò qui Chriſti legatum in exercitio legationis ſuæ nititur impedire, Chriſto rebellat. Sunt verò eius legati quibus dixit: *Ite in orbem uniuerſum, & prædicate, &c.* An verò te fugit, in juribus fiſcalibus conceſſam eſſe facultatem reſiſtendi apparitori aut commentarienſi, non rite perſonam aut res innocentis inuadenti? Et Epiſcopus ex interdicto unde vi recte conuenitur, ſi Clericum licet prætextu pontificalis officii aut iudicialis auctoritatis non ritè deſtituit vel deiecit. Tolle ergo cauillum, improbe cauillator, & nil reliqui habebis præter vanitatem. Quia nos Pontifici euangelizanti aut legationem Chriſti exequenti non reſtitimus, ſed percuſſori violento.

Sed quod de putredine ſcatente in nos inuehis, omnium viliſſime, hoc tibi reiicimus: quoniam pus tuum induruit ardore nequitiæ, ut nullo unquam antidoto liqueſcat. Quia callidiſſimæ aſſentationis tuæ verſutias etiam usque ad Imperatoris Romani palpationem pertendere tentas: cuius ignauiam ciues mirantur & hoſtes, totus poſtremo faſtidit orbis Chriſtianus, & quisquis Imperii Romani nomen reueretur, condolet alterum Sardanapalum hoc quondam triumphale ſolium occupare. Deinde profluis maledictis & conuiciis, quibus ſi quid viciſſim obiecero, & clauum clauo retudero, nil plus egero, quam ſtercora tua vicariis obruere ſordibus. Satius eſt ergò fœtores tuos ſordere, quia nil affers, inquo ingenia conterere valeamus.

Ad illa pergemus, quibus contendere paras, *licere Pontifici non vocatum condemnare*, exemplo Moyſi, qui absque præuia cognitione crimen idololatriæ plurima populi ſtrage piauit. Subſequeris de Phinees in edicti ſui transgreſſores, de Helia in Sacerdotes Balaam, & nuncios Regis Ochoziæ, de Petro & Anania & eius uxore Saphira, Paulo & Clinia mago. O miſerum ingenium tuum, qui ex iis quæ nutu DEI & gratia ſingulari aguntur, ad humana fragiliaque opera per hominem peccatis obnoxium pro libito voluntatis ſuæ patrata, locos ducere credis exemplares, ac curuum ſermone rotato tentas enthymema retorquere. Nonne iunior didiciſti, humana priuilegia non eſſe in conſequentiam trahenda? Tu verò diuinas actiones homini ducis communicandas. Diſce nunc, ea quæ Spiritu DEI aguntur, nullis obnoxia legibus eſſe, nec mediatorem DEI & hominum JEſum Chriſtum ſecundum diuinitatem, neque Sacerdotem ſecundum

ordinem Melchiſedech, neque Papam eius vicarium eſſe, ſed ſecundum humanitatem quam aſſumpſit Deus homo factus. Si enim una manu tot impios, quod Moyſes ſtrauiſſe perhibetur, ipſe proſterneret, in ipſo etiam ſacro furore ſecernens tribum innoxiam; ſeu precibus eius Deus perimeret eos, quos ipſe cenſuris etiam inauditos vexauit innoxios, aut Cœlibum Ducem officio priuaret oculorum, iam gloriari poſſet omnia nutu DEI procedere. Denique ſurripis colloquium Moyſi cum fratre præmiſſum ante cædem, & ſupprimis verba Petri, ſcilicet; *Anania cur tentauit Sathanas cor tuum mentiri te Spiritus ſancto?* quæ ſuper ſingulis reſponſa prolixa forent. Unum te latere non ſino, quod myſtica Theologia ita demum eſt argumentatiua, cum à Chriſto vel à ſanctis Patribus inuenitur recepta. Vide nunc ſi noſtra vel tua exempla ſunt recepta.

Nunc illud examinemus, quod tu vocas efficacius, egoque id reor propoſitæ materiæ propius adaptari, de Corinthio, quem abſentem corpore Sathanæ tamen tradidit Apoſtolus absque iudicii tela, ob reatus ſui notorietatem, quia Corinthios non latebat inceſtus eius in nouercam. Non arbitreris, Læli præſumptuoſe, me vaſis electionis cenſuram in Corinthium ignoraſſe: ſed eius exempli translationem portentoſam aſſero, dum rete mihi texens ſic licia trahis: *An verò inficiari poteris, crimen tuum non fuiſſe notorium, qui palam criminoſum & Sacrilegum Sigismundum in crimine confouebas, &c. nec calumnieris id non eſſe facti permanentis, &c. id iure factum eſſe contendis.* Poſt hæc deliramenta tandem eo recurris, ſi factum nulla poſſit tergiuerſatione cælari, neue defenſio ulla competere, liceat absque cognitione præuia facinoroſum damnare. Inſuper adiungis, *quod ſi quis peccat in conſpectu iudicis, illicò plecti debet:* addere debebas hoc verbum, *ſcilicet ut iudicis*, ſcilicet aſtantibus circumſepti, ut ſit par iudicialiter confitenti, in quem quales ſint iudicis partes, olim noſti ſcholaris, nunc doctoratus aſſumptione litura literis inducta eſt tuis. Nunc ad ſingula quæque noſtra feſtinat Apologia. Quid tecum Læli contendam, qui nil omninò ſapis, nec quid iudicare ſit intelligis, nec quomodo vas electionis iudicauit animaduertis. Tu forte putas, neminem iudicare, niſi cui de publico ſit data poteſtas. Iudicat ſenſus de ſenſato, & intellectus de cognito, cum phantasmata ſpeculatur vel intuendo, aut ex intuitis eliciendo aut abſtrahendo circumſtantias usque ad rem ſecundum ſe, aut diſcurrendo per varietatem cognoſcibilium, ut de morbo medicus, ac quisque de eo in quo plurimum pollet. Apoſtolus abſens iudicauit tanquam præſens. At quomodo? certe intra ſe iudicauit, quid de Corinthio inceſtuoſo facturus eſſet, quando cum fratribus Corinthiis ad ſe venturis conſtitueretur, quem in ſpiritu vidit operantem opus ſceleratum, aut forte litteris ſibi fuit indicatum ad Epheſum. Non ergò tradidit, donec Corinthios congregauit. Hoc habent Apoſtoli verba dicentis: *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui, ut præſens.* Quare? quia in Spiritu vidi. Quid autem iudicauit? Scilicet eum, qui ſic operatus eſt, *in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti congregatis vobis, & in meo ſpiritu cum virtute Domini JEſu, tradere huiusmodi Sathanæ in interitum carnis, &c.* Iudicauit ergò Apoſtolus intra ſe ſecundum Spiritum, Sathanæ verò tradidit congregatis Corinthiis fratribus, non Epheſiis aut Galatis. Alias argumentationes vacuas eſſe liquet. Siquidem Duci aduerſus Cardinalem conſtiterit ſupereſſe defenſionem. Id verò quanquam iam liquido compertum tibi, etiam quam ut breuius explicem, ſic accipe. Cardinalis tuus ſponte, libere Capitulo ſuo annuente, prædeceſſorum ſuorum more, Ducem Sigismundum aduocatum Eccleſiæ ſuæ recognouit, ac omnium rerum eius, cum duobus caſtris in Carentana ſitis; eaque omnia, ſi quando opus eſſet, in auxiliis aduocati ſore ſpoſpondit. Sub hac tutela impinguatus, dilatatus, Eccleſiæ caſtra ad manus exteras transferre tentauit. Extant documenta manu ſua ſcripta, extant qui tractarunt, & apud quos machinatum eſt. Dux ſtatui ſuo prouidit, illico cautione recepta ſecuritatis ſtatus ſui, omne regimen Eccleſiæ apud Cardinalem liberè permanſit, hoc modo prouiſo', ne caſtra ſub extero dominatu redigantur. Vide num ſatius fuerit periculis

periculis obviare, quam poſt cauſam vulneratam remedium quærere. Nam (ut aiunt) ſuſpicari de præterito, quam re ipſa experimentum capere eſt melius.

Poſtea miſerrime inſanis, quaſi Princeps legibus ſolutus damnare valeat inauditum. Si quæ ſcholaris didiciſti, non abſterſiſſet Doctoratus vel Pontificatus, iam promptum haberes, ubi ſcriptum eſt? *Etiamſi coram Principe arrogatio habeat fieri, vocandos eſſe quorum intereſt.* Hic vero de maiori præiudicio agebatur. Dehinc cæcas ineptias tuas effundis innuens, quod ſicut teſtamentum coram Principe factum omnium teſtimoniorum ſolemnia exuperat, ſic quæ per Principem aguntur, legibus adeò ſoluta ſunt, ut nec in ius vocationem requirant, tanquam à ſolius Principis potentia vim habeant rei iudicatæ. O pauper ſenſus? Dic, oro, cui præiudicatur ex omiſſione ſolemnitatis in teſtamento, dummodo conſtet, ſic placuiſſe teſtatori? at cui præiudicatur per priuilegium teſtamenti militaris, aut ad pias cauſas, vel inter liberos, aut ab inteſtato ſucceſſuros, aut in pacto mutuæ ſucceſſionis? aut ſi quis heres inſtitutus neget à ſe legata relicta, deinde conuictus ſe defendat, non eſſe ſolemniter relicta? Sed an quocunque caſu etiam Principis præſentia facit narrata in teſtamento vim veritatis habere, ſicut res iudicata? Quid ſi teſtator coram Principe dicat: *Centum quæ mihi debet Titius, Seio do, lego;* an probetur debitum? Diſce pauper ingenio inter iuris ſolemnitatem & naturalem ſecernere neceſſitatem. Erubeſce hæc tua, ſcripta doctis hominibus innotuiſſe. Nam licet de me malè meritus ſies, mallem tamen errores tuos penes te retinuiſſes.

Alias vanitates pari errore teſperſas mitto, hoc unicum tibi concedens, quod ubi ſeditio imminet, ubi gentes & regna commoventur, licere Principi absque partium vocatione imminentia præuenire pericula, quæ interea ſurgerent, poſtea ſortaſſe non reparabilia. Sicut apud Valerium in ſapienter factis comperio, quod ciuitate clandeſtinis machinationibus fæuiente, Princeps eius lege de indemnatis non caſtigandis abrogata, comprehenſis continuo ſontibus & necatis, illicò legem reſtituit. Si quis ergò Pontifex in diſſenſione pro Imperio Romana habita officioſè intervenit, quid habet hoc commune cum cauſa noſtra, aut etiam cum cauſa Maguntina, de qua Domino annuente poſthac diſceptabitur. Nam & de ſeditioſis Juſtinianus nouiſſimo iure prouidit, ut leuiori ſuſpicione præuia contra notatos in crimine illo procedatur. At in omnibus hiis caſibus tela iudicii ſucciditur, naturalis neceſſitas non violatur.

Poſtremo repetitis blaſphemiis, ut malignitati tuæ naturæ ſatisfacias, tandem ſecernis, an de crimine contra quempiam inquiratur ut damnetur, an ut declaretur pœnam promulgatam incidiſſe: quo ultimo caſu nil novi ſtatuitur, ſed reus legis factioſus nunciatur. O cauillator præſumptuoſe, num audiſti Ducem Sigismundum ſtatui ſuo prouidiſſe, ne Cardinalis dextram eius fallens alium dominum immitteret? Tales proditores Maro in VI. apud inferos ptiore loco ſupplicii deputauit. Audiendus igitur erat Dux: quia etſi de facto conſtabat, de hoc erat diſceptandum, num iure vel iniuria factum eſſet. Quod autem ad Concilium appellarum eſt, id argui non poteſt: quia ex ſalutaribus magnæ Synodi inſtitutis iam dies Concilii ceſſit, decennium effluxit: culpandus eſt Pontifex qui reſiſtit. Sed dic miſer, qui tam parum penſi habes; Si quis Judex falſo denunciet Titium homicidii reum, & idcirco lege Cornelia de ſicariis obnoxium, an minorem fecerit iniuriam, quam ſi decernat eum homicidii reatum incidiſſe. Erras longe, ſi putas ullam tenere pronunciationem, ſententiam vel declarationem, aut falſam publicationem, contra non vocatum vel inauditum. Num Pontifex ipſe ſecum diſſidet, qui ducem vocauit cauſas dicturum, cur ad pœnas comminatas procedi non debeat: at legatum Ducis id parantem carceris comminatione diſterruit, ne quid allegaret. Tibi dico omnis cognitio cauſæ vel rei, quæ ſit futura præiudicialis, euocationem prærequirit: ſine de facto conſtet, & quæratur facinoris auctor, aut conſtet factum, & per quem, ſed dubitetur iure vel iniuria; ſea conſtet non iure factum, & diſputetur de genere pœnæ. Sed & quandoçunque

de alterius præiudicio certatur, vocandus eſt is qui habet intereſſe, etiam Principe cognoſcente quem latere poſſunt hominum facta: ſolus Deus eſt, quem nullum fugit ſecretum.

De primatu Eccleſiæ Romanæ.

Sentina mendaciorum perfidiſſima deſcendens in barathum calumniarum, quid me calumniaris quaſi primatum Eccleſiæ Romanæ pernegem? qui ſcio omnibus Apoſtolis eſſe dictum: *Ite in orbem, & quodcunque ligaveritis*, &c. Non poteris effiecre, ut verba mea ſonent aliud quam vox Evangeliſantium bona, prædicantium pacem. Tu verò undecim Apoſtolos ſupprimere quæris, ut omnem Eccleſiaſticam poteſtatem redigas in Petrum, neque fateris cœtum Apoſtolicum uno ſuperiorem: qui tamen cœtui paruiſſe perhibetur. Sacra generalia Concilia inficiaris eſſe fidei Chriſtianæ firmamenta, & a Chriſto habere poteſtatem in omnes Chriſti fideles, etiamſi Romana pontificali præfulgeant dignitate. Quod te malum rationis in hanc dementiam coniecit, ut ex meis veris & Evangelicis prolatis infalſos errores incideres? An ulla eſt diſcordia veris, ſemperque ſibi certa cohærent, & omne verum vero conſentit. Dic tu, qui ſoli Petro paſturam attribuis, quid eſt quod diſcipulus ille, quem diligebat JEſus, de ipſius Saluatoris pectore fluenta ſacra potauit: an ut intra ſe contineret, an ut evangeliſaret? Dixerunt autem diſcipuli XII. in congregatione multitudinis credentium: *Non eſt æquum nos derelinquere verbum DEI?* Et autem Evangeliſare paſcere, ſcilicet pabulo verbi divini. Quid vas electionis, nuncius JEſu Chriſti? *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per JEſum Chriſtum & DEUM Patrem*, &c. Sed quia utrumque errorem tuum poſtea falſis rationibus fucare præſumis, in proceſſu tractatus latius confutabo, ac confuſionem ordinis tui inſtigatus à te veſtigiatim imitabor. Primo veniam habiturum fidis, ſi paulò altius principia repetas. Proiicis ampullas, & profeſſus grandia turges. Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Gloriaris te loqui ſcire, quod nullus ignorat: *Eccleſiam ab eo conſtitutam, cuius perfecta ſunt opera, quique legem naturæ ut infima ſummis, ſumma infimis*, &c. Me admones eorum, quæ didici puer, ſcilicet elementarem mundum numerorum lege compactum. Hoc ita pueri noſtri pronunciant: Omnia quæ à primæua rerum origine proceſſerunt, ſub numerorum ratione formata, &c. Deinde docetur, quod quantum uniuscuiusque elementi ſoliditas aut raritas alterum excedit vel ab alio ſuperatur, tantundem alterum quantitate ſtringi vel diſtendi: rurſus ſi una qualitate aduerſatur, altera communicatur. Dehinc ætherei mundi compagem attingis, de Angelis & Archangelis grandia, quæ præfando ſpoſpondiſti, exoluiſſe putans: quæ quia poſtea ſuperbius ampullaris, iam valere ſino. Sed ne nos litterarum expertes aliis inſinues, accipe iſtud Socraticum contra Callidem in Gorgia relatum. *Dicunt autem Sapientes ò Callides, & cœlum & terram, & Deos & homines ſocietatem & amicitiam, & ornatum & temperantiam & iuſtitiam continere, & hoc totum ea de cauſa mundum nuncupant, ó amice, non immunditiam. Tu autem videris non attendiſſe, quia æqualitas Geometrica & in Ideis & in hominibus plurimum valet.* Ecce quod Gentilis harmoniam ſenſit omnium rerum compagem: neque id noſtri Pædagogi neſcierunt, qui nos docuerunt quod ſequitur:

Tu triplicis mediam naturæ cuncta mouentem
Connectens animam per conſona membra reſoluis.

Ergò ſi nil aliud habes, cur illud non cuſtodiſti? Compagem Eccleſiæ ſolus Papa ſoluit, qui membrorum officia præfocando impedit, & oppilando ſuffocat, ne quis Epiſcoporum officium ſuum tute valeat explere, iuncturas diſiungit, confundens harmoniam, dum omnium officia ſolus ſibi vendicat. Aufert corpori ſanitatem, dum membra ſingula ſingulis officiis non ſinit uti. In proceſſu dicis,

cis, *Unum in Eccleſia Principem, in quo & ex quo* * nemo contradicit. Si Petrum, reſiſtit tibi Paulus: *Ego enim à Domino accepi, quod & tradidi vobis*, non à Petro. Et rurſus: *Non ab hominibus, neque per hominem, ſed per JEſum Chriſtum.*

Pergis dicens, *Non à multis unum, ſed multa ab uno.* Cum à Pædagogo meo interrogarer infans, *Quid nam eſſet numerus?* reſpondi, *Unitatum collectio ab uno ſcandens ad plura.* Similiter & tempus *menſura motus rerum mutabilium.* Poſtea ab Auguſtino in ultimis Confeſſionum libris didici, eſſe diſcretionem potentiæ ratiocinatiuæ ſuper rebus numerabilibus aut fluxis. Tu vero quid dixeris, vix conſideras, quia non inferunt quod prætendis: ut Imerius ait, conſequentiam tollit contrariam, non inducit.

Proſequeris, *ut in corpore multa membra unius capitis ſumunt influxum, &c.* Fatemur, ſed non ita ut caput manus aut pedis uſurpet officium, reliquis ſcilicet Epiſcopis nihil relinquendo.

Sequitur, *Inferiores motus primi mobilis motu gubernantur.* At non Sol rutilo concitus igne Phœbus gelidum impedit axem, ſed veterem ſeruant ſidera pacem.

Sequitur, *Ut ex reuerentia inferiorum ad caput una concordia fieret.* Viciſſim lege S. Gregorium corripientem Epiſcopum, quod ſe *Univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum* nuncuparet: Dicentem: *Cum omnia tibi tribuis, adimis mihi, &c. Honor meus eſt fratrum meorum ſolitus vigor.*

Sequitur, *In apibus unus Rex eſt, & grues unam ſequuntur ordine litterario.* Si attentius quæ legiſti, obſeruaſſes, iam ſcires illud de quolibet Epiſcopo dictum eſſe, ut ſequitur: Scire debetis Eccleſiam in Epiſcopo & Epiſcopum in Eccleſia eſſe, neque inficiari debes in Eccleſia eſſe Romanum Pontificem, extra quam nullus ſaluatur. Erit igitur Eccleſia Pontifice maior, ſicut cœtus Apoſtolicus fuit maior Petro. Sed quia gloriaris in apum metaphora, quam fateor eſſe præcipuam, nullus quoque populos attentius Regem obſeruare, quo amiſſo rumpitur fœdus, mella diripiuntur, favusque diſſoluitur. Eum igitur humeris attollunt, & obiectant corpora bello, pro quo nec mori recuſant. Sed quare, ut ſingula quadrent, omnes enim in commune mellificant, communiter & prolem educantes (ut ait Maro) ſolæ communes natos, conſortia tecta urbis habent, & in medium quæſita reponunt. Rex autem eſt operum cuſtos; non ſic etiam Pontifex Romanus; qui Piccolominibus Pientiæque theſauriſat? Talis Rex iubetur expelli, ut rurſus ait Maro:

Deterior qui viſus, tum ne prodigus obſit,
Dede neci, melior vacua ſine regnet in aula.

Poſtea calumniosè præuaricaris Bernardum Clarævallenſem, quaſi omnem poteſtatem in ſolum Petrum innuat eſſe transfuſam, dum dicit: *Sicut Seraphin & Cherubin cæterique ordines ſub uno capite, &c.* Sed longe alia eſt mens Bernhardi, qui execrans deteſtansque Prælatorum exemtiones, Eugenium ſic arguit: *Subtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, ii Patriarchis: & ſic facilitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis. Honorum ac dignitatum gradus, & ordines quibusque ſuos ſeruare poſiti eſtis, &c. Tu ne denique tibi licitum cenſeas, ſuis Eccleſiam mutilare membris, confundere ordinem, perturbare terminos, quos poſuerunt Patres tui? Si iuſtitia eſt ius ſuum cuique ſeruare, auferre cuiquam ſua quomodo poterit conuenire? Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas, & diſſentis ab eo, qui ait: Non eſt poteſtas, niſi à Deo. Proinde quod ſequitur. Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit, etſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Rurſus, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus, tanquam in multis. Non tua ergò ſola poteſtas à Domino, ſed & inferiores, &c. Monſtrum facis, ſi manum ſubmouens digitum facis capiti collateralem, aut in corpore Chriſti membra locas aliter, quam diſpoſuit ipſe. Niſi putas, alium eſſe qui poſuit*

in Eccleſia quosdam Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Doctores & Paſtores, &c. Sicut illi Cherubin & Seraphin &c. Quod ſi dicat Epiſcopus; Nolo ſubeſſe Archiepiſcopo, aut Abbas, noli obedire Epiſcopo, hoc de cœlo non eſt, niſi tu forte Angelorum quempiam dicentem audiſti; Nolo ſub Archangelo eſſe. Vides ergò doctrinam Bernhardi Eugenio ſinceriter datam, quam tu impiè præuaricaris, qui ex reſeruationibus Eccleſiarum Cathedralium & confuſione hierarchiæ conſequentis ad illam nactus es pontificatum.

Sequitur nunc illud Evangelicum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Multi calumniatores tui pares ex hoc verbo audent aſſerere, ſuper ſolo Petro ædificatam eſſe Eccleſiam. Illis tuus Bernardus diſſentit, ubi ſupra, dicens: *alios Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas, Doctores, Paſtores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Atque hoc corpus, quod tibi ipſe Paulus hoc ſuo Apoſtolico figurans eloquio, & capiti conuenientiſſimè adaptans, totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iunctturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram, uniuscuiusque membri augmentum corporis faciens, in ædificationem ſui in charitate.* Chriſtus eſt ergò caput, cuius membra ſumus per charitatem. Illud igitur iungas: *Petra autem erat Chriſtus indeficiens.* Nam & Hieremiæ dictum eſt à Domino: *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna, ut euellas & deſtruas, diſperdas & diſſipes, ædifices & plantes:* nec tamen ideò ſumma rerum ſibi ſoli collata perhibetur.

Sequitur, *Una eſt columba mea, perfecta mea, &c.* unitate fidei & charitate Chriſti, non Petri vel Pii: quibus defunctis non deſinit Eccleſia, neque exſpirat, ſi duo auari certent de Papatu, ut ſæpe, aut Papa erret in fide, ut quandoque, Imo & Indum recte credentem in Eccleſia eſſe confido, ne coactio neceſſitatis ipſum excludat à regno Dei, quod promiſit credentibus in ſe Dominus.

Sequitur, *Ego & Pater unum ſumus.* Quis hic dubitet JEſum Chriſtum patri conſubſtantialem? nec dubitatur, quin Chriſtus aſcenſurus ad Patrem cuncta ſaluti noſtræ opportuna prouiderit: qui & poſt aſcenſionem & Spiritus ſancti miſſionem Paulum ad præputium miſit, de quo differere poſt hoc non omittam.

Redis nunc rurſus ad Clarævallenſem, quaſi ille rem omnem ſoli Papæ attribuat. Cogis me rem illam abinitio attingere, ne putent homines ignari, Bernhardum ipſum pompam & gloriam Eugenio perſuaſiſſe. Bernardus Clarævallenſis ſcripſit ad Eugenium ſuper Pontificatu librum unum, hortans eum ad DEI cultum, & contemptum mundanorum, dum dicit: *Putasne tempora hæc ſuſtinerent, ſi hominibus pro terrenis litigantibus voce Domini reſponderes: Quis me conſtituit ſuper vos?* Et iſtud: *Cum obſidio urbi & barbaricus enſis immineret, beatus Gregorius extremam & obſcuriſſimam partem Ezechielis tam diligenter quam elegantèr expoſuit.* Et illud: *Diſputationes aduocatorum magis ad ſubuerſionem, quam inuentionem proficiunt veritatis.* Et illud: *Timeant nummularii, nec fidant in nummis, ſcientes effundere quam accipere te paratiorem.* Ominatus eſt vir ſanctus ſeſe calumniari: idcircò telam ſuccidit, librumque clauſit hiis verbis: *Atque hic ſit finis iſtius, ne duplo te oneret minus ſuauis oratio, ſi & longa fuerit.* Hoc etiam probat ſequentis libri principium, quod continuo apologeticum eſt, tum circa prioris libri præcepta, tum circa titulum eius, quem illi iam *De conſideratione* impoſuerat. Tantus enim liuor in virum ſanctum aſcenderat, ut & titulus libri veniret in calumniam, quaſi vir ſanctus conſiderationem pro contemplatione nuncupaſſet. Huiusce defenſionibus prælibatis vir ſanctus ad prioris libri præcepta reuertens, ait: *Non eſt quod blandiatur celſitudo. Diſce tibi ſæculo opus eſſe. Nam Propheta cum ſimiliter levaretur, audiuit, ut euellas & diſſipes, &c.* Quid aliud hoc innuit, niſi cum leuaretur Propheta, ſicut tu; quia ſimilitudo differentiam notat non identitatem, &c. *Tolle fucum fucati honoris.* Ex quo ſatis intelligitur Doctorem ſanctum calumnias eſſe perpeſſum, qui & iam dixerat: *Libens in me accipio detrahentium linguas maledicas, & venenata ſpicula blaſphemantium.* Et cum plurima ſcripſiſſet vir ſanctus in execrationem deliciarum & pompæ pontificalis,

ealis, ſubdit illa : Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, &c. Deinde ſubmittit de prioritate Petri ; at non ita, ut illi ſoli poteſtas ſit delegata, ut ſuperius dixi ſuper eisdem verbis. Quid igitur in Bernardo gloriaris, qui delicias & pompas Pontificis adoras ? ad quarum deteſtationem & omnium temporalium rerum contemptum omnes illi quatuor libri à viro ſancto profecti ſunt, non autem quod Eugenius præ cæteris illis abundaret, ſed ut omnes Romanos Pontifices miniſterii ſollicitudinisque pontificalis commonefaceret, ut ipſe quoque teſtatur. Nam cum ſingula quæque ad eminentiam ipſius dignitatis ſpectantia explicuiſſet, admonet eum ſuæ vilitatis, & prædeceſſorum ſuorum humilitatis, quæ tu impiè retices & ſupprimis, quaſi vir ſanctus delicias, pontificales & devorationem omnium velit approbare, qui tamen contra Pontificis auaritiam ſcribens ait, *omnia poſſidens non contentaris uniuerſo, &c.* ut ſcripſi ſupra, ſuper his verbis : *Tu primatu Abel.* Hac igitur lege coëamus & conciliemur, Clarævallenſem in omnibus ut accipias, ut ipſius Pontificis eminentiam veneremur, auaritiam verò cum Bernardo deteſtemur. O quid putas dicturum fuiſſe Bernardum, ſi vidiſſet Romanum Pontificem de minutiſſimis beneficiis diſponentem, & hierarchicum ordinem per omnia confundentem, & ſuum monaſterium S. Anaſtaſii de urbe conceſſum in commendam ? qui ægre tulit Abbatum exemtionem damnans eam velut perturbationem ordinis à ſanctis Patribus præfiniti.

Inter hæc unam admiſces hæreſin, dicens ; *In reliquos diſcipulos non niſi per Petrum ſit deriuata poteſtas.* Hoc neque Anacletus dicit, nec magnus Leo conſentit, fatentes Petro quidem omnimodam poteſtatem traditam, id eſt, nullis terminis coartatam ; minime autem diffitentur & cæteris Apoſtolis claues eſſe traditas à Chriſto immediatè. Dic rudis hæretice, ubi legiſti, Petrum quemquam Apoſtolorum in Sacerdotem vel Epiſcopum conſecraſſe ? Ergò diſce, omnes undecim Apoſtolos viua voce veritatis ordinatos : quia manuum impoſitio ritus eſt ab Apoſtolis introductus, poſtea ſolemnes prædicationes adiecit Eccleſia. Matthiam autem non aliter legimus ordinatum, niſi quod inter duodecim annumeratus eſt, & ſpiritum ſanctum cum aliis accepit, ita ut non eſſet ulla manuum impoſitio neceſſaria. Atque hodie veritas eſt indubitata, nedum ſacrum ordinem, ſed & omnia Sacramenta à Chriſto immediate conferri. Epiſcoporum autem & Sacerdotum miniſterii exhibitio corporalis incorporalia ſacra contingere non valet, ſed ſpiritualis collationis præbet indicium infallibile : quia non faciet JEſus irritum pactum ſuum ut cum miniſter eius officii ſui miniſterium in nomine eius exhibet, ipſe præſtat quod repromiſit. Dic ſi ſpeculator in colle conſiſtere iuſſus, hoſtili exercitu inter anguſtias viſo, ſigno dato moneat Imperatorem, ſicut pactum fuerat, isque ſubito impetu obruat hoſtem, cui actionem attribuis, cui ſummam rerum defers ? Te parem eſſe reor Simoni, putanti manuum impoſitionem Petri ac Joannis factam ſuper baptiſatis in Samaria, qui nondum acceperant Spiritum ſanctum, corporali quodam attactu id effeciſſe : Sicut ouum, quod ex cubatione gallinæ viuificatur. Cui Petrus ait : *Exiſtimaſti donum DEI pecunia poſſideri. Pœnitentiam itaque age, &c.* Rudis es, de ſacris rudiſſime ſentiens, alta tamen attingere audes, dum dicis, quod miſſio Petri & Johannis in Samariam à Coapoſtolis facta non ſit indicium maioritatis omnium Apoſtolorum ad Petrum, & dicis ſimilem fuiſſe Arrii impium errorem dicentis, *Spiritum ſanctum patro filioque minorem quia mittatur ab illis.*

O philtrum groſſum, Feltrenſi populo dignum ! qui generationem & geniturum, ſpirationem & proceſſionem æternam, Patris Filii & Spiritus ſancti putas corporalibus rebus æquari, ubi mittens ac miſſus, generans & genitus ſubſtantialiter absque ulla eſſentiæ communicatione diſtinguantur. Sed ad textum redeamus. Ille ipſe Lucas qui ſcripſit : *Conuocantes autem XII. multitudinem diſcipulorum, dixerunt : Non eſt aquum nos derelinquere verbum DEI, &c. Conſiderate viros ex vobis boni teſtimonii ſeptem, & elegerunt Stephanum, Philippum, Procborum, Nicanorem, Timonem, Parmenam & Nicolaum, &c.* Vides quomodo apud Hiero-

Hieroſolymam XII. Apoſtoli congregauerunt Concilium, totumque Concilium elegit prædictos ſeptem, quos conſtituit ſuper hoc opus ſcilicet euangeliſandi verbum Dei, non autem Petrus. Ille idem Lucas ſubiungit, quod Stephano lapidato omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter Apoſtolos, & qui diſperſi erant pertranſibant euangeliſantes. Philippus autem deſcendens in ciuitatem Samariam prædicabat illis Chriſtum, intendebant autem turbæ hiis, quæ à Philippo dicebantur, &c. Et poſt pauca ſubdit Lucas: *Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui erant Hieroſolymis, quia Samaria recepit verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Johannem, &c.* Ex hiis conſtat luce clarius, Eccleſiam Dei Stephani lapidatione diſperſam, ſolis Apoſtolis manentibus congregatis, apud quos integra permanſit auctoritas. Qui cum audiſſent Samaritas in Philippum intentos, miſerunt & Petrum & Iohannem. Quid igitur calumniaris, æquivocando miſſionem Philippi ac Iohannis à miſſione Petri, in eodem orationis contextu, præcipuè autem inter Petri ac Iohannis, quaſi aliter Petrus ſit miſſus, aliter Iohannes? an quia Petrus dignitati ſuæ derogatum eſſe duxiſſet, qui tamen à ſolo Paulo reprehendi ſe ſuſtinuit? Ita enim Galatis ſcribit vas electionis: *Cum veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat, &c.* Neque enim Petrus quidquam Paulo contulit, ſed ipſe contulit Petro, quod acceperat à Domino. Tu verò ſomnia delirans dicis, *Qualiter Conſiliarii mittant Regem ad bellum, quamquam Rex ſit cunctorum Dominus, ita Petrus ab Apoſtolicis Samariam miſſus ſit, impulſis etiam amore eorum ad quos mittebatur, ſcilicet Samaritanorum.* Utrobique delitas phantaſtice. Neque enim Regii Conſiliarii Regem in bellum mittere, ſed conſultanti Regi, an bellum indicere vel ſuſcipere an exercitum ducere, an alium illi præficere expediat, adeſſe habent ac perſuadere. Ita Xerxen feciſſe legimus, cuius tantæ copiæ fuiſſe dicuntur, ut nec mare claſſibus, nec campeſtria equeſtribus neque aera telis capiendis ſufficere poſſe, aſſentatores aulæ ſuæ gloriarentur, præter unicum, qui cenſuit, *Immoderata regi non poſſe: quæ verò regi non poſſent, minimè ſubſiſtere.* Ita & cæteri Reges fecere: niſi forte quis præcario regnet aut vacuo Regis nomine contentetur, ut olim ante Faramundum Francorum Reges vidiſſe perhibentur. Et quia nimium ineptè locutum eſſe comperio, exiſtimare cogor te minime intelligere, quid Rex, quid regnum, quidue habeat dignitas & potentia regnatiua. Id ergo perſtringam, quia etiam à præſenti tractatu non abhorret. Etſi omnis vivendi & agendi ritus & norma, quibus pax & tranquillitas gentium vel populorum ſalubriter cuſtoditur, generali vocabulo *Politia* nuncupetur: tamen propter agendi varietatem, quam vel prauitas regnantium, vel ipſa dominantium improbitas, aut fati fortaſſe neceſſitas humana iudicia ſuperans tum perſuaſit, tum coëgit, auctores de politia ſcribentes illam profectò trifariam diſtinxerunt. Primam, quæ Principi Deo, qui omnem mundum regit, propius accedit, *Monarchiam* vocauerunt. Ea quidem in ſe ipſa perfectiſſima eſt ac populis accommoda, cum heroico viro defertur. Tales quippe fuerunt, quos Græcia diuinis colit honoribus, ut & Romani Quirinum ſuum ad aſtra tulerunt, qui tamen ob aſperius ingenium à Senatu diſcerptus eſt. De his ſocrates in Apologia: *Nemo unquam Reipublicæ gubernator erafit, ſi liberè ad popopulum locutus ſit, ac his, quæ iniuſtè indigneque plerumque fiunt, ſe oppoſuit. Sed neceſſe eſt ei, qui velit revera pro iuſtitia pugnantem vel exiguo tempore ſalvum fore, priuatum degere, neque Rempublicam attingere.* Tales neque hoc cœlum, neque tellus noſtra gignit, quorum meminit Philoſophus 3. Politicorum & Flaccus ad Oſilium: *Hos utinam inter heroas natum tellus me prima tuliſſet.* Sed quia unici hominis deprauatione Monarchia vertitur in tyrannidem, quæ fuerat Septimi Regis ab urbe pellendi cauſa, & Impetii conſularis pro regno permutandi, ſucceſſerit regimen optimarum, quod *Ariſtocraticum* vocatur, quia unici hominis deprauatione non adeò corrumpitur, quin ab incorruptis valeat rectificari. Hoc eſt, quod Cicero ab exilio reuerſus commemorat, cur tribunitio furori parere & in exilium abire maluerit, quam

ciui-

ciuilibus armis decertare, quod alterutro Conſulum incorrupto agente non dubitabat ſe rediturum : quem tandem omnis Italia humeris ſuis reportauit.

Cum autem optimatibus dominandi libido inceſſit, Ariſtocratia in Oligarchiam mutata eſt : ad tertium genus agendi deventum eſt, quod in ſpecie *Politiam* vocant, in qua quilibet viciſſim participat, id vulgò *Populare* vocatur, corruptum verò in tumultum vertitur, quem appellant *Democratiam.* In quolibet autem horum Principatuum genere, ſi incorruptum regimen permanſerit, populi unitas ſuſtentatur. Ita & in Conciliis univerſalibus etiam Papa ſublato, Eccleſiæ unitas conſeruatur, & manebit una columba formoſa perfecta, ſed & unum ouile unius paſtoris æterni, Chriſti Domini, Sacerdotis in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Id verò, quod de amore in Samaritanos delirando ſomnias, nil proficit, nec inter miſſionem Philippi, Prochori, Nicanoris, &c. ac Petri & Iohannis quidquam ſecernit. Ut autem intelligas, quam ſit impertinens ac diſparatum enthymema, quod miſſione ſempiterna patris & filii ad Spiritum ſanctum, ac miſſione cœtus Apoſtolici ad Petrum ſeu quemuis Apoſtolorum remotiſſima ſimilitudine retorques, ſic accipe. Legerat Arrius : *Patrem gignere filium, ipſumque genitum à Patre.* Rurſus, *Patrem ac filium ſpirare Spiritum ſanctum, illumque à Patre & filio procedere.* Alietatem ergò diſcretiuam proprietatis perſonarum Arrius accipiens, habentem ſe per modum cauſantis & cauſati, ex rebus autem naturalibus productis & creatis ad Deum æternum, ad perſonas coæternas, & coæquales ſimilitudine traducta, maioritatem inter illas eſſe putauit ; minimè conſiderans, quod in æterna generatione generans dat genito quidquid eſt, & quidquid habet, nil autem ſibi diminuens. Similiter & ſpirans dat ſpirato vel procedenti : hoc ſolo detupto, quod pater filio non communicat innaſcibilitatem vel gignendi actiuam proprietatem, qua quidem diſcretione à Filio ſecernitur. Similique modo Pater & Filius Spiritui non communicant actiuam ſpirationem æternam. Has enim notiones ſeparatas eſſe oportet, ne perſonæ confundantur. Diuina autem eſſentia perſonis ſingulis communicata, nec generans, nec genita, neque procedens, ſimplex & ineffabilis eas facit eſſe coæquales. Ergò Pater & Filius Spiritum æterna ſpiratione ſpirantes, atque etiam nouiſſime in diſcipulos Spiritum mittentes, nihil aliud à ſe ſpirant. Nam Deum de Deo, genitum non factum confitentes, æque Deum de Deo, & lumen de lumen mitti ac procedere confitearnur oportet. Et ſicut generans & genitus unum ſunt, ſic mittens & miſſus. Nec tamen ob hoc idem ſeipſum gignere, mittere vel ſpirare dicitur, ne perſona ſeipſam, vel eſſentia gignat eſſentiam. Non autem ſic cœtus Apoſtolicus unum eſt cum Philippo, Prochoro, Petro vel Ioanne.

Pergis deinde fingendo, quaſi ego innuerim Petrum ex Antiochia Romam à reliquis diſcipulis eſſe transmiſſum. Hoc de me (credo) fingis, ut habeas in quod conuitium habeas : neruos autem intendis, ſi efficere poſſis, urbem Romam Petri ſedem eſſe præcipuam, & primatum Petri ipſius urbis Romæ principatu, quem tunc habebat urbs ipſa confirmes. Rem ſatis tranquillam commouendo, plus dubitabilem reddis. Noſti communiter omnibus eſſe dictum : *Hoc facite in meam commemorationem.* Rurſus : *Sicut me miſit Pater & ego mitto vos.* Inſufflauit & dixit eis, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* Rurſus : *Euntes docete omnes gentes, &c.* His quidem verbis nullus delectus perſonæ exprimitur, nullus orbis terræ locus cuiquam aſſignatur. Sed in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ vox eorum. Per reuelationem autem Pauli ſcimus, quod licet ipſe per orbem euangeliſare habebat, de quo ſcribitur : *Hic eſt mihi vas electionis, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filiis Iſrael*, aliquo tamen reſpectu principalius miſſus ad gentes, ut de ſe loquutus refertur in Actis : *Factum eſt autem reuertenti mihi in Hieruſalem, & oranti in templo, fieri me in ſtupore mentis, & videre illum dicentem mihi : Feſtina & exi velociter*

lociter ex Hieruſalem, quoniam non recipient teſtimonium tuum de me. Vade, quoniam in nationes mittam te. Ipſe quoque Galatis ſecundo ſcribens ait : *Cum vidiſſent Iacobus, Petrus & Iohannes, quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis.* Ac rurſus : *Iacobus & Cephas & Iohannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſe autem in circumciſione irent Evangelium prædicandum.* Quæ omnia magis inuere videntur, urbem Romam Pauli quam Petri fuiſſe prouinciam, à Chriſto ſibi non a Petro aſſignatum, ſicut & aliam quamlibet ſuam functionem, ut ipſe Galatis primo ſcribens orditur : *Paulus Apoſtolus non ab hominibus neque per hominem, ſed per IEſum Chriſtum, & Deum Patrem, qui ſuſcitauit eum à mortuis.* Sed & ſecundo Galatis ſcribens ſe à nullo puro homine aceepiſſe ſignificat, dieens : *Mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt, ſed è contra cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis. Quod enim operatus eſt Petro in circumciſis, operatus eſt mihi inter gentes. Et cum cognouiſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus et Cephas & Iohannes, dextras dederunt mihi, &c.* Lucas inſuper Actuum hiſtoriam clauſurus, cùm dixiſſet, *Et ſic venimus Romam*, poſt pauca ſubiungit Apoſtolum Iudæis Romæ loquentem : *Notum ergò ſit vobis, quoniam gentibus miſſum eſt hoc ſalutare Dei, & ipſi audient illud. Manſit autem biennio toto in ſuo conductu, & ſuſcipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei.* Omnes ergò ſuſcipiebat, licèt gentibus principaliter miſſus eſt. Ut & Romanis ſecundo ſcribens profitetur : *Vobis enim*, inquit, *dico gentibus, quamdiu quidem ego ſum Apoſtolus gentium, miniſterium meum honorificabo, ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam.* In Eccleſiis certe Germanicis decantatur : *Petrus Romam Apoſtolorum Princeps adiit, Paulus Græciam, ubique docens gratiam.* Et hiſtoriæ non leues, ſed extra ſacrum Canonem Bibliæ, & Eccleſiaſticæ legendæ Sanctorum habet, *Petrum inuenuſſe Paulum Romæ prædicantem.* Porro etſi ſciam non omnia ſanctorum Apoſtolorum geſta ſacris litteris explicata eſſe, attamen nimis alienum videtur, quod neque Lucas Actuum hiſtoriæ ſcriptor, Pauloque adhærens, ipſeque Paulus de hiis, quæ ambo contra Simonem Magum, aut alios Romæ egerint, nullam fecerint mentionem. Neque iſtud ſanè quadrat, quod Actuum ultimo legitur, ſcilicet Paulum in primo eius aduentu Iudæos allocutum, & aduentus ſui cauſſam aperiendo dixiſſe : *Contradicentibus autem Iudæis coactus ſum appellare Cæſarem.* At illi dixerunt ad eum : *Nos neque litteras accepimus de te à Iudæa, neque aduenieus aliquis fratrum nuncianit aut locutus eſt quid de te malum. Rogamus autem à te audire, quæ ſentimus. Nam de ſecta hac notum eſt nobis, quia ubique ei contradicitur, &c.* Si ergò Petrus Paulum Romam præuenit eundo, è contra certè Paulus Petrum præuenit euangeliſando, diſputando vel docendo, aut Petrus delituit, aut nil relatu dignum geſſit, antequam Paulus ſuperuenit. Paulus enim non retieuiſſet; ſicut nec reticuit ad Corinthios & Galatas ſcribens de Petro. Si prolixior fui, tu inciraſti. Expediebat enim errorem tuum vacuare, dum dixiſti : *In reliquos Apoſtolos non niſi per Petrum à Chriſto deriuatam eſſe poteſtatem.*

Derides & illud, quod Eccleſia ſolemniter canit, *Apoſtolos præeſſe gregi dominico.* Nec tamen quidquam affers, quam quod Eccleſia illorum patrociniis adiuuati deprecatur, quorum merita recolit. Non autem reſpondes ad hoc verbum, quo ſupplicat Eccleſia, *ut eisdem rectoribus gubernetur, quos operis ſui vicarios contulit præeſſe Paſtores.* Non dicit *Petrum vicarium*, ſed Apoſtolos vicarios conſtitutos. Et ſic vacuata eſt argumentatio tua, quam ſubücis de verbis Domini ad Petrum dieentis : *Paſce oues meas.* Ubi Gloſſa dicit : *Cum tertio audit à Petro, ſe diligi, iubet paſcere oues. Trina negationi reddiiur trina confeſſio, ne minus amori lingua ſerviat quàm timori.* Dic quæſo an fortiora ſint hæc verba, *Paſce oues meas*, an iſta : *Hic eſt mihi vas electionis, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filiis Iſrael.* Aut rurſus quod omnibus dixit inſufflans : *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* Atque etiam illud

piis

piiſſimum & ſupremum conſolationis verbum, quo Matthæus ſuum Evangelium ad omnes quidem Apoſtolos diuinæ vocis organo prolatum : *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus usque ad conſummationem ſeculi, &c.* Hanc igitur hæreſin mitte, qua dicis, reliquos Apoſtolos non niſi per Petrum accepiſſe poteſtatem : & prioratum Petri ſic demum aſſeras, ut aliorum poteſtatem non neges. Aliter aſſerendo tu cum Doctoribus tuis hæreſin non euades, neque Chryſoſtomum neque Hieronymum teſtes habebis, quia Paulo minime contradicent.

Alias inſanias audaciæ tuæ more impudentiſſimo accumulas : ſcilicet *Euangelium S. Marci à Petro demum auctoritatem accepiſſe, nec Paulum habuiſſe ſecuritatem Euangelii prædicandi, niſi Petri & aliorum, qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum.* Primæ aſſertioni tuæ contradicit vox tonitrui DEI : ille ſcilicet, qui vidit ſimilitudinem vultus quatuor animalium : & ille, qui dixit : *Dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, &c.* ut ſuperius ex Claræuallenſi conieci ſuper his verbis : *Gubernatu Noe.* Quid enim Euangeliſtæ, ſi Petrus omnia ? ut idem Claræuallenſis ait : *Erras, ſi ut ſummam, ita & ſolam à Deo inſtitutam, &c.* ut dixi ſuper his verbis : *Tu primatu Abel.* Secundo errori tuo vas electum contradicit, ut ſupra dixi qualiter Galatis ſcribens : *Paulus*, inquit, *Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, &c.* Ac rurſus : *Notum enim vobis facio Euangelium, fratres, quo euangeliſatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem : neque enim accepi ab homine, neque didici, ſed per reuelationem JEſu Chriſti, &c.* Imo tute tibi contradicis, aſſerens Euangelium Pauli, non niſi *Petri* & aliorum Apoſtolorum auctoritate fuiſſe roboratum. Ideo enim auctoritatem Petri non augeret, etiamſi verum eſſet, ſed omnium Apoſtolorum conciliarem auctoritatem ſoli daret : quam ego ſemper affirmaui. Sed abſit à me, ut totius orbis auctoritatem Chriſto præferam, ut tu miſerrime Chriſto derogas, quaſi non ſuffecerit Paulo JEſu Chriſti auctoritas, niſi aliorum Apoſtolorum fuerit aſſenſu confirmata. Diſce, rudiſſime Chriſtiane, à Paulo Epheſiis ſcribente; non Epiſcopum Romanum ſolum, ſed Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas & Doctores datos ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitate fidei. Unitatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis. O miſer, qui non aliam unitatem quam numeralem intelligis, qui tamen audiſti, nos in unitate fidei congregatos : quæ communis eſt Clericis & Laicis. Et beatus Petrus prima Canonica : *Cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſcibilem gratiæ coronam.* Tu vero contra Apoſtolum ſcribentem fundamentum aliud ponis, præter id quod poſitum eſt Chriſtus JEſus. Sufficiat igitur dixiſſe, Petrum principaliorem fuiſſe conſtitutum : alios autem & à Chriſto & per Chriſtum quoque ordinatos : ne caſſa facias verba Chriſti, cum inſufflatione ipſius & Spiritus infuſione. Duos namque diſcipulos Euangelico teſtimonio legimus amoris prærogatiua claruiſſe, quorum alter Dominum teſtatus ait : *Tu ſcis Domine, quod amo te*, de altero legimus, quia ipſe eſt, quem diligebat Dominus, quemque virginem elegit, & quem ſic manere voluit. Cum autem diuinus ſicut & humanus amor amore paretur, ut illud artis amatoriæ documentum, *Si vis amari, ama*, etiam de amore Domini verificetur, quare alter Apoſtolorum Dominum amaſſe, alter à Domino diligi perhibetur ? niſi fortè alium cordis, alium Spiritus amorem intelligamus. Eſt enim cordis amor quodammodo carnalis, quod magis erga carnem Chriſti, & quæ carne Chriſtus geſſit, cor humanum afficiat, quod repletum ad omnem de illo ſermonem facile compungitur, nihil libentius audit, nihil legit ſtudioſius, nil frequentius recolit, nil ſuauius meditatur. Adſtat oranti aut naſcentis, aut lactentis, aut docentis, aut morientis, aut reſurgentis, aut aſcendentis Chriſti ſacra imago. Hanc arbitramur præcipuam inuiſibili Deo fuiſſe cauſam, cur vellet in carne videri, ut cunctas eorum affectiones, qui niſi carnaliter amare neſcirent, ad ſuæ carnis amorem proprie retrahe-

ret, atque ita gradatim ad amorem proueheret ſpiritualem. Sed qualis qualis fuerit Chriſti ac illorum Apoſtolorum amor, ætati detulit JEſus, ne adoleſcens & puer progreſſæ ætatis Apoſtolis præferretur; in adoleſcentem quem dilexit, noluit conferre cauſam inuidiæ, quod & natura ſemper venerabilis fuit & honorata ſenectus. Poſſem hic repetere, quæ ſupra ſcripſi ſuper his verbis; *Sacerdos magnus, Summus Pontifex, &c.* ni vererer prolixitatem. Sed oro practicam Beati Petri inſpicias, ſi ſibi ſoli uſurpauit, quæ Apoſtolis communiter iniuncta fuere. Nonne ante pedes Apoſtolorum poſuerunt agrorum pretia non Petri? & illi diuiſerunt ſingulis? numerum quoque Apoſtolorum communiter ſupplendo, ſtatuerunt Matthiam & Barnabam, ponentes ſortes? Apoſtoli ſcilicet communiter, non Petrus ſingulariter. Et communiter ſuper Euangelio diſputarunt, & Pauli deciſio prævaluit. Communiter quoque ſententiam tulerunt, dicentes: *Placuit Spiritui ſancto, & nobis*, absque illa præfatione Petri, memores præcepti diuini. Nam ut eſt apud Lucam & Matthæum, facta contentione inter eos, quis eorum eſſet maior, &c. & rurſus apud Matthæum: *Nolite vocari Rabbi, unus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.* Tu vero ſoli Petro ſingula defers, ut ſucceſſori blandiens plura feras in pretium aſſentationis tuæ, qui iam expertus es, illud aſſentationis aucupium præ cunctis virtutibus appreciari. Merito ergo te illis connumerabo, de quibus Apoſtolus ſcripſit Timotheo: Hoc ſcito, quoniam in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blasphemi, &c.

Mihi verò Hieronymum illum obiectas, qui Conſtantiæ damnatus, qui de inſtitutione Euchariſtiæ temerè diſputauit, cuius ritus usque hodie in Bohemia variatur à ritu Eccleſiæ occidentalis. Tu autem veneno contentionis penitus imbutus, quacunque ineptia certare non refugis, ut ſupra de Arrio feciſti, cuius errorem minimè cognoviſti, quod ex inepta diſparataque comparatione tua quisque perfacile deprehendit. Beatus verò Hieronymus contra Jouinianum I. ſcribens ait: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Recenſe an electus ſit à Chriſto, an ab Apoſtolis ſit electus. Rurſus ad Euandrium ſcribens, cum dixiſſet, unum eſſe Prælatum, ne quisquam ad ſe trahens Eccleſiam, &c. ne illi ſoli ſolidam deferret auctoritatem, ſubiecit: *Si auctoritas queritur, orbis maiorem urbe, &c.* rectè plane conſiderans uniuerſalis Eccleſiæ auctoritatem ipſius Romanæ Eccleſiæ auctoritati præferendam, & cœtum Apoſtolicum Petro ſolo potiorem. Quia illis communiter promiſit Dominus dicens: *Ego vobis cum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi*, quod nec Petro, nec alteri cuiquam ſpoſpondiſſe perhibetur. Oves autem paſcere iuſſit? Qualis ſit paſtura, ſuperius ſatis explicui. Sed eam etiam cunctis absque limitatione commiſit, Apoſtolis in nouiſſimo quaſi præceptorum ſuorum omnibus uniuerſaliter dicens: *Euntes ergò, docete omnes gentes.* Vide an minus expreſſerit, cum dixit *Omnes gentes* uniuerſaliter, an cum indefinite dixit, *Paſce oues meas.* Et rurſus ne acephalam relinqueret, adiecit: *Ego vobiſcum ſum, &c.* Ergò neque mortuo Romano Pontifice, neque etiam hæretico exiſtente, manebit acephala, cui verum caput ſemper adeſt.

Procedis ad aliam methaphoram, quod cum Apoſtolis dicatur, ut laxent retia in capturam, Petro dictum eſt: *Duc in altum, hoc eſt, in profundum diſputationum, quid enim tam altum, quam altitudinem videre diuinitatis, id eſt, ſcire Dei filium?* O mendicatum ſuffragium! Penſa num altiora ſunt hæc verba, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, an iſta: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &c.* Ecce omnia æterna per verbum plusquam perfectum, velut omnis temporis expertia, piſcator eloquentiſſimus expreſſit, ſubdens: *Omnia per ipſum facta ſunt.* Mox ad præteritum perfectum migrauit, dum facturam creaturarum materiæ fluitantis opus tempori ſubiecit, tandem dicens: *Et verbum caro factum eſt*, ut filium conſubſtantialem & coæternum, & ex Patre ante omnia ſecula genitum, oſtenderet ex tempore ſeu in tempore incarnatum & in carne viſum, ut ſequitur:

quitur : *Et viderunt gloriam eius, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Gloria quippe Patris à credentibus, quaſi viſa eſt in filio, ab his, qui carnalibus oculis Chriſtum in carne viderunt, quæ tunc demum perfectè videbitur ab illis, qui ſempiterna fruitione ſatiabuntur. Vide an aquila Ezechielis altius rete duxerit, qui & Trinitatem diſcretiuam Perſonarum cum unitate eſſentiæ præ cunctis altius explicuit. Hoc autem in quo Petri Spiritum affers, etiam mulieri datum eſt, & illi, quæ non ſpiritualis, ſed corporalis miniſterii ſollicita, attamen hoc modo profeſſa eſt: *Quia tu es Chriſtus Filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti.* Quid vas electionis, Doctor gentium, qui, antonomaſticè Apoſtolus nuncupatur, qui etiam Eccleſiaſticam cenſuram præ cæteris clarius & potentius exercuit? ut etiam intelligas eum quam allegaſti de hamo mittendo metaphoram, & tollendo piſcem qui primus aſcenderit, non ſtringere illud quod de iurisdictione Petri figurare tentaſti. Cuius ſi practicam inſpexeris, potius dixeris, Petrum à Paulo diſtrictum eſſe, quam Paulum aut quemquam Apoſtolorum à Petro diſtrictum, aut etiam talem Petri primatum, qualem tu falſo adſeueraſti, ut in Alios Apoſtolos non niſi per Petrum ſit deriuata poteſtas.

Denique replicas, quod & prius attigiſti, ſed nunc addis nugas, dicens de Simone Iohannis, quia *Petra* dicitur, eo quod ptius in nationibus fidei fundamenta poſuerit. Quod minime verum eſt, quia non Petra ſed Petrus nuncupatur. Verum quia Domini & Saluatoris, noſtri verbum, quo dixit: *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, tu corrumpis, ac ſi dixiſſet Dominus *ſuper hunc Petrum*, aut dixiſſet, *Tu es Petra*, quorum neutrum ſcriptura teſtatur; videntur autem ipſa veri & Evangelici textus verba etiam incorrupta nonnihil prioritatis innuere Petri, & à variis Doctoribus exponuntur diuerſimode, ergo textum Evangelii ſincera fide cuſtodientes cum Aurelio Auguſtino ad Hieronymum ſcribente dicamus: *Solum eis ſcripturarum libris, quæ tam Canonicæ vocantur, didici hunc honorem timoremque deferre, ut nullum earum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam. At ſi aliquid in eis offeratur literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe Codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantacunque ſanctitate doctrinaque præpolleant, non ideò verum putem, quod ipſi ita ſenſerunt, ſed quia probabili ratione, &c.* Idem in III. de Trinitate: *Noli, Lector, meis libris quaſi Canonicis Scripturis inſeruire, ſed in illis, & quod non credis, cum inueneris incunctanter crede, &c.* Vides ergo quantam vim ſibi vendicent literæ auctoritate Spiritus ſancti munitæ, & qualem ipſarum expoſitores magiſtrali duntaxat opinione ſubnixi. In quibus tamen, quia non eſt eorum abiicienda auctoritas, iſtud ponderandum reor, an à transcurrente aliquid proferatur, an propter hoc ipſum, de quo agitur, doctrina emanauerit. Plerumque enim ita ſe habent ingenia humana, ut deſiderio finis vel euentus aſſequendi media non ſatis fundata velut nota ſupponant, & intractata relinquant, ut finis principio cohærere videatur. Quod Flaccus Piſonem docens taliter enarrat:

Semper ad euentum feſtinat, & in medias res
Non ſecus ad notas auditorem rapit, & quæ
Deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit:
Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primum ne medio, medium ne diſcrepet imo.

Non à ſanctis viris ſuſpicor mendacia fingi: ſed cupidine finis per media rapi, & à vero labi, proprium eſt humanæ fragilitatis. Neque etiam hoc prætereundum reor, an ſcribentis animus omnis expers curæ vel pathiæ, quæ ſi non flectere à vero, ſolicitiorem tamen in alterutram partem efficere poſſit an verò ex contentioſa diſputatione ſetmo totus effluxerit. Verbi gratia, temporibus Anacleti, Marcelli, Leonis, &c. Oriens in fide Chriſti flagrans Antiochiam, Alexandriam,

aut forte Ieroſolymam Romæ præferre voluit cathedræ dignitate. Rurſus Imperiali Sede Conſtantinopolim translata Roma noua veteri prælucere contendebat. Defenſores Romanæ præeminentiæ (ut eſt natura contentionis) victoriæ cupiditati ad rerum finem effectumque tendentes, inter transcurrendum tamen aliquando modum exceſſerunt. Ut apud Platonem Socrates Gorgiam alloquitur: Puto te, ô Gorgia, in multis diſputationibus iam uerſatum comprehendiſſe, non facile poſſe homines, cum diſceptare inceperint, ſic abire, ut ſe inuicem ſolum doceant atque diſcant: ſed ſi de aliquo contendatur, nec concedant alter alteri, grauiter ferunt, certantes ſimul, non autem quærentes id, de quo ambigebatur, &c. Et ut Flaccus ait:

Gratia ſic fratrum geminorum, Amphionis atque
Zethi diſſiliit - - -

Plura his ſimilia adducere poſſem, quæ in conſideratione verſantur, cum diſcordantium Doctorum aut Scripturarum veritas enucleatur. Sed ad Evangelii textum reuertamur, ſcilicet *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hunc textum poſt varias expoſitiones poſtremo ſic exponit Auguſtinus: *Dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in illo tanquam in Petra ædificata ſit Eccleſia, ſed ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt, ſuper hanc petram ædificabo, ut SUPER HUNC intelligeretur, quem confeſſus eſt Petrus, dicens: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi, ac ſi Petrus ab hac Petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc petram ædificatur.* Non enim dictum eſt illi: *Tu es petra,* ſed *Tu es Petrus.* Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon (ſicut ei tota Eccleſia confitetur) dictus eſt Petrus.

Riſum tandem excitaſti dicens: *Cum ſecundum humanas leges triginta annis præſcribatur, indignum eſſe, ut primatus Petri poſt tot ſecula temeraria diſputatione ventiletur.* Quæro à te, num Paulus cottidie præſcriptionem interrupit, qui in bulla, quæ litteris Pontificalibus robur omne confert, Petrum ordine ac ritu Chriſtianarum tam Latinarum quam Græcarum Eccleſiarum legendi præcedit? Plurimæ quoque ſunt litteræ Apoſtolicæ, in quibus nulla mentio fit de Petro: nulla verò bulla Paulo vacat. Rurſus dic, an præſcribatur aduerſus illum, cui omnis iudiciaria via clauditur? Romanus autem Pontifex uniuerſalem Eccleſiam congregari vetat, ubi talis interruptio efficaciam aſſequi poteſt. Neque triginta anni fluxerunt à fine Concilii Baſilienſis, ubi decreta magnæ Synodi Conſtantienſis *de ſuperioriate uniuerſalium Conciliorum* ſalubriter ſancita ſaluberrime innovata ſunt, quæ decreta ſemper ſunt in viridi obſeruantia, ſemperque loquuntur. Nam ſicut lex Codicis Iuſtiniani, quæ damnat Arrianos, Macedonianos, Donatiſtas, Gazaros, Patarenos, ſemper eſt in viridi obſeruantia; ſic magnæ Synodi decreta ſuper maioritate generalium Conciliorum per Concilium Baſilienſe innouata, & per Eugenium & Nicolaum recognita & profeſſa, in viridi ſemper ſunt obſeruantia, ita ut contradictores eius hæretici ſint declarati, nec ulla vetuſtatis littura vaneſcant.

Deinde commemoras errores Orientalium ac Bohemorum, tuam hæreſin palliando, qui magnæ Synodi decretis falſo contradicis, nec quidquam affers præter blaſphemias de pectore virulento manantes, gauderis fortaſſe ſicut ſus immunda cum quouis in cœno volutari. Wickleff Huſsque commemoras Conſtantiæ damnatos. At verò ipſius Synodi ſancta decreta reſpuis, hæretice viliſſime, pœnis eius perpetuò plectendus, niſi reſipiſcas. Sed ut veremur, boni quidem veri vel honeſti nullam habens curam, voluptate autem ac ſemper eo, quod dulciſſimum ſit, Papæ Cardinaliumque aures mentemque delinis, ſacisque adulando ut plurimi videaris exiſtimandus.

Ad hæc ſemel ineſcatus cathedra Feltrenſi, ſpem uſurpaſti capelli rubricandi. Semel autem exeſa mens ærugine, & imbuta cura peculii, haud rectè prę-

ſpicit,

ſpicit, neque promit opuſcula, cedro linenda vel digna ſervari cupreſſo. Tuas ergo tabellas pigmentariorum trade menſis, ut tandem & vulgo faſtidioſæ ſpeciebus ſeruandis complicentur, aut deferas *in vicum* vendentem thus & odores, & piper & quidquid cartis amicitur ineptis.

Requiret forte quiſpiam, cur non pontificali tuæ deferamus dignitati? Viciſſim hunc ego rogo; Cur non ponderibus modulisque ſuis uſa eſt ratio? Nam qui me tuberibus offendit, verrucis eſt æquum ignoſcat. Hac etenim lege in trutina ponetur eadem.

INVECTIVA GREGORII HEIMBURG VIRIVSQVE IVRIS DOCTORIS, IN REVERENDISSIMUM PATREM, DOMINUM NICOLAUM DE CUSA, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ TITULI S. PETRI AD VINCULA PRESBITERUM CARDINALEM, ET EPISCOPVM BRIXINENSEM.

CANCER Cuſa Nicolae, qui te Cardinalem Brixinenſem vocas, cur non prodis in paleſtram? qui te Græcum & Latinum gloriaris, cur non palam pergis ad certamen literarum? cur ficta perſona & ſermone compoſito loqueris, quem finxiſti, veluti figulus, nomen verò tuum ſupprimis? At hæc eſt natura libelli famoſi, ſcilicet ab incerta ut prodeat ſermo perſona, an ne putas pares tibi reddi poſſe vices? Proin verò ſi cuiuspiam aures offendantur, illi ſuccenſeat, qui vitium introduxit. Dicis in fasmate, quod finxiſti, Ducem Sigismundum irritè à Papa ad Concilium appellaſſe. A concilio autem ad Papam provocaſſe magnum Athanaſium & obtinuiſſe, profecto ſiquidem in Gymnaſium proceſſeris, audies, qui Romani Pontifices, quæue concilia à fide orthodoxa defecerunt. Quia etiam ſi ea, quæ ſæpe legiſti, memoriæ tenacius commendaſſes, iam utique promptum haberes Papam non eſſe Eccleſiam illam, aduerſus quam portæ inferi non prævalebunt. Anaſtaſium Papam abſorpſerunt portæ inferi, argumento eſt inteſtinorum egeſtio. O dirum omen, unde gentilitas *omenta* nuncupauit. Cæteros Pontifices in diſputationis tempus reſeruo, ſed ex his vacuata eſt impugnatio tua, qua dixiſti, Papam non poſſe ſuſpitione notari, quippe in quem grauiora crimina cadere poſſunt. Clariſſimum virum Gregorium Heimburg, *verborum venditorem* vocas, qui glorioſæ vocis honoraria temperatiſſime dimenſus eſt. Tu vero nugas & vanitates tuas, per Germaniam diſſeminando, pro ære vendidiſti, plusquam ducenta florenorum millia fallaciter abſtrahendo. Exprobraſti ſibi, quod Rex non ſemper vicerit. Taceo de ſordibus & gratia iudicum, & cæteris quæ rectum pervertunt iudicium. Te vicit, quandoquidem in Sede Moguntina, expugnata hæreditatis petitione, directa ex teſtamento, à parte tua inſtituta, tu ad Legatum Apoſtolicum concilio præſidentem appellaſti, ac inibi vigore ſcedulæ codicillaris, ac fideicommiſſariam conuolaſti, neſcius quod alterius electione remedii tollitur alterum: à Gregorio repulſus ruboreque confuſus bellum perpetuum ſacris legibus indixiſti, cum deſperaſſes in Facultate Iuris à modo prælucere poſſe, honeſtiorem cauſſam deſertioni prætendens, ad Theologiam confugiſti, cuius factus abortiuus, tandem Mathematicis ſuperſtitionibus, putas veræ Religionis ſacra demonſtrare. Pergis vim & inſidias ſtructas legato Ducis excuſare, dicens: Laurentium procuratorem fuiſſe non oratorem, ſed ad appellationem inſinuandum miſſum extitiſſe. O Iuris transfuge, quæ te dementia cœpit? Nonne adoleſcens didiciſti, & per Epiſtolam procuratorem conſtitui poſſe? Epiſtolares verò literæ legationem probant. Tibi dico, Cancer Cuſane, quod Laurentius miſſus fuit ad Papam melius informandum, quem tu variis ſurreptionibus obreptionibusque circumueneras, ad appellandum verò non aliter, quam in euen-

tum

tum repulſionis ſuæ, ſed letargum pateris, communem illuſarum mentium motbum, quod minimè accidiſſet tibi, ſi ea quæ adoleſcens didiciſti, non deſeruiſſes. Cum autem ad Theologiam confugiſſe glorificabaris, de Letheo bibiſti, nullis Antyciris, nec ullo ſanandus elleboro. Laurentium autem hæreticum nominas, idcirco incapacem eſſe ſalui conductus dicere debebas, nec ius reuocandi domum habere legatum, ut ſic in poteſtate tua foret, quem velles pro libito laquearę. Num pudet vanitatis hominum vaniſſime, qui fidei publicæ vinculum pro omnium rerum publicarum ſeruatur integritas, tam vana fictione diſſoluere putas? Quis de cætero legationis ſubibit functionem, ſi propter confictum crimen, de qua nec quicquam ſuſpicatum eſt, ſacrilegas habuerit formidare manus, aut quod ſibi obiiciatur Dominum ſuum domi tenere vinctum aliquem de Clientela Cardinalis, ſicut tu aduerſus Laurentium obiecisti? Nec minuit fidem publicam, quod Laurentius auditor eſt Rotæ. Nam etſi longe inferius officium haberet aut ſuperius, attamen à legationis munere non prohiberetur, nonne legiſti Romanum Pontificem populi Romani geſſiſſe legationem? Quid ſi Epiſcopus legatus eſſet, qui frater Papæ ac illi artiſſimo Iurisiurandi vinculo aſtrictus eſt?

Transgrederis tandem ad merita cauſſæ principalis dicens: Ducem confeſſum eſſe, hoſtilem tui perſecutionem, teque diffidaſſe, nec tamen in literis diffidationis cauſſam prætendiſſe violentiæ vel repellendæ vel præueniendæ, ſed agi ſe iniuriæ poſtea ducem confinxiſſe. Putas ne populum Romanum ſociali iure ſanctiſſimo belligerantem, ſingula quæque literis explicaſſe, quæ ſenatus cenſuit, dum bellum decreuit indicere? cum te poſtulante, Dux miſiſſet ad te Parcifalem Caduceatorem, isque perſuaderet tibi qui te iactitaueras valles quamplurimas gentibus implere, ac Ducem obruere, cum (ut eius verbis utamur) te ſibi æquare non poſſet, ante omnia prouidendum eſſe tibi, ut cum Duce redires in gratiam, aut treugas ſaltem inires; Interea vel differentia tolli, vel ſaltem via compromiſſi, congruis pactionibus Iuris arbitrio & conſidentium arbitratui ſubiici poſſent, vel ſubmitti. Tu verò repudiatis viis ſuauiſſimæ pacis, neque treugas nec ullas quidem inducias depoſci voluiſti. Quid reſtabat, niſi bellum & inſidias, in quibus confidebas, æquitate iuſtiſſima in te retorquere? Apud Lucanum C. Cæſar commilitones ſuos adhortando dixit:

Arma tenenti
Omnia dat, qui iuſta negat.

Uſus eſt Dux viribus à DEO conceſſis, neque Numen defuit illi.

Pergis fingendo Ducem à te veniam petiiſſe. O ſuperbiſſime figule, poſtquam rebus omnibus compoſitis tu deſpondiſſes, te facturum, quæcunque Duci placitura. At his ſimilibusque blanditiis tuis, Dux allectus, te conſolando dixiſſet, quatenus bono animo eſſes; poſſe ipſum tibi, ſi ſuæ voluntati pareres, hæc omnia variis beneficiorum in te & Eccleſiam Brixinenſem collationibus abunde reſtaurare. Tu modo hoc veniæ poſtulationem nominas, hominum ingratiſſime, qui ſic ineptus es, ut omni humano alloquio te indignum reddas, qui humaniſſimum principem, omnium iniuriarum obliuiſci volentem, fraudulentiſſime calumniaris.

Subnectis dicens, gentes Imperatoris, compoſitis cum Comite Goritiæ rebus, iamdudum abiiſſe. Surripis autem hoc, quod Iohannes Bani de Witawitz dimidium fere comitatus Goritiæ vi raptum, tunc ab Imperatore præmium recepit, deque tam nobili & opima præda fere triumphauit. Unde maior metus vicinis regibus, iam diſſolutis caſtris, iniectus erat quam ſi agmina bellica coacta eſſent, nulla tamen adhuc victoria ceſſiſſet. Erant quidem adhuc in illis confiniis, tribuni, prætores, centutiones, cæterique turmarum, cohortum, & cateruarum præfecti, ipſeque armi ductor, Witawitz, quibus perfacile, nuper abeuntes ad caſtra reuocare, aut ex aliis alpinatibus & montanis, malo aſſuetis viris, gregariorum, iampridem abeuntium militum ſive prædonum, vicem numerosque ſupplere,

plere, ac ordines ſufficere. Tu itaque vide, ſi doli tui ſuſpitionem, tuis fictionibus ſuſtuliſti, vel potius exaggeraſti.

Gloriaris te pridie paſſionem Domini prædicaſſe, & poſtridie de eius reſurrectione prædicaturum, deſpondiſſe. Deinde te ad Papam rediturum prænunciaſſe, Parcifalem quoque cui idipſum triduo ante detexeras, Duci Sigismundo ſignificaſſe. Nouum certe crimen, Cancer Cuſa, prætendis in Parcifalem, ſcilicet quia id prænuntiarit, quod tu palam proclamaſti. Si quid verò illi ſub taciturnitatis fiducia velut depoſitum commendaſti, quod ipſe prodiderit fideſragus, hoc perhibe, & probe reſpondebitur tibi.

Expurgare tentas ſuſpicionem doloſæ machinationis iniectam tibi, ex reſutatione treugarum, dicens, te ſemeſtres obtuliſſe treugas, in articulo mineralium, cum Dux annales poſtularet. Poſthac tibi reſpondebitur, ubi tu latiori ſermone, hunc paſſum amplificare prætendis.

Gregorium gaudes falſo compellare mendaciſſimum, homo vaniſſime, ſagena mendaciorum inſatiabilis.

Epiſcopum Tridentinum, Ducem Sigismundum, Wolffgangum Neydlinger, & Parcifalem proditionis macula notas, dum dicis Epiſcopum ribi ſuaſiſſe reditum, quoniam pacis viam haberet. Tu dolum ſuſpicatus curaſti, quod Papa ſcriberet Duci, te fœdus perpetuum Duci ſeruaturum pollicens: Idque tibi viciſſim ſeruari poſtulans, Dux ſe obſeruaturum Papæ reſpondit; His fretus ad caſtrum tuum Frauelſpurg applicauiſti: quod tu ſic nuncupas, mathematice ſortilege, quia reſponſa dæmonum, quibus inibi ſacrificas, Raphaelis Archangeli reuelationem confingis. In primis creditur, quod tu dolum ſuſpicatus es, qui aliorum ingenia ex tuo metiris ingenio. Hoc etiam confiteor tibi, quod Dux reſpondit Papæ; ſeruaturum ſe fœdera, pacta ſcilicet, ſi tu quoque ſeruares, quæ tu multipliciter violaſti, ſemper enim more tuo aliquid retices, ſicut feciſti, cum à Papa tam exorbitantia literas & breuia ſurripuiſti.

Procedis, dicens; Wolffgangum velut caduceatorem ad te veniſſe, ferentem litteras Epiſcopi Tridentini Abbatis Wiltemenſis, & iusiurandum Parcifalis, ſuper ſecuritate tua tibi ſupplicantem uti Brunegk proficiſcereris, quo Dux ipſe miſſurus eſſet, pro differentiis componendis. Tu verò miſeris Camerarium tuum ad Epiſcopum Tridentinum, qui tum cum duce manebat, ut reſcires veritatem, cui Tridentinus tradir, ſe non eſſe traditorem, te quoque ſecure poſſe venire Brunegke. Itaque ſub ſpecie tractatus ſis proditus. Omnes quippe differentiarum articulos ais fuiſſe compoſitos, præterquam ſuper minera, ubi Parcifal poſtularit treugam annalem, tu verò ſemeſtrem dare voluiſti, ne longiore mora poſſeſſionis iacturam ſuſtineres. Itaque diu ſtructam tibi proditionem, loco pacis expertus ſis. Concludis ergò, licet falſò, nil inſidiarum in te præſumi poſſe, cum Papa ducem ſuper obſeruantia pacti fœderis, certificarit. Hæc fictio à veritate remotior eſt, quam Deus à Diabolo. Quid ais vanitatum gurges? Wolffgangus à Capitulo & clero Brixinenſi ac vaſallis & miniſterialibus ipſius Eccleſiæ ad te miſſus eſt, hortator pacis, & monitor virtutum, ac perſuaſor tui, ne ducem, ne totum populum omnemque ſtatum hominum aduerſus te, tuis fœue dictis prouocares. Omnes quippe homines cuiuscunque ſtatus aduerſum te incanduiſſe, tibique periculum in limite adeſſe præmonuit. Tu vero nemini, vix tibi ipſi fidens, Camerarium tuum usque Insprugk miſiſti, & Wolffgango ituro, iumentum commodaſti, quem ad te miſſum fingis. Sed quid ad rombum, quis quemque miſerit, niſi ut cuncti meminerint, te nugarum aſſuetum, etiam ab re vanitatibus oblectari? Sed eorſum tua verget oratio, ut fidem in te violatam vaniſſime perſuadeas. Hoc certe reuocandum eſt. Neque enim Tridentinus te fefellit, neque Abbas, ſed ne quisquam alius præter te, qui cum Brunegke veniſſes, ſimulabas te vetera grauamina tollere, & cum Principe in gratiam redire, & quæcunque per illos rudes Idiotas Gebrardum & Poſſinger, quos tu præfeceras, ſiniſterius acta eſſent, emendare velle. Hoc colore clerum Brixinenſem lætabundum Bru-

negke illexiſti, ſperantem, iamque ſibi pollicentem, quod ſatiatus iniuriis, quibus eos diutiſſime preſſeras, tandem pietatem ac manſuetudinem in illos exerceres. Tu verò ſævitiam conduplicaſti, præcipiens ne diuina peragerent; quisquis ſecus faceret, tu illi curam animarum abſtuliſti. Talibus tuis auſibus inflammata ſunt omnium pectora, ut niſi Dux ipſe nefarios conatus tuos modeſta caſtigatione repreſſiſſet, profecto indomitum ac irreuocabile vulgus in te irruiſſet, unusque & idem vitæ ac facultatum tuarum & furoris popularis exitus fuiſſet. Nunc verò ſalua eſt Brixinenſis Eccleſia, tu degis ſuperſtes, & hæc omnia ſine cæde, divino quodam iudicio peracta ſunt. Hæc profecto quorſum verteris, undique quadrant: tua vero littera, ſicut & reliqua omninò vita tua diſſonat, nusquam ſibi ipſi conſentiens, ſed velut ſydera à terra diſtant, & flamma à mari, ſic tua fictio à vero. Nam ſi fœdus contractum obſervaſſes, ſicut Papa pro te ſpoſponderat (tu vero violaſti) profectò Ducem propitium tibi perfacile retinuiſſes. Treugas verò vel inducias dare vel acceptare noluiſti, teſte Parcifale, quem tute mediatorem velut proſenetam poſtulaſti. Quanta ſit eius fides, ſi leges deſuper latas relegeris, clarius agnoſces.

Porro non deſinis Gregorium laceſſere, quem mendaciſſimum ſalſo appellas, pro eo quod primi oratores illa ipſa coram Papa non allegarunt, quæ Gregorius, ut tu figule dicis, poſtea finxit. Aſſeris inſuper fictionem eius videri, ab his, qui ipſa mentiuntur, quibus Dux de compreſſit. Et quando Imperator, Comitem Goritiæ inuaſit, cuius gentes tunc emigraſſe dicis, cum te Dux apud Brunegk obſidione cinxit, vel circumdedit. O miſer quid inſanis, cur ita geſtis, ut Gregorium contra te prouoces? cum tu Ducalem indignationem, ſceleratis factionibus tuis, rite provocatam, & ultionis iuſtæ vindictam exciperes, Gregorius in Auſtria manebat Archiducis illius obſequiis incumbens, & hoc de menſe Aprilis. De menſe vero Julii Laurentius coram Papa comparuit, allegaturus, cur aduerſus Ducem ad pœnas comminatas non debeat procedi; tandem repulſus appellauit. Apud quem Dux ſic loquitur appellans; *Non aliter quam naturali & humano Jure vermittitur vim vi repellentes & noſtra defendentes &c. Cardinalis via facti contra nos multipliciter procedere parabat, caſtra ſua rebus bellicis inſtruxit, ſubditis noſtris damna inferri ſuſtinuit ex fortiis ſuis &c. Jactavit ſe valles plurimas armigeris impleturum, &c.* Extant litteræ manu ſua ſcriptæ, quæ animum eius produnt: *Naturalis defenſio, qua vim vi repellere licet, nobis aufertur*: Et infra: *Poſtea admodum Gregorius ab Archiduce miſſus venit Inſprugk conſilium laturus duci Sigismundo.* Mitte in digitos, tempora dimetiens, & errorem tuum agnoſces, Gregorius tua faſinata relegens exultat, velut Alcides epulans de bobus Gereonis, nec emtis neque donatis, altero ſcilicet convitiante, altero plus iubilante. Hoc in ſuper addit: *Quod ſi tibi par eſſet benevolentia ut eſt ſcientia, quippè qui omnium fere auctorum inſtituta & præcepta legiſti, atque etiam audacia, quia nec pudor impedit, jam gauderet, te ſibi obtigiſſe, cuius ingenio animam attereret, ſicut aurum lapidi admouetur quando probatur, ita ipſam animam ſuam probaret, an recte imbuta eſſet.* Qualiter autem migrarint gentes Imperatoris ſuperius audiſti, ſcilicet terris finitimis ſubactis, ianua usque ad terras Eccleſiæ Brixinenſis patefacta, adeo quod usque hodie inibi opus eſt maiore cuſtodia, &c.

Ex his quoque reſponſum eſt petitioni tuæ, qua rogas, quomodo defendatur ab excommunicatione Dux, qui te poſt BRUNEGK evictam, & pacem proclamatam, decendio detinuit. Nescis inſane, quam pie, quam benigne tecum eſt actum. Pax proclamata eſt, ut rapacium manus cohiberentur. Tu quippe noſti, quanta ſit pietas viris, qui caſtra ſequuntur. Tecum autem agebatur, quo pacto Dux & principatus eius, ſub cuius aduocatia Eccleſia Brixinenſis ſita eſt, aſſecuraretur, ne impoſterum ulla commotio fieret, ſed Epiſcopus pro tempore ac ipſa Eccleſia ſuis contenti finibus communi omnium finitimorum protectione & tranquillitate gauderet. Tuque hanc viam primus inveniſti, ut caſtra & fortia in manibus capituli reponantur, & capitulum caueat ea talibus cuſtodi-

bus

bus gubernari, qui Eccleſiæ Brixinenſi ac populo illius principatus grati fotent ac fideles. Hanc conditionem Dux ſuscepit, ne terras Eccleſiæ ambiſſe notaretur, neque facinora tua, in Eccleſia reduci, darent detrimentum. Interea nonnulli dies effluxerunt, quibus tu tamen reuerenter habitus es, & quotquot voluiſti de prælatis, clericis & miniſterialibus accerſire potuiſti. O ingratiſſime, qui te ducem jactas & principem ſecularem, & iam bellica præda fuiſti, quam gratiam piiſſimo principi rependis?

Deficiens hactenus ad Calixti mandata confugis, quibus reſpondetur, comminationem non habere vim rei iudicatæ. Præcepit Calixtus ſecuritatem tibi præſtari, tu doloſe literis illis inſeruiſti talem, de qua contentus fores. Etſi hoc non aliter quam de legitime ac conſueta ſecuritate debeat intelligi, quam Dux tibi præſtitit; tuam tamen calumniam aſſuetam veritus, à captioſo præcepto prudens appellauit. Mortuus eſt Calixtus; Pius appellatione admiſſa biennium pro fatali conceſſit, vide, ô iuris apoſtata, ſi purificata ſit comminatio, iam appellationis admiſſione ſuſpenſa. Si verò Dux ipſe iam te hortatus eſt, quatenus auferres papales comminationes, non idcircò probatur excommunicatus. Quod vero criminaris Ducem, quod à Clericis quicquam exactionauerit, ô ſuperbiſſime, qui tibi prælatorum & clericorum illius dioeceſis opes ac rem familiarem uſurpas, quaſi omnia ſint tuæ ditionis, ſecularis præpoſitus Novæ cellæ, gratus fuit Principi ſuo, qui in illa expeditione, qua audaciam tuam repreſſit, gentes ſuas ab omni excurſione cœrcuit, ita ut Coloni, Cenſitæ, emphyteutæ, cæterique illius monaſterii homines ſeculares, ſed pater ſpiritualis, neque ipſe quæritur de duce, ſub cuius protectione tranquilla fruitur ſecuritate: Heinricus vero Magiſter Coquinæ tuæ, non ſe geſſit pro Clerico. Paſſinger à populo interfectus eſſet, niſi Dux eum redemiſſet. Talis diſciplina fuit in ſchola tua, tales mores aulicorum tuorum, ut qui audacia præualeret, is tibi fuerit acceptior.

Fruſtratus autem in viribus iuris ordinariis ad plenitudinem poteſtatis confugis, dicens Papam poſſe ſacerdotibus ſuis inhibere ne celebrent, etiam ſi nihil deliquiſſet populus. Vide quid loquaris, ne aſſeras Papam in deſtructionem Eccleſiæ, vel devorationem ovium eſſe conſtitutum. Scio enim quam pleniſſima eſt Papæ poteſtas; ſed tu non aduertis, quod Papa in literis ſuis non mandavit interdictum obſervari, ex ſuæ poteſtatis plenitudine, ſed quia ſibi ſuggeſtum eſt, qualiter Dux in te vim ſacrilegam admiſerit. His tuis falſis ſuggeſtionibus, Papa circumventus eſt. Ergo ad caſum redacti ſumus, in quo docemur, non obtemperare mandatis exorbitantibus, ſed Papæ reſcribere. Ita fecit Dux catholicus. Tu verò Papam dolis tuis circumveniſti, ne veritatem audire, aut innocentiam Ducis percipere vellet. Neminem vero unquam dux coegit ad ſacrificandum, ut tu fingis; ſed totus clerus omnisque populus ſacrilegia tua, cum ſortilegiis, incantationibus atque infaſcinationibus tuis taliter odit, ut dicat te coniuratione omnium malignorum ſpirituum has partes introiſſe, ut pacem perpetuam in diſſidium commutares. Er qui nugis plusquam ducenta florenorum millia, de Alemania extraxiſti, pari vanitate rerram iſtam pacificam commouere ac ſeditiones in populo excitare ſtuduiſti.

De hinc aggredieris argumentari, contra appellationem ducis, his locis: Si hæreticus tueri ſe poſſet appellatione ad futurum concilium, inreiecta, iam nulla eſſet fides Chriſtiana, aliquando in quadringentis annis Concilium non fuit congregatum. Iam curuum ſermone rotato torques enthymema, quia ſic argumentaris: Lis nulla quadringentis annis eſt trahenda. Appellatio ad futurum Concilium trahit litem annis quadringentis ergo &c. Probatur minor propoſitio, quia aliquando in quadringentis annis non fuit celebratum concilium. Profecto ſi annos, qui fluxerunt à Concilio Apoſtolorum, quando recepertunt Spiritum ſanctum, aut quando miſerunt Paulum & Iohannem in meſſem Domini, aut ſymbolum condiderunt, ſeu Petrum Antiochiæ in cathedram collocarunt, aut ultimo conuenerunt ab uno diuiſi per orbem quod etſi Lucas *in Actis* non meminit, eſt

tamen *in Agiographis*, & eccleſia Teutonica idibus Iulii, eius feſtiuam peragit memoriam, uſque ad Nicenam ſynodum, miſeris in digitos, non redundabit ſumma tua, neque trecenti teſultabunt anni, ſed longe pauciores, quos tibi cedo, ut mea liberalitate fruaris, ſed hæc omnia quid concludunt, niſi quod ſi quis à Petro, Lino, Cleto vel Clemente appellaſſet ad futurum Concilium, nimis prolixum fatale habuiſſet. Sed memineris te legiſſe, quod quia ante Conſtantini tempora non erat epiſcopis conueniendi licentia, ideo in varias hæreſes ſciſſa eſt Eccleſia. Hoc magna Synodus Conſtantienſis intuens ait: *Frequens Conciliorum celebratio agri Dominici præcipua cultura eſt, &c.* Et idcirco decreuit ſacra Concilia de decennio in decennium celebrari, ergo quadringentorum annorum protelationis prætenſio inanita eſt. Subdis, quod ſi ad futurum Pontificem vel Concilium rite appellaretur, eo quod ſucceſſor de geſtis anteceſſoris iudicat, & quisque ſucceſſor alium habet ſucceſſorem, procederet in infinitum. Num de Lætheo bibiſti, obliſus ne in una eademque cauſa liceat tertio prouocare. Dixeris fortaſſe, differri iuſtitiam. At omnis appellatio ſuſpendit executionem. Non ideo defenſionis facultas auferenda eſt, moribus introducta. Quot vidiſti cauſas in curia Papæ uſque ad tertium vel Papam vel hæredem aut ſucceſſorem protelatas, nec tamen unquam certa meta præfiniri potuit vel præſcribi. Si dixeris biennium longam ſatis eſſe metam, quo lege ciuili durat inſtantia, quid ſi plus uno die? quid menſe? quid tandem ſemeſtri vel anno utot permiſſo? paulatim addo vel iungo unum, iungo iterum unum.

Nunc vir ſacrilege atque impudice, neges Concilium ſupra Papam eſſe, quod olim aliter ſcripſiſti. Et extant tua, tum etiam Papæ ſcripta, in contrariam partem, qui aliter ſtans, aliter ſedens, loqueris, homo quem nil pudet vanitatis, qui ſic argumentaris: Concilium Conſtantinenſe nominauit Papam Iohannem, *Dominum ſuum*, quod non feciſſet, ſi fuiſſet ſubditus eius. O quanta inſania tua, qui ex nuncupatione urbana locos conuincere putas. Vendica tibi Dominium in Cardinales, qui te nuncupant, ſua virtute dicentes, *Dominus meus ſancti Petri*, ut ipſorum abutaris benignitate, ſi tibi commemorem, quando incepit & inoleuit mos nuncupationis dominicæ. Quando Papæ cœperunt nominari *Domine Domine*; Quando etiam Imperatores ſic appellari noluerint: Quomodo uſurpatum eſt Papas ſeſe pluraliter & cunctos alios ſingulariter nominare, quippe qui ſeſe aliquando ſingulariter nuncuparint, nimium prolixus ero. Sed ſufficiat tibi probatum eſſe, quod magna Synodus Conſtantienſis, ſibimet nil detraxit, cum Iohannem *ſanctiſſimum Dominum* appellauit, quem tamen poſtea rite iuſteque deſtituit, alioquin Martinus ſedem vacantem non intraſſet, neque Eugenio aut is Nicolao vacuam reliquiſſet, qui te Cardinalem creare minime potuiſſet; Vide vir petulantiſſime, quorſum euadat tua vana ſuperſtitio, qui cauillas appellationem Ducis ad ultimum Concilium interpoſitam eſſe, hoc certe non continet appellatio. Nihil enim eſt quod aut natura extremum inuenerit, aut doctrina primum. Hoc etiam accipe, quod ſicut Capitulum eligit Epiſcopum, cuius aſſenſu contrahitur ſpirituale matrimonium & non parum adminiſtrationis innoſcitur, ita ſuffraganeorum aſſenſu Archiepiſcopus à Synodo prouinciali, quam tamen ipſe creauit vel indixit. Cæterum ſi literarum ſacrarum deſertor ius publicum ignotas, adeò quæ moribus introducta ſunt animaduerte. Regem Francorum iudicat parlamentum, Imperatorem Romanorum Palatinus Rheni, attamen uterque Dominus reuerenter nuncupatur utriusque. Procedis deinde longa quadam verboſitate implicans & inuoluens, magnæ ſynodi quam plurima decreta iam dicens à Chriſto dependere, iam vero aſſerens ſupra Papam non eſſe, cum dicis illam tollendi ſchiſmatis cauſa omnia dixiſſe, caue dixeris, illam pro unione aſſequenda dixiſſe vel feciſſe, quod de iure non potuit. Gregorius non ſuſtinebit, mihi paulo mitius eſt ingenium. Varias enim & vacillas, ut dictum ſit non dictum, ratum irritum, eò tamen tendere videris, quod Concilium ſuper extirpatione ſchiſmatis congregatum plurimam habeat poteſtatem. Oro te, Cancer Cuſane, ne cancrino more reſilias,

lias, ſed recte perge ut cepiſti, ſi Concilium ſuper extirpando ſchiſmate congregatum eſſet, & interea ſurgeret hæreſis, vel alter Paparum moreretur vel cederet, alter venderet Sacramenta, vel aliter ſcandaliſaret Eccleſiam, nunquam patres cogerentur hoc Concilium diſſoluere, & aliud pro hæreſis eradicatione vel reformatione denuo inſtituere? Aut cur retorto ſermone tandem dicis; *Et ſi actu Concilium eſſet ſuper illis congregatum, ſuper quibus Conſtantienſe, &c. tamen non ſequitur, quod Concilium nondum congregatum talem haberet ſuperioritatem, quod à Papa ad ipſum poſſet appellari.* O bone vir, quid deliras? Nam ſi actu eſſet congregatum Concilium, ridiculus eſſet, qui omniſſo principali concilio congregato, ad aliud nondum congregatum appellaret. Vide, Cancer, quam inique calumniaris Gregorium, qui dicit ex decretis magnæ ſynodi Concilium generale perpetuis temporibus de decennio in decennium debere celebrari. Dies ceſſit. Cuius eſt mora, tu noſti, ſicut igitur ad Papam appellatio interiecta tenet ſede vacante, ſic ad Concilium, quia ceſſit dies, diſſoluta eſt. Itaque innodatio tua, qua dicis; *quod enim non eſt, non eſt ſupra*; quia perpetua eſt eccleſiæ auctoritas, ſiue ſit congregata, ſiue diſperſa, quanquam ad opus operandum & exequendum, congregatio ſit optima. Quæris tandem, quid operetur appellatio, ad futurum Concilium interiecta, etiam ſi rite ſic appellaretur, eum non tollat ſententias à iure prolatas nec ſuſpendat effectum, quem ſecum trahit, ſententia. In Concilio vero ſimplici querela introduci cauſa poteſt. De hoc verò adhuc contenditur, an Dux pœnas inciderit. Hoc coram non ſuſpectis Dux decertare cupit, Gregorius certat & adhuc coram iudice lis eſt, id verò, quod Papa nulliter agit, rite contemnitur.

Deſcendis ad conſtitutionem ſacrilegam, qua vetatur ad Concilium appellari. Nil autem affers probabile, niſi quod ad Ducem verba dirigens ait: *Dicere non potes, quod te minus liget, quam alios Chriſtianos,* & infra ſubdis: *Non debebas ponere os in Cœlum plus quam alii*: cætera quæ dicis, aniles fabulæ ſunt. Tibi reſpondetur, quod duci opus fuit prouocare contra ſurreptitia pœnalia mandata, quæ tu falſis ſuggeſtionibus ſurripuiſti, aliis forte non itidem, qui non fuere, grauati. Quibus verò grauamen impenderet, pari forma prouocarent, tam pontifices quam prælati, quibus Papa & legatus eius, decimæ triennalis impoſitionem comminatus eſt.

Quæ quidem impoſitio, ſuſpecta eſt nugatum, propter feloniam tuam veterem, qua plus quam ducenta florenorum millia, ex Alemania ſuxiſti, tam dulciter pollicens, nil ipſius pecuniæ ex Alemania traduci, ſed inibi ad pios uſus depoſitam conſeruari. O utinam os tuum poſuiſſes in cœlum, atque oculos leuaſſes in montes: ſed in marſupia noſtra diſpexiſti: Non ergo auxilium à Domino ſperaſti. Ideoque te ſol uſſit per diem, cum pecuniis tuis ſacrilege quæſitis. Tauſer adeptus, Redenneck, Volturnum ac Iouedunum inhiaſti. Nunc te urget Luna per noctem, cum iuſtiſſimo Dei iudicio poſt fideifragium tuum, quo conuentionem Iurispublici violaſti, teque exulem facere maluiſti, ſi forte animi tui malignitatem explere poſſes, etiam oppidis & prædiis, quibus frui poteras, te deſtituiſti. Tu forte nuncupas *os in Cœlum ponere*, de geſtis Papæ vel eius poteſtate diſputare. Talis quippe dicendi modus ab adulatoribus inuentus, per aſſentatores tandem inoleuit. At tu minor diſputatio, an ſuper bigamia per Papam ad ſacerdotium valeat diſpenſari; & an Papa poſſit concedere matrimonium in certum tempus, vel uſque ad procreationem ſoboliſ maſculinæ, contrahatur: Sexcenta ſunt quæ memorem ſi opus fiat. Nec tamen ad ſacrigelium reputatur. De Deo enim diſputatur, an poſſit produceere infinitum an potentiam creandi delegare poſſit. Quid ergò vir bone cauſaris, ſi quis dicat conſtitutionem Papæ peccare? Sunt qui dicant Papam fauore Epiſcopi Lucani agentis pro vi expulſiua contra Piſanos pronunciaſſe ſuper turbatiua. Ac rurſum qui dicant alium Papam ex verbis Iohannis Frangapanis directæ ſubſtitutionis decreuiſſe obligationem. Quotidie Papales, & aliæ conſtitutiones modificantur, tum reuocantur, aliquando reſpuuntur. Et tu deſertor iuris, abortiue theologe, multa prætextu legatio-

nis ſtatuiſti, ac quærentibus aduerſum te reſpondiſti, quatenus adeant Papam deſuper ſupplicaturi, ut ſic medullam in oſſibus Germaniæ relictam fugendo tereres. Quæ cum viſa ſunt, pecuniis datis tolli poſſe, tandem à cautioribus principibus retenta pecunia repudiata ſunt ac deriſa. Et hæc omnia tu notas hæreſin. Quid ſi Papa mandat ſolui Cameræ ſuæ mille ſub pœna hæreſis; An recuſans ſit hæreticus? Nequaquam. Sunt enim maleficia diſcreta, quæ ſuos tenent auctores. Neque enim cœſor vitium vel arborum eſt parricida; Nec fur eſt. Deſine ergò conuitiari, vel audies, quod audiiſſe noles.

Nunc quibus anfractibus lapſum illum vel euitare, vel erroris notam aufugere tentas, qua notaris erraſſe, docens, *in Eccleſiam eſſe credendum.* Id perſtringere libet. Dicis nil referre præpoſitionem *in* appoſitam in citatione. Non enim, ut ais, citatus eſt Dux, an credat Eccleſiam, vel in Eccleſiam, quia ad ſymbolum remittit citatio. Tu autem non deſinis procaciter errorem defendere, quod eſt hæreticorum proprium, ſcilicet pertinacia. Quid dicis? Gregorium neſcire inter ſymbola diſcernere? Iure ſuſpectus haberis, quod de ſymbolis varie ſentias. Poſtea ſubaccuſas appellationem Ducis de perplexitate, quia ducem laicum eſſe dicat. Gregorius autem ſe in ipſoDuce ſciolum oſtendere velit. Laicus eſt Dux, de fide ſimpliciter & bene ſentiens. Tu verò omnem hominem hæreſi falſa criminaris, qui tuis audaciis contradicit. Nemo verò te ſuſpectior eſt in fide, qui nondum purgatus es ab illa macula, quam Fratres Minores iniecerunt tibi, qui tempore Papæ Nicolai articulos plurimos contra te obtulerunt, quibus de hæreſi notatus, nondum autem abſolutus, nequaquam purgatus es. Profectò ſi lædere pergis ut cœpiſti, talem tibi notam inuret Gregorius, quam tota reliqua vita tua eluere non poterit. Sed perge vanitates tuas proſequi. Nonne hunc legiſti Verſiculum?

Crede Deo, credasque Deum, plus credo valere,
Ut credas in eum, quam quod ei, vel eum.

Cum deliras dicens, *in ſanctam Eccleſiam credere,* quemcunque Chriſtianum oportere, de qua dicitur; *Qui aliter credit, quam ſancta Mater Eccleſia docet, is eſt hæreticus.* O miſerum ingenium tuum, qui non diſcernis inter *credere unam Eccleſiam*, aut *credere cum Eccleſia*, vel *ſicut Eccleſia*, aut *in Eccleſiam.* Nonne credis, ut Apoſtoli crediderunt. Nonne in ea fide verſaris, quam diuinum Petrum Apoſtolum Romanis tradidiſſe proditum eſt? at non credis in ipſum, ſed ipſi credis euangelizanti Chriſtum. Nonne credis Dei genitricem Virginem? non autem idcircò credis in illam. Quod ſi aſſertioni tuæ aſſentias; in illam ergo credas, Deos habebis infinitos. Nonne puer didiciſti, fidem eſſe aſſenſum ex auctoritate dicentis generatum? Deinde grandior legiſti, fidem eſſe dictorum conuentorumque conſtantiam, de imitatione Stoica, quaſi fiat quod dictum eſt, appellata. Noſtra verò fides orthodoxa, per Anthonomaſiam dicitur, qua credimus & confitemur ad æternam ſalutem. In qua longe diuerſum eſt, credere aliquid eſſe fore, vel fuiſſe; aut in illud ipſum credere. Obiectum illius aſſenſus, qui fides aut credulitas nuncupatur, eſt propoſitio, cui per adhæſionem animi aſſentis: non tamen credis in ipſam. Tu credis cœlum & terram, Solem & Lunam, aſtraque micantia à Deo creata, ſed non credis in ea. In ſolum Deum crede, & quæ ad ſalutem æternam credenda ſunt, quæque Eccleſia diffiniuit, crede firmiſſime, non autem in illam. Illa etenim in Deum credit, non autem in ſemetipſam, quæ nec à ſemet ipſa, ſed à Spiritu ſancto viuificatur. In hunc crede viuificantem, qui per os Prophetarum eccleſiam præconiſauit, qui confortans Apoſtolos, trophæa Chriſti vexit per orbem. Eccleſiam verò ſic crede, ut obedias illi, ac cum illa ſentias. Hæc eſt fides Auguſtini ſcribentis ad Neophytas baptizatos dum dicit; *Interrogauimus an credatis in Deum Patrem omnipotentem, & in IEſum Chriſtum filium eius, Et in Spiritum ſanctum &c. iuxta imperium Saluatoris præcipientis; Euntes docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti &c. Non interroga-*

uimus

vimus autem, ut quomodo in Deum creditur, ſic in ſanctam Eccleſiam Catholicam, quæ propterea ſancta & catholica eſt, quia rectè credit in Deum ; ſed intelligere debetis nos dicere & dixiſſe ut in Eccleſia ſancta conuerſantes in Deum crederetis, &c. Vide ergò quomodo cæcutieris, qui fidem Chriſti cauillas, ne tibi contingat, quod de Homero & Steſicoro narratur. Quod Socrates ne ſibi contingeret, præuenire cauit in Phædro. Si quis verò Prælatorum eius errauit, error certe non eſt imitandus.

Et ne diſgrediar à propoſita materia, tu Papam Eccleſiæ caput miniſteriale decepiſti, qui te pro conditione fragilitatis humanæ ſecutus, literas emiſit comminatorias. Dux fideifragium tuum ſubolens, & nugas ſentiens tuas, ad Papam miſit. Tu illum induraſti, aures obcuraſti, obſurduit Papa contra Ducem, tu Papam deliniſti aſſentationum laqueis infaſcinatis ille inuolutus contra ducem incanduit, fulminauit, coruſcauit, iecit grandines, & intonuit. Tu monachos, ſcurras vagos reperiſti, qui vanitates tuas diſſeminarent. Dux autem poſthabet horum ſua ſeria ludo. Tu quidquid veneni quotannis aluiſti euomens cum impetu, hæreticos mentiris eos, qui tuis audaciis obicem ponunt. Vide ſi hoc eſt, deſipere in fide, aut de authoritate eccleſiæ irreuerenter aut male ſentire. Sed elenchum contorſiſti, ſic argumentando : Chriſtus eſt caput Eccleſiæ. Omnes autem credimus in Chriſtum. Perge autem. Qui credit in caput Eccleſiæ, credit in Eccleſiam, quia caput pars corporis eſt. Credo & de te opinor, quia ſi quis per Atheiſmum in aliis terminis tibi taxaret arguendo ; Chriſtus eſt verus Deus, Chriſtus eſt paſſus, mortuus &c. Ergò Deus eſt mortuus. Ac rurſum, Deus eſt Deitas, ergò paſſa eſt diuinitas. Tu circulationem illam diſſolueres, duas naturas vel potius ſubſtantias in Chriſto diſtinguendo, absque ulla confuſione vel mixtura, in ſola unitate perſonæ ſcilicet ſuppoſitalis quam nos, ut à Græcis accepimus, hypoſtaticam nominamus : Naturalis enim perſonæ ſignificatio ſubſtantiam potius dicit, quam hypoſtaſin. Sed ex eccleſiſticæ locutionis uſu, venit talis acceptio ; Chriſtus igitur ex Deo Patre, ante omnia ſecula genitus, æqualis Patri ſecundum diuinitatem, creator eſt omnium, per quem omnia facta ſunt ; homo verò ex Maria virgine in ſeculo natus, ſacerdos & Patris altiſſimi filius ; non tamen duo, ſed unus eſt, hypoſtatica ſcilicet unione. Nunc habes quomodo credamus in IEſum Chriſtum. Vide ſi ſic credatur in Eccleſiam, & ſeceme ſubſtantiam diuinam ab humana, ut ſcias quomodo Chriſtus ſit creator omnium, & quomodo caput Eccleſiæ, & aufugies Neſtoris atque Euticetis ſibimet fotmaliter contrarios errores.

Inter transcurrendum non ceſſas mordere Gregorium, aſſerentem eccleſiam eſſe immortalem, quia Paulus ait ſolum Deum immortalem. Miror quod talem oblivionis morbum incidiſti, ut non memineris te didiciſſe, dignitates eſſe perpetuas ; Item & perpetuam Iurisdictionem : rurſum perpetuas actiones, quarum tamen quadraginta annorum ſpatio meta iura clauditur. Et Gregorius auctoritatem Eccleſiæ perpetuam eſſe dicens id loquitur, cum de Iuris diſtinctione Eccleſiæ contra te certat, ubi rite utitur uſu loquendi Iuriſtarum. Tu etiam more Cancri ſub domo Lunæ fluitans, prius allegaſti, te unionem cum Duce perpetuam habere quanquam mortalis ſit natura utriusque.

Allegas in Capella Papæ cantari, *credo in Eccleſiam.* Vix tibi creditur, adhibe teſtem ſancti Sixti vel Cameracenſis, quorum alter divinarum, alter ſacrarum (licet humanarum) literarum peritus habetur, ſi verò ſic canitur, profecto tale ſymbolum per Cameram expeditum coniicio, non per Cancellariam, ubi perſpectio diligenter, & præſumptiones Iuris circa ſtilum aut Grammaticam in eis non militant, & quæ diſponuntur minus ſunt trahenda in ſequelam. Superaddis obſeruantiam Eccleſiæ Græcæ. O præcautiſſime, qui velut exhauſtis Latinorum riuulis, ad Græcorum fontem recurris, propter tua Græca vocabula, quæ didiciſti, quan-

quando de Concilio Basilienſi ad conuentionem Ferrarienſem proditorie commigraſti. Nunc meant proſcenia ludi, apud Cardinalem Cuſanum ſunt Dionyſia Bacchi, quem fœcundi calices Græcæ linguæ fecere diſertum. Anne putas, Linguam Romanam deficere in expreſſione fidei, eorum articulorum, quorum explicita credulitas eſt de neceſſitate ſalutis? Iam tu Patris & Matris tuorum fidem condemnares, ut Gregorium vinceres, in ſoro crede mihi ſaltares.

Subnectis iure Canonico ſuſpectum haberi, eum qui per annum fuit excommunicatus, quod de fide male ſentiat. Aſine, quid dicis? Ita demum hoc eſt verum, ſi contumax ſit in cauſa fidei; Quid ſi caſus tibi figurabo, ubi canon docet, potius ſuſtinendam excommunicationem, quam quod iudici parearur contra verum?

Rurſum repetis, cenſuram Papæ iuſtificatam, quaſi conſtet de ſacrilegio Ducis, iamdudum reſpondi, fideifragia tua & proditiones tuæ compreſſæ ſunt, per Ducem, pro quibus tu comparere & te expurgare dubitas, fugitivus iuris, & omnis iuſtitiæ profugus, qui non audes aliquod non ſuſpectum ſubire iudicium, quod tibi iam ſæpe & multifariè oblatum eſt.

Amplius delirando dicis, quod Papa non vocatum Ducem declarare potuit, ſicut Paulus excommunicauit Corinthium. Dic ubi legiſti, quod ille Corinthius petierit audientiam, & Apoſtolus illam ſibi negaverit? Putaſne ſi Corinthius ille veniſſet ad Paulum dicens: Hæc mulier non eſt uxor mea, ſed honeſtè cohabitat mihi, item nunquam fuit uxor Patris mei, item æmuli mei me tibi accuſarunt, inquire diligentius; An vas electionis diciſſet, dabo tibi carcerem pro reſponſo. Nequaquam.

Iterum repetis, Ducem à te veniam petiiſſe, crimenque confeſſum, Dux negat, Laurentius inficiatur. Procede in Palæſtram, experiendo iure, & iniurias ac contumelias arque conuicia tua miſſa face; Hoc eſt officium viri, non ut Leno certare maledictis, non ut ſus cum quouis in cœno volutari.

Poſtremo negas Eccleſiam Brixinenſem fore temporaliter de limitibus comitatus Tyrolis, quia caſtrum Tyrolis ſit feudum Eccleſiæ Curienſis. Comitem Tyrolis nunquam fuiſſe principem Mereaniæ dicis, qui tamen vides Mereaniam ſub caſtro ſitam & obedientem comiti Tyrolis. Ut quid inſanis? Quid ſi memineris, quod Reges (Rex Franciæ iurare dicitur geniculatus in manibus Abbatis S. Dionyſii, à quo regnum recognoſcit) & principes, regias ſuas & principalium teſidentiarum ſuarum terras & loca à viris eccleſiaſticis agnoſcant in feudum, mirari deſines, niſi forte magis ſtudeas ut non ratione inſanias. Quid enim facit ſola mutatio nominis ipſa rerum natura & proprietate ſemper eadem manente? Tantum enim longinqua mutare valet vetuſtas, ut quæ olim Rhetia ſuperior dicebatur, de qua ſcribitur, *videre Rheti bella ſub alpibus Druſum gerentem*, arque iterum: Mox graue prælium commiſit immanesque Rethos, auſpiciis pepulit ſecundis, ea poſtea Meorania, hodieque Tyrolis ſit vocata, utramque verò Rhetiam adhuc vocabulum rempore Theodorici Gotthi, retinentem, Rex in præfecturam concedens ſuperiorem illam, *Vallum Italiæ* vocat, cui & ſuperior Norica eſt ab Oriente ac realiter victa.

Tandem fingis te Dominum ſecularem vallis Eni & minerarum eius. Hæc ambis & diu celatam ambitionem detegis & aperis. Ex quo plane conſtat, quid tua iactantia voluerit, cum te iactaſti, plurimas valles armis impleturum, & omnem pacis vel treugarum oblatam tibi conditionem reſpuiſti, confiſus in Graſacorum ferocia, qui comitatum Goritiæ iam pridem populabantur partimque ſubegerent, ubi deficiens ad Papam confugiſti, queſtus vim afferri. Duce autem vias Iuris offerente, ut ſic per legitimos tramites calumniantis detegatur iniquitas, tu fugitiue Iuris & iuſtitiæ ad conuitia deſeendis, te Ducem nominas, maieſtatem Sigismundi lædere, quæris. Sunt etenim Principes Auſtriæ velut epimetati Principes ab Imperio Romano taliter honorati, ut qui in ipſos deliquerint, in Imperatorem Roma-

Romano taliter honorati, ut qui in ipſos deliquerint, in Imperatorem Romanorum deliquiſſe videantur; quippe apud quos plenitudo poteſtatis in eorum terris; quemadmodum in Romanorum Principe, conſtat. Vide quorſum tendat ſuperbia tua, qui te Dominum; Ducem verò ſeruitorem nuncupas tuum, qui tamen auctore Archiepiſcopo Salzburgenſe Metropolitano tuo deſpondiſti ducem te habiturum taliter, qualiter à Prædeceſſoribus tuis Epiſcopis Brixinenſibus habitus eſſet, qui omnes, eum & progenitores ſuos tanquam Principes uniuerſales etiam per diſtrictum ac terras Eccleſiæ Brixinenſis recognouerunt, paucis exceptis, quæ in ducatu Stiriæ conſiſtunt, ubi pari modo Dux & Rector uniuerſaliter dominatur, tenetque Principatum ſecularem. Neſcis apud inferos ſedere eos, qui arma ſumere impia nec veriti dominorum fallere dextras, ſicut tu Duci ac Principi tuo fidem violaſti. Contemplare quantum diſtat hæc tua elatio, faſtidioſis factionibus geminorum, qui manibus reſcindere cœlum aggreſſi, ſuperisque Iouem detrudere, regnis, quæ eſt figura Luciferi dicentis: ponam ſedem meam ad Aquilonem & ſimilis ero altiſſimo; aut eius, qui turrim Babylonicam inſtaurauit. Nonne legiſti:

Crudeles dantem Salmonea pœnas
Dum flammas Iouis & ſonitus imitatur Olympi.

Demens, qui nec dum irritabilem principem tibi ſubigere putas, ſola procacitate linguæ fretus, dicens fortaſſe melius ſub infideli tyranno quam ſub hoc Duce vivi poſſe. Qui utinam Sutrinus, Nepoſinus, Narnienſis, Balneoreginenſis, Amelienſis, aut Ortanus præſul eſſes, tunc demum ſentires, quid amiſiſſes. Iam Prometheus te nil ſentire permittit. Iam veſtis ornatus & dignitas, qua obuolutus es, & præcipuè rubedo verticis, qua operiris, teipſum non ſinunt de te iudicare, aliquando mitior fuiſti; ſed poſtquam irrubuit cranium capitis, veluti gruis ſæuitia ſimul accreuit tibi cum grue, & propter licentiam peccandi, maxime & inſanabiliter peccaſti. Arduum quippe eſt, ut quis in maxima peccandi licentia conſtitutus, rectè vitam tranſigat. Nudus, crede mihi, iudicaberis; tunc labes animæ tuæ diu contecta cernetur conſpicue. Tunc te Gnoſius Rhadamanthus velut Aſiaticum, quia orientalem linguam trium vocabulorum nouitate uſurpaſti, vel Latinum, ſi ad domicilii iudicem remitteris, Minoë in inſidiis ſuccenturiato ſtante, iudicabit; tuque illis transmitteris, ubi debitas ſubire pœnas oportet.

Hæc tibi rependo, gratificans tibi pro meritis, dum admonendo Ducem dixiſti; conuertere ne moriaris, &c. Quid enim aliud egiſti, quam ex alieno contemptu, ſuperbiſſime tibi clypeum ſanctitatis & innocentiæ ſimulando aſſumere? ſi inter illecebras & blandimenta fortunæ durum aliquid expertus es, te verò delectatio præceps & inconſulta deſtituit. Ad cor redi, memor conditionis tuæ. Sic proſperaberis, Domino propitiante. Datum in fœlicibus caſtris militaribus obſidionis Viennæ Auſtriæ apud Sanctum Marcum, quæ via ducit ad Ungariam, Idus Auguſti, Anno M. CCCC. LXI.

NOTATIO PETRI NVMAGEN TREVERENSIS,

Ex cuius autographo hæc desumpta sunt, exarato manu eius Anno M. CCCCC.

NOta Dominum Nicolaum Cardinalem de Cusa fuisse filium cuiusdam pauperis piscatoris dicti Krebsheime, quia morabatur in villa dicta Cusa ad quatuor vel quinque milliaria subtus Treuerim in littore Mosellæ, quasi ex opposito oppidi & castri dicti Berrenkastel sita, agri fertilis & tàm vini, quàm frumenti feracis, supra quam vix unius vel duorum stadiorum distantia alia villa in eodem littore sita est, dicta Lisura: unde oriundus fuit socius dicti Cardinalis, dictus Iohannes de Lisura, Doctor Iuris, cuius fratrem ego vidi. De his duobus extat versus multum vulgatus:

Cusa, Lisura, peruertunt singula iura,

Et quia præfatus Cardinalis Cancrum in albo scuto rubentem gessit, aliasque ex parte cognomen traxit Cancri, hinc auctor inuectiuæ præfatæ eum vocauit Cancrum.

HISTORIA
BELLI LEODIENSIS
ET
VARIA SCRIPTA
AD
HISTORIAM
FRIDERICI III.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Amentoſum erat Leodienſis urbis excidium, à Carolo Burgundiæ Duce ob contumaces Leodienſium Spiritus factum. Cœpit illud ſub Philippo, Burgundiæ Duce, qui Ludouicum Borbonium Leodienſibus epiſcopis commendabat à Papa etiam adprobatam, quem tamen ipſi recipere recuſabant. Poſt obitum Philippi, Leodienſes aduerſus Pontificem ſuum bello decertabant, quem apud Huium obſidebant, quod cum ferociſſime oppugnarent, pontifex clam dilapſus eſt. Carolus vero audax dictus, Burgundiæ dux, Epiſcopo adfinitate iunctus, Leodienſibus bellum indicit, & capta demum urbe, eandem igne ferroque deuaſtat. Deſumſit Freherus hanc hiſtoriam ex Iacobi Piccolominei Rerum ſui Temporis geſtarum Commentariis, * quibus, ut in Syllabo Autorum monet, Frehenus ex MSto adiecit incerti Autoris epiſtolam de Carolo Burgundiæ Ducis laudibus & victoriis, nec non Leodienſium clade & excidio. Præfatio autem hæc eſt, libro de Principum cuſtodia præmiſſa, quem amore Caroli ducis conſcripſiſſe ſe ipſe in fine teſtatur, ubi etiam ſe dicti Caroli Medicum fuiſſe receptum, profitetur. Conſiſtit illa in ſolis Caroli elogiis. Bellum autem hoc Leodienſe alias quoque a Nauclero ** Trithemio *** atque Ponto Heutero **** videmus deſcriptum, atque probe eſt diſtinguendum ab alio bello Leodienſi, quod ab anno 1482. ob occiſum Ludouicum Borbonium contra Leodienſes a Maximiliano adhuc Archi-Duce fuit geſtum, eademque urbs Maximiliano ſubiecta.

Acceſſit ex eiusdem Iacobi, Papienſis Cardinalis Commentariis narratio de Friderici III. Imp. in Italiam profectione votiua, anno 1468. ſuſcepta de qua Gerhardus a Roo. ***** *ſub initium Nouembr. Cæſar res in Au-*

---

* *Liber IV. p.* 396. *ſeqq.*

** *Vol. II. Gen. XLIX. p.* 1096.

*** *Chron. Hirſaug. ad an.* 1467. *&* 1468.

**** *Rer. Burgund. Lib. V. c. IV.*

***** *Lib. VIII. p.* 270. Ex Papienſi vero ſua hauſit Millerus *im Reichs-Tags Theatro, p. IV. c. XLIII.* Extat etiam Narratio de hac Friderici profectione votiua ex libro I. Cæremon. Sect. XIII. cap. I. in Tomo tertio.

Auſtria ſatis iam quietus, Mathiæ ob foedus fidendum ratus, ſuſcepto in Italiam itinere, in ante diem natalis Domini noſtri Romam venit, ubi ea nocte ſacra faciente pontifice, euangelium de edicto Cæſaris Auguſti decantaſſe dicitur, exemplo Imperatoris Sigismundi. Sedecim dies illic commoratus, domum rediit. Itineris huius cauſa votum eſſe vulgo ferebatur, erant qui confirmationem ſucceſſionis in Hungariæ & Boemiæ regna petiiſſe dicerent, nec abſimile vero eſt, prudentiſſimum Imperatorem conſilia ſua, ex authoritate Pontificis, inſtituere voluiſſe. De expeditione in Turcam & bello Boemico actum eſſe nonnulli meminere.

Sequitur *AUGUSTINI PATRITII de Comitiis Friderici III. Ratisbonenſibus 1471. celebratis Commentarius.* Erat hic Patritius Franciſco Piccolomineo, Senenſi Cardinali a ſecretis, & dum ipſe Cardinalis ad hæc Comitia a Papa fuiſſet miſſus, cum eodem in iisdem præſens, quæ ipſe vidit, adnotauit. Initium facit a Turcarum progreſſibus in Aſia & Græcia, & qua ratione Fridericus III. terris ſuis hæreditariis metuens ſibi proſpicere voluerit. Inde in cauſſas Comitiorum Ratisbonenſium inquirit, ubi dubius hæret, an ingruens bellum Turcicum, an vero quorundam principum Conſilia de abrogando Friderico Imperio hæc promouerint & qua ratione Franciſcus Piccolomineus ad eadem a Paulo II. Papa fuerit deſtinatus. Poſtea deſcribit iter ſuum per Senas Mirandulam & Mantuam: reliqua vero quæ ad iter Germanicum faciunt & ipſum Comitiorum ſtatum, deſunt. Adiectæ IO. ANTONII CAMPANI, Epiſcopi Apruteni qui alter erat ex legatis Papalibus, epiſtolæ quædam de his Comitiis, quas inter alias ipſius epiſtolas a Cl. Menckenio coniunctim editas, æque reperimus, è quibus has noſtras emendauimus. Plenius de his Comitiis egerunt Lehmannus & Müllerus *.

Hæc excepit *ARNOLDI LALAINI Epiſtola de congreſſu Imp. Friderici & Caroli, Burgundiæ Ducis Auguſtæ Treuirorum anno 1473. facti.* Erat iſte Præpoſitus D. Mariæ Brugenſis, ** atque hanc epiſtolam ſcripſit ad Paulum Baenſtium, Rectorem Papienſem, gallico ſermone, quam tamen latinam fecit Rudolphus Agricola, *** licet, vt ipſe in præfatione fateatur, non verbum e verbo exprimens, ſed latius nonnunquam contractiusue res explicans. Egerunt de hoc congreſſu Roo. Fuggerus Müllerus, **** & præcipue Magnum Chronicon Belgicum *****.

Poſt hæc venit *PETRI d'AUBUSSON*, Rhodiorum Militum Magiſtri, *epiſtola* ad Fridericum III. Imp. *de victoria ſua aduerſus Turcas anno 1480. pacta.* Incidit iſta in diem XXVII. Julii ******.

Succedit Sixti IV. Bulla ad Philippum Palatinum Electorem an. 1481. miſſa, qua ipſum, aliosque Germaniæ Principes cohortatur, ad expedi-

* Lehmann. *Lib. VII. cap. CXII.* Müller. *pag. V. cap. II. & III. & ſeqq.* Receſſum exhibet Goldaſtus Reichs-Satzungen *Tom. I. pag.* 187.

** Agit de eodem Val. Andreas *in Bibl. Belgica pag.* 161.

*** Hanc Val. Andreas excuſam dicit *Baſilea* 1518. 4. cum aliis Rudolphi Agricolæ opuſculis.

**** Roo. *Lib. VIII. pag.* 275. Fugger. *Lib. V. cap. XXI.* Brower. *Ann. Treuir. Lib. XIX. p.* 300. Müller. *p. V. cap. XXXII.*

***** *Pag.* 401.

****** Chriſtian von Oſterhauſen *vom Johanniter Ritter-Orden. pag.* 536.

tionem contra Turcas ſuſcipiendam. Ideoque treugas indicit ad triennium a Kl. Iunii 1481. inter Germaniæ Principes ſeruandas.

Agmen tandem claudit *Legatorum Matthiæ*, Hungariæ Regis in *Comitiis Noribergenſibus 1479. habita Oratio*, qua Imperii ſtatus ad expeditionem contra Turcas cohortari conantur.* Verum ita de his Comitiis ſentit Adlzreiterus: ** *Grandis Comitiorum expectatio, conſultationes & ſalutaria iudicia, fructus nullus: verbo, Athenienſium more, propoſita optima fortiſſimaque conſilia, ſed quæ nemo exequeretur graſſante interim hoſte in viſcera miſerorum Chriſtianorum.* Subiunximus Eiusdem Matthiæ Epiſtolam, *ad Henricum Ratisbonenſem Epiſcopum* perſcriptam, qua ipſum aliosque Germaniæ Principes ad auxilia contra Turcas incitare conatur, qualia olim Imp. contra ipſum præſtiterint.***

---

* Eandem Orationem Theatro ſuo Comitiorum inſeruit Müllerus *p. V. cap. LXXIX.*

** *Ann. Boiic. part. II. Lib. IX. num.* 34.

*** Deſumſimus eam ex Leonhardi Pauholtz *Addit. ad Andreæ Presbyteri Chronicon Bauariæ pag.* 71. Eandemque in Syllabo Scriptorum promiſerat Freherus.

DE

DE LEODIENSIVM DISSIDIO CVM EPISCOPO SVO LVDOVICO, ET DE CIVITATIS LEODII EXCIDIO LAMENTABILI, NARRATIO HISTORICA, ANNO MCCCCLXVIII.

Iacobi Piccolominei Cardinalis Papienſis, Commentariorum eius Libro III. p. 396.

DUM in hoc ſtatu res Italæ agerent, lachrimabile interim nuncium Romam affertur, quo animi omnium non mediocriter ſunt contriſtati. Significatum eſt enim ciuitatem Leodienſem magnitudine atque opibus claram, quæ in omni caſu Eccleſiæ fidem Romanæ ſedis erat ſecuta, ferro atque igni ad internecionem deletam, nulla ætatis, ſexus, vel ſacrorum habita ratione. Eam vero cladem unico Caroli Burgundorum Ducis, & Ludouici Gallorum Regis impetu irrogatam, qui ad tantum facinus animos & arma iunxiſſent. Eam ego non ab re cenſui quarto huic libro mandandam, quo noſtris Pontificibus eſſe documento poſſit, quantum ſeculi Principibus oporteat credi, quantumque adhiberi curæ conueniat, ne ii paſtores plebibus dentur, quorum vel ætate, vel ambitione, pro pane lapis, & pro ouo ſcorpius (iuxta verbum Domini) offeratur.

Igitur ſedente nuper Caliſto tertio, petebat Philippus Caroli pater, ut Ludouicus qui in Borboniorum familia genitus erat ex filia, Leodienſi præficeretur Eccleſiæ, quam Ioannes annorum iam multorum Præſul, miſſis ad Pontificem documentis parabat dimittere. Sed ea res cum propter iuuenilem ætatem, quæ bigeſimum nondum annum attigerat, pontificiis legibus eſſet contraria, Caliſto parum & Patribus probabatur; videbanturque uno conſilio omnes non aſſenſuri, niſi maiores cauſæ ad impetrandam rem afferrentur. Erat eodem tempore præcipuum Pontifici ſtudium parandæ claſſis in Turcos, quæ ad redimendam Conſtantinopolin duceretur? miſeratque propterea in omnem Italiæ partem ſacerdotes, quæſtores, qui futuri operis prædicatione condonationibusque peccatorum, cuiuscemodi ſubſidia compararent. Ad ripam quoque Tyberis Vaticano proximam comportari materiam, & triremes fabricari ſine intermiſſione curabat, nulla de re alia vel loquens gratius, vel audiens. Id vero ſtudium cum ad Philippum ſignificationibus multis eſſet perlatum ſenili & ipſe obſequens animo, quod iure de Ludouico negatum erat, promiſſis artificioſis aggreditur. Spondet, ſi impleatur quod cupit, miſſurum ſe terra & maiori grandia ad conceptum opus ſubſidia, quæ & facilia ſibi futura eſſent, & magnopere conatum Eccleſiæ adiutura. Totam hanc ſponſionem ea dictorum ſcriptorumque conſtantia firmat, ut nil minus iam putaretur, quam non facturum illum, quod tam aſſeueranter aiebat. Credidit ſenex Caliſtus primum, explendo deſiderio intentus; mox etiam in eandem ſententiam traductis Patribus, Philippo eſt obſecutus: ciuitatisque tam populoſæ adminiſtrationem iuueni credidit munerum Eccleſiæ omnino experti, æſtimans annorum

Ludouicus Borbonius.

norum paucorum iacturam emolumento tanti boni conpenſari æquo animo poſſe. Sed accidit diuino iudicio, ut malo inchoata initio calamitoſum mox exitum caperent. Nam neque tantarum promiſſionum fructus perceptus eſt, & fundamenta ſunt poſita totius quæ ſuperinducta eſt cladis. Hunc ergo paſtorem plebs illa, etſi longe inferiorem priore ſuo annis meritisque videbat, gratiam tamen Ducis ſecuta, acquieuerat facto, ſperans mox ut per ætatem licuiſſet, ſumpturum ſacra Ludouicum, atque eorum Antiſtitem pleno ciuitatis imperio præfuturum. Aliquamdiu igitur in hunc modum ſine diſſenſione proceſſit res, cum tamen Ludouicus fortuna ſuorum clarior; Leodienſium legibus, quas ante eum ſeruarant ceteri, aduerſaretur ſæpe, & ab Eccleſia errans laſciuiorem vitam tanto indignam ſacerdotio ageret. Procedentibus annis, idoneus iam ad conſecrationem factus, ad eam peragendam, celebrandam, vnanimi omnium voluntate eſt poſtulatus. Quod ille, ſiue quod à religione adhuc eſſet auerſus, ſiue quod à ſuis eam neceſſitatem imponi grauate acciperet, cum contumacius pernegaſſet, oriri inter eas apertæ contentiones ſunt cœptæ; atque ita indies adauctæ, vt minus iam natura elatus populus ſe vereri eius dignitatem, timereque iurisdictionem inciperet. Verebantur ne ſacrorum dilatio eo traheretur conſilio, vt ſecularis adminiſtrationis inducta conſuetudine, Epiſcopum ſuum dediſceret ciuitas, vicinique Ducis paulatim ſubiret imperia, quam illi rem morte quouis grauiorem putabant. Conflictantibus in hunc modum Epiſcopo & plebe, creſcebat indies aduerſus Eccleſiam rebellio: iamque miniſtris eius poteſtates quædam ademptæ erant, quæ nullis denuntiationibus reduci in locum priſtinum poterant. Itaque Philippus, qui natura vehemens erat, ſuperarique genus ſuum ciuili contentione dolebat, magnis precibus à Pontifice petit, vt dignitatem impugnatæ Eccleſiæ adimi per ſubditorum violentiam non ſinat; ſed temeritatem populi ſuperbientis cenſurarum irrogatione contineat. Quod ille eum Leodienſi ſedi & communi aliorum dediſſet exemplo; non multo poſt contempta etiam Romani patris poteſtate, ciuitati & agro ſacris eſt interdictum; inuocatusque ad præſidium per iudices Dux bellum Leodienſibus intulit. Pugna autem non longe à muris commiſſa, occiſis quamplurimis, reliqui in fugam conuerſi ſunt, ac ciuitas eodem impetu capta. Quæ vt ad nouam poſthac contumaciam calamitatum continuatione languidior fieret, dirui in circuitu muros iuſſit, tributumque imperauit, quantum redimendis comparati exercitus ſtipendiis ſatis ſuo iudicio videretur: quodque omnibus acerbius habitum eſt, eos qui per ætatem ferre arma iam poterant, vno edicto in exilium expulit, paucis quibusdam ad rei familiaris cuſtodiam cum muliebri ſexu intus relictis. Hac tanta clade Romam perlata, miſeratus Pontifex Eccleſiæ plebiſque fortunam, legatum ex referendariorum ordine proficiſci illuc iuſſit, qui & obtemperari Ludouico epiſcopo, & diſſidentes animos ſuo interuentu conciliari curaret, reducendis quoque exulibus, leuandiſque tributis quam poſſet operam penderet. Erat is Honofrius Tricaricenſis præſul, homo Romanus in familia locupleti, quæ S. crueis dicitur, natus. Ad hunc igitur, cum Agrippinam Coloniam maturato itinere peruenisſet, Leodienſis legatio aduentus huius præſcia acceſſit, ſummis obſecrationbus petens, ut quanto poſſet celerius Leodium properaret, reliquiaſque diſpulſæ plebis redditis ſacris conſolaretur. Quorum ille deſideriis obſecutus ad oppidum Aquigranenſe proceſſit; millia paſſuum viginti a Leodio poſitum. Ibi dierum nonnullorum morâ cognoſcendum putauit, quo animo Præſul & populus ad ſuſcipienda monita Romani Pontificis eſſet. Eos ut ſentire idem, & in omnia paratos cognouit itinere continuato, a quarto milliario præſulem clerumque, & magiſtratus urbanos obuios habuit, ſinguloſque iureiurando adigens parituros decretis quæcunque ipſe tuliſſet, pœnas Apoſtolicas ſuſtulit; benedicenſque populo ſumma omnium exultatione ciuitatem ingreſſus eſt. Cumque is dies vigiliarium eſſet Apoſtolorum Petri & Pauli, ad ædem cathedralem procedens, ſolenne ſacrum veſpertinum cantauit, aſſiſtente plebe, quæ ut in paucitate frequens ad viſendum conuenerat. Poſtridie

Onufrius Epiſc. Tricar. legatus.

die quoque Ludouicus ipſe, qui monitu legati conſecrationem Epiſcopalem iam acceperat, primis ſuis miſſarum ſolennibus eſt operatus, Dominicumque Sacramentum tota urbe, legato & populo proſequente, manibus ſuis circumtulit. Erant gaudiorum plena omnia, reſpirareque tum primum ex longa fatigatione miſeri videbantur, diſſenſionem omnem initio hoc ſublatam putantes. Id modo ſupererat, ut exulum quoque & tributorum ſua ratio haberetur, à modoque ciuitatis mœnibus parceretur, quæ Ducis Imperio ſine intermiſſione deiiciebantur: Poſtremo ut leges patriæ redderentur, ſine quibus nil quietis habitura reliqua putabantur. Igitur horum cauſa ad Carolum filium, defuncto interim patre, profectus eſt: ſed in tempora incidit, quæ rebus agendis multum erant contraria. Ducebat ille per eos dies uxorem Britannorum Regis filiam, minuſque diligenter propter nuptiarum ſolennia alienum quicquam intelligere poterat. Iis vero abſolutis, cum etiam tantum audiſſet legatum, nil ob eam cauſam certum decreuit, quod bellum aduerſus Regem Gallorum gerens ſociis Britonibus in auxilium properabat, quos magnis copiis premi nunciabatur. Id tantum de poſtulatis Legato conceſſit, vt cum Præſule & populo quæ viderentur componeret, conuentaque referret ad ſe, confirmanda decreto ſuo vel reſpuenda. Hac promiſſione Tricaricenſis reuerſus, tractare de omnibus cum Præſule & exulibus cœpit, ſperans conditionem ſe aliquam inuenturum, qua ſemianimem populum ſuſcitare, quietemque ſtatuere ſuſpenſis animis poſſet. Sed dum in his ſine intermiſſione laborat, epiſcopus moræ impatiens, ſuas inueniles cupiditates ſecutus, ad propinquum oppidum ſuæ ditionis Traiectum ſeceſſit. Cuius rei occaſione, ſimul quod diuturnius inter Regem & Ducem futurum bellum iudicabatur, plurimi exulum qui in proximas ſiluas ex prælio aufugerant, ad numerum quinque millia, reſiſtente nemine Leodium rediere; quos ſtatim & reliqui ſunt conſecuti, inermes ac nudi, ſyluestribus tantum truncis, & fundis lapidibusque armati. Reditus huius populari quidem multitudini id conſilium fuit, vt Cle-
p.131 rum omnem, cuius nomine tanta mala acciderant, vno impetu ſpoliarent; grauioribus autem paucis, & pœnitentiæ ſignificatione reditum ſibi in patriam, pacemque depoſcerent. Itaque horum ſuaſu ad legatum vna voluntate omnes accedunt, multa per nouitatem facti timentem, orantque vt ſe deprecatore iam tandem vitæ eorum miſereatur Epiſcopus, plebemque diſperſam, ac beſtiarum more in latibulis agentem perire in ſyluis fame, creditasque animas vna cum corporibus interire non ſinat, ſibi quidem id animi eſſe, vt illius ſubſint imperio, ac tanquam miniſtrum DEI dominumque ciuitatis accipiant: Porro vt opificiis intenti in ſudore vultus panem quærant, & quotidianis obſequiis famulentur. Hortatur quoque vt ſupremas has preces miſeræ plebis non negligat, quam eo calamitatis adductam intelligant, vt ſi ſe contemptam nunc videat, timendum ſit ne ciuitatem & clerum, ſacraque & ſe inſuper ipſam vna impietate inuoluat. His auditis Legatus miſerans multitudinis faciem, quæ veſtitu in ſiluis diſciſſo, capillorumque & barbarum promiſſione ſyluestrium hominum inſtar habebat, omnes in forum ad concionem vocatos benignis verbis alloquitur. Docet quanto in honore haberi epiſcopos velit Eccleſia, quid in contemnentes ſacræ leges decernant. Illos quidem in patrem ſuum paulo contumaciores fuiſſe, diutiusque quam par videretur in contentionibus perſtitiſſe. Quam ob cauſam coactus ille ſit auunculi Ducis auxilium implorare. Magno eos victos prælio tuliſſe conditiones quæ imperari victis à victoribus ſoleant. Miſſum ſe à Pontifice ad conſolandum populum, & ſubleuanda onera eſſe, feciſſeque in eam diem quæ tulerint vires. Reddita iam ciuitati ſacra, ad conſecrationem Ludouicum inductum, cuius dilatæ cauſa tanta mala accidiſſent, ad tollenda reliqua ſe etiam ad ducem profectum eſſe, facultatemque tractandorum omnium accepiſſe. Opus hoc totum bona ſpe inchoatum, ſed vereri ne hic eorum repentinus ad vrbem acceſſus, ſucceſſum ſuis laboribus adimat. Proinde deponant quam primum arma, quietique rerum exitum præſtolentur: cogitent vero ſi tumultuari pergant, quid Epi-

ſcopo in eos, & quid ſibi, & quid Duci futurum indignationis merito ſit, qui prælio pulſos murisque nudatos, tanta in ſe audere nunc videat. Ipſum quidem, niſi monitis pareant, abiturum illico ciuitate, nunciaturumque Pontifici, quantum obſtinationis apud eos inuenerit, ad quorum ſalutem procurandam ſit miſſus. Ad has eius exhortationes cum reſpondiſſet quidam, neceſſitate impulſam multitudinem, quod viuere in ſyluis non poſſet, domum reuerſam; Ducique & epiſcopo, quæcunque in ſe eſſent, paratam præſtare: pati autem non poſſe alienis quam Eccleſiæ dominis ciuitatem ſubeſſe, mortemque (ſi ita opus ſit) huius vnius rei cauſa, intrepide adituram. Legatus eos iterum conſolatus, vt diſceptationibus in tanto periculo finem faceret, magna voce quæ à tota concione exaudiri poſſet, poſtulauit, *An parati eſſent, poſitis armis, ſuis & epiſcopi imperiis, vt ante promiſerant, auſcultare.* Ad quam vocem multitudo omnis, diuturno miſeriarum tædio in queſtus & lachrymas commota, protenſis ad eum manibus pacem & miſericordiam acclamabat, precans identidem, vt conciliarentur tandem Epiſcopo, & in patria eſſe cum parentibus & liberis liceret, ne laniati à feris paſſim per ſiluas, impio mortis genere necarentur: arma quæ retinendæ vitæ cauſa ſumpſiſſent, quam primum iuſſerit, poſituros. Id verò cum ad eius imperium ſtatim feciſſent, legatusque propterea ſalutem eorum curæ ſibi futuram dixiſſet, quieuere paulum omnia; ciuitasque ab impetu furentis populi eſt conſeruata, externis poſt paulo cladibus occaſura. Igitur Legatus aſſumptis ſecum principibus multitudinis huius, Traiectum ſe ad Epiſcopum confert, & cauſam miſerorum, quam maximis poteſt, precibus agit? Jamque dierum nonnullorum diligentia rem eo redegerat, vt reconciliatus Ludouicus ad oppidum Tungram, quod inter Leodium Traiectumque medium eſt, ſecum accederet, indeque repetendam ciuitatem ſtatueret. Conuenerat autem vt turba omnis pœnitentiæ ſignificandæ cauſa, effuſa obuiam inermis & ſupplex à transeunte miſericordiam precaretur: illi vero liceret, quanto apparatu bellico vellet, ciuitatem intrare, dominatumque in ſe omnes ſuſcipere, & ſua voluntate omnibus moderari. Ea dum ad certam deſignatam diem perfici debent, Dux interim, qui accepto tam audacis motus nuncio vehementer erat commotus, ad Epiſcopum ſcribit, vt tractatum omnem, quicunque cum Leodienſibus haberetur, abrumperet, ſeque ultorem propediem expectaret, atque vt ſine periculo fieri id poſſet, quatuor millia delectorum militum eius præſidio mittit. Erat duci iam pene explorata ſpes conſtituendæ cum Rege pacis, quæ cum ſociis Britonibus iam conſtituta, quorum cauſa bellum ſuſceptum erat, faciliorem ſuam videbatur efficere. His ergo intellectis Ludouicus, quod in poteſtate Caroli eſſet, dicto obſequitur, cunctaque diſſoluens, præſidio quod erat miſſum, eodem loco ſe continet, maiorum copiarum aduentum operiens. Id ergo conſpicati Leodienſes, quorum in vtramque partem, & ad humilitatem, & ad contumaciam vehemens erat natu- P. 132
ra, aliam (vt in deſperatione rerum fit) ſalutis rationem adorti, proxima nocte, armata duorum millium manu Tungram maximo ſilentio accedunt, oppidumque ingreſſi, quod in recenti Ducis victoria deiectis muris aditus per ruinas habebat, eodem ſilentio ad epiſcopum penetrant: ſuamque primum, tum aliorum, qui ſecum erant domos circumſiſtentes, impetum in præſidiarios faciunt, nudosque & re ſubita perturbatos facile opprimunt: ſi qui effugere in tumultu caſu aliquo poterant, ii contendebant Traiectum, erantque clamoribus & gemitu morientium omnia perturbata. Epiſcopus vero ſuorumque nonnulli, qui ad intimam cuſtodiam excubabant, perfoſſo ſtatim coniunctæ domus pariete, in qua diuertebat Legatus, intra cubiculum eius refugerant, fortunamque aliorum pauidi expectabant. At Legatus, qui ab initio tumultus inermis in vicum erat progreſſus, cognitis ſtatim Leodienſibus, duces eorum qui cæde fugientium bacchabantur, vocari ad ſe multis ſuaſionibus contendebat, caſuque peranxius erat. Eos tandem venientes cum lachrymis rogat, *Quamnam ob cauſam eo miſeri acceſſiſſent, atque inter deprecata pacis tractatus tantum nunc ſcelus admitterent.* Illi vt

erant

erant madentes ſanguine, & exitu adhuc rerum ſuſpenſi, perturbata voce reſpondent, quod ad Epiſcopum tanta viderint miſſa præſidia, ultionemque ſuam ſint veriti, illuc eos veniſſe mala conſilia præuenturos, ne interim obtentu impendendæ veniæ ciuitati exitium pararetur: petere id quod ad ſalutem reliquum arbitrarentur, ut ipſe cum Epiſcopo eo ex loco Leodium properet, quoniam & reuereri utrumque, dominumque ciuitatis Ludouicum ſtatuere certum ſit omnibus. Id ni fiat, propoſitum multitudini eſſe, eos atque oppidum uno eius noctis incendio abſumere. Legatus inſtantem neceſſitatem cognoſcens, quod animos ad ea quæ minitarentur, incenſos videret, accepta fide ne quem ultra occiderent, de acceſſu ad ciuitatem agere cum Epiſcopo cœpit. Quo ſtatim (ut in tanto periculo neceſſarium erat) in ſententiam traducto, nullo tumultu ambo Leodium rediere, comitante multitudine, non quæ vidiſſet, ſed quaſi quæ dominos ſuos ex aliorum captiuitate per vim receptos domum reduceret. Lætabantur omnes, & tota Leodienſis Eccleſia reſtituto Præſule erat in gaudio. Ii quoque qui in Tungra ſuperfuerant cædi, libertati priſtinæ reddebantur, cum honoribusque remittebantur ad ſuos. In iis erat dux præſidii paulo ante ad Epiſcopum miſſi, quem in latebris adinuentum, ut ad Carolum proficiſceretur, veniamque & pacem multitudini oraret, magnis obteſtationibus induxerunt. Dux vero qui nondum his acceptis, ad ultionem nihilominus tumultuoſi reditus properabat, audita etiam Tungrenſi audacia, nullo furori conceſſo ſpacio, pacem illico cum Rege conſtituit, impetrata conditione, ut præſentia ſua atque exercitu conatum hunc adiuuaret. Itaque ambo in Leodienſem ciuitatem mouentes, à milliario vigeſimo conſtitere, præmiſſis tribus millibus Burgundorum, qui vrbi appropinquantes duces cum reliquis copiis expectarent. Leodienſes tanto hominum numero ad ſe iri videntes, quantum vix Gallia reliquum per id tempus in armis habebat, neceſſario vel moriendum etiam, vel relinquendam excidio patriam cognoſcebant. Itaque vt eorum erat in magnis rebus ferocia, ratione aliquando parum expenſa, ad extrema perferenda ſe firmant: Tungrenſemque fortunam ſperantes, adoriri noctu propinquos Burgundos inſtituunt, quos non totis octo millibus paſſuum abeſſe conſtabat. Itaque de ſecunda vigilia populariter egreſſi, magnis animis in eos tendebant: illi vero proximo ad Tungram caſu admoniti, vigiles in armis agebant; protinusque cognito per exploratores conſilio, progreſſi obuiam prælium acerrimum commiſere, quod ad lucem vſque magna hominum cæde productum eſt: tandem Leodienſes coacti ſunt cedere. In eo certamine ceciderunt Burgundorum permulti, in iis fortiſſimus quisque ac nobiliſſimus; ſed ex Leodienſibus longe plures, quod noctis itinere fatigati, minusque armati iniqua pugna erant congreſſi. Quæ res ciuitatem omnem, alioquin malis feſſam, maxime conſternauit, cum & luctibus paſſim replerentur omnia, & orta luce miſerando ſpectaculo referri humeris patres, fratres, & filii exanimes manante adhuc ſanguine viderentur. His tantis malis confuſus Legatus, ac plane iam inops conſilii, quod vnum ad deprecandam vitam reliquum erat, conuocato iterum ad concionem populo, in conſpectu omnium lachrymans; *Videtis*, inquit, *ciues fortunam veſtram ferocibus conſiliis non mea culpa ad ſupremum adductam. Imminet propinquum exitium, iratus eſt Dux, & Duci adiunctus Rex potentiſſimus ad vos ambo inſtructo exercitu properant, vrgens neceſſitas longam orationem non poſcit. Audite filii, vt extremam vobis quam poſſum, pietatem impendam, paratus ſum (ſi ita opportunum putatis) ad Ducem nunc proficiſci, mecumque Epiſcopum ducere, obuii ambo exercitui, atque humi ſtrati miſericordiam lachrymis noſtris precabimur. Cum perſonam ego feram Pontificis, ille Regi Ducique iunctus ſit*
p. 133 *ſanguine, inueniemus forſan, quod reſpirandi ſpatium præbeat, nam imperandi nunc interminandique tempus non eſt, precum eſſe redemptionem oportet, legitima de vobis meo & veſtro nomine repromittam omnia. Si placet hæc ratio, actutum ibimus; ſin præſentior apud vos alia eſt, illam monſtrate. Vobiſcum, & ſine vobis eundem caſum parati ſumus ſubire.* Cum hæc profectio fletibus omnium & vociferationibus

probaretur, ad declarandam inſuper poenitentiam ciuitatis adiiciuntur primarii ciues, ſummum eo tempore magiſtratum gerentes ; qui una euntes imperata Ducis ſuſcipiant, deque reliquorum fide teſtimonium ferant. Itaque hora diei iam decima profecti omnes ad tertiam noctis, non ſine crebris vitæ periculis, ad primas ſtationes hoſtium peruenere. Quibus ſtatim præfecti duo obuiam facti, quorum alter erat Præſes Burgundiæ, alter ſororis epiſcopi vir, intellecta viæ cauſa vetuerunt eos ulterius progredi, ac ſtatim in cuſtodiam Præſidis legatus, epiſcopus in affinis ſui tabernaculum adductus eſt, magiſtratus vero omnis in vincula coniectus. Inter hæc congregato Ducis conſilio, cum hora lapſa iam eſſet ad eum omnes deducuntur, quamque ob cauſam id noctis veniſſent requirunt. Dicere pro omnibus orſus legatus, quanta verborum & vocis demiſſione miſericordia potuit, placare conatus eſt iracundiam Ducis, & veniam miſeris impetrare, identidem monſtrans præſentem Epiſcopum, cuius cauſa ſumpta eſſent arma, quibus ſuis ſalutem precari, ciuitatem paratam eſſe, ſi velit, exercitum omnem intus accipere, & Præſuli parere, & quæ imperata poſt primam victoriam erant, quanquam maiora viribus, actutum implere : pro iis autem quæ ad Tungram, & nunc apud antecurſores ſunt geſta, ex Ludouici & ſuo etiam iudicio, ſatisfactionem præſtare. Manus quoque in illum ſupplices tendens, atque ad hunc affectum lachrymas ſuperimpendens petiit, ſi minus præſtandam eam pietatem humiliato iam populo duceret, præſtaret ſaltem Deo creatori, qui pro crucifixoribus Patrem oraſſet, præſtaret & Romano Pontifici, cuius beneficio ea ſedes Leodienſis generi ſuo eſſet conceſſa. Nihilo his dictis obſtinata ad ultionem mens potuit flecti : Reſpondit tantum, liberam ſibi in res atque animas ciuium velle poteſtatem permitti, nec omnino conditionem aliquam dici. Quæ res Leodium ſignificata, ad ſuſtinenda extrema, quærendamque armis ſalutem corda omnium incitauit, putantium occaſum ſuum, quem declinare in prælio forſitan poſſent, in deditione certiſſimum eſſe. Igitur Dux miſſo Traiectum legato atque eodem loci magiſtratu Leodienſium in catenis traducto, iniungit epiſcopo, ut ſumptis armis ſecum ad ulciſcendas iniurias eat, patris propoſitum ac ſuum animo agitans. Etenim quod ea ciuitas potentiſſima eſſet, vicinaque Brabantiæ prouinciæ, frequentes cum illa contentionum occaſiones haberet, ſeruata autem contra maiores ſuos Regum patrocinio diceretur, delere nunc in tanta opportunitate conſpirantis Ludouici Regis ad internecionem volebat. Igitur admoto ad urbem exercitu bipartito, copias diuidit, ac colle occupato qui Valburgenſi portæ proximus erat, ſuam & Regis ſtationem eodem in loco conſtituit, ad alteram autem ac longe diuerſam ciuitatis partem Philippum Sabaudienſem cum reliquis mittit, ut uno tempore tentata utrinque irruptione, populus ad duos conuerſus, ad repugnandum inualidior fieret. Leodienſes his tantis anguſtiis circumuenti, ſummam rerum ſuarum ad fratres duos præcipuæ fortitudinis viros detulerant, Burenum & Gozonum, quos reliqua multitudo in quamcunque duxiſſent partem, illico ſequeretur. Ii vero animis uſi, conuocatis ad ſe primis nonnullis docent, niſi aliquo grandi auſu ſalutem ciuitatis ſtare non poſſe. Proinde ſi accingere ſe una uelint, paratos eſſe omnium primos ſuas animas dare, cum ſtatim velle ſe omnes dixiſſent, idque unum conſentirent ad redemptionem patriæ ſupereſſe, partita inter Burenum & Gozonum multitudine, rationem irruptionis hanc ineunt, ut videlicet nocte quæ inſtabat, Gozonus ad caſtra regia nil tale in tantis copiis expectantia impetum faciat ; Burenus vero eodem conatu ad Philippum erumpat, futurum ſperantes ut alter exercitus alterius perceptis clamoribus deſperatione alterni ſubſidii conuerteretur in fugam. Ut vero etiam perturbatius confunderentur omnia, iubent cupas innumeras ſecum portari nitro & pice completas, quæ primo adortu accenſæ in illorum tabernacula locis omnibus iacerentur, atque inde flamma excita malo ancipiti trepidantes inuaderet. Conditis omnibus ad deſignatum opus diſceditur, animis quam ſucceſſu maioribus. Peruenerat iam ad regias ſtationes Gozonus nondum intellectus, expectabatque ut à Bureno

Burenus, Gozonus.

ſignum

ſignum acciperet, quo ſignificaretur ad Philippi caſtra à ſe quoque acceſſum, & pugnam commiſſam eſſe. Sed is dum tardius condictum exequitur, Gozoniani quidam moræ impatientes ad tentoria Ducis Regiſque furtim prolapſi, incendere ea cœperunt, & ferocius hoſtibus inſultare: quo factum eſt, ut clamore ſtatim ſublato, & à Philippenſibus inde excepto, utrobique armatus exercitus Leodien-
p.134 ſes ab incepto terruerit. Ortâ luce indignati ambo, quod tot iam cladibus attritus populus nocturno etiam incurſu vitam ſuam petiſſet, ocyus Philippo imperant, ut qua parte muri eſſent diſiecti, conferto agmine irruptionem tentaret, ipſique ex eo, ubi tendebant, loco producto exercitu idem conantur. Pugnâ incepta, magna contentione utrinque res gerebatur, his annitentibus ut conceptæ iracundiæ facerent ſatis, illis ut coniuges, liberos, parenteſque ſuppremo illo certamine ab interitu vendicarent. Sed longe impar Leodienſium fiebat congreſſus, quod hoſtes numero pugnatorum, & apparatu omnium rerum inſtructiſſimi erant, urbana autem turba nec aſſueta bellis, nec armata ſatis, multis acceptis cladibus ad paucitatem redierat. Quamobrem paulatim ſubmota loco, & cadentium numero debilior facta, cedere propugnaculis, liberumque ingreſſum irrumpentibus dare coacta eſt. Ita uno tempore duobus ex locis Burgundi calamitatem miſerrimam intulere. Eorum vero qui adhuc integri erant, ad hominum circiter viginti, cum imbelli multitudine in forum ſubito confugerunt, obſtructiſque aditibus ut in articulo illo licuit, noctem expectabant, per quam reductis in caſtra exercitibus educere ſuos ad fugæ ſocietatem poſſent. Sed ea re intellecta, è veſtigio Dux ciuitatem omnem, locaque imprimis foro proxima iubet incendi, cuius mali neceſſitate compulſi illi relictis omnibus ad ſyluas proximas ſe contulerunt. Clerus inſpecta iam ante ciuitatis fortunâ, in ſua quisque Eccleſia clauſis ianuis ſe continebat, veſtibus ſacris indutus, ſanctorumque reliquias, atque adeo ipſum Domini Sacramentum ad deprecandam miſericordiam manibus præferens. Idem religionum virginumque cœnobia pro ſua quæque conditione egere. Sed nihil inter arma ſceleratæ militum manus incontaminatum liquere, refractis portis ſacra omnia in lachrymabilem direptionem ſunt data, ſanctuaria Dei tota urbe incenſa, ſpoliati ſacerdotes atque occiſi, tum nec parietibus templorum etiam parſum, in ipſam autem imbellem turbam tanta impietate ſæuitum eſt, ut nulli ſexui, ætati, aut ordini ignotum voluerint. Infantes alliſi parietibus ſunt, puerperæ confoſſæ, pleræque virgines ſtupratæ primo, mox ſtrangulatæ, ſenes quoque & pueri eodem quo pugnantes habiti loco. Quin & illud ad malorum cumulum accidit, ut parentes cum matribus, filiis, & omni prole inualida funè uno conſtricti ad acerbitatem interius in profluentem Moſam deiicerentur, in mediisque diuinis, dum aſtat ſacerdos altaribus, & Domini corpus ſanguiſque inter manus verſantur, ſacræ patinæ & calices impie raperentur, ut merito de tam ſæuis hoſtibus emitti ad ultorem Dominum vox illa Prophetæ lamentabilis poſſit: *Domine Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum ſanctum tuum: poſuerunt Hieruſalem in pomporum cuſtodiam, poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cæli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ, effuderunt ſanguinem ipſorum tanquam aquam in circuitu Hieruſalem, & non erat qui ſepeliret.* Inter hæc autem tam fæda crudelitatis miniſteria, Ludouicus Rex amicæ ſemper ciuitatis calamitate confuſus, quæ in illum pugnans nomen eius clamoribus inuocabat, plane iam facti pœnitens, in proximas regni ſui regiones exercitu abducto conceſſit: Dux vero dimiſſa urbe prædonibus, ipſe cum expeditis equitibus ad inſequendos qui fugerant continuo profectus eſt. Sed ubi aſperitate ſyluarum ne inueniri quidem illos, nedum capi poſſe intellexit, regreſſus Leodium, tota paſſim ædificia deiici imperauit, ne profugis ſpes ulla reditus ſupereſſet, mox quoque Traiectum contendens, magiſtratum qui ſalutis fidem ab epiſcopo ante acceperat, vinctuſque nihilominus illuc fuerat deportatus, ſtrangulari & in profluentem abiici iuſſit. Eandem fortunam vicina quoque nonnulla oppida, quæ Leodienſes adiuuerant, mox ſubiere.

Hic finis contentionum fuit, atque hunc occaſum celebertima quondam ciuitas tulit, victoriis nobilitata innumeris, & à Romanis Imperatoribus condita, clero autem ante alias Germanicas Eccleſias clara, diuini vero cultus ornamentorumque ſacrorum cum ſanctiſſimum tum locupletiſſimum domicilium. Cuius quidem ante has calamitates is animarum numerus fuit, ut cenſu habito centum & viginti millium intra muros tantum continere inuenta ſit.

DE LAVDIBVS CAROLI BVRGVN- p. 135
DIÆ DVCIS, ET VICTORIIS, ITEM DE LEODIENSIVM CLADE ET EXCIDIO,

Epiſtola incerti Auctoris, Tractatui de Cuſtodia Principum præfixa.

CUM animaduerterem, quam bonum & utile, iuſtum honeſtumque foret, quemlibet cum labore ſummaque diligentia ad eius ſpirare ſalutem, ſolicitequevigilare cuſtodiam, à quo totius patriæ ſalus reique publicæ commodum iugiter procedit. Sæpe & multum mecum ipſe cogitaui, quibus in negotiis occupandum nunc fore melius, ſatis otii libenter ſuſciperem, ſui ut cuſtos eſſem ſeruusque fidelis, ac eius rei tutor, cuius ad ſalutem totius populi vota ſuſpirant. Et nunc mihi cogitanti in mentem venit, ut quo in caſu & ſi armis eius in hoſtes bella conterere non valeam, certandum tamen mihi animo fore exiſtimaui maxime, quo ſibi tandem munitionem contexere poſſem fortiſſimam. Cum & illi iuſte cogitant, qui eum quem ſibi debent obſequium reddunt & honorem, eiusque pericula ſuis cum periculis expetere velint, atqui & ut incolumis ſemper maneat, nullum laborem vitandum eſſe putant; cum nullum tam magnum ſit periculum, quod ſapiens pro ſalute patriæ, incolumitateque Principis vitandum arbitretur. An tu ne huius rei commodum proprio tuo commodo anteponas, ex cuius & totius politiæ commoda augeri creſcereque videntur, ex cuius & interitu non eſt in patria ſalus, non in ciuitate bonum quod non fraude marceſcat? Quid tu tandem putas patriæ dulcius tutiuſque poſſit afferri à Fortuna Duce ſapientiſſimo, quem quiuis non immerito viribus defendat maxime ſuis, tu gladio, ille baculo, calamo ego, alii armis, ceteri lancea linguæ, nonnulli conſiliorum cuſpide; hic vigil, ille curſor, ingenio multi, omnesque cum ratione, & tutius tandem precibus cum deuotis? Quis veſtrum ſentit ut ego, adeſto mihi præſtoque ſit, & ſibi quem puto ſapientiſſimum fore ducem, cuſtodiæ fabricamus arcam, ſi prius & de ipſo laudes, quem cordis amore amplexus ſum, meoque affectu, mecum depromete vis permaxime ſibi condignas, quod tu tanto libentius audies, quanto & ipſum feruentius amas. Iocyus, qui cupis, iubilo cordis, conſonaque voce nobiſcum præcinere laudes. O felix patria cuius defenſor erit

Carolus Burgundus.

Carolus, Princeps Illuſtriſſimus, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, & Luxemburgi, Comes Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Palatinus Hanoniæ, Hollandiæ, Selandiæ, & Namurci, Marchio ſacri Imperii, dominus Friſiæ, Sabigniæ, & Machliniæ, vir nobilis, omnique virtute præſtantiſſimus, æquitate plenus, prudens, atque benignus, liberalitate munificus, humanitate vero pius, in bello felix atque victorioſus, pace modeſtus, omnique in opere ſapientiſſimus. Cuius adhuc ſimilem viſurus ne ſim hæreo, quem naturæ ſplendor, & virtutum decor excellens tam decenter ſignificant, iuſtiusque decorant, qui cum ſui generis proſapia multa priuilegia & prærogatiuas nobilitatis ſibi vendicat, tali parentatus progenie, quæ Reipub. ſemper honori, nunquam detrimento affecta fuit. Taceo de militia & victoriis, quibus auus, proauus, & plurimi eiusdem generis Rempubl. auxerunt, & ſalutem procrearunt. Hic filius patrem ſequitur ſua proles, non cum ſceleratis, ſed virtutum fauore, ſcientiarum claritate perlucida educatus

tus eſt, ut ipſa honeſtas & vitæ modeſtia à pueritia ſibi ex ipſa conſuetudine, quæ eſt altera natura, inſita & complantata fuerit. Prætereo quanta ſibi ſit facultas poteſtatum, quantum primatum, facultatis, validæ armaturæ in affinibus. Obticeo etiam ampliſſimum potentatum quo roboratur: non numero multitudinem armigerorum, quibus ipſemet & ſui quoslibet rebelles ſibi ſubiugare, & colla ſuperba migrantum prævalent inclinare. Ipſe etiam amicis, affinibus, & conſanguineis, fratribusque priuilegianter audax eſt & venuſtus. Cum non in iis quæ lites & iurgia ſunt multoties iucundatur, ſed quæ probitatis ſunt & honoris; honeſtius gloriatur, cuius prætextu non hiſtriones, non adulatores, non paſſionum executores, ſed ſcientiarum & virtutum cultores huic amicantur. Cuius etiam dignitas & præſentia Prælatis Eccleſiæ, & fidei profeſſoribus eſt amica, multumque grata. Quid opus eſt grandia dicere de velocitate aut agilitate corporis ſui, quâ ipſe præfertur multis; cum beneuola promptitudine ad obſequia diuinorum, ad quæ non dormitat, ſemper velox aut agilis ad ea quæ æternæ ſunt ſalutis. De corporis ſpecimine, pulchritudinis formoſitate, aut decore & phyſiognomia perplacita multa ediſſererem, niſi ornatus ad intra illi plus ponderaret, qualis ei ad extra apparet, multum plus ad intrà virtute, intellectu, & con-
p.136 ſcientia decoratus eſt. In conſilio namque prudentiſſimus, in cogitatione profundus, in conſcientia fideliſſimus, in fortitudine omnibus proficuus, & ſui in prudentia ſibi & aliis utiliſſimus. Adeo quoque bonis rationibus præditus, ut nullum vitæ diſcrimen aut periculum ſibi pro fortunis Reip. patriæque ſalute fugiendum putarit. Quod & profecto claruit, dum nuper non proprii cauſa commodi, ſed alienæ rei gerendæ pacis in Franciam venit, dulces ſibi amplexus relinquens patriæ, patrem ſenem, matremque chariſſimam, uxorem eius, gloriam, & hominis unicum ſolatium. Heu quanti tunc fuerint patriæ gemitus, quantum matris Ligurium, * quanta uxoris lamentatio, nemo ſermone edicere poteſt, dum patria pro ipſo preces atque proceſſionum cerimonias Dei, ſanctorumque viagia, illi mater fundebat lachrymas, uxor vero iam deſiccata fletibus, infimo pectore ſuſpiria. In Deum ſperans patria ſui mœroris quodammodo inuenit ſolatium, dum etiam continuo triumphi prodigia diuinâ noteſcerent gratia, diminuit planctus confidens in Domino: mater vero eius in templo plorans luguberrime, eccleſiaſtica voce tandem unius de obſeruantia Prædicantis conſolata eſt. Cuius & talis ſermo fuit; *noli flere Domina, ſaluus perueniet filius noſter, & ſaluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbunt eum, credo enim quoniam angelus Domini bonus comitetur eum, & bene diſponat omnia, quæ circa ipſum geruntur, ita ut cum gaudio reuertatur ad nos.* Ad hanc vocem ceſſauit mater eius flere, & tacuit. Profectus eſt ille modo in Franciam, cuius uxor nullo modo conſolari poterat, ſed cotidie exiliens circumſpiciebat & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum ſi fieri poſſet, venientem; cruciabatur ſpiritu, neſciens ſi ipſum viſura ante mortem, qua nunc ipſa felix ſepulta eſt. Illa dum corpore debilitata, exhauſta virib. agonizando traderet animam, iſte robuſto pectore, virili animo certando ſalvauit patriam. Num ipſum ſumma cum virtute & honore pro patria voluiſſe interire vidiſti, ubi dum ſibi hoſtes ori ſuo haſtam infringerent, hic ſuis mordebat dentibus? Helas, helas, qualis iſte cibus, qui nuper comedit amygdala, nunc clauum dente ferreum ſuo conterit, cuſpidemque ſua inter mandibula fregit, genas ſanguine perfuſas, cruentas, collum, cor autem intremulum, triumphique plenum habuit, collarium dum ſibi chalybe textum finderent hoſtes, ſi aliis timorem, illi audaciam præbuit: non pauefcebat repentino terrore irruentes in ipſum impiorum potentias, animam ſuam belli gloria, amoreque patriæ contentus effundere, arma vero nequaquam voluit proiicere. Ideo Dominus erat in latere ſuo, cuſtodiebatque pedem eius ne caperetur; nam dum captus eſſet, certe capi ipſe non potuit. Nonne hic ſimilis Machabæo, qui cum ſe armis ſuccinxit bellicis, ſimilis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut leo rugiens, in venatione, dilatans gloriam populo ſuo, indutus lo-

Expeditio Francica.

ricâ

ricâ ut Glgas, viris ſuis qui ſecum erant, hæc loquebatur verba: *Ne timueritis multitudinem eorum, & impetum eorum ne formidetis, mementote qualiter ſalui facti ſunt patres noſtri, & nunc clamemus in cœlum, & miſerebitur noſtri Dominus, & conteret exercitum iſtum.* Et viderunt eos venientes ex aduerſo in prælium, & tuba cecinerunt, & congreſſi ſunt, & contriti inimici eius, & fugierunt in campum, nouiſſimi autem ceciderunt in gladio. Nam cum iam * Gallorum validiſſima obſideretur, qui cum plures erant, hic non obſtupuit, neque in campo dimicare metuit, nullo periculo vel morte perterritus, amore patriæ ibat in prælium, corpore tauri validiſſimi, impetuque leonis, & ſe pro legionibus in hoſtes immiſiſſe dicitur medios, ubi manu victorioſiſſima ſimul unâ bellum cum pace conceſſit, liberauit exercitum, & à quibus tueri debuit, ipſos protexit, tam valide, tam fortiter, tamque glorioſe, ut etiam inimicus ſuus ipſum laudare cœperit, contentus ab eo vinci quem vincere non potuit. Tam decentis viri victoriam ſubiit libens regalis maieſtas, victa quaſi viciſſet triumphauit cum eo, cuius in bello ſtupeſcenda fuit ſeueritas, & paulo poſt in omnes miranda eius erat clementia. Hoc viri fortis eſt, qui de victoria contendunt, eos hoſtes putare, qui victi ſunt, eos homines iudicare, ut poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. O quanti ſit eius gloria exiſtimanda putatis, qui cum inimicum vinceret, ipſum vincendo amicum fecit, ut cum quo prius luctabatur maximo certamine, cum eo ipſo alios iam in hoſtes ſibi maximam comparauit victoriam. Nam quid Africano ſimilis viro ſeteniſſimo, cui induſtria virtutem; virtus gloriam, gloria æmulos comparauit, qui etiam ad eas laudes, quas à patribus ſuis accepit, addidit aliquid ſuæ, ut puta eloquentiam, quâ ſibi bellicam comparauit gloriam. Sic Princeps noſter Carolus Philippi patris filius, qui cum belli laude non inferior quam pater fuit, & ad eam laudem (ſi recte conſpicitis) doctrinæ & ingenii gloriam adiecit. Pertranſeo quem pridem ante nobis amorem oſtendit, quamque patriæ procurauit ſalutem. Cum militibus, maliſque complicibus Vrbs redundaret, & omnes timore domi oppreſſi continerentur, venit iſte ſuccinctus gladio miles inuictiſſimus, &p.137 terruit aduerſarios acrimonia, terruit voce, terruitque vultu; quin imo & ſolum ſui cum præſentia inimicum proſtrauit valide, illum puta Draconem maximo veneno aſperſum, qui ex ſuperbia, inſolentia, pertinacia, & aliis grandioribus originem traxit, ſcelere & malis cogitationibus abundans, perſæpe euolans è templo * dynant rabido ſpiritu circumſpectans huc & illuc, ſi quem vidiſſet de domo Principis noſtri amantiſſimi, cui aliquid mali faucibus afflare, ore attingere, dentibus infectare, lingua aſpergere potuiſſet, tam violenter, tamque inhumaniter, vt ſtatim nemo per illa proficiſci loca qui poterat, ſecurus erat, quin ipſum ille explorator gentium, Deo contumax, omnibusque inobediens, maximis iniuriis, peſtifero ſuo veneno moleſtaret, qui nullius potentiæ frenis domari potuit, aut minarum tonitribus concuti, vel proteri, niſi quo tandem aſtrictus iudex ille amator patriæ, Dux Burgundiæ, ira commotus & iuſtitia, ad propulſandam patriæ illatam ſuæ iniuriam illico paratus, proprio ſuo corpore vindictam ſumere voluit, ſicut & iuſtum virum decuit, de emenda contendere cœpit, & vbi reum inimicum ſuum iuſtitiæ contumacem reperit, qui & nullius amicitia placari, aut ab eius obſtinata retrahi malitia potuit (*cum ab impiis non egrediatur niſi impietas*, vt ſcribitur Prouerb.) in eum tandem armis recte vltionem expleuit, illum ipſum ſerpentem inimicum patriæ funditus expiauit, in guttur eius clauum infixit iuſtitiæ, ſtrangulauit. Recte illud quidem in Job ſcribitur, *Huic ſimilis eſt rugitus leonis, & vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti ſunt, tygris periit eo quod non haberet prædam, & catuli leonis diſſipati ſunt.* Eum & tandem in aquam ſubmerſit, qui & cum defluxerat in Leodium ciuitatem peruenit, vbi virus ſuum euomere cœpit totam infecit vrbem, & in tantam rabiem miſeram plebem perduxit, vt etiam templum Dei ſputo maculare ſuo & manum eius iniicere ſanguinolentam verebatur minime, non modo vt homines ſed vt beſtiæ ſæuientes ferociſſimmæ omni ratione virtutisque gloria priuati, vt iam dedecus, atque voluptatem

Leodienſis populus.

ptatem honeſtati, & venuſto turpitudinem anteponant. Quid enim intereſt, vtrum ex homine ſe conuertat quis in belluam, an hominis figurâ immanitatem gerat belluæ? Perinde hic populus ſeditioſus ad oſtia vnius, quem ſibi imbelli caput præfixerat, tyrannidis enormi irruit tumultuatione, eumque tubis & buccinis, claraque voce præconis euocare cœpit, quo tandem hic impius atque crudelis prodiit in lucem ſudanti cerùice, oculis ardentibus, eiectoque capillo, complutis * armis, compluribusque aliis feſtinantius ire cœpit. Et cum cornua ſua vibraſſet vt aper, caput erexit animo inſolenti ac corde iniquiſſimo, celerique brachio vexillum ſuſcepit, in forum venit, vocatis ſibique complicibus, ſui & ſuorum malitia fretus exercitum duxit: & in eo loco, quo ſibi gloriam magnam, cum ſecuritateque victoriam expectat, in eodem ſepultus eſt ab illo noſtro principe, qui & nuper eius fauces, gutturque perſtrinxit, nunc tota etiam eius viſcera amputauit, inteſtina euulſit, eius & omnia veſtigia deleuit, conſulatum amouit, tyrannidem induxit, partesque per orbem diſperſit. Recte eorum merita tabulis comparauit ſuppliciis, quibus etiam potius diuinitus quam ab homine vltio nefandi ſceleris creditur profluxiſſe. Nam vt ſcribitur Prouerbior. * *Qui recti ſunt, habitabunt in terra, & ſimplices permanebunt in ea; impii vero de terra perdentur, & qui inique agunt, auferentur ex ea.* Non minor ſtrage Iſraelitici populi clades illa fuit, hoc campo periit Saul, hoc campo periit Jonathas, hoc campo periit totius Iſrael fortitudo; nunc libertatem quæ non erat, ſuis in patria peperit; potius eſt gloria quæ cum laude ſumma prodita & venuſtate cotidie magis & magis enitеſcit. Quis eſt tandem tam tenui cogitatione præditus, cuius animus tantis anguſtiis inuidiæ continetur, qui non hunc principem ſtudioſe laudet, & ſapientiſſimum iudicet, qui pro ſalute patriæ, pro incolumitate ciuitatis, pro Reip. fortunis, quamuis magnum atque atrox periculum ſtudioſe ſuſcipiat, & libenter ſubeat. Et quidem hunc ego Principem magis cupio ſatis laudare quam poſſim. An tu hoc inter minima exiſtimandum putas, tui cum pridem cuſtos Carolus Princeps Illuſtriſſimus, te propter patriæque ſalutem, inter inimici brachia requiem ſuſciperet momentaneam. Ecce nefario ſcelere fratres vno conſilio Leodii ciues, illi noſtro amantiſſimo Principi calamitates machinabantur atrociſſimas, in noctis dum tenebris arma ſuſciperent, nobiliſſimumque tentarent prodere Ducem, ante eius maximis inſultibus ouantes papilionem: irruerunt ſicut Leo famelicus, aut aliqua teterrima bellua ſoluta catenis volitabant, ingentem facere cladem, nobiliſſimum ſibi ſanguinem ſub hoſtilem libidinem trucidare ſperantes, non aliter quam Philiſtis tres cunei. Et in illa hora non eſt inuentus gladius vel lancea in Iſrael, ſic noſtris dormientibus legionibus, nullus gladium manu tenebat, quo tandem expergiſcentibus ad Philiſtin, id eſt, & noſtri ad feroces Leodii homines deſcendebant, vt acueret vnusquisque vome-
p. 138 rem ſuum, & ligonem & ſecurim & ſarculum. Retuſæ itaque erant acies vomerum & ligonum, tridentium, ſecurium, vsque ad ſtimulum corrigendum, cumque veniſſet dies prælii, non eſt inuentus enſis & lancea in manu totius populi. O feroces animos! ô crudeles cogitationes! ô derelictos homines ab humanitate, qui agere auſi ſunt, aut cogitare poſſunt, quo pacto dulciſſimum illum Ducem ſanguinolenta eorum palma, proprio nunc ſinu dormientem iugularent? Hoc quod volebant, traditorum nefas ni Deus ipſe vidiſſet, ad exitum perduxiſſent. Nunc de ipſis verificatum eſt, quod & Prouerbior. * ſcribitur; *Pedes illorum ad malum dum currerent, & feſtinarent, vt effunderent ſanguinem, ipſi contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animas ſuas*, ſic ſemitæ omnis iniqui animas poſſidentium rapiuntur.

Nunc igitur Vrbs eorum acerbiſſimo concidat conflagrata incendio. Neque verbis conſequi indignitatem rei, ſed negligentius vbi fero quod vos mel non egetis, vbimetipſi rem propriam, manu propria tractatis. Num illum ante pedes veſtros Quiritem telo percuſſum cadere vidiſtis fortiſſimum? Quid tunc veſtro cogitaſtis animo patriæ amantiſſimæ, dum illi ſuas vobis ſpicas tridentium minaban-

minabantur infigere ſpurciſſimi, dum etiam è gremio veſtro iugulatum etiperent, vere amor patriæ timorem in vobis exnihilat. ô nobilis, fortiſſimusque animus, qui pro nobis in limo terræ pede fixo, vix vt ambulare poſſes, inimicum perſequeris, infra te lutum, ſupra te pluuiam, niuem, denique glaciem ipſam ruere vidiſti, & tunc etiam incalefactibili vndique frigore ſeptus eras, nullus gelu tale vidit, quo Solis radios in glacies algore fuiſſe conuerſos, & anhelitus hominum ante ora gelatos, panem dum roderes, lacum bibiſti, quinimo glaciem ſuxiſti, & femore ligatam tanquam prouidus tibi ad neceſſitatem tecum tuliſti, quoties & crudas carnes deſideraſti, ne dicam fœnum, paleas, ipſa quoque ſtercora? Nemo eſt qui poſſit ſatis rem conſequi verbis, nemo referre oratione magnitudinem calamitatis. Omnia pro nobis hæc ille libenter ſuſtulit, quod ô tu felix recenſe patria. Quid ſi nunc hæc Leodienſium ciuitas, vrbs inuictiſſima, vocem immutat, num hoc pacto loquatur: Ego illa pluribus tropæis ornata, triumphis ditata, clariſſimis locupletata victoriis, quæ nullius fraude, viribus, aut potentia labefactari potui, nunc tuis ſeditionibus vexor, ô Princeps inuictiſſime. Nihil vires corporis mei contra te mihi auxiliatæ ſunt, nihil mihi ſcientia rei militaris adiumento fuit, nihil erudita calliditas præſidii tulit, nihil morum & ſocietas ſermonis opitulata eſt, nihil ferociſſimorum robur animorum victoriæ contulit. Nam quæ mihi reliqua ſpes manet libertatis? ſi tibi in me quod licet, libet; & quod libet, licet; quod licet, poſſis; & quod poſſis, audes; quod audes, facis, & quod facis, nulli moleſtum eſt. Nunquid tua cum virtute poteſtateque ampliſſima muros euertiſti mihi quondam validiſſimos, totiusque Reip. ambitum ignis in gremium miſiſti & ædes. Per te mihi extincta eſt lucida fama per orbem, qua gloria potitus es, eadem miſeria peri. Nihil mihi præter nomen poſt multa ſecula relinquis. Heu me miſeram, quæ ſemper rebellis & iniurioſa fui, moreque improbo laceſſita virtutibus inconſiderata, minax ſemper eram, ſuperba, petulans, atque opprobrioſa, potentiæ, diuitiis, factioni, militibus, affinitati, & ſodalibus magis quam veritati confiſa. Proh dolor, hæc mea damnabilis ſententia proſtratam effecit, ita vt nulla in me præter aliorum exemplar illacerata remanſit commoditas. Nunc ſcio quid ſibi angelus voluit dum ad Ezechielem locutus eſt ita dicens: *Dabo te in deſertum & opprobrium gentibus, quæ in circuitu tuo ſunt in conſpectu prætereuntis, & eris opprobrium & blaſphemia, exemplum & ſtupor in gentibus, cum fecero in te iudicia in furore & indignatione & increpationibus iræ; inducam ſuper vos gladium, & diſperdam excelſa veſtra, & demoliar aras veſtras, vrbes veſtræ deſertæ erunt, & cadet interfectus in medio veſtri, & diſplicebunt tunc ſibimet ſuper malis quæ fecerunt in vniuerſis abominationibus ſuis. Qui in agro erit, gladio morietur, qui in ciuitate, iugulabitur, & qui fugerint ex eis, erunt in montibus quaſi columbæ conuallium, aurum & argentum veſtrum non liberauit vos. Dabo in manus aliorum, anguſtia ſuperueniente requirent pacem, & non erit, conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum.* Panem ſuum nunc in ſolitudine comedent, & aquam ſuam in deſolatione bibent, & deſolata eſt terra multitudine ſua ciuitasque eorum igni data eſt, mœſtam vtramque eius partem conſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam. Nunc ſcient quia Deus iuſtus eſt, eoque deceperunt populum eius, dicentes: *Pax*, & non fuit. O vos barbaræ gentes, quonam modo ſubacta vobisque inuiſa & inculta videar concipite, non meum quo me damnatam conſpicitis iter proficiſci velitis iniquiſſimum; nullum in vobis machinari contra eum cogitate exitium, quem conditor terum nobilitate præclara, bellandique gratia deaurauit altiſſimus. Hic eſt quem Deus elegit ſecundum cor ſuum, in quo complacuit, omnium malorum extirpator, amor & fiducia omnium amicorum ſuorum, inimicorum vero timor & anguſtia. Cum etiam immortales ſibi Deos adiumento eſſe velint, hic perſequi ad mare rubrum & ultra inimicum ſuum poteſt, nihil eſt quod ſibi P. 139
reſiſtere poſſit: quoniam iuſtus (vt habetur in Prouerbiis) odit iter impiorum quaſi ſepes ſpinarum, via iuſtorum absque offendiculo. Sibi omnia parent, in ſuo conſpectu omnes digitum ponunt ori ſuo, ſi dixerit vade, vadunt, ſi veni, veniunt. Sedens

dens in puppi mundi vertit gubernaculum quo voluitur orbis, cui & totius curiæ obſequatur cœleſtis familia : quare vos omnes qui virtutem colitis, & vobis ac veſtris pacem augeri diligitis, crimen læſæ maieſtatis, ſi quod in ipſum præſumitis, cautius abiiciendo vobis conſulite ; & obſequio potius parere, quam manu ſorti ſuccumbere velitis, illius, qui victor ſemper abibit. Hæc ſæpe locutus, dum ſui filiis meis, non audierunt, deſpexerunt omne conſilium meum, & increpationes meas neglexerunt, dixique eis, *In interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cum vobis quod timetis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia, tunc inuocabitis me, & ego non audiam :* Non ſuſceperunt, nec acquieverunt conſilio meo, & detraxerunt uniuerſæ correptioni meæ, in manibus meis confiſi, potius nunc confuſi ſunt. Recte ſtultorum proſperitas iam perdidit illos, & ego conflagrata incendio, ita diſrupta ſicut videtis. Cum etiam eis quæ & in prouerbiis ſcripta ſunt, propoſueram, ſex eſſe quæ Deus ipſe odit, & ſeptimum deteſtatur anima eius, in quibus & ipſi nutriti educatique ſemper fuerunt, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordiam. Ipſi me deriſerunt : & nunc quis eſt qui ipſos non rideat ? Ego nunc melior ſum quam unquam fui, veritatem quam nuper abſconderam, nunc palam effero : quam & me modo dicere neceſſe eſt, dum multi iam prætereuntes meo in circuitu mihi dicent, *Mutatus eſt tibi color optimus, vah qui te tam pulchram, mœnibusque ornatam ciuitatem deſtruxit, areſcant manus eius pedesque terentur.* Lamentabilem cladis vindictam de me eum ſumpſiſſe vident, quam tam iuſtam, tamque neceſſariam fuiſſe ignorant : Nunc mecum ſcient, & alium de eo ſermonem facient, non dubito. Nobiſcum modo dicent. *Benedictus ſit, qui Dei iuſtitiam eiusque mandatum propria manu ſua peregit.* Me ita diſrupit, quæ Dei cum integra eram indignatio, hominisque blaſphemia fui : nunc video, quæ antea fui, eumque laudo, cui ſemper opprobria dedi.

Modo in patriam cuiusmodi fuerit habetis, nunc ſuis in negotiis qualis extiterit conſiderate. Qui cum ita ſe gerat rebus in proſperis, & aduerſis, æquo ſemper animo, fortiter atque prudenter curata cum diligentia facit, ſuorum commoda prouidere non tepeſcit, nunquam otio marcet : qui licet animum quandoque remiſſum habeat ſolutum vero nunquam. Tarda accelerat, perplexa expedit, dura mollit, aſpera lenit, ardua exæquat ; ex paruis magna, ex apertis obſcura, ex proximis remota æſtimat. Sicut ſidus in orbe, ſic inter Duces hic tua virtute pollet, lucerna Mundi cuius non æſtimo tam magnum fore Principem, qui non eius in virtutem plus quam propriam confidat poteſtatem, nemo eſt qui neſcit & ſe non ſui defenſorem confiteatur. Quo euenit, ut non vi armorum, nec pecuniarum potentia, ſed ſolum ſuis cum virtutibus totam eius patriam, cuius etiam ſalutem in humeris ſuis portat dum puerilem ætatem adhuc ageret, in non præceptibili tempore, à quorundam violentorum manibus infectam miraculoſe redemit, quaſi ab ipſorum raptorum manibus & faucibus extirpauit, ſummamque in pacem conſtituit, quod totius orbis potentiæ in tam breui tempore poſſibile non fuiſſet. Deinceps vero non ut victor ſuperbia uſus eſt, ſed illicitos cohibens motus animi, nullis in illicitis ſuaſu proſperitatis potuit contaminari, omnibusque in eum impetum facientibus velut chriſtianiſſimus ſorefacta * remiſit ad ſui gratiam eos benigniter reuocando. Sic pie, ſic humane, ſic iuſte, ſicque familiariter ſubditos ſuos tractare conſueuit, ut omnes communiter clament, atque concorditer uno ore dicent : *Pium, iuſtum temperatum, fortem, prudentem, ſanctumque habemus principem.* Cui altiſſimus fauet, fauerint & aſtra, ut aperte eius inſpecta natiuitate monſtratur, ſic ut nullus unquam contra eum aliquid attentare præſumpſerit, qui eius in poteſtatem non venerit. An ipſe ſit lapis iſte, quem tulit Samuel inter Maſach & Seu, & vocant nomen loci illius, Lapis adiu-

* *i. delicta.*

torii. Huc usque auxiliatus est sibi Dominus, & humiliati sunt omnes inimici eius, sibique redditæ sunt urbes quas tulerant, & ancillas & iuuenes optimos eorum, & azymos abstulit, & posuit in opere suo.

Viue igitur, piissime ducum, viue precor ô decus Flandriæ, tuorum salus subditorum, viue (inquam) diu atque felix. Nam heu quid illa amœnissima Ligurium * faceret patria, aut quibus subiecta periculis, mœrore fotet & aculeis, si quouis modo nostris ab oculis euanescere. Quod ô tu Deus almaque tutrix aduertite eumque semper placitum, prosperumque rebus seruate secundis, ac sibi cœlesti gloria præstetur inclyta proles, ne quisquam terræ nostræ colendis in virtutibus degeneret. Nam ipso superstite felix, imo felicissima patria reputatur. Quanto igitur magis valet iste, & pluribus erit utilissimus, tanto & accuratiori à nobis mente, quinimo & omnibus custodia sibi summa debetur, exhortor & oro. Ego etiam hoc opus *de principum custodia* dispositi in mente conficere amo- p.140
re illius, scilicet Christianissimi Principis Domini mei, Domini Caroli Ducis Burgundiæ Illustrissimi. Qui me nondum sibi cognitum, tam dulciter tamque benigne suum in Medicum recepit, licet minimum. Saltem ad honores teneor ego velut fidelis subditus cotidie laborare summaque cum diligentia ad eius spirare salutem, ac sollicite vigilare custodiam, cui rerum conditor vitam præstet felicem, suæque familiæ semper gubernando (vt optat) pacem & concordiam, patriæque salutem.

* Liegeois.

Tu igitur piissime JEsu, omniumque rerum opifex, cuius & de gratia summaque clementia hominum illustrantur mentes, acuunturque ingenia, ac materiæ intellectus uniuersi fiunt angelici, amore huius benigissimi Domini, domini mei, qui sic religiose te colit, huic principio benignus adsis, placidusque iuues, ut hoc valeam opus ad optatum perducere finem, qui viuis & regnas trinus & unus, Amen.

DE FRIDERICI III. IMP. IN ITALIAM PROFECTIONE VOTIVA, ET HONORIFICO ROMAM ADVENTV QVIDQVE IBI CVM PAVLO II. P.P. EGERIT, ANNO M. CCCC. LXIX.

Iacobi Picolominei Cardinalis Papiensis narratio, è commentariorum eius Lib. VII. ineunte.

CUM Calendis Decembris, qui fuit annus sedentis Pauli quintus, nunciatum esset Fridericum Imperatorem eius nominis tertium in Italiam descendisse voti soluendi causa, quod ad ædem Apostolorum ex Germania vouerat, idque Venetorum literis certissimum haberetur; conuersus Pontifex ad eius suscipiendi curam unum ex secretiorum ordine, quam longissime ire obuiam iussit, negotio iuncto, ut crebris nunciis de ratione viæ, & cæteris, quæ cognouisset, sine mora significaret, Inde vocatis in consilium patribus, quatuor ex diuersis nationibus Episcopos designauit Iudicesque rotæ duos, & consistoriales aduocatos totidem, qui secretario succedentes secunda salutationis officia exhiberent. Delegit quoque Cardinalem Hostiensem, ac sancti Eustachii, qui præstarent tertia, non tamen ultra bidui viam progrederentur.

Post hæc de ingressu in Vrbem agi est cæptum. Cuius solennitas eum neque ex ceremonialibus libris, neque ex omni historia reperiri tum posset (aliter enim cum coronam petit, aliter cum priuatæ rei causa venit, accipitur Cæsar) hæc deducendi ratio nouo exemplo est sumpta. Ideo à me diligentius annotata, ut sit posteris in hunc casum quod vel sequi, vel adinuenire melius habeant. Cognita igitur via, quæ illi per Flaminiam erat, eum iam & Pisauri Secretarius, & non

& non longe à Spoleto Epiſcopi, Cardinales autem Sexto ab Vrbe milliario obuiam illum habuiſſent, die ipſo aduentus quadruplex gratulatio à quatuor hominum generibus per interualla diei, & locorum eſt inſtituta. Primam ad mille paſſus trans pontem Miluium, ducente Procamerario præſtiterunt Præfectus Vrbis, & Conſeruatores, Regionum capita, reliquique vrbani magiſtratus, in eam pompam compoſiti, quam ludis teſtaceis circumferre ſunt ſoliti. Secundum ad ipſum pontem Præſul Vrbinas, quem ſequebantur ſubdiaconi omnes, Iudices Rotæ, Clerici cameræ, Acolyti, Cubicularii, Secretarii, Aduocati, diplomatum ſcriptores, item omnis ordinis curiæ miniſtri. Tertiam vero ad medium fere ſpatium, quod eſt inter portam & pontem, Quæſtor ærarii. Hunc magno agmine comitabatur tota Pontificis familia, Toparchæ Romani, & Duces belli, præeuntibus hoſtiariis, cuſtodibusque Pontificum; his virgas ſericeas, illis argenteas clauas manu gerentibus. Vltimam Cardinales ante portam exhibuerunt, ad eam viæ partem ordine collocati, quæ venienti ſiniſteriot eſſet. Hos cum primo acceſſu vidiſſet Cæſar, capillamento detracto, ſingulos apprehenſa manu & dato oſculo ſalutauit, gratiæ & benignitatis documenta oſtendens. Ingreſſo Vrbem præſto fuit vmbraculum aureum, quo ſolennibus ſuis vti olim conſueuerat Pius. Atque vna Romani ciues per vicos diſpoſiti, qui illud haſtilibus ſuſtinentes toto itinere per vices ſuccederent. Morantibus ceremoniis ad tertiam iam horam proceſſerat nox. Itaque antecedente ſecularium turba, quæ innumera erat, & ſequente Patrum collegio, atque omni clero, moueri cæpit hæc pompa lucentibus vndique viis multitudine cereorum, qui certatim accenſi diei claritatem præſtabant: A porta ad ædem Marci
p.141 pontificis recta eſt itum. Inde ad dexteram flexum, & pontificali via in theatrum Pompeii peruentum: denique in Vaticanum ad Baſilicam Petri acceſſum. Quacunque autem fuerat tranſeundum, imparatum erat ad decorem & magnificentiam vias ornari: idque ſummo ſtudio pro ædibus ſuis quisque impleuerat, pendentibus vtrinque verſicoloribus aulæis, ſed nox ſuperueniens abſtulit cuncta. Dum enim metus eſt, ne humore noctis (id quod in his ornatibus accedit) expoſita nitorem ſuum amitterent, detenſa iam erant omnia, & domi recondita, paucis exceptis locis, in quibus maior fuerat honorandi Cæſaris, quam accipiendi incommodi cura. Ad ædem D. Laurentii in Damaſo præſul Vrbinas cum omni comitatu (quem dixi) Quæſtor item cum Palatinis Epiſcopis & presbyteri Cardinales duo, ac diaconi quatuor ad Pontificem (ſicut inſtitutum erat) diuerſo itinere contenderunt, vt eſſent qui in Baſilicam deſcendenti aſſiſterent. Ad Baſilicam vero, quantum à primis gradibus ad ſummum altare pertinet, collegia religionum ſacerdotiorumque dextra & læua in veſte ſacra diſpoſita erant, hymnos transeunti Cæſari concinentia. Ad primos quoque gradus vicarius templi cum ſuo collegio in mitra & ſacro pluuiali religioſe illum accepit; crucem quæ in manu erat porrigens oſculandam. Natalis Domini nox illa erat, & hora iam quinta. Itaque Pontifex qui expectare Cæſarem, atque excipere ad portam argenteam in veſtibulo conſtituerat, indecorum iudicans id iam horæ eam rem fieri, in chorum aſcenderat, & ſacrum matutinum iuſſerat inchoari, altiori ſolio reſidens. Ad eum igitur per media hæc collegia Imperator accedens pedem, manum, & faciem deoſculatus eſt. Sed poſt pedis manusque oſculum alleuans eum altius Pontifex, & de ſede aſſurgens præcipuo affectu in vtrumque latus illum complexus eſt, moxque in propinqua ſede collocans inter ſe patresque ad dexteram media ad complendum ſacrum ſuo ſe loco continuit. Eo abſoluto diaconi Cardinales duo, quibus præceptum id erat, ad altare Cæſarem deduxerunt. Ad cuius ille aditum primum in genua procidens, tam diu perſeueranit orans, donec & vorum abſolueret, & diuinæ preces ſuper eum à Pontifice mitterentur. Earum hæc fuit prima ſolennitas. Cantauerunt alta voce duo ex choro: *Elegit eum Dominus, & excelſum fecit pra Regibus terræ*, ab omni choro reſponſum eſt: *Glorificauit eum in conſpectu Regum, & non confundetur.* Inde aſſurgens Pontifex ex ritu ceremonialium librorum peregit reliqua, choro præfanti illi in omnia reſpon-

Ingreſſus vrbis.

Volaterranus interfuiſſe ſe pompæ ſcribit, lib. 23.

dente. Inde è Solio deſcendens, dextramque Imperatoris apprehendens, in pontificiam illum, atque inde in cubiculum ad quietem perduxit. Cum verò non putaret hoc primo ac pene tumultuario matutinæ laudis officio tantæ nocti ſatisfactum eſſe, ſolennius aliud cenſuit iterandum, in quo & Cæſar, & Patres, enſis que ſacratus pro more adeſſent. Itaque ad horam 12. paulo quidem ante primum diluculum ſecundum indixit. In eo Cæſar vetuſto ſedis ritu, enſe de manu eius cum benedictione accepto, illoque ut erat nudus; armigero adſtanti tradito; camiſeum ſtolamque albam & pluuiale miniſtrantibus diaconis cardinalibus ſumſit, iiſdemque latus eius claudentibus Evangelium lectionis ſeptimæ non iniucunde cantauit, lectionem ipſam eorum alteri proſequendam relinquens. Admonuerat inter veſtiendum ceremoniarum magiſter, vt transuerſam ſtolam & pluuiale ad ſiniſtram apertum acciperet. Sed ille (me audiente, qui proximus eram) *Non faciam* inquit: & vtrumque à collo ad pectus rectum induens, conuerſusque ad magiſtrum, *ſic*, inquit, *ſemper ſum ſolitus*, ſuadente iterum illo, vt poſt Euangelium decantatum pro aliorum conſuetudine ad pedem Pontificis oſculandum aſcenderet, Germanico verbo, quod à circumſtantibus eſt intellectum, *Et hoc*, ait, *etiam minime:* putans videlicet (vt creditum eſt) à vulgari aliorum obſequio maieſtatem Imperii ea in re vindicandam. Mane vero ipſo Paſchali ſolennibus Miſſarum operatus eſt Pontifex. In quibus poſt communicationem ſuam Euchariſtiæ partem in hoc ipſum ſeruatam Cæſari obtulit, ſubnixo quidem in genua, & ſuum honorem ſacramento reddenti. Ab altari ſub vmbraculo digredientes, ad venerandum Domini Saluatoris ſudarium, quod imperatum erat proferri, profecti ſunt: inde pulpitum ſupra gradus Baſilicæ aſcenderunt, ex quo Pontifex ſolenni more benedicens plebi, quæ innumera ad viſendum conuenerat, ſummam peccatorum veniam tribuit. In ea denuncianda quod ſemper latine & Italice per diaconos Cardinales fieri eſt ſolitum, cum in extremis verbis admonerentur turbæ, vt acceptæ gratiæ memores pro Romana Eccleſia & Pontifice orarent, additum eſt, *& pro Friderico Imperatore noſtro, vt contra infideles gentemque hæreticam diuinum illi ſemper ſubſidium adſit.* Introitus ſui, & noctis dieique natalis hæc fuit celebritas.

Quarto poſt die in conſiſtorium veniens, quod dari ſibi ob publicam cauſam popoſcerat, cum & Patres, & Germani proceres quidam, & Regis Hungarorum legati, & Cypri & Venetorum frequentes adeſſent, in hunc modum per interpretem, Lauentinum Præſulem locutus eſt: *Iter hoc meum, ſumme Pontifex, ad reddendum Deo votum libentius tamen ad ſalutem communem ſuſceptum eſt: Noſti clades per hos annos à Turcis acceptas, & quæ nunc imminent vides. Egerunt Principes proximi quod potuerunt, curas eorum & vigilias nouimus, non tam quidem illas felices, quam ſuo miniſterio dignas.* p. 142 *Meis quoque conuentibus, quos de Germanis Principibus eius rei cauſa plurimos habui, ſucceſſus non fuit, impedimentis aſſiduis vtrobique in caſſum fuere conſilia. Veni propterea ad te, vt quam ſalutis viam non cerno, ſi qua hic eſt, tuo iudicio videam. Chriſtianorum ſummus es pater. Primam hanc eſſe curam oportet, proximam meam. Conſule in medium, & quid agendum ſit, monſtra. Ego quæ ſuaſeris, quæque ad rem cenſueris opportuna, accipiam, liberisque inuabo.*

Ad hæc Pontifex nullo ante cum Patribus communicato conſilio (id certo quod probatum non eſt) longa oratione, quæ ante ſe Pontifices, longiori quæ ipſe in eam diem egiſſet, ſigillatim recenſuit. Quod vero ad poſtulatum attinuit, neſcire ſe dixit, quid modo conſuli poſſet: ita iam conſilium omne exhauſtum cognoſceret. Rogare autem illum viciſſim, vt ſi quid attuliſſet ipſe ex Germanis, prior proponeret. Dicente Cæſare, *Veniſſe ſe non dandi, ſed accipiendi conſilii cauſa*, Pontifice eadem iterante, in proximam ille aulam deliberaturus ſeceſſit, atque ibi horam pene continuam fuit. Reuerſus cum proceribus & legatis, qui ſecum in concilium ierant, *obtemperaſſe*, ait, *neque in tanta conſiliorum inopia melius inueniſſe, quam vt Conſtantia (quæ Germaniæ ciuitas eſſet Italiæ propinqua)*

qua) conuentus Principum indiceretur, ad quem & ambo accederent, & reliquos omni diligentia conuocarent. Venturum eo (quantum crederet) Hungarorum Regem Matthiam, id quod præsens legatus eius sponderet. Hunc vero laborem ideo necessarium duci, quod quæ commune opus requirant, hæc & communi consilio administranda putentur.

Non placuit Pontifici sententia. Ab exemplo præteritorum conuentuum, hunc quoque inutilem futurum contendit. Deliberaturum se nihilominus amplius dixit, atque alio tempore responsurum. A meridie in noctem protracta iam consultatio erat. Itaque consilium & Cæsarem simul dimisit.

Dubitatum post hæc à plerisque est, qui pensitare hæc diligentius solent, Cæsarisne an Venetorum petendi conuentus consilium fuerit. Etenim magno studio à Venetis res agebatur, perstudiosis tunc rerum Imperii. Qui fuisse Cæsaris arbitrabantur, cum nisi per legatos conuenerit nunquam Cæsar, quæsitam æstimabant non tam proficiendi spem, quam ostentandæ religionis occasionem: ut si quando maioribus ingruentibus malis querelæ populorum de Imperio & Pontificatu essent, culpam omnem desertæ salutis reiicere in nos posset, amissamque vocante Mantuam Pio suam æstimationem, vocato nunc Constantiam Paulo redimeret. Qui vero inuentum hoc Venetis adscribebant, procuratum per hanc speciem priuatam eorum rem aiebant, non publicam; videlicet ut perlata ad Turcos tanti conuentus fama, terrore illi iniecto, vel pacem in suas leges conficerent, vel ad innouanda fœdera Italorum Pontificem, quo absente tutiora essent domi omnia, incitarent. Quæ quidem nec ipse petere propter elationem vellent, nec præterire propter necessitatem possent. Igitur proximo post consistorio, vocatis iterum ad consilium Patribus, cum de responso dictæ sententiæ essent, censuit Pontifex, *Quacunque ratione conuentus is peteretur, non videri è Republica esse, quando & præsens temporum conditio non postularet, & præteritorum exempla documento certissimo essent.* Placuit quoque ne veniente sæpius in Senatum Cæsare (id quod sine grandi expectatione esse non poterat) studio rerum publicarum vincere nos videretur: quatuor ex patribus ad eum in cubiculum mitti, qui decretum hoc nunciarent. Ii vero collocuti diutius, eum missum iam esset consilium, ad Pontificem rediere summam hanc referentes, *Placere nihilominus Cæsari conuentum monstratum & consistorium iterum queri, in quo de hisce rebus agi amplius posset.* Id vero cum triduo post permissum esset, conatus est populari magis oratione quam graui argumenta nostra diluere, quibus ratio habendi conuentus non fuerat approbata. Ad quæ omnia etsi diceret Pontifex, ex Germanorum consuetudine ab Germano homine secum non agi, quorum ea lex sit, *Vt post decreta in Consiliis nil postulent ultra*; eadem tamen ferme quæ nunciata per Cardinales erant, recensuit, argumentisque inuicem collatis sua propiora vero esse contendit. Orans identidem, vt quæ dicerentur, & fierent, pia voluntate acciperet, quando nec tepiditas vlla, nec metus, sed tota ipsorum ratio à iudicio suo cogeret nos dissentire. Duo tamen communi animo sunt constituta: alterum vt literæ ad Principes vtriusque nomine mitterentur, quibus illi ad Calendas Nouembris anni venientis legatos suos Romam mittere rogentur, de ratione tuendæ fidei cum Pontifice acturos. Altero vt Venetis diutino Turcorum bello exhaustis decimæ clericorum, Hebræorum vicesimæ, & secularium trigesimæ in ditione sua concederentur: quales decreto Mantuani conuentus Pius olim Italis quibusque indixerat. Et hic quoque postulatorum Cæsaris exitus fuit.

Responsum Pontificis.

P. 143 Non multo post, cum totos septemdecim dies Romæ fuisset, in Germaniam reuersus est. Multis eum interim Paulus magnisque demeritus officiis est. Nunquam cum processerunt passus est, nisi ex æquo esse; plerumque autem dextera eius apprehensa: bis quoque ad cubiculum suum descendit. Die quæ circumcisionem Domini Saluatoris præcessit, peracto, Laterani sacro vespertino, ad veneranda Apostolorum Petri & Pauli capita constituto ponte, per quem ex æquo ire-

iretur, intra ferreos cancellos perduxit, & poſtridie ad Vaticanum rediens albo equo phalerato & aurea ueſte donauit: volens videlicet, vt cum antea atratus Cæſar ſemper fuiſſet, ſolenni illa transmiſſione Imperatoris ornatu procederet. Ad pontem porro Adriani eodem itinere cum Patrum collegio ſubſtitit, ſpectauitque amplius horam continuam Germanos innumeros, quos ille eo in loco equeſtri ordine vetuſto ritu donauit. Gratias itidem ſpirituales, easque gratuitas innumeras contulit. Victum ſibi & comitatui, qui ſexcentorum amplius equitum fuit, largiſſimum præbuit. Abeuntem denique diuerſis duum millium aureorum muneribus eſt proſecutus. Et præſules nonnullos ire ſecum ad uſque Cæſarem iuſſit, qui toties Eccleſiæ oppidis ad impenſam itineris, & diuerſionum commoda neceſſaria imperarent. Quæ omnia eo munificentius ſtudioſiusque collata ſunt, quod notiſſimum erat toto eius imperio propugnatorem fuiſſe Romanorum Pontificum, & nec abiiſſe unquam in impiorum conſilia, quibus Transalpinæ nationes ſine cauſa ſæpe tumultuantur in nos.

DE COMITIIS IMPERII SVB FRIDERICO III. IMP. APUD RATISPONAM CELEBRATIS ANNO M. CCCC. LXXI.

AUGUSTINI PATRICII COMMENTATIONIBUS.

ITEM:

IOAN. ANTONII CAMPANI, AD IACOBUM CARDINALEM PAPIENSEM,

EX EISDEM COMITIIS DE REBUS IBI GESTIS, EPISTOLÆ FAMILIARES.

Auguſtinus Patritius Reuerendiſſimi Cardinalis Senenſ. Legati in Germania Secretarius, Iacobo Cardinali Papienſi ſal. & commendationem.

CUM in Germaniam veniſſem nuper cum hero meo Franciſco Piccolomineo Cardinali Senenſi, Apoſtolicæ ſedis legato, videremque ad conuentum Ratiſponenſem multos magnoſque Principes undique confluxiſſe, & maxima quaque ibi tractari, quod res viſa ſunt relatione digna, utque interrogantibus in meo reditu amicis ad verum reſpondere poſſem, ſtatui omnia literis annotare. Adhibui itaque exactiſſimam diligentiam, ut rerum omnium quæ ibi agerentur, veritatem ac ſeriem cognoſcerem, partem per me ipſum audiens, cum latine loquerentur (interfui enim fere ſemper in concionibus) partim ex aliis qui aderant cognoſcens. Quin & legatus ipſe cum epiſtolas ad Pontificem atque amicos mihi dictaret, omnia aperiebat. Fuit ſane conuentus hic Ratiſponenſis frequentiſſimus, & omnium (ut ſeniores aiebant) noſtra ætate maximus. In quo Cæſar cum quinque Electoribus, & Principibus complucribus, duobus legatis Apoſtolicis, altero Cardinale, altero Epiſcopo, & Regum ac Ciuitatum oratoribus permultis conſedit. Redegi igitur omnia quæ in conuentu geſta ſunt, ſed & quæ ubique locorum per Germaniam egit legatus, & totius huius noſtræ peregrinationis iter deſcripſi, cum & pulcherrimæ ſæpe urbes; & res memoratu dignæ interdum occurrerent. Eſt Germania (ultra quam noſtri homines credant) magnifica, & pulchra, & illi antiquæ, quam Cæſar, Strabo & Tacitus aliique deſcribunt fortuna & moribus valde diſſimilis: ita ut multæ ſint inter eas Vrbes quæ multitudine populi, pulchritudine ædificiorum, templorum magnificentia, & ciuitatis ſplendore noſtris Italicis haud multum cedant, interdum etiam ſuperent. Atqui cum mecum cogitarem, cuinam potiſſimum p. 144

duca-

dicarem has meas lucubratiuncules quamuis tenues, tu ſolus occurriſti qui ſine inuidia gentilis tui Cardinalis Senenſis res geſtas perlecturus videreris, & meam hanc inſulſam incomptamque narrationem pro tua innata manſuetudine, & conſueta in me indulgentia æquo animo eſſes laturus. Mitto igitur ad te libellum hunc ut cum per otium licebit illum perlegas, in eo tamen præter nudam ac veram rerum explicationem nihil quod te detineat inuenies, oro ut boni conſulas, & mihi ignoſcas, ſi dignationem tuam rebus maximis occupatiſſimam his meis ſcriptis vexare ſum auſus. Vale, Romæ Nonis Ianuariis, anno ſalutis 1471.

POſt captam à Turcis Conſtantinopolin, & Græcorum imperium deletum, ſæpe Romani Pontifices, & Fridericus Cæſar, qui reipublicæ Chriſtianæ Gubernacula tenent, conati ſunt reliquos noſtræ religionis principes ac potentatus, contra ſæuiſſimos hoſtes in arma cogere. Et Cæſar quidem cum externi dicto minus parentes viderentur, inter ſuos Germanos crebros celebrauit conuentus, ut quantum in ſe eſſet, ſaluti Chriſtianorum conſuleretur, nunc Francofordiæ, nunc Ratisponæ, nunc Norinbergæ, nunc Viennæ, nunc aliis in locis eos conuocans: nec prætermiſit interea cæteros Reges ac Principes literis ac nunciis hortari, ut communi conſilio expeditionem ſumerent in communes hoſtes. Pontifices vero Romani qui per hæc tempora præfuere, Nicolaus, Caliſtus, Pius, & Paulus nunquam deſtiterunt Chriſtiani orbis præſides literis & aſſiduis legationibus hortari, monere, rogare, obſecrare, vt relictis inteſtinis odiis in religionis ac libertatis noſtræ hoſtes arma conuerterent. Nullus eſt habitus conuentus ad quem non miſerint legatos, oratores ad ſingulos Principes ſæpe transmiſſi, laborantes bello noſtri qui Turcis proximi ſunt, conſilio, milite, pecunia, frumentoque adiuti. Pulſi ab hoſtibus auitis ſedibus benigne ſuſcepti, & ad vitam præbita neceſſaria, claſſes ſæpe in orientem miſſæ ad comprimendos hoſtes, Hungaris (qui murus Chriſtianæ ciuitatis hactenus fuerunt) magna vis auri data, miſſi prædicatores ad exhortandos populos: promiſſa pugnantibus æterna præmia, nihil prætermiſſum quod illis fieri aut excogitari poſſet. Et vt de reliquis taceam, diuus Pius, Romanæ ſedis perpetuum decus, à principio ſui Pontificatus indicto Mantuano conuentu & modis omnibus perquiſitis cum nihil ſuccederet, ipſe per ſe, vt nihil intentatum relinqueret, homo morbis annisque confractus in expeditionem ſtatuit proficiſci, non ætati, non dignitati, non valetudini, non vitæ denique ſuæ parcens. Sed peccatis noſtris id exigentibus ante nobis ſubtractus eſt, & in cœlum relatus, quam ex portu Anchonitano in hoſtes ſoluere potuiſſet, ſic tanti conatus paruo momento in irritum redacti, ſic ſæpe magnæ exorſæ telæ volente Deo ſucciſæ. In Germania autem quamuis ſæpe bellum in Turcos communi ſententia decretum ſit, ſiue quod Cæſar hoſtili arte impeditus conuentibus raro interfuerit, ſiue Principum diſcordiis & priuatis commodis rempublicam impedientibus, nunquam in hoſtes eſt itum. Semel tantum cum Turci Belgradum oppugnarent, excitus populus Prædicatorum vocibus tumultuarie in hoſtes ruit, atque zelo potius religionis quam armis pugnans, ſoluit obſidionem ac fugauit hoſtem.

Mahometes vero Turcorum Princeps fretus noſtrorum deſidia, & continuis victoriis animo eleuatus, dum noſtri tempus longis conſultationibus terunt, Peram primo expugnat Conſtantinopoli oppoſitam, deinde protenſis viribus Bulgariam, Raſciam, Seruiam, & quicquid à mari Pontico, ad amnem Sauum, & ab Ægæo pelago ad Danubium interiacet, armis doloque occupat. Sed neque Danubius Valachos, neque Sauus Hungaros omnino tutatus eſt. Nam & Valachiæ partem rapuit, & Hungariam ſæpe populationibus afflixit: ex alia parte Pelopponneſum, & Græciæ olim arcem Achaiam, Atticam, Boeotiam, Achamaniam, Macedoniam, Epirum, Boſnam, & Illyrii magnam partem redegit in poteſtatem, Lesbum & Cycladas fere omnes ſubegit, & in Ponto Synopem ac Trapezuntem, & demum anno ſuperiori Euboeam (Nigropontem appellant) expu-

gnauit, magno Venetorum, quibus parebat insula, & communi Christianorum damno. · Verum cum neque his contentus anno ante captam Euboeam ex Bosna in Carnos penetrasset, & regionem omnem cædibus, incendiis atque rapinis longe lateque fœdasset, Fridericus Cæsar, cui ut Duci Austriæ hæreditario iure prouincia paret, quique prius pro Reip. salute tantum sollicitus erat, nunc propriis atque auitis prouinciis timens de subditorum defensione intentius cogitare coactus est. Is cum viribus hostium imparem omnino se esse cognosceret, Germanorum Principum auxilia postulare statuit. Anno igitur salutis 1471. conuentum principum indixit Ratisponæ ad 8. Kal. Maij. Is dies Christia- p.145
no more D. Georgio Martyri solennis habetur, vocauitque omnes Germaniæ Principes ad eum locum suis literis, de Reip. salute cum eis consultaturus. Pontificem vero summis precibus orauit, vt & ipse aliquem ex sacro Senatu, qui nomine Apostolicæ sedis in conuentu præsideret, legatum mitteret. Has dicunt huius Ratisponensis conuentus fuisse causas. Cæterum qui altiora quærunt, & Ecclesiastici & seculares, si quando à militia vacat, voluptati atque otio plerumque incumbunt, molestas ac graues cogitationes raro admittunt, literarum autem & sapientiæ studia attingunt fere nunquam: omnia igitur consiliariis credunt, eorumque iudicio cuncta geruntur. Horum nonnulli qui doctiores sunt, & ingenio atque astutia pollent, pro arbitrio omnia versant, üs gloriosissimum est vocari ad conuentus, rogari sententias, consuli à principibus, & eorum sermones atque responsa tanquam Delphica oracula haberi: gaudent rerum mutatione, & contentionibus atque discordiis principum crescunt, procurant assiduo nouis artibus, vt principibus suis libertatem parare videantur, & à reuerentia Apostolicæ sedis (quam *durum atque asperum iugum* appellant) sed etiam Romani Imperii eos nituntur auertere. Cogitauerunt igitur si tales iam pridem imperium Friderico Cæsari abrogare, illudque quando alius animo & viribus potentior in Germania
Georgius Rex Bohem. non videretur, Georgio hæretico Boemiorum Regi deferre: reuerentiam deinde summo pontifici eius nomine polliceri, Imperii confirmationem & coronam petere, quæ si modo darentur, nationi interdicere ne amplius Romano Pontifici auscultaret. Jamque inter se ac Principes suos diuiserant præfecturas, ac munera hæc vt legitime fierent, assensum omnium Germaniæ Principum necessarium putabant. Sperantes itaque si conuenirent Principes, facile quæ cogitarant perfici posse, subtili arte Cæsari persuadent, vt Ratisponæ principum conuentum indicat: aiunt Cæsarem, quoniam spretis Imperii ciuitatibus in auitis moretur prouinciis, omnibus neglectui esse, à nemine venerari, agitari vbique latrocinia, ac tota Germania iustitiæ formam esse nullam: si ad superiora ascenderet, vt prisca redeat reuerentia & fides, parituros omnes suo Imperatori, & eius timore ab iniuriis temperaturos, affuturos ei omnes Principes, & certatim obsequia exhibituros. Et quoniam Imperii census ita sunt diminuti, vt inde Cæsar viuere non possit, se iam reperisse vias, quibus facillime & volentibus cunctis ducenta aureorum millia quotannis corraderet. Tentauerat hoc idem Cæsar alias in quibusdam conuentibus, quippe prouentus imperii ita minimi sunt, vt vix legationibus suppetant. Sed illi non tam suadebant vt Cæsari consulerent, quam vt occasionem nanciscerentur patrandi quæ cogitarant. Hisne igitur persuasionibus commotus Cæsar conuentum indixerit, aut vt Reipubl. suisue prouinciis, quas à Turcis iam deuastari videbat, saluti consuleret, illis diiudicandum relinquimus, qui altiora cognoscunt. Certe Georgii Bohemi obitus, qui medio tempore accidit, effecit vt consiliariorum cogitata effecti non potuerint. Sunt etiam qui asserunt hunc conuentum indictum esse ipsius Georgii solerti opera, qui astutia sua id effici posse sperabat, vt decreto omnium Principum eius absolutio (nam iam pridem vt nosti, extra Ecclesiam propter hæresin fuerat factus) à summo pontifice impetraretur, etiam ipso permanente in damnata opinione. Cæterum in tractatibus ipsius conuentus Cæsar ostendit, rem suam priuatam non neglexisse: Romanus autem Pontifex Paulus secundus, vt & Cæsari & suo officio satisfaceret,

ret, legatum ad conuentum mittere ſtatuit. Sed cum diu inter patres diſceptaretur, quisnam videretur aptior, Franciſcus Cardinalis Senenſis diui Pontificis Pii maximi nepos communi conſenſu deſignatus eſt, qui prouinciam ſuſcipetet, tum ob ſummam hominis integritatem, & vltra eius ætatem, prudentiam, atque modeſtiam (nondum enim quartum & trigeſimum annum impleuerat) tum propter auunculi ſui memoriam, quæ adhuc recens apud Germanos erat, apud quos priuatus diu vixerat, non ſine magna virtutis opinione, & in pontificatu illius prouinciæ hominibus facilem benignumque ſe ſemper præſtiterat. Accedebat ad hæc quod ipſe Cardinalis, vt qui apud auunculum in Germania à puero fuerat educatus, Germanorum linguam, & mores calleret, & propterea omnibus fere Germanis gratus, & notus. Vndecimo igitur Calendas Martii legatus deſignatus ex curia Pontificis vetuſto more à Patribus domum deductus eſt, iuſſuſque vt quoniam dies dicta inſtaret, ad profectionem quam primum ſeſe accingeret. Breui itaque compoſitis domi rebus, & paratis quæ ad tam longum iter erant neceſſaria, XV. Calend. Aprilis diſceſſimus ex vrbe poſt ſecretum conſiſtorium, media ferme Quadrageſima, ſacer Senatus legatum extra portam deduxit. Continuato deinde itinere per Pientiam Senas venimus: in publicis diuerſoriis apud Paleam flumen Oratores Ducum Saxoniæ offendimus, qui Romam petebant, annuente Cæſare, compoſitionem rerum Bohemicarum Pontifici ſuaſuri, qui diu cum legato locuti ſunt. Senas ingreſſi ſumus ante horam qua à ciuibus expectabamur, nam legatus actu eos decepit, ne cum pompa introduceretur, quantum tum per anguſtiam temporis licuit pompa & ciuium & cleri magnifice ducta eſt. Hic crucem accepit legatus principium legationis inſigne. Senis iuſſis valere cognatis atque amicis, poſt tertium diem diſceſſimus, venimusque Florentiam ſummo mane inſequentis diei, introducti ſumus magna pompa & ingenti populi concurſu. Legatus ſub vmbraculo ductus eſt nouiter facto, excepti ſumus apud monaſterium S. Mariæ Nouellæ in pontificali palatio, vbi admirabilis fuit locorum apparatus. Poſtridie per pontem Sienæ Apenninum, tranſcendentes deuenimus Florentiam in valle Saterni fluminis ſitam. Saternus in orientem vergens forum Cornelii (Imolam vocant) præfluit, & in Padum exoneratur, hincque aquæ omnes feruntur in Adriaticum. Sequenti die per montes ipſos Lollianum primo, deinde Planorum peruenimus, oppidum in radicibus montium ſitum: & hic quidem eſt finis Apenini in latitudine, qui mons à Genua Ligurum emporio incipiens Italiam omnem diſterminat. Hinc ad Alpium conuallem iuxta Volaruam planities ſemper patet, quam Ciſalpinam Galliam priſci dixere, Togatam quidam, vltra Padum vero Tranſpadanam. Jacet enim Togata ſub ipſis montibus (vt Ptolomæus ait) quæ à Placentia Rauennam vsque protenditur. A Planoro ſummo mane Bononiam petiuimus, nihil prius ciuibus ſignificantes, ne ſacra perturbarentur. Planorum enim neque celebritati diei, neque victui noſtro ſufficiebat, eam vrbem ingreſſi occurrerunt magiſtratus intra mœnia, adiuimus templum, ibique ſacris interfuimus, erat enim dies dominicus (qui paſſionis vocatur) quintus decimus ante reſurrectionis Saluatoris noſtri. Diſtat Bononia à Senenſi vrbe millibus paſſuum quatuor & octoginta. Ciues & iucunde & magnifice nos exceperunt publicis ſumptibus, ſequenti die quæ Kalend. Aprilis fuit, circa meridiem vrbe egreſſi, apud oppidum S. Joannis pernoctauimus, & inde pluuioſo cœlo iter agentes, Panarum flumen, quod ex Apenino Padum influit, apud Bonportum nauigio transuecti per aggeres Situlæ amnis venimus Mirandulam. Hic Blanca Maria, Borſii Ferrarienſium Ducis ſoror, vxorque Galeotti Mirandulæ tyranni abſente viro magnifice nos excepit, iunxitque cum legato ſpiritualem affinitatem, commater enim facta eſt, erat namque prægnans & partui vicina. Datus eſt curator, qui vice legati partum ex ſacro fonte leuaret. Mulier ipſa prudens & elegans ſermone viſa eſt, clauda dextro pede aliquantulum, alioquin honeſtiſſima: vir eius Galeottus, quem poſtea Mantuæ vidimus, iuuenis pulcherrimi corporis eſt, & prudentiæ non contemnendæ. Is tamen non

Franciſcus Cardinal. Senenſis.

p. 146

multis ante menſibus fratrem ſuum minorem natu in carcerem coniecerat, tanquam res nouas contra eum moliretur. Adhuc in vinculis eſt: ſupplicium de complicibus ſumptum. Altera die agrum Mantuanum ingreſſi iuxta Quiſtellum oppidum ſitulam ſcapha tranſiuimus, petiuimusque D. Benedicti venerandum ditiſſimumque cœnobium. Hincque digreſſi emenſis circiter 20. ſtadiis, per Padum fluuiorum Italiæ maximum nauigio Tranſpadanam Galliam ingreſſi ſumus. Hic filii Mantuani principis Fridericus primogenitus, Joannes, Franciſcus, & Rodolphus Gonzagæ obuiam legato facti Mantuam vsque nos deduxerunt, vbi per totum inſequentem diem quieuimus: Princeps ſumma hilaritate, & regali rerum omnium ſplendore & copia nos ſuſcepit. Mantuam & Veronam inter Inſubres ponunt: Ptolomæus autem Cenomannos hos populos appellat. Poſtridie per Campeſtria Veronam profecti vrbem intrauimus circa meridiem, inſpectantibus eo tempore ciuibus, qui ad vltimam veſperam nos expectabant. Obuiam tamen intra mœnia, & magiſtratus qui Venetiis præſunt, & ciues cum clero & populo dati ſunt, magnificeque ac reuerenter nos exceperunt, & quoniam Palmarum dies ſolennis inſtabat (biduo enim antea illuc appuleramus) coegerunt nos ibi commorari vsque ad eam celebritatem. Dominica vero die peractis ſacris inde diſcedentes, transmiſſo per pontem Atheſi in vrbe Valerni, venimus villam millibus paſſuum LXXII.

IACOBVS CARDINAL. PAPIENSIS CAMPANO SVO.

GAudeo tibi & tuo Mæcenati ſecunda euenire, quæ facitis. Puto communia, quæ in utramque partem accidunt vobis. Iter legationis veſtræ Senam uſque agnoui. Cura ut à prima Germania reliquam Italiam diſcam. Id nos, qui vos votis proſequimur, non minus expectamus, quam petimus. Noſtra urbana noſces ex multis. Ex pompis Mutinenſibus ea ſola fuere: Magni apparatus, magnæque expectationis Borſii Eſtenſis ingreſſus. A Flaminia in Pontificiam medius inter Aquilegienſem & Mantuanum traductus eſt. In comitatu plurima ſtomachi tui, non tuorum tamen hoc tempore oculorum. Primo venienti eſt datus Senatus: Oratio eius nulla: lætitia vultus multa. Receptus ſeſſum poſt Diaconos Cardinales eſt, inde domum dimiſſus; aduentus huius nondum patuit cauſa, cum patuerit, ſcies. Palatina quoque ſi quæris, pauca ſunt. Poſt diſceſſum auditi Cyprii oratores, quorum fuit deprecatio, ut Princeps eorum Iacobus, Rex appelletur. Sunt & quædam à Cæſare, & Saxonum Ducibus breui ad vos peruentura, ex eorum genere quorum cauſa petita eſt legatio. Exercebunt nos, (ut cerno) Boemica. Tu perge, & forticulum te in laboribus præbe. Pro epiſtola & epigrammate non tibi gratias ago, qui enim digne ut poſſim. Vincuntur gratiæ omnes gloria diuini ingenii tui, quod cum ætate & beneuolentia creſcit. Ex metu ſaluta Romagnanum noſtrum, & Patricium, & Montanum. Vale Romæ V. Aprilis. 1471.

IOAN. ANTONIUS CAMPANUS IACOBO CARDINALI PAPIENSI. p. 147

I.

Lib. VI. ep. III.

LIteras tuas, quæ ſcriptæ fuerunt Eugubii ad IIII. Calend. Aprilis, pridie Calend. Iunii accepi Ratisponæ. Longiſſimum iter, non mirum, ſi tardiuscule confecerunt. Legit eas non minus iucunde legatus, cuius mentionem faciebas, quam ego cui dirigebantur. Memoria tui apud me ita reſidet, ut tamen ſæpe inter tot negotia ſubdormiat, nunquam moriatur. Accelerabimus reditum, ut quantum in nobis erit, breui abſoluamus. Diſceſſum ex Vrbe duodevigeſima Martii: ingreſſi ſumus Ratisponam Kalend. Maiis, tribus & 40. diebus in itinere conſumptis. Subſtitimus diem unum Viterbii, triduum Senæ, Florentiæ, Bononiæ,

noniæ, Mantuæ ſingulos, Veronæ, Tridenti, Bolſani binos, ad pontem Oeni cum Sigismundo Duce Auſtriæ triduum, ad Lantshutum cum Ludouico Duce Bauarorum biduum, ubique ſupra vſitatam magnificentiam excepti, Ratisponæ ſolos inuenimus Oratores Allobrogum, qui hodie Sabaudienſes appellantur. Conuenerunt poſt diem tertium Moguntinus & Marchio Brandenburgenſis, uterque maximus in Germania Princeps, & quibus ius ſit cum quatuor Cæſaris eligendi. Moguntinus vir ingenii manſueti, & qui neque aſpectu, neque manſuetudine Germanum præ ſe ferat. Marchio vir acer, eloquens, vafer; & quem Vulpem Germaniæ vocant, bellicoſiſſimus & pugnaciſſimus omnium, qui in Germania laudantur (Pius * Achillem appellauit) cicatricibus totus in manibus, pedibus, vultu, collo excauatus, ſæpe ſingulari certamine dimicauit, quo genere pugnæ nunquam victus eſt, prælio ſemel à Ludouico Bauaro eius conſobrino. Oratores Burgundorum cum eo venere ad viros triginta. Ciuitates Germanorum fere omnes & Duces multi miſere legatos. Imperatorem circa Pentecoſten expectamus, ſi venerit, aderit & Principum magna frequentia, etiam eorum qui legatos præmiſere. In aduentu illius, tota ſpes eſt: abſente eo referri de nullis, deliberari nihil aut exiguum poterit. Scribam tibi ordine quæcunque in conuentu peragentur. Vale.

Æn. Syl. Europ. c. 39. & in Germania.

EIDEM.

II.

Lib. VI. ep. IV.

VIVIMUS, ſi modo vita eſt aliqua, eſſe cum Barbaris. Cæſarem iam prope menſem expectamus. Moram hoc leuat, quod ſcribit ſe venturum. Moguntinus Antiſtes & Marchio Brandeburgenſis, & alii quidam nobiſcum ſunt, at Cæſarem præſtolamur. Treuirenſis & Spirenſis ſunt in itinere. Res omnis in Cæſare ſita eſt, niſi venerit, nequicquam laborabitur; Eum principes omnes in-
p.148 tuentur: conuenientque omnes, ſi ipſe aderit. Dico ego tecum, quod ſentio, fieri omnia poſſe in ſalutem Chriſtianam, ſi Cæſar volet, nihil, ſi tergiuerſabitur. Factioſa Germania eſt, amici eum facillime conſequuntur, cæteri, quod magnum eſt in hac gente Cæſaris nomen, & multa poteſt, cupiunt reconciliari & rei communi adeſſe. Bohemica diſſident: utinam non ad cæteram felicitatem Turci hæc quoque accedat, quod eſt Bohemia vires & Hungaras & Germanas ad ſe petractura omnes, quod ſi acciderit, periimus funditus. Vale.

EIDEM.

III.

Lib. VI. ep. V.

MIRERIS, quod pauca de rebus Germanicis ſcribam: præſertim quæ in conuentu noſtro aguntur. Sed perſuade tibi, aut exiguum, aut nihil eſſe, quod agitur. Multa & magna quæ cogitantur, omnia pendent in aduentum Cæſaris. Frequentia principum atque oratorum in dies fit maior: ſed pars maxima aut domi adhuc manent, aut cognita mora Cæſaris in itinere ſubſtiterunt: omnes tamen ubi de Cæſare intellexerint, venturi exiſtimantur. Ego legatum non deſero, dignitatem veſtram, id eſt ſedis Apoſtolicæ, inter ſurdos eloquentia tueor. Fama increbuit, Cæſarem iam ſoluiſſe, & per Danubium adnauigare. Hoc exploratum ad verum nondum eſt: multi terra cum equitatu venturum arbitrantur. Magna eſt eius auctoritas in prouincia undique factioſa; verum ita magna, ut multum umbræ, non tantum corporis habeat. Si quæris ſententiam meam, illud ſentio, magnam ſpem propoſitam eſſe nobis, ſi Cæſar inſtabit, exiguam, ſi lenteſcet, nullam, ſi tergiuerſabitur. Bohemia tripartita eſt omnis. Alii cupiunt Polonum magna pollicentem præſidia, ad hunc diem nulla præſtan-

tem. Ii ſunt hæretici quidam, ſperant impune ſe victuros ſub eo Rege, in cuius regno infinitæ prope ſunt hæreſes. Catholici Hungarum, cui iuſiurandum præſtiterunt, magna ex parte ſequuntur. Promiſcue utrinque multi, & Catholici & hæretici Albertum Saxonem amplectuntur. Germani ad hunc inclinant omnes, & metu Hungari, & quod fere omnes intima affinitate iunguntur, quanquam hactenus multum conſilii, nihil auxilii miſere: nec dubium ſi coniicere de mente Pontificis poſſent, quin auxilia undique ſubminiſtrarent. Vale.

EIDEM.

IV.

Lib. VI. ep. VI.

CUM ſcribebat legatus ad te quotidie, ſuperuacuum eſſet aliquid per me ſignificari tibi de rebus Germanicis; & literæ ad caſum committuntur. Hoc unum velim ſcias, legatum nihil facere, nihil cogitare aliud quam quo pacto & honorem ſedis Apoſtolicæ, & gratiam inter Principes augeat. Ego quoque, etſi idem facere cupio, tamen eo ſum in loco, ut neque intelligam quemquam, neque intelligar. Si Cæſar veniet (quemadmodum ſperamus) fortaſſis utilis fuerit opera noſtra: alioquin & operam perdidimus & impenſam. Nam niſi is venerit, exigua erit hæc diæta. Principes ægre & pauci conuenient: omnes Cæſarem intuentur, & quia periculum factum eſt ſæpe, non videntur ſe moturi, niſi prius ille ſe mouerit. Qui iam venerunt, & pauciſſimi ſunt, & ad ſolam ſpem Cæſaris detinentur; quæ ſi euaneſceret, ſtatim reuolarent. Tædia Germanica infinita ſunt, verum omnia ferenda ſunt ſeruis pro domino, filiis pro patre, membris pro capite. Oratores Veneti adhuc Patauiæ, quæ eſt ad ripam Danubii, metu latronum ſe continent, ibique Cæſarem præſtolantur: diſtant à nobis minus quam trium dierum itinere. Scribunt inſidias ſibi undique ſtructas eſſe, nam (ut uno verbo dicam) patentiſſima Germania eſt, & potentiſſima, & nobiliſſima? ſed ea tota nunc unum latrocinium eſt, & ille inter nobiles glorioſior, qui rapacior. Apud Principes ſolos ſecuritas eſt: ſed duntaxat cum promittunt, nam niſi publica fide accepta, eorum quoque fines inſeſti ſunt omnibus. Sed hæc querela in Italia erit iucundior. Vale.

EIDEM.

V.*

QUarto decimo Cal. Iun. roſam primam legi Ratisponæ, adeo ſerum eſt in Germania florere. Iam ſi maturari noſtrum reditum putas, præcox iudicium habes. Cæſarem tam nunc expectamus, quam cum venimus. Aquilæ ad gruem p. 149
rediere. Profectionem noſtram perſcripſi tibi omnem, idem faciam de moribus gentis. At quid, inquies, in Germania ingenio dignum noſtro? Multa quidem, ſed illud imprimis, quod & mortui viuunt, nec putes cœli clementia fieri, ſit moribus. Ego qui miracula noſtri temporis non odi modo, ſed horreo, nuſquam verſatus ſum omni vita mea faſtidioſius. Sed dices perpulchrum eſt mortuos viuere? perpulchrum? ſed malim ego & viuos mori, nam cum fateant qui ambulant, ſi faterent mortui non ambularent. Anceps fortuna mea eſt. Quanta calamitas nata, tanta auribus felicitas ineſt, dum omnes ſentio, intelligo neminem, ó epigrammata:

Tu ſortem miſerere meam, fugere repulſæ
Pierides, Iſtrum Flora Veneſque bibunt.
Arce ſedet Bacchæ: ceſſit neglectus Apollo.
Non hoc eſt aliud viuere, quam bibere?

* Hæc epiſtola inter alias Campani non reperitur.

Vale

Vale felix, nec accuſes breuitatem, mox reſarcientur omnia, nunc comparo me in aduentum Cæſaris, habiturus orationem, qualem Italia legat, Germania non capiat, incredibilis eſt his ingeniorum barbaries, rariſſimi norunt literas, nulli elegantiam. Vale iterum. D. Antonius de Romagnano, Patricius & Montanus ſe D. V. plurimum commendant Ratisponæ 24. Maii 1471.

EIDEM.

VI.

Lib. VI. ep. VIII.

CUpimus ambo, & tu ſcire, & ego ſignificare, quid in Germania faciam. Dicam, facio nihil, dico parum, meditor unum. *Italia, Italia eſt, reſonat mihi dulcis in ore Italia, in animo mihi fixa eſt Italia.* Ampliſſimum conuentum ſperamus, ut fere ſemper altius creſcunt arbores, quæ tardius. Habemus Treuirenſem, Spirenſem, Aichſtatenſem: nam de Moguntino iam pridem audieras. *Vnus ſed noſtram cunctando deſtituit rem*, & quantum perſpicio, grus illa non perſtat, tranſiit iam in cornicem. Scribit Cæſar, heu quam non Cæſar? ad triduum ſe venturum; ſed hoc triduum iam centiduum eſt: In mora fuit Pancherii inſignis latronis & conſpiratorum quorundam ſupplicium, aut ſupplicia potius: nam Pancherius auctor coniurationis ſecuri percuſſus eſt: & cum eo, qui proxime ſequebatur: Tertius flumine, neſcio an Danubio, ſubmerſus. Magna res, & minime opportuna conſiliis, ſed tamen magna. Cæſarem tam mitem Principem aliquando incaluiſſe: nam incanduiſſe, tam iuſta cauſa non dixerim. Principes qui adſunt, eo videntur animo, ut aſpirante Cæſare ſperare non pauca poſſimus. Sed quid dicam, tarditas & cunctatio ipſa deſperatio quædam eſt, ut raro acriter inſurgunt, quæ lente ſe moueant. De Boemicis iam puto ad te eſſe perlatum, filium Poloni, ex Ladislai (qui veneno adoleſcens periit) natum ſorore Regem appellatum, ſed ab iis duntaxat, qui & religioni & Hungaro aduerſantur, & cum Georgio ſentiebant. Nec refert Georgium num habuerint Regem, an nunc habeant Polonum. Tam ſe impunes futuros ſub hoc Rege vident, quam ſub illo iam fuerant, & periculum eſt ne contagio ſerpat, & augeantur viribus, qui deſtituti videbantur. Cæſar cui faueat incertum eſt, niſi quod Hungaro propter veterem contentionem & Pancherii cauſa putatur infenſus. Non poſſum de omnibus certa perſcribere, & multa ſic pendent, ut minentur potius quam cadant: quædam contra caſum exiſtimentur, quæ nondum inclinauere. Vale.

HIC DESIDERATUR INSIGNIS EPISTOLA DE CÆSARIS ADVENTU.

EIDEM.

VII.*

Lib. VI. ep. XII.

PErſcripſeram tibi * de aduentu Cæſaris, & apparatu eorum qui Cæſarem ſequebantur, & quæ ſpes eſſet propoſita nobis de ampliſſimo conuentu, & quantum nec ætas noſtra vidit, nec grandiſſimi natu Germanorum recordantur. Deinceps hæc acta ſunt. Ad VIII. Calend. Iulias rem diuinam, in prætorium ſecuti Cæſarem conſcendimus, quem in locum conuenire Principes conſueuerunt de rebus Germanicis acturi. Hic Antiſtes Tridentinus nomine Cæſaris prodiit in medium oratione Germanica: quam eueſtigio, ut externi quoque oratores intelli-
p. 150 gerent, latine eſt interpretatus. Primum Cæſaris moram excuſauit, quod ad diem non veniſſet, & capita contentionum, quæ domi poſt indictum conuentum exortæ eum detinuiſſent, enarrauit: egitque gratias & Principibus & Oratoribus, quod non ſine iactura rei familiaris & ſumptibus grauiſſimis alterum prope menſem

* *Hæc epiſtola non extat, quod dolemus.*

Tridentinus pro Cæſare.

* Extat etiam hæc epiſtola inter Jacobi, Cardinalis Papienſis Epiſtolas CCCLXV.

ſem expectaſſent. Cauſam deinde aperuit, quæ ad indicendum hoc in loco & tempore conventum impuliſſet: præteritas Chriſtianorum calamitates, & recentem Carniolæ cladem deplorauit: potentiam crudelitatemque immaniſſimi hoſtis, quam breui tempore quantum occupauerit finium noſtrorum, quantum Chriſtiani ſanguinis fuderit, & in Europa & in Aſia, oſtendit, repetitaque eleganter veterum non una hiſtoria, clariſſimas ac prope innumerabiles Germanorum expeditiones & pro religione Chriſtiana & pro Imperio Germanico ſuſceptas commemorauit: hortatuſque eſt Principes omnes, oratoreſque ciuitatum Germaniæ, partam à maioribus gloriam conſeruarent, occurrerent imminentibus periculis, & religionem in qua patres eorum vixiſſent, & ipſe eſſent nati atque inſtructi tuerentur. Addidit poſtremo Cæſaris preces, auxilium & communi libertati, & priuato ſuo periculo implorantis, reſponſumque poſtulauit. Poſt Tridentinum legatus graui & ipſe oratione propoſitum Cæſaris & principum aduentum commendauit, egitque gratias Pontificis nomine uniuerſis, hortatus ut quam ſpem Chriſtianis ex conuentu porrexiſſent, eam ſumendis armis exhiberent, nec ſe carpi ſingulos paterentur, qui uniuerſi non modo reſiſtere ſed profligare hoſtem quam facilime poſſent. Conuentus multos repetiit nequicquam in Germania factos, ubi ſi obtemperatum fuiſſet conſiliis eorum, qui futura pericula præuidiſſent, non eo diſcriminis ventum fuiſſet, ut quem facile tunc potuiſſent ex omni depellere Europa, nunc in ipſa Germania perferrent: dum extrema eſſent neglecta, ad intima hoſtem penetraſſe. Adiecit & preces ac verba, vultum animumque legato, & tantis neceſſitatibus dignum accommodauit. Principes Germanico more paulum ſegreſſi, atque inter ſe locuti, gratias Cæſari egerunt, quod aliquando Germaniæ libertatis & publicæ ſalutis curam ſuſcepiſſet, ſe paratos per omnia vitæ fortunarumque diſcrimina illius Imperium ſequi; ituros in expeditionem, ſi ipſe aut eat, aut iubeat iri; miſſuros ſi iubeat mitti: Lætus eo reſponſo Cæſar, laudatis principibus conuenire ſequentem in diem iuſſit, Poſtridie pari frequentia reditum in prætorium eſt; ſed initium conſultandi à controuerſia ortum, omen belli futurian impedimenti fuerit ſuſpenſum me habet. Oratores Burgundi cum poſt Legatos Electorum collocati, atque ideo deſpecti priore conſeſſu viderentur, redire in ſubſellia recuſabant. Electores qui erant, abſentibus collegis qui aderant, quanquam ſumma cum modeſtia, dignitatem tamen communem tuebantur. Burgundi potentiam ſui Principis, & in Gallia & in Germania maximam: electores parem nobilitatem ac vetuſtum morem obiiciebant, ſeque è corpore Cæſaris cum eſſent; ne regibus quidem, ſi qui adeſſent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio cum tres prope horas conſumpſiſſet, non antea eſt ſublata, quam Burgundi alteris ſubſelliis ad frontem Cæſaris inter oratores Regios locarentur. Tum demum & ipſi auxiſſe principis ſui dignitatem, quod in ordine abſentium Regum ſederent; & Electores ſeruaſſe æſtimationem ſuam, quod excluſi à primis ſubſelliis Burgundi eſſent, videbantur. Vbi omnes conſedere, primi Burgundi ſurrexerunt, quorum vnus locutus eſt oratione ideo parum accommodata, quod plus in criminando Rege Gallorum quam in propoſito iuuandi belli viſus eſt occupari. Regem rupiſſe fœdera, violaſſe publicam fidem, media pace oppida Burgundi expugnaſſe conqueſtus eſt. Pauca quædam adiecit ad orationem belli, & quæ nunc ibi potius excogitata, quam domo adducta viderentur. Altera fuit oratio Pauli Moricini Venetorum oratoris breuis & collecta. *Venet.* Certaſſe cum Turcis Venetos annos iam ducentos, eorumque vires atque impetus ſolos & in Thracia & in Illyrio ſuſtinuiſſe. Enixius tamen octo proximis annis mari cum iis ac terra geſſiſſe bellum, propugnatoresque noſtros fuiſſe, iam non tam defatigatos aut exhauſtos, quam à cæteris Chriſtianis deſtitutos eſſe. Communi ad eam diem ſolos periculo excubaſſe, creuiſſe nunc hoſtem, factumque ex aliena ſomnolentia magnum, & quantum iam perferre Chriſtiani vtinam vigiles poſſint. Inſtare illum ab Illyrio, à Pannonia, ab ſinu Adriatico; non mari, non terra quietos nos ſinere. Genus belli quale eſſet, ipſos perſpicere, ſenes

ſenes occidi, ſtrangulari infantes, cæteram multitudinem ſine ſexus ætatisque diſcrimine in ſeruitutem Aſiaticam trahi, conflammari templa, viros DEI intra templa concremari, igni & ferro ad excidium vltimum vaſtari omnia. Incipere iam Germanos intelligere, quam durum fuerit Venetis, tam diu bellum geſſiſſe cum Turco. Nec tamen deſperandum eſſe, modo eo ſint animo Germani, quo quisque eſſe debeat ad vitam ſuam libertatemque ſuorum defendendam. Habere ſe permagnam claſſem & præſidia per Illyrium Græciamque diſpoſita, militare eorum ſtipendio ad hominum quinque & viginti millia, iuuari & à Ferdinando Rege maritimo bello, ſi iuuentur terreſtri à Germanis, breui & futuros ipſos in tuto, & cæte-
1151 ros extra periculum poſituros. Miſiſſe Ferdinandum tres & viginti triremes, quatuorque naues onerarias in aducntum claſſis, & alias propediem eſſe miſſurum: ipſos triremes ſexaginta, nauesque aliquot inſtruxiſſe, & putare iam eſſe deductas. Centum triremibus ac duodeviginti roſtratis nauibus bellum maritimum aggreſſuros: ſi terra quoque diſtrahatur hoſtis, vtrobique laboraturum. Poſt eum legatus magnificis verbis & rem Venetam, & Pontificis diligentiam, & Ferdinandi apparatum complexus, parem Germanorum curam, quorum non diſpar eſſet periculum, poſtulauit. Secundum legati verba præſul Ayſtetenſis iuſſu Cæſaris pro- *Ayſtetenſis pro Cæſare.*
greſſus in medium hæc poſtulauit. Primum vt decem millia ad præſentem neceſſitatem, quarta pars equites, ceteri pedites cogerentur, qui per fines extremos Germaniæ diſpoſiti hoſtem ab incurſionibus prohiberent. Alteram deinde manum ſubſidiariam ac paratam in omnem belli euentum, & ad quamuis hoſtium impreſſionem compararent. Poſtremo vt de ſumma totius belli, quantum geti vniuerſis viribus Germaniæ poſſet, in annum ſequentem conſtituerent. Ad hæc Principes, quod digna conſultatione res eſſet, ſpatium poſtularunt, reſponſurosque in diem ſequentem polliciti, præſentibus quoque verbis ſpem Cæſari addiderunt. Magna viſa eſt omnibus Cæſaris poſtulatio, nec minus neceſſaria quam magna, ſed & meo & multorum iudicio præpoſtera, nec legatus ordinem approbauit poſtulatorum. Laudare ſe dixit conſilium Cæſaris de auxilio præſenti, de ſubſidio parato, de expeditione futura, ſed eum ordinem non placere. Primum quod cum fama potiſſimum bella conſtent, nec minora in re bellica terrore quam prælio conficiantur, irriſuri eſſent hoſtes tam exiguam manum, & vires Germanicas ex decem millibus militum exiſtimaturi; ac tanquam omnem expreſſam Germaniam in tanto conuentu nihil plus præbere virium quam decem millia potuiſſet, aut ſi poſſet, ægre reliquos in caſtra venturos aliquando eſſe, qui nunc vt darent nomina, compelli non potuiſſent. Deinde ſpem omnem ereptam iri ciuitatibus noſtris finitimis Turco: concaſuros omnium animos, cum primum de numero audierint tam exiguo, & quicquid nunc præſente Cæſare, aſtantibus omnis Germaniæ Principibus, tanto habito conuentu, in eorum ſalutem factum non ſit, fieri poſſe amplius deſperabunt. Poſtremoque vbi decem millia contulerint Germani Principes, contuliſſe ſe quantum opus ſuit exiſtimabunt; vt fere ſemper grauius eſt quod additur ponderis, quam quod imponitur, eo maxime imputatur quod primum exactum eſt. Proinde ſuam eſſe ſententiam, vt ante omnia de ſumma vniuerſi belli deliberetur, vires omnes Germanorum inſpiciendas, nomina militum quotquot & vbi vbi ſunt conſcribenda. Habendum, quantum habere maximum poſſent, ex omni Germania delectum. Ac tum demum ex ea ſumma primum decem millia educenda, præſidiumque ad impreſſiones ex eadem ſubmittendum. Cæteras copias deſtinatas conſcriptasque, & primo quoque tempore paratas habendas eſſe. Ita futurum, vt hoſtibus terror, ſpes noſtris adiiciatur, vt illi ſe contineant, noſtri ad reſiſtendum confirmentur, & cuique exploratum ſit, quo tempore quid facere, quorſum aut qua manu ire iubeatur, magnam vim habere & animi & rerum apparatum. Laudata eſt magnopere Legati ſententia, non tamen Cæſaris propoſitum immutatum. Vnde orta ſuſpicio eſt nobis, remiſſiorem eum futurum ad hanc expeditionem, quam ſperabamus, & conſulere velle præſentibus periculis, futura non cogitare. Quanquam legato re-

ſpondit; Bono eſſet animo, ſe niſi re ad ſummam vniuerſi belli perducta, Ratisponam non diſceſſurum. Principes quod erant polliciti, ſequenti die reſponderunt, ſe ad omnia quæ Cæſar poſtulaſſet eſſe paratos: vnum orare, ſimultates Principum, ciuitatumque diſcordias (quod facile autoritate ſua poſſet) è Germania tolleret, magnam partem virium Germanicarum occupari principum ſeditionibus, quibus ſublatis vno robore, communi manu, copiis vniuerſis inferri bellum poſſe. Cæſar ſtudioſum ſe ait ſemper fuiſſe concordiæ Principum, & nunc quæ ad pacandam Germaniam pertinerent, omnia eſſe facturum. Nouiſſime deſignati ſunt quinque viri ex familia Cæſaris, ae totidem ex conſiliariis principum, qui cum Moguntino (cui eſt primus inter principes locus) de cogendis ſtatim decem millibus, & præſidio ſupparando, & de numero copiarum Germaniæ in annum ſequentem, præfiniendo, & de præficiendo imperatore, ac de omni ratione non mouendi ſolum belli, ſed etiam continuandi inter ſe agant, & vbi deliberauerint, ad Cæſarem & Principes referant. Hoc in ſtatu res ſunt. Legatus nihil neque excitandis Principibus neque Cæſare incendendo prætermittit. Ego ea ſum nunc ſententia, qua nuper fueram, cum primum de conuentu ad te ſcripſi: pendere omnia ex Cæſaris voluntate: qui niſi omnia velit quæ ad ineundum bellum pertineant, nihil dicam aliud, quam fato malo perituram rem Chriſtianam. De populata Carniola & igni ferroque vaſtata niſi exciretur, non video p. 152
quid ſperare poſſimus ab eo auxilii calamitatibus noſtris, qui ſuis non moueatur. Auctus conuentus eſt incredibili multitudine Principum. Nudius tertius venit Landgrauius Haſſiæ cum equitibus quadringentis. Heri Antiſtes Colonienſis exiguo Comitatu. Fratres Saxones, quorum eſt magna inter Germanos auctoritas, ad triduum expectantur. Conueniſſe feruntur ad hunc diem paulo plus minus quam equitum decem millia. Pulcherrimum ſpectaculum nobilitatis, vtinam æque profuturum. Feliciter vale Ratisponæ. III. Nonas Julias MCCCCLXXI.

Principum reſponſum.

EIDEM.

VIII.*

Lib. VI. ep. XIII.

POSTRIDIE Nonas Julii, quo die opinio fuerat quinque viros de Principum decretis relaturos, Wolffgangus Bauarus frequentiſſimo conſeſſu querelam noui ſceleris intulit de Chriſtophoro fratre, qui ab Alberto & ipſo quoque eorum fratre in vinculis detineretur: orauitque Cæſarem tam immani & inaudito ante eum diem exemplo impietatis clementia ſua & pro dignitate Imperii occurreret, vt quem naturæ charitas non teneret, ſeueritas iudicii à maleficio coerceret. Breuis accuſatio, ingens vulnus viſum eſt, perculitque omnium animos, fratrem aduerſus fratrem pro fratre contendere, nec cauſa modo, ſed promiſſa barba, & mutatio veſtis, & lachrymarum immodica effuſio certare pro duobus fratribus altero captiuo, altero ſponte ſua exule videbantur: & habetur alioquin Albertus ſumma inter Germanos principes gratia, dignitate corporis & facundia, quantam capere gens poteſt, nonnihil & literis præditus. Altera fuit contentio Spirenſis Epiſcopi, qui primum nomine Colonienſis acceptus in conuentu inter Oratores electorum conſederat, ſed vbi Colonienſis * aduenit, jam Palatini loco ſe gerens, vetitus à Cæſare eſt, ne vbi prius (hoc eſt, Electorum gradu) locaretur, quod nec decreto ſuo Palatinum * Electorem eſſe contenderet, nec oportere duos ſimul fratres poteſtatem habere Cæſaris eligendi. Jam vides quæ ab eo pacis tam neceſſariæ fundamenta iaciantur, & quantum de concilianda Germania cogitet, qui exortas contentiones non comprimar, nouas exuſcitet. Vereor, Papienſis mi, ne ad vnguem diuinaueris. Memini quo die locutus ſum tecum de profectione Germanica, dixiſſe, te nullam ſpem habere in Cæſaris mente, dubii & latebroſi conſilii hominem nihil ad communem ſalutem, omnia ad

Alberius Bauarus.

* *Ruperius Palatinus.*

* *Fridericum.*

* Extat hæc inter epiſtolas Jacobi Papienſis CCCLXXVI.

ad ſuam vtilitatem reuocare. Poſt hæc lectæ ſunt literæ Carniolanorum plenæ efferatiſſimæ immanitatis, nullum relictum templum, nullam agreſtem caſam à Turcis in Carniola; iacere paſſim cadauera occiſorum ſenum atque infantium, & iam cœlum fœtore corrumpi. Abrepta præterea eſſe ad millia hominum ferme XX. Communiſſe Turcos loca quædam, vnde excurrere quam latiſſime, ac recipere ſe incolumes cum præda facillime poſſint, implorare Cæſaris & Principum, & omnium mortalium opem. Recitatæ etiam litteræ Strigonienſis & optimatum Hungariæ, quibus ſignificabatur diuiſum eſſe bifariam Turcorum exercitum, partem Carniolam in fines Cæſaris contendere, partem ad ripam Saui fluminis conſediſſe, eo conſilio, vt exitu aliquo explorato, & communito excurrerent, & depopulari Hungariam poſſint. Centum iam annis pugnatum ab Hungaris cum Turcis eſſe, exinanitum iam & viris & viribus regnum: niſi ope quoque iuuetur externa, non poſſe diutius tam aſſiduum tamque potentem hoſtem ſuſtinere: Communem cauſam agi. Se etſi propinquiores ſint periculo, non tamen ſolos perituros, monere & orare Cæſarem, vt conuentu prope omnium Principum Germaniæ, & quantum nunquam antea ampliſſimo, remedium aliquod Chriſtianis vulneribus adhiberet. Oportere eum præcipuum eſſe Chriſtianorum propugnatorem, qui idem Chriſtianorum ſit Imperator. Idem quoque à Principibus poſtulabant. Cæſar & ad contentionem Wolffgangi, & ad vtrasque litteras egregie dormit. Reſpondit Moguntinus nomine Principum, hoc vnum agi, præterea nihil, ut & Carniolis & Vngaris ſuccurratur. Hoc in ſtatu res eſt. Vale. Ratisponæ, die X. Iulii M. CCCC. LXXI.

EIDEM.

IX.

Lib. VI. ep. XVI.

SCRIPSI ad omnem nuntium, inquietos dies, inſomnes noctes ducimus. Parietes noſtri te ſomniant: menſæ tecum vigilant: vnus vbique es nobis. Redeuntibus Balthaſare & Luca doctiſſimis clientulis tuis, nihil eſt quod ſcribam de
p. 153 rebus Germanicis: omnibus interfuerunt. Habemus hic oratores Hungaros, Bohemos, Polonos. Magnis verbis, maioribus ventis res agitur: ſed Cæſar immotus ad omnia. Rediiſſe Turci feruntur in agrum Carniolanum: & rediiſſe manu maiore quam antea. Et tamen poſſumus etiam interdiu querelis mediis indormire. Vale.

EIDEM.

X. *

Lib. VI. ep. XIV.

QUÆ ante nonas Iulias acta ſunt in conuentu, binis ſimul literis iisque longiſſimis, quas tabellario Mantuano deferendas ad te dederam, accuratiſſime ſcripſeram. Ad decimam Iulii principes Saxones, quos propediem expectari dixeram, aduenerunt cum equitibus paulo minus ſeptingentis, armatis fere omnibus, magnificentiorem ingreſſum eorum Cæſaris occurſus fecit. Poſtridie quam venerunt, vocati Principes non quidem amplius in Prætorium, ſed in domum Cæſaris, quæcunque acta eſſent, ordine Saxonibus ennararunt. Saxones contra quæ in Bohemia egiſſent & moram excuſarunt. Continuis deinde multis diebus acta eſt cauſſa Palatini, * graues diuerſæque accuſationes, æque magnis defen- * *Fridrici.*
ſionibus auditæ. Albertus Saxonum alter, Otho Bauarus, Antiſtes Ayſtetenſis, miſſi à Cæſare pro educendo vinculis Chriſtophoro Bauaro: nihil profecerunt, & opinio eſt omnia ex Palatini contentione pendere, quam breui ſublatum iri ſperamus. Deſignati ad eam tollendam Legatus, Erneſtus Saxonum fratrum maior,

* Eſt inter epiſtolas Jacobi Papienſis CCCLXXXVI.

ior, Ludouicus Bauarus cognomento Diues, & Sigismundus Dux Auſtriæ. Interea Cæſar mutata (ut videbatur) in deterius ſententia, ex decem millibus quos ad præſentem neceſſitatem poſtulauerat ſex millia detraxit, affirmans ſatis nunc futura quatuor millia. Magna undique murmuratio exorta, & conſiliarii deſignati ad rationem cogendi exercitus, ne quicquam dies multos in prætorio conſumpſerant, quod grauari multi videbantur: Heri XIX. Iulii à quinta hora diei ad multam noctem conſultatum eſt de ſumma expeditionis, & demum conſenſu omnium ita decretum eſt; *Ut in ſumptus belli quisquis prouentus annuos mille aureorum habeat, is equitem unum conducat; peditem, qui quingentos.* Ceteri proportione fortunarum ad eam ſummam. Ceterum ubi de prouentibus haberi ea ratio nequeat, de capite habeatur, *Ut cui mille ſint aurei, quinquaginta habere in prouentibus cenſeatur, atque ea computatione contribuat.* Fieri poſſe hoc modo ingentem exercitum aiunt, & facillime ſuſtineri etiam longiſſimum bellum: & ſunt qui adfirment, ſi ad unguem res exigeretur, ducenta prope hominum millia cogi doſſe. Nos erimus minus octoginta contenti. Principes miro aſſenſu conditionem receperunt. Vale. Bohemi hæretici filium Poloni accierunt, quem fama eſt cum XXXII. millibus armatorum ingreſſum Bohemiam ad diem S. Iacobi coronam accepturum. Ctas Oratores regios expectamus, ſcilicet Regis Ferdinandi. Hungari quoque propediem. Ratisponæ XX. Iulii MCCCCLXXI.

EIDEM.

XI.**

Lib. VI. ep. XV.

O Solis, ô Cœli, ô Deorum domicilium Italia! Quando, quando? Papienſis mi, hoc grauiſſimum eſt nobis carere Italia. Sed illud multo grauius in maximis negotiis fieri nihil. Ægre, lente, ſegniter procedunt omnia, nec tamen deſperandum, quia procedunt. Significaui proximis literis quæ 17. Iulii acta in conuentu fuerant, de ratione cogendæ pecuniæ & exercitus comparandi. Poſt id tempus dormitum egregie eſt. Conuentus Noribergam propter rerum copiam transferetur. Hic cœlum paulo grauius eſt. Ægrotant multi; nec omnia ad conuentum tam magnum, tam longum ſuppeditant. Cæſar clauſis oculis optimo eſt propoſito: nihil tam ſonorum, tam ſtrepens, quo illi excitentur. Nihil tam magnum atque arduum, quod is ſe facturum non prædicet. Si tam bene olim pugnabit, quam nunc ſtertit, vicimus. De Bohemicis rebus nugæ fuerunt, quæ ſcripſeram: tametſi minantur Poloni, ſe quam primum venturos ingenti manu ad regnum capeſſendum: & ſunt qui confingant, adoleſcentem illum veſte diſſimulata in Bohemia viſum. Grauia ſunt odia in nos, ſed hæc litetis non plane committenda, & aſtu Legati, qui omnia ſubodorat facile opprimuntur. Cauſa Palatini * ad hunc diem nequicquam diu multumque acta interturbat omnia; & rumor eſt, coëgiſſe eum quantum nunquam antea exercitum. Is multa petit. Cæſar pauciſſima videtur conceſſurus, ſpes tamen eſt in neceſſitate Cæſaris aliqua. Habet qui auribus inſtillent, & plane referta eſt hæc natio malis pulmentariis. Data ſunt regalia nudius tertius Landgrauio Haſſiæ. Fuit operæ pretium aſpicere Cæſarem coronatum, pulcherrima eſt illi tyara, ſed nihil ad noſtram, aut non multum ſortaſſe. Gemmæ ſunt magnæ, diuerſi colores, perlucidæ, & multæ. Sed quantum ego hac in re ſapio, Germania vincitur, nec diſſimulatur omnino contentio. O tempora! ô Imperium! ô Lumina! ô beatos qui accedunt, miſeros qui gloriantur, ſtultos qui conqueruntur! An te quoque non miſeret conditionis humanæ? Sed properat tabellarius. Ratisponæ XXVIII. Iulii MCCCCLXXII.

* *Friderici.*

Inueſtitura Landgrauii.

p. 154

IOH.

** Ep. CCCLXXXVII.

IOH. ANTON. CAMPANUS CARDINALI RAVENNATI.

XII.

NIſi literis Ferrarienſis ſtatum rerum Germanicarum tibi cognitum eſſe putarem; ſcriberem ad te ordine, ſcripſiſſemque hactenus omnia. Sed inculcatio laboris eſſet, non officium obſeruantiæ aures occupatiſſimi Principis ſæpe iisdem de rebus obtundere. Conuentum habemus omnium qui unquam memoria patrum noſtrorum habiti ſunt, & præſentia Cæſaris & Principum multitudine maximum. Agitur grauiſſimis de rebus; nec ignoramus exſpectationem omnium nihil minorem eſſe conuentu. Sed ſpes ea proponitur nobis, quæ haberi ex mente Cæſaris poſſit, utinam is ſit qui debeat eſſe, non qui conſueuit, nihil lenti calamitates noſtrorum patiuntur. Carniola una ex prouinciis auitis eius ſuperiore menſe direpta, depopulata, incenſa eſt, nun maiore manu redire hoſtes feruntur, & ulteriorem facturi impreſſionem, & oppida quibus nuper vaſtato agro abſtinuerunt, oppugnaturi. Magno in diſcrimine ut ſimus non tam hoſtium vires, quam noſtrorum traditas, ne dicam ignauia facit, & cunctatio Cæſaris. Nunc quoque in tanto conuentu Principum nihil æque diſplicet quam lentitudo. Principes ea ſunt mente ad expeditionem ſuſcipiendam, ut qui periculi intelligant magnitudinem, occurrere niſi uniuerſi non poſſint. Pacem Germaniæ Cæſar omnibus pronuntiauit, nulli dedit, & (quantum licet perſpicere) nec deponit inimicitias, nec exercet. Legatus ad omnia deſudat, non menſa illi, non nox libera eſt, omni fomite, omni materia Cæſarem conatur accendere, ſed neſcio an unquan accendi poſſit is, qui nunquam incaleſcit. Decretum eſt proximis diebus de ſtipendio militum: *Ut qui mille habent in prouentibus, equitem unum conducant, peditem, qui quingentos. Qui prouentus non habent, ex capite computatio ſic fiat, ut quibus mille ſint ex capite, iis quadraginta eſſe ex prouentu cenſeantur, agreſtes duos de viginti denarios viritim ſoluant.* Summam fieri permagnam hoc modo, & ingentem poſſe confici exercitum putant. Sed facile eſt Cæſari decernere, exequi Friderico difficile, ut uno dicam verbo. Niſi pacem Germaniæ uniuerſæ confecerimus, omnino nihil fecimus, huic uni intenditur. Capita ſunt diſcordiarum Palatinus * & Cæſar, hic verbis, ille armis rem interturbat: cum alter maxima petat, alter nec minima quidem videatur conceſſurus. Hos Germani omnes & propinquitatibus & ſtudio partium ſequuntur. Multum Cæſari auctoritatis & virium eſt, Palatino plus animi. Quanquam nec vires habet, qui ſic habet, ut non habeat. Etiam auctoritas exigua eſt, etiam quæ magna, ſi miniſtrum deſideret. Traducemus conuentum Noribergam, ſi perſtabit in propoſito Cæſar. Ibi aut abſoluemus, quod erit reliquum, aut abrumpemus. Vale.

* *Fridericus.*

Hiſce iunge Æneæ Senenſis Epiſcopi epiſtolam ad Leonardum Aretinum, num. CXXVII. & alias.

DE CONGRESSU FRIDERICI III IMP. ET CAROLI DUCIS BURGUNDIORUM, APUD TREVERIN EACTO, ANNO M. CCCC. LXXIV. HISTORIOLA PERELEGANS.

M. Chr. Belg. f. 411.

ANTONIO SCROFINEO, RODOLPHUS AGRICOLA S. D.

INIUNXISTI *mihi ut literas illas, quas de congreſſu Imperatoris Friderici & Caroli Burgundiorum Ducis Gallice perſcriptas legiſſe me tibi narraueram, in Latinum ſermonem conuerterem. Geſſi morem voluntati tuæ, non tamen verbum è verbo exprimens, ſed latius nonnunquam contractiusue res explicans. Ordinem quoque rerum, ſicubi commodius viſum eſt, commutaui. Tu ſi qua parum Latina tibi videbuntur, aut neſciſſe me meliora, aut (ut excuſationem aliquam ignorantiæ meæ prætexam) rerum culpam putabis: quarum nonnullas, quod noſtro auo reperta ſunt, difficile crediderim priſcis appellare nominibus. Neque enim fieri potuit, vetuſtati quæ res ignorarentur, ut nota earum eſſent rerum nomina. Sed utcunque ſit, una eademque maxima excuſatio mihi tu, qui iuſſiſti. Malui enim audacter ſuſcipiendo obſequi tibi, quam offendere negando prudenter. Hæc erat ſententia epiſtolæ.*

ARNOLDVS DE LALAING, PRÆPOSITVS D. MARIÆ BRUGENSIS, PAULO BÆUST, RECTORI PAPIENSI S. D.

PERSPECTUM mihi fuit, ſummo te ſtudio ſummaque voluptate conuentum Imperatoris & Ducis noſtri auditurum. Idcirco rem omnem quam potui diligentiſſime perquiſitam exploratamque ſcripſi. Certiot factus eſt ab Imperatore Dux, velle illum magnis arduisque de rebus coram ſecum agere, compoſitis rebus Ducatus Gelrenſis, quem bello ſubegerat, in Lotharingiam aduenienti Imperatori eſt obuiam profectus. Erat ſecum fere dimidia exercitus ſui pars, *Metis ciuitas.* quem dicta expeditione habucrat. Metenſe oppidum eſt Lotharingorum clarum iis locis, & natura opereque egregie munitum. Id cupiebat ingredi Dux, ciues reputantes & armato, & potentiori, & inter hoſtem amicumque dubio credere periculoſum, quum non niſi præfinito numero comitum, & quibus, ſi vim pararet, pares ſe crederent, illum admiſſurum ſe dicerent reſpondit, *Maluiſſe ſe quod cogere poſſet, impetrare. Eſſe ſibi claues portarum in promptu,* arma exercitumque ſignificans. Statiua habet in agro Treuerenſi. Exercitus per villas tectaque vicorum ſparſus tres in longitudinem, in latitudinem binas continet leucas. Tertio Calend. Octobris Impetator Treuiros venit, comitatus filio ſuo, & Turchi *Treuiris.* filio.* Treuirorum ciuitas ad Moſellam flumen ſita, ſexaginta ſupra Moſellæ & Rheni confluentem millibus, & rerum geſtarum magnitudine & vetuſtate urbis *Tacit. in German.* (quippe quam circa Troiana conditam tempora ipſi affirmant) præclara. Gallica olim gens, & quæ diu ambitioſe inter Germanas videri voluerit, donec tandem promotis finibus Germani, & occupato quicquid Galliarum ad Rhenum pertinet, Treuiros quoque in imperium nomenque ſuum adegere. Huc cum veniſſe Imperatorem Dux accepit, ipſe proficiſci poſtridie parabat. Quem ubi appetere auditum eſt, ſimul ipſe Imperator cum omni ſtrepitu fortunæ ſuæ ſimul Epiſcopus Treuiren-

* Erat is Calepinus, Mahometis II. frater, qui capta Conſtantinopoli, Romam delatus, ibidemque iuſſu Calixti III. baptizatus Calixtus Oſmannus dictus. Hic poſtea in Germania in magnam familiaritatem venit cum Friderico III. Imp. a quo regie donatus ac munifice reditibus annuis prouiſus in Auſtria pluribus annis vixit, teſte Cuſpiniano *in Cæſar. p.* 449.

Treuirenſis, & quicquid nobilitatis dignitatisque tota in ciuitate fuit, paulo minus leuca obuiam proceſſit. Poſtquam in conſpectum utrinque ventum eſt, Dux venerabundus detecto capite, equo deſiliit. Itidem Imperator faciens, procumbentem in genua Ducem amplexus ſuſtulit. Dicta ergo redditaque ſalute, & à Duce reliquis etiam, quibus hic debebatur honor, ſaluere iuſſis; rurſus equos inſcendunt. Ibant iuncto gradu Imperator atque Dux, ſequebantur filius Imperatoris & Turchi, poſt hos, ut cuique nobilitas vel claritudo erat.

Ingens numerus utrique principi, qui tubis buccinisque præcinerent. Tributa hæc quoque Duci ab Imperatore dignatio, ut Ducis ipſius primi agminis eſſent, ſolique canerent. Præcedebant ducem pro numero gentium quibus impe-
p. 156 rat (caduceatores neſcio, an nomenclatores dicam, vulgus Gallorum *Heraldos* vocat) genus hominum Galliæ Germanisque, & reliquis ad Occidentem nationibus uſitatum, Italiæ non perinde cognitum: genus, nobilitatem, decus Principum, inſigniaque per gentes familiarum noſſe ipſorum muneris habetur, quibus maioribus nobiliſſima quæque domus propagata, quid in quaque honeſte, egregie, fæde turpiter factum patratumque, ipſi præcipue vel norunt, vel nouiſſe creduntur. Tuti ac velut ſacroſancti, in pace honorati, in bellis quoque quamuis ſæuis intacti, Libertas ac licentia ſcelerate facta Principum reprehendendi, minor nunc quidem, olim maxima. Auſi adire menſas Regum, & reſupinatum (ſummæ id ignominiæ loco habebatur) panem apponere, & linteum quo menſa inſternitur, medium perſcindere, & alia dedecoris notandi cauſa facere. Sed hæc quemadmodum pleraque robuſtior in vita poſteritas magna ex parte neglexit. Nomen tantum & vetuſtæ venerationis potius memoria, quam præſens auctoritas remanſit. Hi inſignia ſingularum gentium nomenque præferentes, Ducem (ut diximus) præcedebant. Gladium Dux maiori (ut par erat) poteſtati concedens, Imperatori ſubmiſit. Erat videre cuncta opulentiæ maieſtatisque plena. Strepebant tubæ buccinæque & funalia flammantesque obiter cerei noctem incenderant. Iam fremitus & ardor hominum equorumque, & omnia oſtro atque auro fulgentia, & hæc per tranquillitatem, tanquam expoſita ſpectaculo notabiliora, omnium in ſe aures oculosque conuerterant. Imperator veſtiebatur textili auro, veſtis ad pedes profuſa, & circum collum replicita, perque humeros more Turcorum ſparſa, limbo circum pedes manusque, ingentis pretii margaritis picturato. Ipſe grandis natu, ſed virenti adhuc atque ſolida ſenecta. Dux autem circiter quadraginta natus annos, in ipſo ætatis robore, medio rerum gloriæque curſu conſpicuus, armis ſe totum texerat. Fulgebat deſuper chlamys unionibus, adamantibus diſtincta, quam, qui pauciſſime, ducentorum millium ſcuratorum æſtimauerunt. Tam multorum paupertate conſtat, ut unus veſtiatur. Scias neceſſe ſibi eſſe velut ex immenſo & inexplebili cupiditate haurire, cui tantum libeat in re modica profundere. Filius Imperatoris decimum octauum agens annum, inſigni facie, egregio pro ætate & capaciſſimo paternæ fortunæ ingenio, indutus ſanguineum intertextum argento. Turci filium aiunt captum in bello, quod cum Imperatore Trapezuntio Rex Turcorum geſſit: Romæ dehinc ad Pontificem Maximum miſſum eſſe, mox ab Imperatore dono datum. Amictus patrio more veſte aurea figurata erat, crinem in nodum collegerat, ſicut Sarmatæ ſolent, toruus aſpectu: prorſusque horror, & patria vaſtitas vultu apparebat. Iam plerique alii duces, comites atque Principes, viri magni memorandique, ſi ſoli fuiſſent, nunc ſolum tantorum nominum acceſſio. Præcipui quoque honore aut opibus populi Treuerenſis prope ſexcenti equites, amicti omnes rubeis veſtibus, iactantes Duci officium ſuum, & imminentes forte metus præuiis beneficiis occupaturi. Imperator & Dux multo, & (quantum ex vultu coniicere erat) benigno ſermone iter emetientes, quum tandem per mediam Vrbem ad forum ventum eſt, longis inter ſe precibus utrinque, longa obſequiorum oſtentatione, uter alterum domum comitaretur, contenderunt, Concedente vero neutro, & ambobus tantum honorem obſtinate abnuentibus, valefacientes inuicem diſce-

Heraldi Æn. Sylu. epiſt. 126.

diſcedunt. Imperator in ædes amplas atque magnificas in proſpectu fori, Dux extra muros urbis ad S. Maximinum (cœnobium id eſt D. Benedicti) diuertit Calend. Octobris. Quum prandiſſent, Dux iam pridem operientem ſe Imperatorem domi ſuæ conuenit. Stabat Imperator iu aula aureis ſericisque tapetibus inſtructa, innixus abaco, & cogitabundo ſimilis. Vtque aduenientem Ducem conſpexit, obuiam in medium atrium progreſſus, humaniſſime ſalutatum dextera apprehendens, in aulam perduxit. Ibi adhibito uno principali Ducis ſcriba, diu multumque incertum qua de re colloquuti, ubi ſatis viſum eſt, circumlatum ex more vinum & bellaria, diſceſſumque. Ibi iterum inſtare Imperator, velle foras comitari Ducem: abnuere vero Dux neque vlla id ratione pati. Tandem victor Dux, cum medias ſcalas tranſiſſet, Imperatorem ſequi parantem propere rediens inque mediam reducens aulam, abſceſſit.

Poſtridie Dux rurſus reuiſit Imperatorem, abduxitque ſecum ad S. Maximinum, ubi diuertiſſe ipſum prædiximus. Induebatur Imperator purpura intertexta auro, Dux prætet pileum veſtem geſtabat ducalem: filius Imperatoris damaſcenam viridem veſtierat. In reliquo comitatu tantum texti fabrefactique auri, quantum vel his gentibus, vel hoc ſeculo difficulter, niſi qui vidiſſet, putaret fuiſſe. Non errauerunt forte qui dixerunt, *Peregrina luxuria patriam gloriam commutaſſe Germanos.* Quis credat horum maiores ſago, aut pellibus quas feris detraxerant, veſtitos, toties Romana arma exercitusque ſudiſſe, & quaqua verſum trans flumina, maria, montesque auxiſſe fines? Ingreſſi ſunt con- p. 157
claue quoddam Imperator, vnaque epiſcopus Moguntiacus, ſecretorum ſuorum intimus arbiter, & Dux cum principali Scriba. Cœpit nomine Imperatoris Epiſcopus dicere de re Chriſtiana, quo loco, quamque difficili in ſtatu eſſet, tum Duci de maiorum ſuorum ſplendore, tum præcipue quoque de ſua laude rebusque geſtis ſubnectere cauſas, hortarique vt opem ferret. Dignum prorſus eo vigore, eo virium & animi impetu opus, conſulere in commune ſacro Chriſtiano nomini, & vna opera de DEo hominibusque optime mereri. Pulchetrimum idem tutiſſimumque inceptum, extra fortunæ incerta, ſupraque liuorem detractionis poſitum. Quippe in quo aduerſa reprehenſione, ſecunda carerent inuidia. In hanc ſententiam cum multa dixiſſet Moguntiacus, reſpondit Dux; cupere quo poſſint à pluribus quæ pro ſe dicenda viderentur exaudiri, in locum ampliorem ſe reciperent. Conceſſum in cœnaculum quoddam grande, ornatum aulæis, in quibus exactiſſimo opere res Alexandri eius, qui Orientem perdomuit, erant intextæ. Huius rei præcipua admiratione, qui curas, ſtudiaque ſua interius norunt, aiunt ipſum teneri. In medio ſella eminentior, gradusque quibus adibatur, ſubſellia quoque inſtrata auro. Conſedit Imperator, ad dexteram erant Epiſcopi, Moguntiacus, Treuerenſis, Metenſis, filius Imperatoris, Marchio Balnearum, poſt Ludouicus & Albertus Duces Bauariæ, Comites Montis vigilantis, * & Wirtebergenſis, filius Thurci, & clariſſimorum virorum magnus, quantum locus capere poterat, numerus. Ex altero latere Dux Burgundiæ, Epiſcopi item Leodienſis & Traiectenſis, reliquaque aulicorum nobilitas. Aſtabat proxime Ducem ſcriba, amictus purpura villoſa, vir (vt apud Gallos) eloquens, & promptior quam facundior. Is latine orſus dicere, primum orationem Moguntiaci recenſuit, tum de Rege Francorum, beneficia Philippi patris in ipſum, meritaque ex quo exul paternam fugiens iram, hoſpitio ab eo exceptus, hinc vt opera ſua reductus in regnum, poſt hæc cœpta compoſitaque bella, & quæ alia ad hanc rem pertinebant, multis verbis commemorabat. Tum de Principe Aquitaniæ ſubiecit, diligentiſſime omnia explicans. Poſtremo ad poſtulata reſpondit; *dolere Principem ſuum communem vicem Chriſtianorum, & recenti memoria acceptas clades ſe, ſi quem alium, grauiſſime ferre. Quanquam autem ipſe id ſibi non ſumeret, in ea Regum Principumque magnitudine & opibus, vt ſe eum eſſe putaret, qui vel auxilio vires firmare poſſet aliorum, vel auctoritate commouere mentes deberet; ſi tamen tuti populi ſui ſaluæ res permittantur, effecturum ſe vt nemo in*

* *Mont. Iccard.*

ipſo

ipſo quicquam præter ſucceſſus felicitatemque deſideret : intelligantque omnes, ad hanc rem nec viro ſibi animos, nec principi opes, nec Chriſtiano religionem defuiſſe. Facto dicendi fine, Dux Imperatorem ad ædes ſuas vsque reduxit. Dux Aquitaniæ (de quo ſupra mentio) frater Regis erat inuiſus ſibi atque infenſus. Huius cauſa quod Rex prope pro exhærede ipſum habebat, ſuſcepnum inter Ducem Burgundiæ & Regem bellum iactabatur. Poſtea vero quam Dux victum in acie Regem, & obſidione Pariſiis preſſum ad conditiones accipiendas coegit, maiora diuerſioraque quam pro hoc incepto victoriæ præmia recepit : vt crederent, qui malignius interpretabantur, cuicunque cupiditati ſuæ ſpecioſum hunc titulum circumdediſſe. Ipſe frater autem proximis annis miſeranda peſte conſumptus mortem obiit. Ægrotabat grauiter & morbi ignoto genere, decidere vngues, capillique defluere, vt ſuſpicionem præberet hauſti veneni. Et (vt eſt vulgus ad optima facienda tardum, ad dicenda peſſima promptiſſimum ingensque libido de maximo quoque turpiſſime æſtimandi) autorem necis eum videri voluerunt, cui fuerat dum vixit, inuiſus, & ad quem mortis præmia redibant.

Paucos poſt dies oratus à Duce Imperator ſecum pranſus eſt. Conuiuium maximo apparatu magnificentiaque inſtructum erat, vt propemodum nuptiis ſuis, quarum ſere per omnem Galliam Germaniamque celebratur fama, exæquaretur. (*Hactenus epiſtola : & ſi qua viſum eſt mihi rerum cognoſcendarum adiicere cauſa. Reliqua ex his qui affuere.*) Agebatur vt filio Imperatoris in matrimonium Ducis filia locaretur, nec ſatis conuenit. Hactenus Imperator procuratorem, ſeu (ut ipſi dicunt) Vicarium Imperii * Ducem, perinde ut ipſe poſcebat, creare paratus erat ; ſi modo Dux antea nuptias firmaſſet. Dux contra procurationem præſumere velut ex tuto volebat, deinde de nuptiis communi ſe ſententia ſtaturos. Procurationis huius hoc aiunt eſſe munus debere, adniſurum Ducem ſtudio viribusque quantum poſſet, omnia quæ uſquam Imperio ablata ſunt, ad priſcam Romani principatus maieſtatem rurſus redigere. Ingens materia & audenti, & proſpero, & ad quoduis audax cœptum in ſpeciem abunde multum iuris. Præterea alia quædam petiſſe ab Imperatore dicitur, quorum nihil neque negatum ne-
p. 158 que tamen ſatis pronis auribus auditum. Spectacula quotidie atque ludi equorum, concertatio, haſtatorum concurſus, ſimulacra pugnarum, & in certamen opulentia fortunarumque fulgor oſtentatus. Maior Imperatori clarorum virorũ numerus atque nobilitas ; apparatu ſplendoreque rerum Dux effuſior. Equidem audiui qui affirmaret æmulatione inter ipſos agi : & utrumque oblitum menſuræ, ſuæ, illum quidem inuidere minori, hunc vero contemnere maiorem.

* *In terris Gallicanis ultra Rhenum Pius II epiſt. 381. Vicarius Imperii.*

RHODIORUM MILITUM MAGISTRI, DE SERVATA URBE SUA, ET INSIGNI VICTORIA CONTRA TURCAS, AD FRIDERICUM III. IMP. RELATIO.

EIUS HISTORIÆ ITA MEMINIT TRITHEMIUS ABBAS IN CHRONICO SPANHEIMENSI.

ANNO MCCCCLXXX. Mahumetes Imperator Turcorum cum ingenti claſſe & maximo bellatorum exercitu Rhodum Inſulam Chriſtianorum trimeſtri obſidione terra matique fatigat. Sed noſtris muros fortiter defenſantibus confuſus abſceſſit, maximam exercitus ſui partem poſt ſe relinquens occiſam.

Idem in Chronico Hirſaugienſi.

Anno MCCCCLXXX. indictione Romanorum XIII. Turcorum Imperator Mahumetes de Conſtantinopoli ciuitate Græcorum in magnitudine nauium nulla per mare deſcendens, ad inſulam Rhodianorum in manu valida centum millium pugnatorum urbem Rodenſem XXII. die menſis Iunii obſedit, & per tres menſes ſine intermiſſione fortiter impugnauit. Sed miſeratione diuina largiente, virtute, prudentia, & induſtria Petri Dansbuſſon magiſtri militum S. Iohannis Baptiſtæ in Hieruſalem, nihil profecerunt immundiſſimi canes. Chriſto namque ſuis donante victoriam pars Turcarum exercitus maior cæſa interiit: cum teliquis tandem Imperator ad ſua reuerſus eſt, cladem maximam & ingentem confuſionem reportans.

Sereniſſimo & Inuictiſſimo Principi ac Domino noſtro, domino Friderico Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, domino nobis obſeruandiſſimo.

INVICTISSIME ac ſereniſſime Princeps. Quæ in obſidione Rhodiæ urbis à Turcis expugnando, & à nobis tutando geſta ſunt, non incongruum videtur veſtræ imperiali Maieſtati ſignificare, cum ad hanc diem pugnæ ad honorem Chriſtiani nominis felicem exitum adeptæ ſint. Et non ambigimus veſtræ Imp. maieſtati ex victoriis non paruam lætitiam excepturam. Turci ubi circa Urbem caſtra metati ſunt, oppugnationis loca diligentius explorant, ciuitatem quoque omni ex parte bombardis quatere & eruere proponunt, & quod mente concipiunt opere demonſtrant; ad id quoque exequendum bombardis & mortariis urbem circumdant, verberant, diruunt turres IX. & bolwardon, magiſtratusque palatia concutiunt, & proſternunt. Tribus tamen ex partibus commodiſſimum ſibi eſſe videtur ciuitatem oppugnare & aggredi, potiſſime ad rem conficiendam pertinere videtur turris molis S. Nicolai expugnatio: ex qua urbem in ſuam poteſtatem facile tranſitutam arbitrantur.

Eſt enim arx in vertice molis ſita, quæ verſus ſeptentrionem in mari prominet, uſque ad portum conſpicit, & aditum nauigantibus, qui eam tenet, ſi libet, facilem prohibet. Ad occidentem oratorium S. Antonii ſitum eſt fere CC. paſſibus à turri diſtans, mari interiecto. Conſpecta igitur loci opportunitate hoſtis turris potiundæ auidus omni conatu incumbit, ut eam in ſuam redigat poteſtatem. Ad turrim itaque diruendam tres ingentes bombardas æneas deuehunt, quarum magnitudo & vehementia incredibilis erat, ſaxa quæque ſphærica IX. palmarum torquebant, eaſque apud Sacellum S. Antonii collocant. Mirabile dictu, ca- p. 159
lamitoſum viſu, opus quidem percelebre, & quod ſtabiliſſimũ videbatur, ſed diebus aſſiduis CCC. lapidum ictibus turris pro potiori parte diruitur, proſternitur, laceratur, hoſtis quidem ruinam conſpiciens exultat, plauſibus quoque aera complet, quæ vana gaudia in luctum ſuum conuerſa ſunt. Nos vero de tuitione turris ſolliciti, grandem horrendamque ruinam conſpicientes, quod ſuperaret munitioni opplere iuſſimus. Et quod id quoque parum viſum eſt, propter ipſius magnum lapſum; conſtituimus ne dum arcem tutari, ſed molem ipſam S. Nicolai defendere. Omni igitur vigilantia, cura, ingenio operariis fere mille die noctuque adhibitis, totis diebus foſſa non incaſſum exciſa, propugnaculis quoque ex lignis ædificatis in vertice ipſius molis circa turrim in medio quoque eius & in radice turrim & molem inexpugnabilem non ſine paruo ſumptu recluſimus: tum præſidium quoque fortiſſimorum commilitonum in ruina molis & munitionibus & propugnaculis circa eam confectis collocamus. In radice quoque ac pede eius altera præſidia ad Orientem & Occidentem collocamus. Nam illic radix muro clauditur, & mare vadoſum eſt, quare obſeruatur defenditurque, ne Turci illuc tranſeant, & noſtros à tergo adoriantur. In mœnibus vrbis bombardas diſponi

ſponi iubemus, quæ ad tempus pugnæ officio fungantur. Ignes quoque cum ſcaphis parantur, quæ in claſſem mittantur. Turci ædificii ruina allecti vno & demum altero prælio turrim inuadunt, primum cum ipſam facile expugnare putarent, mediocribus viribus aggrediuntur ante auroram luce adhuc dubia, triremibus ad hoc paratis arcem oppugnant, prælianturque. Noſtri quidem tuitioni intenti locum conſtanter tutantur. Sic hoſtis victus diſcedit. Ea in pugna fere DCC. Turci (prout profugi ſignificauere) cecidere. Interiectis autem diebus accenſi priori repulſa, turrim mari potentia arte & ingenio oppugnant, & reparamenta ac propugnacula iactu bombardarum quatiunt, nonnullaque conterunt. Nos quoque reficimus ſumma celeritate quod obteritur.

Parant ad hæc conficienda triremes bene munitas, & ingenioſe ad prælium ornatas, adiiciunt & nauigia quædam oneraria (parendarias vulgo dictas) quarum quædam onuſtæ bombardis & ſaxis erant, vt locum turris & molis, qua ſe potituros credebant, munirent, & ex his vrbem lacesſerent, diuerent, expugnarentque. Cymbas præterea quasdam diſponunt, ex quibus quique Turcorum ſtrenuiſſimi facile in molem deſcendat, & pontem miro artificio ædificant, qui ex Eccleſia S. Antonii turris in molem tranſitum præbeat. Nos enim ſuſpicati quod euenit, poſt primam pugnam abundantius dies noctesque circa turris & molis tutamenta vires & ingenium adhibemus, munimenta ampliamus, præſidia augemus, grauiſſimis impenſis non parcimus: Nam & in ea ſalutem vrbis conſtitutam coniiciebamus. Media igitur nocte grandiori accenſi ardore Turci XIII. Cal. Julii arcem ſummo ſilentio aggrediuntur, omnique parte magno impetu inuadunt, erectæ enim erant noſtrorum aures, nec dormitabant. Vbi autem adeſſe inimicos comperitur, machinæ ſaxa iaciunt, milites gladio ſtringuntur, baliſtis, fundis & Saxorum iactu ex turri & mole hoſtem deturbant & propellunt: pugnatum eſt ſumma vi à media nocte vsque ad horam decimam. Turci vero complures, qui ex cymbis & triremibus in molem deſcenderant, trucidantur; pons natans Turcis onuſtus machinarum iactu frangitur, qui ſupererant Turci merguntur. Quatuor quoque triremes, & ea nauigia, quæ bombardis & lapidibus onuſta erant, Saxorum iactu ex tormentis perfringuntur, & vndis obruuntur. Ignis quoque in claſſem mittitur, qui eam retrocedere compulit, ſic diſcedunt victi Turci. Inſignis quidem hæc pugna fuit morte clarorum virorum, qui Turcis præerant: quorum interitus luctum exercitui præbuit. Profugi quoque poſt pugnam introducti affirmant, Turcos in hac pugna magnam ſtragem accepiſſe, ex eis quoque fere MMD. cecidiſſe. Cum autem Turci ſpem turris expugnandæ perdidiſſent, induſtriam, ingenium, vires, & omnem conatum, ad vrbem expugnandam conuertunt; & licet tota ciuitas machinis concuteretur, & lacerare-tur, vt vix forma prioris vrbis remanſerit, tamen potiſſime murorum partem oppugnare intendunt, qui Judæorum domos claudunt Orientemque ſpectant; eamque etiam partem quæ ad turrim Italiæ ducitur. Ad hæc igitur mœnia diruenda & dilaceranda octo ingentes grandiſſimasque bombardas comportant, ſaxa circuitus palmarum IX. torquentes, quæ aſſiduo die noctuque muros verberant. Nec ceſſant bombardæ & mortaria circa ciuitatem locata ſimiles lapides torquere, quin imo ad terrorem & detrimentum ictus multiplicant. Nos ad iactum mortariorum vitandum, imbecillem ætatem ac mulieres ſub fornicibus & valuis & plurimis locis pomœrii cohabitare ſtatuimus: quo effectum eſt vt pauci hoc tormento interirent. Vſi ſunt quoque alio tormenti genere, quo igneas pilas proiiciebant, ac ſagittas ignitas ex baliſtis & catapultis torquent, quo ignem in ædificia iacerent. Nos vero indemnitati vrbis conſulentes peritos artis delegimus, qui poſt caſum pilarum magna ſolertia ignem extinguerent. His remediis Rhodii à magnis incommodis ſeruati ſunt. Excogitant inſuper impii Vrbem ingenio occulto propinquare; foſſas itaque tortuoſas effodiunt, quas partim lignis & terra operiunt, vt latenter ad foſſas vrbis accedant, propugnacula quoque multis in locis ædificant, ex quibus aſſiduo ſagittant; colubrinis ac ſerpentinis bombardis, noſtros

Parendaria.

noſtros deturbant, fatigantque; penſitant quoque eis eſſe commodum aliquam partem ciuitatis, quæ muro Speronis adiacet, complere. Opera igitur ab hoſte adhibita lapides congerere non ceſſant, & occulto in foſſam iaciunt, aſſiduitate pars foſſæ oppletur, antemurali quoque æquatur: ex quo & ruina in formam dorſi redacta facillimus conſcenſus in mœnia efficitur, Nos autem inimici conatum conſpicientes tuitioni Vrbis inuigilamus, totaque vrbe & caſtello reparatis & munitionibus, foſſis quoque quam diligenter intendimus. Quod Turci coniectantes, deſperati ad muros Judæorum & alio ſe conuertunt, & nos munimentis ac reparis validiſſimis ruinam Turcorum firmamus, palis lignorum viuaciſſimorum infixis, ac terra, faſcibus arbuſtorum & ramorum interiectis, quæ inuicem ſubtiliſſime firmiſſimeque cohærentes vim machinarum ſuſtinebant, & ruinam protegebant, ne muri collapſi intra Vrbem facilem deſcenſum præberent. Etiam loco propugnaculorum, palos & vegetes terra oppletas ſtatuimus, quæ noſtros tutarentur, & conſcendentibus Turcis impedimento eſſent. Ignes quoque artificioſos, & alia ingenia parauimus, quæ ad propulſandam Turcorum vim conducere videbantur. Excogitatum quoque eſt, eam partem foſſæ, quæ lapidibus à Turcis oppleta erat, euacuare; ſed cum id palam effici non poſſet, cuniculo latentique foſſa in pomerio ædificata exitum ſub lapidibus noſtri habent, & occulto lapides in Vrbem comportant. Sentiunt profecto Turci, qui foſſæ propinqui erant, lapidum congeriem minui, & aſcenſus oportunitatem adimi, niſi quantocius quod cupiunt efficiant. Itaque in his operibus XXXVIII. diebus conſumptis, quo in tempore MMMD. vel circiter ingentium Saxorum in media & in Vrbem iacti ſunt, Turci ſcilicet occaſione inuadendæ vrbis conſpecta, ne aſcenſus commoditas auferretur, accelerant propoſitum conficere; pridieque quam bellum iniretur ac ſequenti nocte, & diluculo quod mane quo pugnatum eſt præceſſerat, octo bombardæ dictis muris obiectæ absque intermiſſione ſaxa ingentia torquent, quod loco propugnaculorum adhibitum erat dilacerant, diruunt, vigiles & cuſtodes, & mœnium præſidia pro parte potioti occidunt, vt quisquam vix muris ſuperſtare poſſet, niſi ſummo aſtu occultaretur, & ſcala ad ſignum campanæ paululum deſcenderent & demum conſcenderent. Nec tempus datum eſt propugnacula denuo inſtaurandi, cum ſemper ictus bombardarum augerentur, vt eo pauco tempore CCC. vel circiter ſaxa iacta ſint. Turci vero iactu bombardarum finito ad ſignum iactus mortarii, quod pridem in eo loco conſtituerant, confertiſſimi magno impetu quam celerrime VII. Calend. Auguſti conſcendunt. Erat namque facilis (vt diximus) eius conſcenſus, facilior quam noſtris per ſcalas. Superiora quoque murorum loca, eradicato noſtro quod illic erat præſidio (quod primum tanto impetu reſiſtere nequiuit) antequam ſubſidia noſtra ſcalas conſcenderent, occupant, & illic vexilla ſua ſtatuunt. Idem quoque faciunt ad turrim Italiæ, cuius verticem oppugnant. Clamor vndique oritur, manus quoque vtiliter conſeruntur, magnaque vi pugnatur. Repente noſtris hoſti ſe obiicientibus, dextera leuaque murorum ſuperioribus locis noſtri hoſtem oppugnant, & valide deturbant, ne mœnia diſcurrerent. Scalis quoque quæ quatuor erant, quibus in vicum Judæorum deſcendebatur, vna iuſſu noſtro perfracta, conſcenſis hoſti nos opponimus, tutamur, defendimus.

Turci vero perpulchre armati duo millia ſupra muros erant, confertiſſimi de noſtris ſecum manus conſerentes: qui armorum vim propellere, & loco expellere nitebantur. Sed noſtrorum virtus firma perſiſtens nequaquam loco ceſſit. Sequebatur vero Turcos qui muris potiti erant, ingens multitudo Turcorum, quæ totum campum adiacentem, ruinam, vallum & foſſam oppleuerat, vt terra vix conſpici poſſet. Affirmarunt profugæ MMMM. Turcorum inuaſioni adeſſe. Noſtri ex Turcis, qui ſuper muro erant, CCC. vel circiter in vicum Judæorum propellunt, qui ad vnum occiſi ſunt. Eo in conflictu vexillum imaginis ſacratiſſimi Domini noſtri JEſu Chriſti & religionis noſtræ

ante

ante hoſtis conſpectum ereximus. Summa itaque vi horis duabus pugna-
p.162 tum eſt. Tandem Turci pteſſi, fatigati, perterriti, vulneribus quoque feſſi terga vertunt, & fugam tanto impetu arripiunt, ut ſibi ipſis impedimento eſſent, & perniciem afferrent, cecidere ea in pugna Turci tria millia, quingenti vel circitet, quorum cadauera intra urbem & ſupra mœnia, & in foſſa munitionibus hoſtium & mari repetta ſunt, & poſtmodum ad luem vitandam combuſta, quorum ſpoliis noſtri potiti fuere; qui fugientes Turcos uſque ad campi planitiem magno animo ſecuti eos trucidantes, tandem incolumes ingreſſi ſunt. In prælio quidem ex noſtris militibus & baliuis inter confertiſſimos hoſtes conſtanter pugnantes occubuere. Nos noſtrique commilitones pluribus vulneribus acceptis; Deo gratias acturi, præſidio valido muris impoſito, domum reuertimur. Nec id profecto ſine diuino auxilio contigit, qui tandem cladem à noſtris auertit. Miſit enim Deus (non ambigimus) de cœlo auxilium, ne plebecula Chriſtum colens Machometis ſpurcitiis inficeretur. Parauerunt Turcæ ſpe potiundæ Vrbis ſibi funes ad captiuos alligandos, & palorum ingentem magnitudinem ad viuos cruciandos. Decreuerant enim omnes mortales, mares & fœminas, ſupra decem annorum ætatem trucidare, & palis ſuffigere; teneriorisque ætatis mortales in captiuitatem ducere, & ad fidem abnegandam compellere, & omnem ſupellectilem in prædam conuertere, urbis ditione Turco reſeruata. Sed fruſtrati ſuo nefando optatu, tanquam pecudes cæduntur. His in pugnis & eruptionibus diuerſis diebus factis, ut approquinquationem prohiberemus, & foſſam euacuaremus, & ageremus quod ciuitati commodum eſſet. * Etiam machinarum iactu in exercitum & viridaria quæ incolebant, (ut perfugæ diuulgauerunt Turci) nouem millia occiſi ſunt. Ingens quidem multitudo vulnerata, inter quos quidam capitanei, ac Germanus Balſe, * & quidam Turci genet occubuere. Pugna commiſſa, munimentis ptius exuſtis, ad primum lapidem caſtra Turci locarunt, ubi ſupellectili impedimentis ac machinis onerandis, ac Turcis in Lyciam reuehendis nonnullis diebus conſumptis, Rhodiorum littore ſoluentes fiſcum continentem urbem antiquam nauigant. Sic quoque victi cum ignominia recedunt. Omnipotens Deus veſtram Imperialem Maieſtatem feliciter conſeruet ad vota. Datum Rhodi die XIII. Septembris, anno Redemptoris noſtri incarnationis MCCCCLXXX.

* *f. Baſſa.*

E. V. Imperi. M.

Humiles ſeruitores, Petrus Danbuſſen, Magiſter hoſpitalis Hieroſolymitani, & conſules.

SIXTI PP. IV. PASSAGIUM, SIVE BULLA EXHORTANS PRINCIPES CHRISTIANOS AD SACRAM EXPEDITIONEM IN TURCOS SUSCIPIENDAM: MISSA PHILIPPO PALATINO ELECTORI, ANNO MCCCCLXXXI.

DILECTO FILIO, NOBILI VIRO, PHILIPPO COMITI PALATINO RHENI, SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI ELECTORI.

DILECTE fili, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Animaduertentes Chriſtianorum Principum diſcordias truculento hoſti ad communem perniciem viam indies magis aperire, volentesque pro paſtorali officio noſtro his tot incommodis & periculis obuiare, ne in deterius ſerpant, poſtquam eo iam deductæ ſunt res noſtræ, ut minime cunctandum ſit; cum perfidiſſimus & vigilantiſſimus hoſtis apparatum maximum aduerſus Italiam, Germaniam & Rhodum indefeſſo ſtudio, (ut ex pluribus locis compertum habemus) inſtruat: Triennales inter omnes Chriſtianos Principes & potentatus inducias indiximus ad defenſionem Catholicæ fidei, paterna caritate omnes hortati ſumus, venientes aut mittentes ad tam piam & neceſſariam expeditionem, ſub noſtra & Apoſtolicæ ſedis protectione ſuſcepimus: eis bella aut impedimenta quomodolibet inferentes, ſub ſpiritualis & temporalis gladii pœna ut abſtineant commonuimus, prout p. 162
in literis noſtris deſuper confectis, quas & in tuis & in reliquorum omnium Principum, & potentatum Chriſtianorum regnis, prouinciis & dominiis publicari mandauimus, latius continetur. Volentes igitur literas ipſas plenum ſortiri effectum, & debitæ omnino executioni demandari, nobilitatem tuam in Domino hortamur, & per religionem quam profiteris; per paſſionem ſaluatoris noſtri, quam ut nos ab æterna morte redimeret, ſubire dignatus eſt; per tot fideles populos, qui in teterrimam ducti ſeruitutem præſidium tuum implorant; per miſeram ſtragem, quæ tot præclaris ciuitatibus, tot nationibus imminet, niſi quam primum ſuccurratur; per gloriam & ſplendorem Chriſtiani nominis, quod à ſpurciſſimis hoſtibus in totum conculcatur, niſi noſmet ipſos excitauerimus, te obteſtamur, & Apoſtolica auctoritate tibi mandamus, ut literarum ipſarum tenorem & continentiam in omnibus & per omnia ſerues, & cum effectu adimpleas, ſicuti pro catholico animo tuo facturum te confidimus, ne in extremo iudicio apud tribunal Dei reus ſis effuſi Chriſtiani ſanguinis, qui è manibus tuis requiretur. Alioquin contra inobedientes & contumaces ita urgente communi periculo & neceſſitate, ad executionem contentorum in literis ipſis procedemus. Datum Romæ, apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die XII. Aprilis año MCCCCLXXXI. Pontificatus noſtri anno X.

Sixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad futuram rei memoriam, cogimur iubente altiſſimo, & urgente Reipub. Chriſtianæ grandi neceſſitate, uniuerſos Chriſtianos Principes, ac omnes Chriſti fideles requirere, eisque mandare vice Dei, cuius locum quamuis immeriti tenemus in terris, ut à vigentibus inter eos bellis & guerris omnino ceſſent, & pro illius honore & ſalute Chriſtianæ religionis in maximo periculo conſtitutæ aduerſus impiam Turcorum gentem arma ſumant, & orthodoxam fidem conculcari à tam ſpurciſſima ſecta non permittant, tot iniuriis laceſſiti. Lex etenim Domini ſancta & immaculata, quam eliminatis Idolorum ſpurcitiis, redemptoris noſtri vox deuicto mortis aculeo, præ-

prædito mundo inſeruit teſtimonium eius fidele atque verum, *Meum*, inquit, *teſtimonium verum eſt, ſapientiam præſtans paruulis*, apoſtolis ſcilicet, diſcipulis ſuis, qui ut plurimum rudes, illiterati & indocti uniuerſum ferme orbem ſua prædicatione & quam Spiritus S. edocuit ſapientia, ac exemplaris vitæ conuerſatione vicerunt, perditas oues ad ipſius veti & boni paſtoris reduxerunt ouile. Impletumque eſt illud Danielis vaticinium; *Omnes gentes, omnes tribus, & linguæ ſeruient ei.* Nam circa tempora Conſtantini Magni, natus ex Maria Deus & homo Chriſtus, à Gadibus uſque Auroram, & Gangem colebatur, neque Meridies neque Septentrio Deum Ignorabat, dicente propheta: *Ab ortu Solis uſque ad occaſum magnum eſt nomen inter gentes.* Et ex ore ſedentis in throno (ut Iohannes in Apocalypſi ſe vidiſſe teſtatur) tanquam IEſu Chriſti vicarii gladius bis acutus, coruſcationes procedebant & fulgura, quæ terras & maria penetrabant, eratque per alta & tranquilla quies, gens ſancta (ut inquit Apoſtolus) gens electa, populus acquiſitionis Chriſtiani habebantur, eis gentes ſeruiebant quotannis tributa præſtantes. Hæc fuit olim Chriſtianorum poteſtas, hæc gloria, hoc imperium. Nunc vero quo Saraceni & Turci Chriſtianos redegerint, miſerum & flebile eſt enarrare. Indi namque & Armenii ac Æthyopes, qui Chriſtianos ſe eſſe profitentur, in multis à veritate Catholicæ fidei deuiant, quod reliquum eſt continentis Aſiæ atque Africæ (Septenſi atque Tingenſi ciuitatibus, & illis duobus vicinis oppidis, quæ Portugaliæ Reges pro fide Chriſti athletæ pugnantes in Africa eorum ditioni ſubdiderunt, duntaxat exceptis) Chriſti nomen ac legem impacato proſequitur odio. Hoc curſu ad Heraclii Cæſaris tempora uſque peruenimus, cuius temporibus Mahometus ſceleratiſſimus vir, contraria Legi Dei dogmata in Arabia ſeminauit, & degenerante poſtmodum apud Græcos imperio, ac Romana debilitata virtute, Turci qui ſpurciſſimam eiuſdem Mahumeti legem acceperant, è Scythia venientes omnem minorem Aſiam, & in Europam transfretando, magnam illius partem occupantes ad hos terminos in Oriente Chriſtianos reduxerunt. In occidente vero mari non paruam in eius finibus partem tenentes, quam Granatam vocant, fidelibus Hiſpanis eis finitimis ſunt infeſti: & qui ad Tanais oras conſiſtentia incolunt loca & Norwegis vicini populi, & Tartari, cum quibus & Liuoni bella gerunt, Chriſti legem minime recipiunt. Et his tam anguſtis Chriſtianis conſtitutis terminis non contenti Turci, noſtra ætate Conſtantinopolin Orientalis Imperii caput, & plures alias in Europa, & nouiſſime in Italia Hydruntium ciuitates, eorum ſpurciſſimæ ſectæ ſubdiderunt. Heu loca omnia in quibus dominus noſter IESUS Chriſtus, natus, nutritus, baptizatus, converſatus, transfiguratus, ac conſummata huius ſeculi peregrinatione, & patefacta Euangelicæ veritatis luce, poſtremo pro noſtra ſalute crucis ſubire patibulum, morique dignatus, ſepultus & mortuus, reſurgens ſuis diſcipulis apparuit,
p. 163 & cum eis conuerſatus aſcendit ad cœlos; & in quibus ſacroſancta Eccleſia Chriſti dilectiſſima ſponſa, & ex illius latere nata atque educata adoleuit, & ipſius prima iacta ſunt fundamenta. Inſignes etiam illæ totoque orbe celeberrimæ Eccleſiæ, vbi quatuor generalia celebrata fuere concilia, in quibus veluti in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit, & quæ ſicut quatuor Euangelia S. Gregorius ſuſcipere ac venerari profitetur, quatuor etiam Patriarchales ſedes, quas tanquam quatuor animalia ſenas alas habentia, oculis vndique plena, in medio & circuitu agni Joannes in eadem vidit Apocalypſi, & ſeptem ad quas ſcripſit Eccleſiæ, vbi antea omnipotens DEus confitebatur, laudabatur, adorabatur, nunc (proh dolor) ab his qui eum non nouerunt, quique nomen eius continue blaſphemant, poſſidentur, conculcantur, & prophanantur. Sola ſuper eſt Romana ſedes, ſedes vtique immaculati agni, ſedes viuentis in ſecula ſeculorum. Hæc quippe prædictas Patriarchales genuit eccleſias, quæ quaſi filiæ in eius gremio reſidebant, & in circuitu tanquam famulæ in ipſius adſiſtebant obſequio. Modo eis quas genuerat educaueratque amiſſis, ſola ſedet plorans, ipſarum mœrens interitum, ſponſo exules & deſolatos, & ab illarum ſciunctos

am-

amplexibus. Vox in Rama audita eſt, imo per vniuerſam terram ipſius ploratus & eius eiulatus perſtrepuit, non eſt qui conſoletur eam, ex omnibus caris eius, quem moueant Chriſti opprobria. Chriſtianæ religionis Zelus, miſerorum Chriſtianorum qui duriſſima ſeruiture detinentur, lacrymæ; deſolatarum regionum & illorum qui vicini Turcis vltimum exterminium indies expectant, miſeratio. Omnes enim periculum in quo verſatur Chriſtiana Respublica norunt, omnes miſerentur, nemo ſuccurrit, nemo fert opem. Potuerunt hæc aliquo modo tolerari ab Occidentalibus Principibus, cum Orientalia remotiora viderentur vaſtari: quamuis ſatius fuiſſet ad vicini incendium extinguendum occurriſſe, quam domeſticum ignem (quod ſine magna iactura fieri non ſolet) pertractare. Hæret iam, hærer iam circa præcordia virus, penetralia irrupit hoſtis, gladium ad iugulum adegit. Hinc occupato Hydrunto Italiam premit, inde Germanorum fines ingreſſus, Bauariam vsque omnia proterit. Non dubitamus Chriſtianorum Principum mentes tantis turpiſſimæ gentis iniuriis ſtomachari, & pro religionis noſtræ zelo indigne ferre, quæ in religionem continue ab hoſtibus committuntur, & nec profecto talia ſunt vt piæ aures ea ſine graui moleſtia audire poſſint. Particulares tamen iniuriæ & priuata commoda, ſuſpiciones præterea, contentiones, variæ hominum cupiditates efficiunt, vt dum quisque ſe tutum à periculo putat, quia procul abeſt, vel alteri inuidet, ne vel hoſtium ruina creſcat, vel domum vacuam relinquere veretur, tanquam vicini fraude occupandam, Respublica neglectui tribuitur, & pecudum more modo hic modo ille trahatur in perditionem.

Nos igitur, qui dum Turci inſulam Rhodi ſuperiori anno arcta obſidione tenerent, & eodem tempore Hydruntium ciuitatem prædictam occupaſſent, quam plurima poſſibilia nobis auxilia pro inſulæ liberatione, & Hydruntium ciuitatis, earundem recuperatione terra marique adhibuimus, & cum ciuitas ipſa Hydruntium recuperari non potuiſſet (prout nec adhuc potuit) & inſula prædicta ab huiusmodi obſidione fuerit liberata, vniuerſos Italiæ poteſtatus pacare, vt invicem pacifice viuentes contra eosdem Turcos arma ſumerent, & ad illorum ex Italia expulſionem vacarent, efficacem operam exhibere curauimus, ſperantes ipſorum potentatuum facultates & vires ad id ſufficere: Cum autem nuper intelleximus, eosdem Turcos maximam claſſem parare, & omnibus aliis curis omiſſis ad inſulæ prædictæ, Italiæ & Pannoniæ ac Auſtriæ occupationem, & fidei catholicæ omnimodam conculcationem, omnes ſuos diuertiſſe cogitatus, & aperte cognoſcamus ipſius ſæuiſſimi hoſtis vires adeo auctas eſſe & in immenſum creuiſſe, vt omnibus Chriſtianis Principibus merito formidandæ videantur, neque eas poſſe cohiberi niſi à pluribus & diuerſis locis diſtrahantur; atque Italiam, Germaniam, Hungariam imprimis vt hoſtibus viciniores in manifeſto periculo verſari, quæ profecto ſi ſingulariter & ſeparatim inuaderentur, tantis viribus pares eſſe non poſſent: more pii patris pro filiorum ſalute anxii atque ſoliciti de conſilio venerabilium fratrum noſtrorum ſacræ Romanæ eccleſiæ Cardinalium, omnes & ſingulos Chriſtianorum Principes & potentatus eccleſiaſticos & ſeculares, ac vniuerſos Chriſti fideles, cuiuscunque prouinciæ ac poteſtatus exiſtant, etiamſi Imperiali, Pontificali, Regali, Reginali, Ducali, vel alia quauis Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, per viſcera miſericordiæ Domini noſtri JEſu Chriſti per acerbiſſimam eius paſſionem, quam immaculatus & innocens agnus, vt nos miſeros peccatores ab æterna morte redimeret, dignatus eſt pati, per iudicium extremum, in quo eius ante tribunal conſtituti quisque ſecundum opera ſua mercedem ſuſcipiet, per ſpem vitæ æternæ quam repromiſit DEus diligentibus ſe, Harum ſerie enixe monemus, requirimus & obſecramus, ac in vim p. 164
repromiſſionis factæ in ſacri ſuſceptione Baptismi, & vim iuramenti præſtiti, cum dignitatum ſuarum inſulas ſuſceperunt, nec non per obedientiam nobis debitam, eis & eorum ſingulis præcipimus & mandamus, vt mutuam inter ſe caritatem & pacem ac concordiam, vel ſaltem per triennium à die Kalend. menſis Junii

Junii proxime ſequentis inchoandum, treugas, inducias ſeu belli moram, quas tenore præſentium, auctoritate omnipotentis DEI, & pro defenſione & ſecuritate dominici gregis, quem Saluator noſter paſcendum, tuendum atque curandum nobis commiſit, indicimus, & per vniuerſos Chriſtianos ſeruari volumus, obſeruent, arma deponant, & priuatarum iniuriarum atque offenſionum obliti, Chriſti redemptoris noſtri iniurias, offenſiones, & opprobria vlciſcantur, & in hoſtes qui Chriſtianorum omnium ſanguinem ſitiunt, & Euangelicam legem delere conantur, arma ſumant, ac cum à nobis per nuncium vel literas fuerint requiſiti, per ſe ipſos, vel eis legitime impeditis, per eorum capitaneos vel duces pro ſua virili, & cum notabili parte ſuæ potentiæ accedant vel mittant, aut tantum de ſuis facultatibus, quantum ſi per ſe ipſos irent, vel alios mitterent (vt præfertur) exponere deberent, Aut alias ſecundum eorum facultatem in tam ſanctam & perneceſſariam expeditionem, per ſingulos dicti triennii annos erogent. Opponant ſe murum pro domo DEI, & aprum de ſylua vineam Domini Sabaoth demolientem exterminare feſtinent; recognoſcentque ſibi poteſtatem & gladium à Deo commiſſum eſſe ad vindictam maleſactorum (vt dicit Apoſtolus) laudem vero bonorum. Repetant hortamur, quot prouincias infeſtiſſimus hoſtis, quot regna ſuperioribus annis euerterit, quot Chriſtianis hominibus clades intulerit, quantum virum, quantum potentiæ ſibi cumulauerit, quæ in finibus Germaniæ, quæ Rhodi, quæ in Italia nouiſſime geſſerit, quam magna ardeat cupiditate dilatandi fines, & imperium propagandi, & tunc cognoſcent, quam ſit eis tutum habere talem vicinum. Pro libertate igitur, pro liberis, pro patria, pro ipſa vita, pro religione & fide Chriſtiana, pro ſalute æterna ſumantur arma, cum talis immineat neceſſitatis articulus, à quo nullus ſe valeat excuſare legitime, vt in hoſtes, antequam interius penetrent, forti animo proficiſcantur, ſeque & ſuos vlciſcantur à tantis fœdiſſimi huius hoſtis iniuriis, atque imminentem ſibi & ſuorum ceruicibus gladium auertant. Non impoſſibilia vel nimis ardua eis iniungimus, aut minus vtilia, neceſſitas ipſa vtilitatem arguit, cum, niſi deſenſioni ſe accingant, manus dare, & in ſeruitutem venire, atque ea pati quæ victoribus libuerit ſit neceſſe, quæ qualia ſint aliorum exempla nos docent. Imperator Conſtantinopolitanus, dum regia vrbs expugnatur, in prælio cadens, etiam mortuus capite truncatur, Græcorum proceres atque omnis nobilitas depoſitis armis trucidatur: Raſciæ Deſpotis in poteſtatem redactis eruti ſunt oculi, Trapezuntiorum Imperator contra datam fidem occiditur, Rex Bosnæ in fidem ſuſceptus inter vina mactatur. Verum eſt quod ille ait, *Regnum non capit duos.* Nolint igitur ſperare Chriſtiani Principes & populi, vt libertatem victore Turco retinere poſſint; nolint in ſuis fictis blanditiis & falſis pollicitationibus confidere. Quem ex deuictis regulis vel cum toleranda conditione ſeruatum videmus? Cui fidem vnquam ſeruauit Turcus? Abiicient hanc falſam & inanem ſpem Chriſtiani proceres, & in DEo ſolum, atque in eorum dexteris ſalutem reponant. Si enim viriliter pugnauerint non ſolum propria defendent, ſed ab aliis deperdita recuperabunt; ſin vero (quod DEus auertat) in ſolita negligentia atque deſidia perſeuerauerint, ſe ipſos & Rempublicam Chriſtianam perdent. Quid enim Chriſtianis deeſt, quod ad victoriam conſiderandam deſiderari poſſit? eis viri fortes, equi, arma, pecunia, commeatus abunde ſuppetunt. Adſit tantum voluntas & ardor pugnandi: adſit & vera religio, & ad DEum redemptorem noſtrum, à cuius viis declinamus, humilis & deuota conuerſio, & Petri, quæ nunquam deficiat, fides; Pauli conſtantia, Zelus Phinees, & Mathatiæ ac fortiſſimi Machabæi animus: & certa procul dubio de cœlo mittitur ac indubitata victoria. Præcedit enim angelus Domini exercituum eius, & viuificæ crucis ac JEſu Chriſti in ea pendentis vexillum: quod humiliter intuentes, & defixis in ſublime oculis victoriam ſperantes de cœlo, exurget omnipotens & miſeretcors DEus, & miſertus eorum quos plasmauit, regenerauit, redemit, exurget & diſſipabuntur inimici eius, & fugient, qui oderunt eum à facie eius. Et vt Principes ipſi & alii

Chriſti fideles ſic per nos vice DEI moniti & requiſiti, contra eosdem Turcos arma ſumere, & Chriſtianæ religionis & fidei defenſioni vacare eo liberius & ſecurius poſſint, quo intelligent illas quæ viguerunt & vigent inter eos diſſenſiones, guerrarum & offenſionum quarumlibet ſuſpicione fore ſublatas, eisque licere per ſeipſos militare, & eos atque illorum ſtipendiis militantes extra territo- p.165
riorum ſuorum fines absque ulla ſuſpicione ad eorum Turcorum expugnationem progredi & mittere, & ad id pecunias erogare, claſſemque inſtruere & parare, uniuerſos & ſingulos Chriſtianorum principes & potentatus, eccleſiaſticos & ſeculares, & omnes Chriſti fideles, cuiuscunque præeminentiæ ac poteſtatis exiſtant, etiam Imperiali, Pontificali, Regali, Reginali, Ducali, vel alia quacunque dignitate Eccleſiaſtica vel mundana fungentes, ac in terras Chriſtianorum temporale dominium quomodolibet obtinentes, qui per ſupradicti triennii tempus per ſe ipſos, vel eis legitime impeditis, per eorum capitaneos ſeu duces, pro ſua virili & notabili parte ſuæ potentiæ ibunt, vel mittent, aut tantum de ſuis facultatibus quantum ſi per ſe ipſos irent, aut alios mitterent (ut præfertur) exponerent, aut alias ſecundum eorum facultates in tam ſanctam & perneceſſariam expeditionem per ſingulos dicti triennii annos erogabunt, à die arrepti itineris, vel qua pecuniam huiusmodi pro primo anno erogauerint, & quoad in his perſeuerauerint, ac deinde poſt ipſorum videlicet reditum, vel auxilii ceſſationem ad ſex menſes cum eorum ſtatu, ciuitatibus, terris, dominiis, ſubditis, territoriis ac bonis omnibus ſicut ea nunc tenent & poſſident, ſub B.B. Petri & Pauli ac Rom. eccleſiæ protectione recipimus, atque noſtra, ita ut d. tempore durante, & eis permiſſa per ſe ipſos aut alios implentibus plena ſecuritate & quiete gaudeant: ac omnibus & cuilibet, cuiuscunque ſtatus & conditionis exiſtant, & quacunque dignitate præfulgeant, auctoritate Dei omnipotentis, cuius vices gerimus in terris, cuiusque cauſa agitur, diſtincte præcipendo mandamus, ne durante triennio huiusmodi, & quam diu per ſeipſos militauerint, aut alios miſerint, vel pecunias ad expeditionem prædictam erogauerint, & per ſex menſes immediate ſequentes (ut præfertur) quouis quæſito colore directe vel indirecte, palam vel occulte quenquam ex eisdem Principibus aut perſonis ſupra dictis offendant, aut offendentibus præbeant auxilium, conſilium vel fauorem, aut ut ciuitates, terras & loca uni Principi vel domino, aut adhærentibus eorundem utcunque ſubiecta ab illius cui ſubſunt obedientia, quomodo libet ſe ſubtrahant, aut ab aliis ſubtrahantur, ſeu alias in illorum regimine perturbentur, vel in eis aliquid innouetur, directe vel indirecte procurent. Nos enim contra omnes & ſingulos quos arma ſumere, & indictas per nos autoritate Dei omnipotentis inducias huiusmodi violare, & noſtris inhibitioni & mandato contrauenire contingat, per cenſuras eccleſiaſticas & alia iuris remedia, quauis appellatione remota, uſque ad ſatisfactionem condignam omnino & indilate procedere, eoſque perſequi, & ad eorum perſecutionem alios inducere non ceſſabimus, ut illos in quorum præiudicium aliquid fuerit attentatum pro poſſe indemnes conſeruemus, non ſecus quam ſi talia contra nos & ſedem præfatam, loca ditioni dictæ ſedis ſubiecta ſorent attentata, non obſtante conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuscunque ſeu ſi eisdem Principibus vel quibusuis aliis cõmuniter vel diuiſim à ſede Apoſtolica indultum exiſtat. Quod interdici, ſuſpendi vel excõmunicari non poſſint, per literas Apoſtolorum non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Et ut præmiſſa ad cõmunem omnium notitiam celerius perueniant, & ü, quos tangunt, quod ad ipſos non peruenerint, aut contenta in præſentibus literis ignorauerint, nullam excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare, volumus hodie eas quæ eſt 5. dominica quadrageſimum de paſſione nuncupata, in præſentia noſtra, in baſilica Principis Apoſtolorum de Vrbe aſtantibus ibidem præfatis fratribus noſtris, & quam plurimis prælatis Rom. curiam ſequentibus ac Imperatorum, Regum & Principum potentatuumque plurimorum

morum oratoribus ad diætam, quæ præmiſſorum occaſione celebratur transmiſſis, nec non cleri & populi multitudine, intra Miſſarum ſolennia legi & publicari, ac valuis eiusdem baſilicæ poſtmodū affigi, & quod huiusmodi earum publicatio, perinde omnes quos contingunt à die Calend. menſis Iunii prædicti arctent, ac ſi ipſis omnibus perſonaliter & præſentialiter inſinuatæ & exhibitæ extiniſſent: cum non ſit veriſimile ad aliorum notitiam non peruenire, quæ tam patenter fuerint publicata. Et ut præmiſſa eo fiant notiora, quo etiam in aliis ciuitatibus & locis fuerint pateſacta, uniuerſis venerabilibus fratribus noſtris, Patriarchis, primatibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis iuriſdictione ordinaria fungentibus ubilibet conſtitutis, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus per ſe vel alium, vel alias præſentes literas poſtquam eas vel earum tranſumpta authentica manu notarii publici conſecta, & alicuius prælati ſigillo munita receperint, ſeu alias earum habuerint plenam notitiam, ſemel vel pluries prout expedire viderint, in Eccleſiis ſuis, dum maior in eis populi multitudo ad diuina conuenerit, ſolenniter publicent, & Chriſti fidelium mentes deducant, & nuncient & declarent eiſdem, faciantque & mandent per eorum patriarchatus, primatus, prouincias, & diœceſes, ac loca eorum iuriſdictioni ſubiecta prout expedite cognouerint, per alios publicari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ monitionis, requiſitionis, obſecra-
p166 tionis, præcepti, mandati, indictionis, hortationis, receptionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ 1481. ſexto Idus Aprilis. Pontificatus noſtri anno decimo.

MATHIÆ CORVINI HUNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGIS, ORATORUM AD PRINCIPES IMPERII PRO AUXILIO CONTRA TURCOS FERENDO, IMPLORATIO.

Facta Salutatione, & credentialibus literis præſentatis & lectis, infra ſcripta dicentur.

QUÆ nomine ſereniſſimi Principis & domini, domini Matthiæ Bohemiæ & Ungariæ Regis dominationibus veſtris magnificus dominus Sigismundus de S. Georgio, & de Bozin Comes, & ego ſuæ Maieſtatis oratores propoſituri ſumus, ſi Catholicam fidem non concernerent, pro qua tuenda quiſque nulla pericula vitare debet, ſed omnem laborem ſubire, ſi ea grauiſſima & magni momenti non eſſent, & toti Chriſtianitati, niſi celeriter prouideatur, pernitioſa, præſertim Principibus & communitatibus Imperii, longa inſinuatione nos uti oporteret, ut nonnullorum opiniones; qui nos forte mendicos exiſtimant, euidentibus rationibus repelleremus. Sed res de quibus dicturi ſumus, ſi bene aduertentur mentes D. veſtrarum ad lachrymas ſaltem cordis commouebunt. Curabimus igitur nobis iniuncta clare, aperte & breuiter demonſtrare, ut quisque in Imperio exiſtens inexcuſabilis ſit, & ſereniſſimo domino noſtro Regi nulla culpa adſcribi poſſit, ſi quid aduerſi ob negligentiam eorum, qui prouidere debent, Chriſtianitati euenerit. Dicturi igitur ſumus de Turcorum ingenti potentia, deque eorum inſatiabili cupidine Chriſti fidelibus dominandi, & in eorum ſanguine graſſandi rabie, deque prouidendi, ne tale eueniat, celeri neceſſitate.

Turcorum origo De ingenti igitur potentia Turcorum & de eorum inſatiabili cupidine Chriſti fidelibus dominandi, & in eorum ſanguine graſſandi rabie pauca breuiſſime attingamus. Turcorum gens ex Caſpiis portis egreſſa ſeritatem & immanitatem beſtiarum more præ ſe ferens, Pontum, Cappadociam, Galatiam, Bithiniam, Pamphiliam, utramque Phrygiam, Cilices, Cates, & eam Aſiam, quæ Minor vocatur, uſque ad littora Græci maris occupauit. Non unum tantum Principem, ſed diuerſos, quaſi per factiones, ſequebatur. Ex hac Turcorum gente (ut ſcriptum reperimus) quadrageſimum ſecundum ab hinc & centeſimum creatus annum Ottomannus (à quo familia Ottomañorum nominatur) exigui tunc cenſus & obſcuri ex collectitio milite non parua manu per ſeditionem conflata, non ſolum Chriſtianas reliquias vexare, verum etiam homines ſuæ gentis armis infeſtis petere & ſibi ſubdere cœpit. Orta inter Turcorum Principes ſeditione, auctoritatem breui & nomen adeptus eſt tempore: vrbes & oppida non pauca partim vi pat-

Ottomannus

Orchanes. tim deditione in ſuam poteſtatem recepit. Ottomanno Orcanes eius filius ſuc-

Amurates. ceſſit, qui rem à patre commodo proſecutus admodum propagauit; eum Amurates ſuus filius ſubſecutus eſt, qui duobus de Græcorum imperio diſceptantibus in auxilium ab altero accerſitus, Turcorum primus in Græciam tranſiuit, ubi conſulto bellum protrahens, poſtquam ambos enerualis conſumptisque viribus fractos animaduertit, ſumpta occaſione arma in eos conuertit, magnam Thraciæ partem ditioni ſuæ ſubiecit. Is vita functus duos filios reliquit, Solimanum &

Baiazetes Baiazetem. Solimano breui vita ſubtracto, res uniuerſa ad Baiazetem deducta eſt, qui non ſolum Thraciam pene uniuerſam, excepta Conſtantinopoli & Pera, ſed Theſſaliam & Macedoniam olim fere totius orbis dominam, Phocidem, Boetiam, & Atticam maiori ex parte occupauit; Myſorum quoque, quos Raſſianos, Illyricos, quos Boſnenſes, Triballos, quos Bulgaros nunc appellamus, crebris p. 167 in curſionibus infirmauit. Ecce initium belli Turcorum contra regnum Ungariæ. Hic enim Baiazetes armis membra regni infeſtare cœpit, quod valde notandum &

Calapinus. aduertendum eſt. Cum Calapino Baiazete filio & natu inter fratres maiore, poſtquam primum regnum obtinuit, Sigismundus Rex Hungariæ collatis ſignis prælium commiſit, & tumultuoſe ſuſus, caſtra & impedimenta reliquit, Chriſtianorum ingens occiſio facta; Ioannes dux Burgundiæ, proauus modernæ ducisſæ, eo prælio captus multo auro libertatem redemit. Calapino Moyſes eius

Moyſes. Mahometes. Amurates. fratet ſucceſſit, qui paulo poſt vita functus Mahometem fratrem reliquit hæredem. Hic Walachis bello attritis, tributa grauia imperauit, & nonnullos in Aſia regnis ſpollauit. Mahomete mortuo Amurates eius filius Theſſalonicam magnam in Græcia urbem, quam Veneti tunc poſſidebant, vi captam penitus diripuit: Epiri partem, hoc eſt Albaniæ, reliquo regno adiecit, Boſnenſium agros vaſtanit, oppida multa vi cepit, diripuit atque incendit, Hungariam cum centum millibus pugnatorum intrauit, late populatus prouinciam. Sterilis annus impedimento fuit ne regno potiretur, commeatus penuria compulſus ad propria rediit. Hac tempeſtate ſæpe cum Turcis dimicatum eſt, non ſine Ioannis Hunniadis Re-

Mahometes. gis noſtri genitotis ingenti laude, ac noſtrorum & Turcorum ſæpe maximis ſtragibus. Defuncto Amurate Mahometes eius filius regni gubernacula ex voto adeptus eſt. Hic eſt ille Mahometes, Turcorum modernus Princeps, qui ſibi totius orbis monarchiam promittere videtur. Hic eſt ille Mahometes, qui poſt quam gubernare cœpit, à bellis contra Chriſtianos & etiam infideles nunquam ceſſauit. Hic eſt ille Mahometes, qui omnes maiores ſuos in augmentando dominia ſua ſuperauit. Hic eſt ille, qui quanto magis quatitur, tanto fortius inſurgit, & nunquam ceſſat, donec votum ſuum adimpleat, & quem hoſtem reputat, ditioni ſuæ ſubiiciat. Pauca igitur de ſuis geſtis perſtringamus. Conſtantinopolin totius Græciæ & olim Otientis caput vi cepit, & magna cum cæde diripuit, Peloponenſium Amorream, fere totum Trapezuntiæ Imperium, Eubœam hoc eſt Nigtopontum, & alias omnes Ægæi maris inſulas excepta Rhodo, Caſſam nobi-

nobiliſſimam in mari Pontico urbem cum Mæotidis palude, & alias urbes circa mare Euxinum & Ponticum (quod mare Maius nunc vocatur) exiſtentes, Regnumque Boſnæ pro maiori parte, Raſſiam & Bulgariam, Acarnaniam & Alganiam totam uſque Dalmatiæ finem ſuo adiecit imperio. Et Walachos ſibi aliquando parentes habet. Paret igitur manifeſte, quod Mahometes Turcorum Princeps modernus maiores ſuos potentia ſuperat. Ipſe enim per ſuperiores ſuos parta retinuit, & ultra plures & maiores addidit prouincias, prouinciasque per ſuos ſuperiores in parte occupatas integras ſuæ ditioni ſubiecit. Patet etiam manifeſte, quod eius dominandi cupido inſatiabilis eſt, Rabiem eius in Chriſti fidelium ſanguine graſſandi non ſolum Ungariæ regnum nouit, ſed Carniola, Corinthia & Stiria, uſque ad Bauariæ fines, Teutonicæ nationes non ignorant, & Italia in Stiria & in foro Iulii uſque Teruiſium experta eſt, ubi & trucidati & captiuati innumerabiles fuerunt. Ex quibus omnibus (ut diximus) ingens ipſius Mahometis potentia, & Chriſti fidelibus dominandi inſatiabilis cupido, ac in eorum ſanguine graſſandi rabies manifeſte apparet. Quodque Hungariæ regnum ultra centum annos incurſionibus infirmatum & bellis conquaſſatum eſt. Apparet etiam ſolicitudo manifeſta dicti Mahometis, qui plura ſuo tempore quam ſui maiores in Chriſtianos ſacinora fecit, & plura acquiſiuit. De potentia ergo Turcorum & eorum inſatiabili dominandi cupidine ſatis huc uſque clare & aperte dictum eſſe putamus. Nunc vero ad prouidendi neceſſitatem deſcendamus, in qua & ea aperientur, quibus & ex prædictis intelligetur D. veſtræ, quod ſereniſſimus Rex noſter, ut Chriſtianiſſimus Princeps toti Chriſtianitati, cuius ruinam cuiusue deſtructionem totalem mentis oculo proſpicit, ex cordis viſceribus compatitur. Nam contra tantam Mahometis potentiam, ſua Maieſtas, quæ olim ſocios habebat, nunc ſola relicta eſt, nec aliunde niſi à Principibus Imperii auxilium expectare poteſt. Quod ſi in ea re deficient Imperii principes, credant, imo certi ſint, quod Turcorum aduentum in laribus propriis citius videbunt, quam audiant. Veneti nulla ratione conſtricti, ſola inuidia moti, ut ſuam voluntatem prauam & rebellionem contra ſanctam ſedem Apoſtolicam magis firmarent, quam potius, ut veri filii communis matris contra rebelles, iuuare debuiſſent, cum Turco peſſimis conditionibus & multum iniurioſis, imo toti Chriſtianitati periculoſis, pacem inierunt: dederunt Turco munitiſſima caſtra, loca & ciuitates, immo prouincias quas Turci decem aut quindecim annis expugnare non potuiſſent. Obligarunt ſe, quod Turci per terras & maria absque eorum impedimento tute tranſire poſſent. Portus eorum Turcis apertos tenere promiſerunt, & victualia eis dare, ac plura alia, quæ in totalem Chriſtianitatis ruinam vergunt, niſi ſubito prouiſum fuerit. Ecce Veneti Regiam Maieſt. ſolam reliquerunt, & (quod peius eſt) creditur, quod ſocios in
p.168 ea re habeant. Pacem cum Turco Maieſtas Regia ſi voluiſſet, priusquam Veneti aut alius habere potuiſſet, & eam cum utilitate ſuæ maieſtatis, & non ſicut Veneti, ut ſua bona, ut pacem haberent, à ſe alienarunt. Turcus enim per triennium magna cum inſtantia, à ſua Maieſtate pacem quæſiuit, & uſque Budam pro ea extorquenda ſolennes tandem oratores miſit, Regiæ Maieſtati regnum Boſnæ & alia multa offerendo, ſubſidiaque etiam de propria perſona, ubi opus fuiſſet, Turcus pollicebatur, dum modo ſua Maieſtas eidem & ſuis, ſine ſuæ Maieſtatis & ſuorum damno tranſitum per regnum ſuum ad alios Chriſtianos permitteret. Hæc omnia Regia Maieſtas recuſauit, exiſtimans (ut bonus Chriſtianus) alios ſimiliter facturos. Sed proh dolor Veneti à Turcis (ut diximus) turpiſſimis conditionibus & cum Chriſtianorum iactura pacem extorſerunt. Quæ res valde aduertenda atque conſideranda eſt. Turcus enim facta prædicta turpiſſima cum Venetis pace non ignorat, quod ſereniſſimus Rex Ungariæ contra eum ſolus relictus eſt, quem credit celerius deglutire, quam à Chriſti fidelibus ſuæ Maieſtati auxilia præbeantur. Et expu-

gnato Hungariæ regno, totius Occidentis & ſeptentrionis monarchiam Turcus ſibi absque dubio pollicetur. Ipſe enim Turcus poſt prædictam cum Venetis turpiſſimam pacem, Hungariæ regnum armis infeſtare non ceſſauit: & ut de aliis primis anni incurſionibus pluribus Turcorum & Hungariæ regnum taceamus, duas tantum notabiles referemus. Inuaſit enim Turcorum gens de menſe Auguſto fimbrias ſuperioris partis regni ad ea loca per Stiriam in Hungariam intrando, de quibus nunquam aliquis cogitauit, & inde (ut communis fama eſt) ultra viginti millia captiuorum abduxit. Sequenti vero menſe Octobri maximo cum exercitu electorum hominum quadraginta trium millium, & Walachorum numero maximo Tranſyluaniam (ubi nerui regii fiſci, ſalis ſcilicet, & auri & argenti fodinarum exiſtunt) Turci intrarunt, magnaque cum præda ad propria redeuntes ab exercitibus Regiæ Maieſtatis Dei gratia non ſine magna ipſorum cæde proſtrati ſuerunt & omnes capitanei ſiue primarii partim occiſi, partim capti apud Regiam Maieſtatem exiſtunt, ipſorum vero ex minoribus pauci euaſerunt. Manifeſte igitur apparet, & cum lachrymis referendum eſt, quod Turcus, qui ſolicitiſſimus eſt (ut pluribus ſuis geſtis comprobari poteſt) Hungariæ regnum totis viribus inuadere cito conabitur, ut & ignominiam, quam in regno Hungariæ nuper accepit, à ſe aboleat, ſuæ ditioni dictum regnum ſubiugando: ſperat enim à nullo Chriſtianorum exilia ſuæ Maieſtati præberi. Regia ergo Maieſtas regni ſui deſtructionem videns, ac totius Chriſtianitatis, cum ſua Maieſtas ſuumque Hungariæ regnum ultra centum annos à Turcis conquaſſatum, ipſorum potentiæ ſic fortiter ut prius reſiſtere non valeat, nos ad Imperii partes miſit, ut & prædicta pericula ſignificaremus, & unde auxilia celeriter ſperare poterat, ea peteremus. A nulla enim orbis parte, hac tempeſtate, niſi à principibus Imperii auxilia ſperat. Italia enim, & Hiſpania, & Francia, cum dominiis ducis Burgundiæ, bellis ardent. Sperat tamen ſua Maieſtas, quod quamuis Veneti, & ſi qui ſunt ſequaces, cum Turco pacem turpiſſimam inierint, ſi Imperii Principes cum effectu ſubito auxilia ſuæ Maieſtati præbeant, prout per nos qui hic ſumus cum pleniſſima poteſtate, declarabitur, quod regnum ſuum retinebit, & partes Imperii illæſæ ſeruabuntur. Conſiderent igitur D. veſtræ Turcorum ingentem potentiam, & Mahometis eorum Principis inſatiabilem Chriſti fidelibus dominandi appetitum, ac in agendis ſolicitudinem & vigilantiam. Quodque in mora prouidendi maximum diſcrimen non ſolum Hungariæ regno, ſed toti Chriſtianitati eſſe poteſt, præſertim nationi quæ cum Turcis poſt Hungaros immediate vicina eſt, & ad quam Turcis per Hungariam uſque Rhenum & alias partes facilis tranſitus eſt. Diſponant ergo ſe D. veſtræ ad celeriter prouidendum. Nos vero qui hic ſumus cum pleniſſimo (ut diximus) mandato Regiæ maieſtatis, etiam in ſpecialiſſimis caſibus, poſtquam intellexerimus D. veſtras ad providendum cum effectu diſpoſitas, ea D. veſtris aperiemus, quæ non ſolum eiusdem D. veſtris pergrata erunt & facilia, ſed toti Chriſtianitati utilia. Et intelligent Regiam Maieſtatem optime ad defendendam Chriſtianitatem diſpoſitam, ſi ſuæ Maieſtati D. veſtrarum auxilia non deerunt.

Tranſyluania.

MAT-

MATTHIÆ REGIS HUNGARIÆ EPISTOLA AD HENRICVM EPISCOPVM RATISBONENSEM.

ANNO MCCCCLXII. Quidam Electorum Imperii, Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgenſis, Noribergæ ad petitionem Imperatoris, ubi conuocati fuerunt Principes & ciuitates Imperii, pro auxilio Imperatori contra Matthiam Ungariæ Regem præbendo, miſit etiam illuc Rex iam dictus ambaſiatam ſuam, quibus denegatus fuit ſalvus conductus, & ſic absque audientia abierunt. Electores raxas fecerunt Principum ſecularium & ſpiritualium & cum hoc ciuitatum Imperialium. Principes Bauariæ nihil dederunt, neque miſerunt: aſſerentes non eſſe bellum Imperii, ſed Ducatus Auſtriæ. Epiſcopus Ratisponenſis Heinricus de Abſperg non miſit armigeros: taxauit clerum ſuum, & Imperatorem ſitibundum in mille refecit aureis. Cognita igitur munificentia Epiſcopi ſperans alios mille, iterum cum armigeris eum vocauit: & cum non occurreret, amplius eum ſollicitare ceſſauit.

Rex Ungariæ aegre ferens denegatam ſibi audientiam, ſcripſit Principibus ſpiritualibus & ſecularibus his verbis: Matthias Dei gratia Rex Ungariæ & Bohemiæ, Reuerendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Heinrico, Epiſcopo Ratisponenſi, amico nobis dilecto ſalutem. Reuerendiſſime in CHRISTO pater, amice nobis dilecte, queſti ſumus non ſemel, ſed pluries amicitiæ veſtræ, & aliis ſacri Romani Imperii Principibus, de iniuriis, quas nobis & regno noſtro Imperialis Maieſtas iam dudum irrogare non ceſſauit. Nec dubitamus, ipſum Cæſarem, plurima contra nos excogitata, apud amicitiam veſtram, & alios fratres & amicos noſtros in Imperio protuliſſe, & more ſolito de multis nos inſimulaſſe, de quibus ſi iuſta ratione decerneretur, facile appateret, uter noſtrum inſimulandus foret. Id enim firmiter credimus, quod ſi negotia illa quæ inter nos & illum aguntur, ſuo modo & ordine, & uti rei veritas continet, amicitiæ veſtræ & aliis Principibus tranſacto anno fuiſſent expoſita, vel ſaltem noſtri Oratores, qui ad declarandum ſuper omnibus veritatem miſſi ad diætam in Nümberg fuerunt, liberum acceſſum atque audientiam debitam habuiſſent, præſidia illa quæ contra nos Cæſari collata fuerunt, minime collata extitiſſent.

Sed ut omne malum, quod in nos & in regnum noſtrum, vel potius in totam Chriſtianitatem Cæſar ipſe ab initio conceperat, tandem aliquando patefaceret; egit & per ſe, & eum Venetis, ut Turcorum Cæſarem perpetuum Chriſtiani nominis hoſtem contra nos excitaret, id palam affirmans (quod non nunc primum, ſed longe antea cognouimus) niſi deletis & exterminatis Hungaris, non poſſe res Chriſtianas proſperari. Ex eius igitur & Venetorum ſuggeſtione & impulſu, Turcos ipſos cum maximo & ingenti apparatu contra nos venire certificati ſumus, atque illos in noſtrum & Chriſtianitatis exitium ſuaſu Chriſtiani Cæſaris conſpiraſſe. Quibus occurrere volentes, atque cum adiutorio Dei partes noſtras vel potius Chriſtianas, contra infidelium rabiem defendere cupientes, amicitiam veſtram requirimus & hortamur, ut ſi Cæſari contra nos agenti veſtra præſidia non negaſtis, nobis pro fide Chriſtiana decertantibus, ad cuius tutelam longe magis obligati eſtis, transmittere & nobis adſiſtere velitis: ut communi omnium collato præſidio, partes noſtræ contra Turcos defendantur. Ne ſi quid nobis & regno noſtro (quod Deus auertat) contingeret, vos & tota Chriſtianitas proximum periculum ſentiatis. Nos quidem fatemur, non ſemel, ſed multiplicatis vicibus ab ipſis Turcis fuiſſe petitos; multis etiam & maximis

mis pollicitationibus oblatis oratos, ut eis liberum paſſum per terras noſtras ad Dominia Cæſaris & alios Chriſtianos concederemus. Itaque pro ſua prudentia, & pro affectu in Remp. Chriſtianam, quam non ambigimus in vobis eſſe præcipuam, ſecum reputet amicitia veſtra, utrum magis iuſtum magisque neceſſarium ſit, nobis contra Turcos, non tam pro noſtra, quam pro omnium ſalute agentibus, in tanta opportunitate præſidium ferre; quam Imperatori contra nos. Quæ ſi noſtrum periculum non reputat, habeat ſaltem communis, & toti Chriſtianitati impendentis periculi rationem. Nam ſi nos ab aliis Chriſtianis non iuuabimur; fortaſſe & nobis neceſſitate compulſis aliquid facere opus erit, quod non in noſtram modo, ſed in aliorum calamitatem redundabit. Valere optamus amicitiam veſtram. Datum Budæ XI. Aprilis anno Domini MCCCC LXXXIII. Regnorum noſtrorum Hungariæ anno XXVI. Bohemiæ vero XIV.

3 c

JO. TRITHEMII
HISTORIA
BELLI BAVARICI.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Lluſtre nomen erat inter ſcriptores ſeculi decimi ſexti Johannis Trithemii. Hic natus in pago Trittenheim, Trevirenſis diœceſis, ad ripas Moſellæ fluminis, Calend. Februarii 1462. Pater erat Johannes de Heideberg, mater Eliſabeth de Longovico. Anno 1482. in Monaſterio Spanheimenſi Moguntinæ dioeceſis, habitum ſecularem depoſuit, & monaſticum ſub norma Benedicti de obſeruantia tunc nouiter introducta, illic adſumſit. Sequenti Anno 1483. Joanne de Colenhuſen abbate, ad Seligenſtatt canonica poſtulatione translato, Trithemius communi fratrum electione, in abbatiam cœnobii Spanheimenſis IV. Calend. Julii fuit promotus & ornatus. Huic monaſterio præfuit annis 23. menſe vno, diebus decem & nouem. Quibus euolutis, anno 1506. non ſine laboribus multis, quorundam æmulorum temeritate prouocatus abbatiam S. Jacobi Herbipolenſem, quæ illi offerebatur, adſumpſit; & Spanheimenſem curis inutilibus plenam, ſpontanea voluntate reſignauit. * Vir erat doctrina præſtans, Principibus etiam, Joachimo potiſſimum I. Brandenburgico Electori adamatus *

* Hæc Johannes Duracluſius, qui ipſius olim fuerat diſcipulus in vita, Trithemii Operibus præmiſſa, plenius exponit: Scripſit alias eius elogium J. Langius. *Chron. Citic. ad annum 1515.* Andreas Theuetus *de Vir. illuſtr. lib. III. cap. LXXX.* & Voſſius *de Hiſtor. lat. lib. III. cap. X.*

tus * de quo ſæpius mentio fit in Trithemii Epiſtolis. Immo, interceſſit inter Joachimum I. & Trithemium commercium quoddam litterarium.** Multos quoque tractatus, qui in Catalogo Operum ipſius reperiuntur, ad eum ſcripſit Trithemius. Inter varia ſcripta, quæ & in Cœnobio Spanheimenſi & Herbipolitano concinnauit, ſunt quædam, quæ concernunt Hiſtoriam atque Genealogiam Bauaricam & Palatinam. Inter hæc *Chronicon* eſt *ſucceſſionis Ducum Bauariæ & Comitum Palatinorum, ad Philippum Palatinum Comitem. Principem Electorem de Origine, Regibus, ac Ducibus Bauaricorum ſimul & Comitum Palatinorum & Spanheimenſium libris quatuor.* Hoc ipſum, quod exhibemus, ſcriptum promiſerat quidem Freherus in Catalogo, huic Tomo ſecundo præfixo, ſed non inſeruerat; hoc ſaltem addens: *hæc quoque eodem hoc tempore apud nos eduntur.* Continet *illud Hiſtoriam atque res geſtas Friderici I.* Palatini Electoris dicti Victorioſi, qui Friderici III. temporibus variis negotiis clarus. Trithemium quidem auctorem illud adgnoſcit, neque tamen ſigillatim ab ipſo fuit editum, ſed ex ipſius Annalibus Hirſaugienſibus compilatum, prout ex initio ſtatim notarum adparet, ex quibus etiam patet, Trithemium ex Matthiæ Kemnatenſis, qui Friderici Capellanus fuit, & Michaelis Weinſpergenſis Poëtæ vita Friderici multa hauſiſſe. Compilator fuit noſter Freherus, qui in notis ſubinde ad Origines Palatinas prouocat. Iſta ætate, dum Freherus hanc compilationem ederet, Annales Hirſaugienſes, prout, repetita lectione à Trithemio in Monaſterio D. Jacobi Herbipolenſi, pleniores longe fuerunt conſcripti, nondum vero editi, ſed iisdem ſaltim ex Codice manu exarato vſus fuit Freherus. Nouiter vero ex Codice Sangallenſi prodierunt Typis Monaſterii S. Galli 1690. f. Dum

* De quo ipſe Trithemius Chron. Spanheim. *ad an.* 1505. *Joannes Trithemius diſpoſitis, vt potuit, rebus, per Thuringos Marchiam, intrauit & veniens ad Berlin oppidum, in quo Marchionis eſt reſidentia, cum gaudio magno & honore ab eo ſuſceptus eſt, & in omnibus iuxta principalem munificentiam copioſe promiſus. Manſit autem cum eodem Principe in Marchia menſibus IX. varia ad inſtitutionem illius laudabilem componens opuſcula. Erat enim Princeps idem in omni varietate ſcripturarum doctiſſimus, annum tunc agens XXIV. ſed prudentia atque ſapientia longe ſupra ætatem clarus & multum inſignis: qui amore ſcientiæ ſalutaris multum æſtuans, Trithemium a multis annis habere Præceptorem deſiderauerat.*

** Inter Trithemii epiſtolas *lib. I. epiſt. VII.* Joachimi eſt ad Trithemium, *VIII.* eſt reſponſoria *epiſt. LXII.* ad Joachimum. *lib. II. epiſt. VII. & VIII. XIV. XVIII. XIX. XXIII. LX.* huc faciunt.

autem nec iſta editio in omnium ſit manibus, notæ etiam a Frehero adiectæ, multam lucem adferant hiſtoriæ, idem ſcriptum hic inſerendum eſſe duximus. Acceſſit *Petri Antonii Ferrarienſis Liber de Principum dignitate*, ad Fridericum Palatinum ſcriptus, in quem colloquium quoddam de eadem materia inter Jodocum Kalb & Henricum Munſiger retulit, in quo laudes dicti Friderici ſatis ſuperque prædicantur. Conferri merentur cum Trithemio, Gobellinus de Comment. Pii II. Fuggerus, Nauclerus, Freherus Origg. Palatinis & præcipue Müllerus in Theatro Comitiorum ſub Friderico III.

RES

RES GESTÆ

FRIDERICI PALATINI

ELECTORIS, EIUS NOMINIS PRIMI, VICTORIOSI VULGO DICTI.

IOHANNE TRITHEMIO ABBATE SCRIPTORE.

Notis & additionibus variis illuſtratæ.

Accedit

PETRI ANTONII FINARIENSIS DE DIGNITATE PRINCIPUM LIBER, AD EUNDEM FRIDERICUM.

PAULI MELISSI FRANCI, COMITIS PAL. ET EQU. AUR. CIVIS ROMANI

CARMEN ALCAICUM

DE FRIDERICO VICTORIOSO, ELECTORE PALATINO, PRINCIPE FORTISSIMO.

VIXEM *canorus temporis id, Duci*
Quo FRIDERICO *viuere contigit,*
Victorioſi grande nomen
Et titulum merito perennem:
Suggeſſet amplam materiem ipſemet
Dignè canendi facta tot inclitis
Præclara pugnis præliisque,
Magnificè ſibi tum patrata,
Non abſque famâ perpete. Dicerem
Ut Iſcburgi pectus, Epiſcopi
Magontienſis, per papyrum
Romuleam temere abdicati,

Defenſitaris: cumque ferocius
Irruptionem præſul agrum in tuum
Metenſis, & frater Badenſis
Regulus, & comes ille Tecci
Feciſſet; illos ceperis, ac ſimul
Florem caterva nobilium agmine
Præſentis, Helffenſtenio atque
Salmiade comite interemptis.
Talem Leonem, Marmaricum genus,
Deſæuientem in bruta animantia,
Prædaque fortes & rapina
Comperiunt inhiantem alumni.
Sic vindicaſti victor, & ultus es
Iniurioſas enſe domeſtico
Turmas, colonorum Penates
Prædiaque & ſegetem involantes,
Cum luctuosâ Mulciberis face
Cremante pagos. Arx vetus haud rei eſt
Oblita, quæ captos recepit,
Sed Cereris ſine fruge piſta
Menſam exhiberi ſuaſit, ut hoc modo
Damni admonendos falleret. Huius &
Tu ſtragis Haidelberga teſtis
Es locuples, ſabuloque campi,
Campi patentis, quâ via Séccamum
Verſus pedes fert, ac tumulos recens
Ethinga monſtrat. En meantis
Non adeo procul inde Rheni
Fluenta cerni turgida ſuſtinent,
Nigrique lymphæ. Marmor ibi editum
Factum eſſe conflictum recenſet,
Atque tuas FRIDERICE *laudes*
Transſcribit ævo nobile poſtero.
Quid perpetraris præterea, loci
Eſt alterius. Iamque multis
Publicat e veterum tabellis
Teſtationum pondera plurium
Docti FREHERUS *verticis, integer*
Veri patronus. Quæ tuo de
Sanguine vivit adhuc ſuperſtes,
Gens eminentis robora dextera
Haud abnegabit, ſeque Leoſthenis
Gaudebit adiuncto vocari
Nomine perpetuos in annos.

FRI-

FRIDERICI PALATINI ELECTORIS, EIUS NOMINIS PRIMI, RES GESTÆ.

IOHANNE TRITHEMIO ABBATE, SCRIPTORE.

VT GENEALOGIA Comitum Palatinorum ſcire cupientibus fiat manifeſta : placuit nobis ſermonem à Rege Ruperto altius repetere. Igitur Rupertus Germanorum Rex, Palatinus Comes, Bauariæque Dux, vxorem habuit, nomine Margaretham, Burgrauii Numbergenſis filiam, de qua genuit filios ſex, & tres filias : quorum iſta ſunt nomina, Rupertus Pipan, Fridericus Amberg, Ludouicus Barbatus princeps Electo r, Joannes Neuenberg, Stephanus in Zweibrücken, Latinè Gemini pontis, & Ottonem in Mospach. Filiarum vero nomina iſta fuerunt ; Agnes, Margaretha, & Eliſabeth, numero tres.

Rupertus Pipan primogenitus Ruperti regis Germanorum, qui (vt ſupra diximus) Anno dominicæ natiuitatis nonageſimo quarto ſupra trecenteſimum atque milleſimum contra infideles pugnauerat Turcas non ſatis feliciter, vnà cum Joanne Burgundiorum Duce, & multis aliis Principibus vix euadens, in magna paupertate cum paucis venit in patriam, & non multo poſt vxore carens, ſine liberis moritur, cuius cadauer in Amberg oppido ſepelitur.

Fridericus Amberg ſecundogenitus Ruperti regis, ante patrem juvenis etiam ſine liberis moritur, & ſimiliter in Eccleſia prædicta Ambergenſi tumulatur, & ſic principatus Electorius ad tertio genitum iure deuoluitur.

Ludouicus Barbatus tertio genitus Ruperti regis Germanorum, Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, & princeps Electo r, duas habuit vxores : quarum prima fuit Regis Anglorum filia, nomine Blanca, de qua filium genuit nomine Rupertum, cognomento Engelland, qui ante patrem ſine liberis moritur. Nec diu poſt mortua eſt & mater eius Blanca Henrici Regis memorati filia. Qua mortua Ludouicus alteram duxit vxorem Mechtildem ducis Sabaudiæ filiam, de qua genuit tres filios, Ludouicum pium, patrem Philippi, genitoris in principatu ſucceſſorem ; Fridericum Philippi (vt dicemus poſtea) tutorem ; & Rupertum Archiepiſcopum Colonienſem.

Joannes quarto genitus Ruperti regis, Comes Palatinus Rheni, & dux Bauariæ, duas habuit vxores. Prima fuit Catharina filia ducis Pomeranorum ac Stetinenſium, quæ peperit ei ſex filios : Chriſtophorum Regem Daniæ, Suediæ, & Norwegiæ, Ottonem quoque, Joannem, Joannem alterum, Fridericum, & Adolphum. Sed hi quinque vltimi omnes in pueritia ſine liberis obierunt. Altera fuit vxor eius, filia Erneſti ducis Bauariæ in Monacho, de qua liberos non habuit. Dux iſte Johannes pro vnitate fidei Catholicæ multa patrauit contra ſchismaticos in Boëmia, & plures inſidias ab eis ſimul & damna perpeſſus eſt : moriens tandem in ſenectute bona, ſepultus eſt in Nuenberg Bauariæ cum patribus ſuis.

Stephanus quintogenitus Ruperti Germanorum Regis, Comes Palatinus Rheni, & dux Bauariæ, vxorem habuit Sophiam, vltimi comitis in Veldentz & Zweinbruck filiam : cum qua & duos comitatus prædictos Veldentiæ & Gemini pontis obtinuit, & filios ex ea quinque ſuſcepit, quorum iſta ſunt nomina. Fridericus primogenitus, qui dictus eſt Cynonotus, id eſt Huntzrucker, propterea quod partem Comitatuum in Spanheim & in Starkenberg conſecutus, morabatur in Simern oppido, in paganis qui *Huntzrucker* dicuntur, ſituato. Hic duxit vxorem ducis Gelriæ filiam, nomine Margaretham quæ peperit ei tres filios, & duas filias apud Treuerim moniales. Primus fuit Joannes patris ſucceſſor in principatu : qui genuit Joannem hodie * in Symen principantem, ex * *An.* 1514.

filia

filia Comitis de Salm. & vxor eius filia Chriſtophori Marchionis Badenſis. Rupertus ſecundo genitus Friderici, Epiſcopus Ratisponenſis. Fridericus autem tertio genitus, hodiè adhuc viuens, Canonicus eſt Treuirenſis, Moguntinenſis, Colonienſis, & Argentinenſis, vir moribus & vita honeſtiſſimæ conuerſationis. Secundo genitus ducis Stephani Ludouicus fuit, cognomento Niger, qui ducatum Veldentiæ ſimul obtinuit & Gemini-pontis: vxorem habuit Gallicanam, quæ peperit ei duos filios, & vnam filiam, noſtri ordinis iuxta Popardiam monialem. Primogenitus Ludouici nomine Caſpar ducta vxore cum eſſet impotens & inutilis ad generandum, teſticulos ſibi patre neſciente fecit præſcindi. Vnde commota vxor ab eo diſceſſit ad genitorem ſuum reuerſa: & dux Caſpar pro fatuo habitus, dolo fratris cuſtodiæ mancipatus eſt vsque in præſens. Secundo genitus nomine Alexander, fratri captiuo ſuccedens in ducatu, hodie claudus ex morbo puſtularum & valetudinarius, terram gubernat ſuam. Genuit autem Ludouicus dux Niger & alios filios, miniſterio dicatos Eccleſiaſtico: quorum mihi ignota ſunt nomina. De præſcriptis ſuo tempore latius dicemus.

Otto ſextogenitus Ruperti Regis, cognomento Moſpach, propterea quod ipſum oppidum Moſpach cum aliis ad illud pertinentibus à patre acceperat in hæreditatem, & morabatur in eo: habuit vxorem filiam ducis Bauariæ, in Landtshuta commorantis, de qua genuit Otthonem Moſpach, qui noſtris temporibus ſine vxore permanens, etiam ſine liberis eſt mortuus: & ſic Moſpach cum omnibus pertinentiis ſuis ad manus Philippi Comitis Palatini iterum reuoluitur. Rupertum quoque Epiſcopum Ratisponenſem, Johannem Canonicum, & Albertum Epiſcopum Argentinenſem. Et in iſtis genealogia ducis Otthonis memorati defecit.

M CCCC XXXVII.

Anno præſcripto vltima die menſis Decembris obiit Ludouicus Barbatus, Comes Palatinus Rheni, Bauariæque: Dux, & princeps Elector, filius quondam Ruperti Regis Germanorum: Ludouicum Pium ex Mechtilde filia Ducis Sabaudiæ Amedei, Papæ poſtea Felicis, legitima filium relinquens hæredem. Cuius frater, ſecundo genitus Ludouici Barbati, Fridericus non duxit vxorem, ne principatus iteraretur diuiſio: genuit tamen ex nobili quadam fœmina filium, nomine Ludouicum, qui hodiè Comes eſt in Lebenſtein, cuius matrem (vt ferunt) priusquam moreretur, in facie Eccleſiæ duxit vxorem. Rupertus autem tertiogenitus Ludouici Barbati Archiepiſcopus fuit Colonienſis poſt Theodoricum, & antè Hermannum, de quo ſuo tempore latius dicemus. Filias etiam reliquit tres, quarum vna Gandaui fuit monialis cum ſancta Coleta: ſecunda ſimiliter fuit monacha in Colonia: tertia primò nupſit Comiti de Wirtemberg, & poſtea Duci Auſtriæ Alberto, fratri Friderici Imperatoris tertii.

M CCCC XXXVIII.

Anno iſto, duodecima die Menſis Maji obiit Heydelbergæ Mechtildis, vxor quondam Ludouici Barbati Comitis Palatini, Bauariæque ducis, de quo plura in ſuperioribus per ordinem diximus, mater pauperum pientiſſima.

M CCCC XLV.

Anno prænotato Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, & princeps Imperii ſacri Elector, filius quondam Barbati, & nepos Ruperti Regis Germaniæ, qui morabatur in Heydelberg, vxorem duxit Margaretham filiam Amedei quondam ducis Sabaudiæ, tunc verò Papæ Felicis quarti, & ſororem Ludouici, quæ ducatum paternum tunc Sabaudiæ ſtrenuè gubernabat: de qua genuit filium vnicum Philippum, qui ei in principatu Palatino ſucceſſor fuit.

M CCCC XLVIII.

Anno prænotato quarta decima die menſis Julii hora tertia poſt meridiem, in

in oppido Heidelberg naſcitur Philippus Rheni comes Palatinus, Bauariæque Dux, patre Ludouico Pio, matre verò Margaretha filia Amedei primi ducis Sabaudiæ, vixit annos quinquaginta nouem, menſibus quatuor, diebus tredecim: de quo per ordinem temporum conſequenter dicemus reliqua.

M CCCC XLIX.

Hoc anno decima tertia die menſis Auguſti, moritur Ludouicus Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, & Princeps Elector, Heidelbergæ in choro Spiritus Sancti Eccleſiæ ſepultus cum honore. Filium reliquit vnicum, vndecim menſes habentem ætatis, nomine Philippum, quem genuit ex Margaretha Amedei ducis ſupradicti, Felicis Papæ filia, & relicta quondam Ludouici regis Siciliæ, quæ tertiò poſtea nupſit Vdalrico Wirtenbergenſi comiti. Moriturus autem Ludouicus ipſe princeps Chriſtianiſſimus, filium ſuum memoratum vnigenitum Philippum, vxorem quoque Margaretham, & omnem principatum ſuum, Friderico fratri ſuo commendauit, qui non habuit vxorem, ſub tali videlicet conditione, vt ipſe tutoris ageret officium, quousque Philippus octauum decimum compleuerit annum, quo (miſerante Deo,) completo tutoris officium exſpiraret, & Philippus paternum liberè haberet dominium. Sed fratre mortuo, Fridericus ſuperuixit annis viginti ſex, & nomen tutoris non depoſuit, nec principatum (vt promiſerat) Philippo reſignauit. Sed quam diu vixit officium tutoris tenuit, & prudenter omnia gubernauit.

Fridericus tutor Philippi.

M CCCC LII.

Hoc anno, Indictione Romanorum quinta decima, Fridericus Comes Palatinus Rheni, tutor & patruus Philippi, contractis copiis bellatorum, contrà Comites de Lützelſtein proceſſit ad prælium. Cuius aduentu perterriti Comites in caſtello ſuo ſe continuerunt, non audentes cum tanta multitudine dimicare. Unde Fridericus firmata obſidione, Lützelſtein per ſeptem dies & duos menſes fortiter impugnans, tandem in profeſto S. Martini caſtellum cum oppido violenter obtinuit, & omnem Comitatum ſuo dominio ſubiugauit. Comes autem ex Lützelſtein prius occultè fugerat, nec Palatino congredi audebat.

Cauſam belli quantum poſſumus, breuiter dicemus. Ludouico Pio Comite Palatino Rheni patre Philippi viam uniuerſæ carnis ingreſſo, Fridericus frater, qui erat ſine uxore, conſenſu procerum curiæ Palatinatus, auctoritate quoque & confirmatione ſedis Apoſtolicæ, tutor infantis Philippi conſtitutus eſt: & cum titulo Electorii principatus Imperii Romani *Palatinum & Principem Electorem* ſe & ſcripſit & geſſit in omnibus, non tutorem ſe nominans, ut erat, ſed dominum. Diſplicuit iſta prærogatiua, ne dicam poteſtas, vicinis Principibus, & inprimis Theodorico Archiepiſcopo Moguntino, Stephano quoque duci Geminipontis, & filiis eius Friderico & Ludouico, Carolo Marchioni de Baden & Comitibus quibusdam, præcipuè illis de Lützelſtein, qui ſingulari odio Fridericum Comitem Palatinum inſequebantur. Unde contractis, ut poterant, latrunculis frequentes hoſtilesque incurſiones fecerunt in terram eius; & multas pauperibus clades igne, ferro, & rapina intulerunt. Adhæſerunt autem prædictis Comitibus de Lützelſtein occultè Principes memorati: quorum ſeducti pollicitationibus, quicquid potuerunt mali ſemper in Palatinum præſumpſerunt. Poſt multas tandem iniurias Comitum, quas terræ pauperibus intulerunt, euigilans Palatinus, qui alioquin princeps erat mitiſſimus, diutius tantam illorum inſolentiam diſſimulare non potuit: ſed contracto milite Lützelſteiu obſedit, cepit, & Comites de terra eorum fugauit, uſque in præſentem diem.

ADDITIO. Inde verſus hi facti.

Ecce Palatine Comes ô precioſe, potenter
Lützelſtein prædè Martini præſulis intras.

Sedula laus Chriſto, qui vim dedit hanc Friderico
Excelſo Comiti, Bauariæque Duci.

M.CCCC LV.

Anno præſignato, Ludouicus cognomento Niger Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, Comes in Spanheim, Veldentiæ, & in Zweienbrücken, filius Stephani Ducis, & frater Friderici apud Symern commorantis inter Cynonotos, homo inquietus, moleſtè ferens, quod Fridericus tutor Ppilippi ſe Principem ſcriberet Electorem, prædas contra eum & incendia pauperum exercere cœpit. Quem Fridericus ſecundò & tertiò per literas & nuncios charitatiuè prænónuit atque rogauit, ut à malè cœptis, deſideriis, & incurſionibus ſuis deſiſteret, ac pauperes Palatini principatus de cætero non turbaret. Ludouicus autem nihili pendens monentem, in ſuo propoſito perſeuerabat, & ſuo more ut cœperat incurſiones, deprædationes, & incendia pauperum terræ Palatini continuauit. Undè commotus dux Fridericus, magnum ſuorum adunauit exercitum, & oppidum Bergzabern, in quo Dux Ludouicus præſidia locauerat ſua, obſedit: & diebus viginti quatuor fortiter impugnans, tandem infeſto S. Tiburtii Martyris expugnauit & cepit. Poſtea inter eos concordia ſub tali conditione facta eſt, quod Fridericus oppidum Ludouico deberet reſtituere, & Ludouicus deinceps nihil mali contra Fridericum & Palatinatum attentare. Sed non manſit in fide.

ADDITIO. Inde verſus hi ſcripti.

*Inclyte, magnifice * Princeps ac generoſe.*
Digne Palatini Rheni Comes ò Friderice,
Elector perdigne ſacri ſimul Imperii, Dux
Bauariæ præcelſe, nitens præclarus in orbe.
Magnificis geſtis terram terroribus imples.
Anglia, Francia iam timet & Burgundia, partes
Circum vicinæ, tanta feritate Leonis
Inſultare tremunt, longè lateque per orbem
Terrarum domini tactis terrore fileſcunt.
Plantis dum calcas nudatis ſancte Tiburti
Horrendas prunas, Berchzabern viribus intras
Ecce Palatine Comes inuictiſſime portas.

Erat eodem tempore Richardus de Homburg, vir bellicoſus & inquietus: qui & ipſe partes Friderici Palatini Comitis memorati vatiis incurſionibus fatigabat. Contra cuius inſolentias Dux ipſe Fridericus contracto milite caſtellum eius Kleeberg nuncupatum, haud procul à Wiſſenburgo ſituatum, obſidione cinxit, & breui in ſuam poteſtatem accepit. Erat enim Princeps timens Deum, & amans iuſtitiam: propterea in cunctis proſperè agebat. *Kleeberg.*

ADDITIO. *Antequam ad ulteriora pergamus, inferendam hic cenſuimus hiſtoriam Amberge à Friderico in ordinem conctæ, à Trithemio omiſſam, ex Chronico Bauarico Andreæ Presbyteri Ratisponenſis, quod ita habet.*

Philippi pueri curam aſſumſit, & affectu paterno omni decentia uſque ad annos pubertatis educauit. Heidelberg cum ſuis attinentiis in poſſeſſionem cœpit. Ciuitates autem Bauariæ, quarum principalior fuit Amberg, Philippo homagium fecerant, procurante patre eius, dum adhuc in humanis ageret. Requiſiti igitur à Friderico ſibi eadem præſtare, denegarunt ea de cauſa, ne periurii incurrant reatum. Et ne temeritate quadam hoc facere viderentur, volebant ſe offerre declarationi Epiſcopi Ratisponenſis (tunc enim præſulabatur Fridericus de Planckenfels) tanquam eorum curati, vel uniuerſitatis Wiennenſis, tanquam in hac parte neutralis: quæ idem Palatinus Rheni acceptare renuit. Interim dum hæc

hæc agerentur, misit eis consiliarios suos : inter quos Doctor iuris quidam certis argumentis nitebatur asserere, Eos nequaquem labe huiusmodi affici ; sed hoc faciendum omninò expedire, illæsas etiam conseruaturos conscientias. Sed huiusmodi persuasionibus postergatis, dicti consiliarii quinque exierunt ciuitatem, sollicitantes apud alias. Quæ responderunt, quidquid Ambergenses tanquam principales facerent, idem & ipsi facere non abnuerent. Et dum iterum atque iterum hæc geruntur, diuisus est populus in diuersa : atque orto tumultu omnes consiliarios eosdem ceperunt, tanquam ciuitatis proditores in vincula coniicientes : & nisi quidam de consulatu interueniissent, omnes exitio finali addicti fuissent. Deinde anno Domini MCCCCIV. tempore Carnispriuii, Palatinus personaliter ingressus est ciuitatem cum notabili multitudine. Cui obuiam venerunt clerus cum reliquiis, Laici similiter abiectis armis. Rei verò seditionis per muros & aliàs, prout poterant, euaserunt. Quidam tamen capti : quorum decem producti in publicum, ex his quinque precibus erepti, & quinque capitibus plexi. Deinde iuramento fidelitatis ab eis sumto, rediit Heidelbergam. Post hæc renouauit castrum, ac fossato firmauit, & portam egrediendi & ingrediendi ciuitatem per castrum fecit, quæ antea non fuit : de qua vehementer ciues dolebant, ex eo quia rarò ibi habitat Princeps, aliquando etiam Locum tenens abest, & ciuitas absque custodia sufficienti relinqui potest. Ipse tamen Palatinus postea magno semper fauore & gratia Ambergenses est prosecutus usque in diem mortis suæ. Quæ fugientibus tempore sui ingressus abstulit, postea cuncta reddidit *Hæc ille.*

M CCCC LVI.

Fridericus Dux XV. die Octobris ex Heidelberg oppido cum exercitu pugnatorum digrediens, auxilio Theodorici Archiepiscopi Moguntini, castellum Montfort latibulum latronum & commune receptaculum prædonum obsedit, quinque diebus fortiter impugnans, tandem sexto die cepit, ac funditus destruxit : nec postea reædificari potuit usque in præsentem diem, sine consensu Archiepiscopi Moguntinensis & Comitis Palatini pro tempore existentium. Moguntina etenim Ecclesia plura sustinuit damna retroactis temporibus ab illis, qui mansionem in Montfort habuerunt : quia Spanheimensi Comitatui fuit contiguus locus, similiter & dictæ diœcesi. *Montfort.*

ADDITIO. Huc versus.

Ecce Palatini Comitis sapientia præstans
Pacis iter populo, Montfort sibi subiugat instans,
Octobris decima nona, tempus cape supra.

M CCCC LVIII.

Udalricus Comes de Wirtenberg, auxilio Marchionis Brandenburgensis Alberti, contra Fridericum Palatinum hostiles gerens animos, castellum Widern obsidione vallauit, cepit, ac funditus destruxit. Quo facto Albertus Marchio cum suis ad propria reuersus est. Comes autem Udalricus per agrum Heilpronnensium iter faciens, ab altera parte Neccari fluminis, Fridericum supradictum Comitem Palatinum defensorem oppidi memorati Heilprunnensis sex mille peditum & mille octingentos equites habentem offendit. Quo recognito, Comes plana via cum suis, qui iam fatigati erant ex feruore solis & numero pauciores, sicut cœperat graditur, & ad conspectum hostium consultò non peruenit. *Widern.*

Eodem anno Ludouicus Dux Bauariæ cognomento Diues, congregato ex Bauaris, Bohemis, & Australibus magno pugnatorum exercitu, ciuitatem Eichstatensem obsidione circumuallauit. Amicis autem se interponentibus tandem inter eum Episcopum concordia reformata est, & soluta obsidione discessit. Itaque post hæc eundem exercitum duxit contra Albertum Marchionem Brandenburgen-

Landeck, Stauff. burgenſium : cuius duo caſtella Landeck & Stauff obſedit, cepit, & funditus ſubuertit. Contra quem Albertus iſte Marchio proceſſit ad bellandum, habens ſecum Wilhelmum Ducem Saxoniæ ſimul & copioſum exercitum. Sed congreſſi non ſunt, nec quid memoria dignum fecerunt. Concordia tamen inter eos facta eſt ſub conditione, quod Marchio Albertus Duci Ludouico literas nonnullas à Cæſare Friderico ùnpetratas contra eum, ad manus deberet reſtituere ; & feuda ſua, ut Nurenbergenſium Burggrauius, ab Eccleſia Herbipolenſi (quod prius recuſauerat) acceptare. His pro pace concluſis Principes concordati diſceſſerunt.

Poſt hæc in diæta quadam Nurenbergæ habita Marchio Albertus Ludouico Duci Bauariæ litteras & priuilegia, quæ contra eum à Friderico Cæſare impetrauerat iuxta prius concordata in prætorio Senatus reſtituit : quas ille mox coram omnibus publicè lacerauit. Quod cum in noticiam Cæſaris peruenisſet, iratus eſt, & Ducem Ludouicum reum læſæ maieſtatis declarauit : cuius rei occaſione multiplicata ſunt mala ſuper terram.

M CCCC LIX.

Sexta die menſis Maii obiit Theodoricus Schenck de Erpach Archiepiſcopus Moguntinus, anno Pontificatus ſui vigeſimoquinto, & in maiori Eccleſia cum anteceſſoribus ſuis honorificè ſepelitur : præſul optimus, qui ſatis prouide in utroque ſtatu rexit Eccleſiam ſuam, & multa fecit opera bona.

Eodem anno poſteaquam vacaſſet ſedes Moguntina tribus & quadraginta diebus, conuenerunt in vnum Canonici, & XVIII. die Junii, Dietherum ex Comitibus de Iſenberg Canonicum in Archiepiſcopum elegerunt, qui præfuit annis fermè tribus. Contra hunc Dietherum erexit ſe Adolfus ex Comitibus de Naſſau Canonicus, & toto triennio pro archiepiſcopatu cum eo lites continuauit : cuius ratione contentionis infinita mala fuerunt ſubſecuta, de quibus per ordinem ſuo tempore dicemus. Poſtremò tamen Adolphus victoriam obtinuit, & Dietherus reſignare archiepiſcopatum compulſus fuit.

Eodem anno ſecunda die Septembris obiit Sifridus Epiſcopus Spirenſis, poſt quem die XVII. eiusdem menſis per Capitulum fuit electus Johannes Nix de Hoheneck dictus Entzberger, & præfuit annis quinque. Is quorundam conſilio deceptus adhæſit Carolo Marchioni Badenſium, Ludouico quoque Palatino Comiti ac Duci Bauariæ cognomento Nigro, & quibusdam aliis, contra Fridericum Palatinum tutorem Philippi : per quod Eccleſiam ſuam valde læſit & damnificauit in multis, totam diœceſin rapinis exponens & incendio, non ſolum hoſtium, ſed etiam (quod grauius fuit) amicorum.

Anno item præſignato Fridericus Imp. tertius mandauit ciuibus regni, vt arma ſumerent in Ludouicum Ducem Bauariæ cognomento Diuitem, quem propter laceratas Nurenbergæ literas imperiales (vt paulo ante diximus) læſæ maieſtatis reum declarauerat. Simile mandatum dedit Alberto Marchioni Brandenburgenſium, & nonnullis aliis in vicino Comitibus. Ciues ergo regni omnes in ſuperioribus Germaniæ partibus, prætet Nurenbergenſes, mandato Cæſaris obedire parati arma capiunt, & Marchioni Alberto contra Ducem Ludouicum Bauariæ auxilia imperata transmittunt. Dux igitur Ludouicus, accepto nuncio diffidationis à Marchione Alberto & ciuibus regni, magnum rurſus Bauarorum & Boemorum contraxit exercitum : & ingreſſus terram Marchionis, oppida, caſtella, munitionesque illius cepit plurimas, villas incendit, prædam abduxit, & damna pauperibus multa fecit. Non diu poſtea cum Ludouicus Dux pro quibusdam negociis intraſſet occultè Bohemiam, innotuit Marchioni abſentia eius à patria. Vnde contractis copiis & auxiliis ciuium terras eius ingreditur, & pari furore omnia vaſtans, rapiens & incendens, reſiſtente nullo demolitur. Tandem per Bohemiæ Regem ad concordiam reuocati ſunt, & oppida ſibi reſtituerunt ablata.

Diethe-

M CCCC LX.

Dietherus Archiepiſcopus Moguntinus, Johannes Nix Epiſcopus Spirenſis, Albertus Marchio Brandenburgenſis, Ludouicus Dux Bauariæ Niger, Carolus Marchio de Baden, Vdalricus Comes de Wirtenberg, Emicho Comes de Lyningen, & plerique alii Comites & militaris ordinis homines, in vnum conſpirantes, ſe Friderici Comitis Palatini Philippi tutoris hoſtes & inimicos publicè denuntiarunt, cauſas ſinguli ſingulas prætendentes. Archiepiſcopus enim Dietherus propterea quod Fridericus defenderet partes Adolfi contra eum: Comes autem de Wirtenberg Vdalricus Margaretam filiam Ducis Sabaudiæ, relictam Comitis Ludouici Palatini, fratris memorati Friderici, & genitoris Philippi, duxerat vxorem, cuius dotem præcedentis matrimonii iuxta conditum iure poſtulare videbatur. Contra hanc Vdalrici Comitis poſtulationem Fridericus Comes Palatinus reſpondendo negatiuè replicabat; Quod Margareta memorata fratris quondam vxor materque Philippi, ſecum ex camera Palatinatus in clenodiis, jocalibus, & aliis præter corporis ſui neceſſarium ornatum vel vſum, detulerit in valore non minus centum millium florenorum: reddat illa prius, & dotem promiſſam reciperet. Aliis aliæ fuerunt cauſæ. Maxima tamen omnium cauſa fuit, quia Fridericus Imp. non ſolùm permiſit, ſed etiam præcepit, vt bellum contra ipſum Palatinum Comitem Fridericum moueant ſupradicti Principes: propterea quod videretur nimium ſuperbus, arrogaretque ſibi titulum electionis imperialis Philippo, cuius tutor erat, debitum, imperialibus præceptis rebellis & inobediens, eo quod Ludouico Duci Bauariæ conſentiret.

Fridericus igitur Comes Palatinus tot inimicis circumſeptus, nequaquam eſt mente fractus aut perturbatus animo; ſed contractis ſuorum copiis, principatum inprimis ſuum per circuitum armatis muniuit, ac deinde cum reliqua parte exercitus Schauuenburg caſtrum Eccleſiæ Moguntinæ, in montenſi ſtrata * ſituatum, obſidione vallauit: quod octaua die cepit, quæ fuit Dominica poſt reſurrectionem Domini. Erat autem caſtellum illud muris, turribus, atque foſſatis optimè munitum, bombardis, baliſtis, machinis, victualibus, & cunctis neceſſariis prouiſum: in quo reperit equites decem & octo, pedites verò triginta quos omnes Heidelbergam miſit in vincula captiuos.

Schauuenburg, Bergſtraſſe.

ADDITIO: Inde verſus hi facti.

Excelſe comes, Princeps potens ac generoſe,
Diue Palatine, Schauuenberg per vim quoque intras,
Dum eanit Eccleſia ſancta Quaſimodogenitique
Arcem magnificam in cineres diruis igne:
Ut reputanda quidem parui, ſed quantaque fuit
Cernitur: teſtatur enim magna illa ruina,
Quam fuit immenſa Schauuenberg menſura ruentis.
Viuere te cupimus, dator cuſtosque ſalutis.
O utinam magnis reſoluto corpore tantis
Laudibus attollant Dii potentes Friderice.

Item & alii:

Viuere te cupimus multos Friderice per annos,
Aurea quo principe ſæcula noſtra patent.
*Victus abeſt hoſtis, & ſua * miſerrima fata,*
Omnia ſunt pacis te duce, languor abeſt.
Vincere fortunam magis eſt quàm monſtra domare:
Herculeo maius nomine nomen habes.
Felix Germanus: dum te domus alta tenebit
Bauaria, vis te ladere nulla poteſt.

Concordia, quam diximus, inter Ludouicum Ducem Bauariæ cognomento Diuitem, & Albertum Marchionem Brandenburgenſem, anno præterito per Bohemiæ Regem facta, non placuit Friderico Palatino Comiti: unde & eius conſilio iterum violata eſt, factique ſunt inimici ad inuicem acriores quam fuerunt prius. Steterunt ergo hi duo Principes, Fridericus & Ludouicus Comites Palatini & Duces Bauariæ, contra decem & octo Duces, Marchiones, & Comites, multo tempore concertantes, & multa damna ſibi mutuò intulerunt. Nomina Principum eius aduerſantium iſta fuerunt: Fridericus imperator tertius, Albertus Marchio Brandenburgenſis Princeps Elector, qui ut Burggrauius Nurenbengenſis morabatur in Anoltzpach, Wilhelmus Dux Saxoniæ Princeps Elector, Dietherus Archiepiſcopus Moguntinus prineeps Elector, Iohannes Archiepiſcopus Treuirorum Princeps Elector, Georgius Epiſcopus Metenſis, Iohannes, Epiſcopus Spirenſis, Ludouicus Comes Palatinus cognomento Niger, Comes Veldenſis & Gemini-Pontis, Carolus Marchio Badenſis, Udalricus Comes de Wirtenberg Emicho Comes de Lyningen, & alii plures.

Ludouicus igitur Dux Bauariæ Diues adiutorio præfecti Ducis Friderici Electoris in Amberg, bellum fortiter geſſit contra Marchionem Albertum, & ciuitates regni in ſuperioribus terræ partibus circa Nurenbergam: & mirantibus cunctis ubique vicit, ubique feliciter triumphauit, hoſtes ſuos pene omnes miſerabili calamitate affecit.

Interea Fridericus Comes Palatinus, habens ſecum Ludouicum Landgrauium Haſſiæ cum multis armatis mercede conductum, Rheno flumine transmiſſo, Pfedersheim oppidum Eccleſiæ Moguntinæ haud procul à Wormatia diſtans obſedit. Erant tunc in oppido ipſo viri plures & fortiſſimi ad eius defenſionem ab Archiepiſcopo deſtinati, Iohannes videlicet Comes in Naſſau, Wilhelmus Comes in Wertheim, Otto Comes in Henneberg, Philippus Comes de Lyningen, Henricus Comes in Runckel, & nobiles multi, quorum nomina ignoramus. Aderant & Ringaugienſes incolæ vinitores in magno numero, ad cuſtodiam loci & pugnam ab Archiepiſcopo deputati. Comes autem Palatinus cum ſuis fortiter impugnauit oppidulum: quod & cepit tandem non paucis aduerſariorum occiſis, pluribus captis. Reperit in oppido quingentos equos fellatos, & prædam non modicam, quæ omnia fecit aſportari in villam proximam Weſthofen, & inter milites ſuos (ut fieri ſolet) diſtribui. Capti ſunt ſupradicti Comites quinque, nobiles quoque & ignobiles numero ſexcenti tredecim, qui ſe pecunia redimere coacti fuerunt: pauci fuga lapſi euaſerunt.

Pfederſheim.

His peractis cum Fridericus Comes Palatinus contra Dietherum Archiepiſcopum ulterius diſponeret procedere: Wilhelmus Haſſiæ Landgrauius & quidam alii de concordia coëperunt inter eos habere tractatum, Igitur pax inter eos reformata eſt his conditionibus ſaluis: *Comes Palatinus pro impenſis, quas fecit ad triginta millia florenorum, habebit in pignus caſtella Schauuenburg, Doſſenheim, & Hentſchusheim, cum villis & omnibus prouentibus eorum: quorum tamen omnium reemptio pro dicta ſumma pecuniarum, in arbitrio ſtabit uniuſcuiusque Archiepiſcopi Moguntini pro tempore exiſtentis. Ringaugienſes etiam vinicolæ nouem millia florenorum dabunt ipſi Comiti Palatino, pro quibusdam rebus & prouentibus ſeu iurisdictionibus, quas apud villam Lorch iure ſeu gladio adquiſierat.* Ab hac autem concordia ſecluſi fuerunt Ludouicus Dux niger, Comites de Lyningen, Marchiones ambo, & cæteri omnes qui conſenſerunt, ſuperius nominati.

Doſſenheim. Hentſchusheim. Lorch.

Comes autem Palatinus contra Ducem Ludouicum Nigrum duplicem iraſcendi cauſam mente gerebat: quarum una erat, quod primam concordiam apud Zabernam prius factam & iuratam non ſeruauit: alia verò quod ſpecialiter coniurauerat cum Diethero Archiepiſcopo Moguntino, & Comitibus de Lyningen contra ipſum, quod antea promiſerat ſe nunquam eſſe facturum. Inſuper contractis copiis regale oppidum Ingelnheim occupauerunt, incenderunt, muros deiecerunt, ac funditus deſtruxerunt. Oppidanis autem in aulam Caroli Magni

Cæſaris

Cæſaris (quæ & caſtrum eſt amplum, & Canonicorum regulæ S. Auguſtini cœnobium) fugientibus, & mox ab hoſtibus fuerunt obſeſſi. Interea Palatinus cum magno exercitu nunciatur venturus quod illi audientes, obſidione ſoluta receſſerunt.

Poſt quorum receſſum Palatinus cum exercitu ſuo venit prope Moguntiam, & pauculas ædes Canonicorum apud S. Victorem, S. Albanum, & S. Crucem in Campis, primo impetu ſubuertit: quod factum reliquos terruit, & ut ſe pecunia præſeruarent ab incendio imminente, concitauit. Datis enim Palatino Comiti quatuor millibus florenorum, Clerus Moguntinus domos, ædes, curtes, frumenta & bona ſua, ne perirent incendio, prouidè liberauit. *Moguntia.*

Poſt hæc Pfedershelm, quod pertinebat Archiepiſcopo (ſicut diximus) obſedit & cepit. Concordia autem cum Archiepiſcopo Moguntino facta, Palatinus Comes exercitum duxit contra Ludouicum Ducem Nigrum, & eum in oppido ſuo Meiſenheim, quod milliaribus a Spanheim vix diſtat duobus, fortiter obſedit. Cernens verò Ludouicus quod multitudini hoſtium non poſſet reſiſtere, maximè cum Archiepiſcopus iam deſeciſſet ab eo, pacem petiit & impetrauit. Fit iterum concordia, & his conditionibus firmatur: *Dux Ludouicus mediam partem quingentorum florenorum, quos annuè cedentes habet in telonio Bacharacenſi, Palatino iam remittet, ac deinceps perpetuò non repetet, vel ipſe vel hæres in æternum: aliam verò medietatem à Palatinis Comitibus in feudum, cui nunquam renuntiare poſſit, ſuſcipere ſit iure perpetuo aſtrictus. Caſtrum quoque Scharffenberg ſine contradictione in manus Palatino reſignabit.* Ab ea concordia Comites de Lyningen fuerunt ſecluſi, unà cum cæteris inimicis Palatinatus ſupra nominatis. *Meiſenheim.* *Scharffenberg.*

His peractis Comes Palatinus animo ſeruens in Comites de Lyningen duxit exercitum: & inprimis caſtrum Haſsloch obſedit, cepit, incendit, ſunditusque deſtruxit. Plures ibi ſubditorum ſuorum inuenit captiuos, quibus libertatis non modicam deportati prædam præcepit. Inde mouens Mynfelt caſtellum eorundem Comitum obſedit, cepit, ſpoliauit, & igne ſubmiſſo terræ coæquauit. Hæc & plura his ſimilia geſſit Fridericus Comes Palatinus anno prænotato: quorum reliqua in annos continuantur ſequentes. *Haſsloch.*

M CCCC LXI.

Hoc anno Dietherus de Iſenberg Archiepiſcopus Moguntinus anno pontificatus ſui tertio per ſententiam Pii Papæ ſecundi ab archiepiſcopatu deponitur, & Adolfus de Naſſauue iubente Papa in Archiepiſcopum ſublimatur, & præfuit annis quatuordecim. Poſt cuius obitum Dietherus iterum Archiepiſcopus factus præfuit annis ſeptem. Interea verò quod Adolfus præfuit Eccleſiæ Moguntinæ, Dietherus pro ſuſtentatione ſui poſſedit oppida & caſtella in Hœſt & Steinheim, cum omnibus prouentibus eorum; quæ ſunt duo meliora Eccleſiæ Moguntinæ commoda ſiue clenodia. Cauſæ autem depoſitionis Dietheri ſubiectæ ferebantur. Prima, quod mandatis Romani Pontificis inobediens & rebellis extitit: annatamque ſedi Apoſtolicæ non perſoluit, vigintiquatuor millium florenorum, quos Romano Pontifici dare quilibet Eccleſiæ Moguntinæ nouellus Archiepiſcopus confirmandus introducta conſuetudine cogitur. Secunda, quod infra conſtitutum ſibi tempus in confirmatione à ſede Apoſtolica neque ſacerdotium aſſumpſit, neque ſe ordinari Archiepiſcopum fecit. Tertia, quod nuncios & legatos ſedis Apoſtolicæ cum reuerentia non ſuſcepit, honorem eis debitum non impendit: ſed eorum litteris, mandatis, commiſſionibus & factis contrarius, rebellis & inobediens fuit. Quarta, quod Friderico Palatino Comiti adhæſit, quem Apoſtolica ſedes illo tempore ad informationem & inſtantiam quorundam Principum regni Germanici, ut rebellem & inobedientem Eccleſiæ Catholicæ condemnarat. *Schiſma Moguntinum.*

Ex

Ex hac depoſitione Dietheri Eccleſia Moguntina damna incurrit multa. Dietherus etenim vociferans & clamitans iniuriam ſibi factam a Papa, Friderici Palatini Comitis ſupradicti auxilium contra Adolfum inuocauit. Cuius adiutorio Ditherus nouem oppida Eccleſiæ Moguntinæ in ſua obedientia retinuit: cætera verò ad Adolfum eius aduerſarium ſubitò defecerunt. Verum quia Dietherus pecunia recompenſare Palatini labores & impenſas in his motibus factas minimè potuit, alienare bona Eccleſiæ compulſus fuit. Igitur ſubſcripta Eccleſiæ Moguntinæ caſtella & oppida, Starckenberg, Heppenheim, Bensheim, Morlebach, omnemque ſtratam montenſem cum vniuerſis prouentibus ſuis ei pro centum florenorum millibus in poſſeſſionem tradidit: quorum tamen omnium, pro eadem ſumma pecuniarum, ius reemptionis Moguntinæ Eccleſiæ reſeruauit. Terra eſt non modica Stratæ Montenſis inter Heidelberg & Diepurg oppida conſtituta, habens oppida, caſtra, & villas non paruæ vtilitatis: quam Sifridus quondam Archiepiſcopus Moguntinus de monaſterio Lauriſſenſi, tunc noſtri ordinis, quomodo vſurpauerit & Eccleſiæ ſuæ incorporauerit, anno Dominicæ Natiuitatis M CC XXXII. alibi expoſuimus. Manet autem ſub ditione Comitis Palatini terra memorata vsque in præſentem diem.

Starkenburg: Heppenheim. Bensheim. Morlebach.

Bergſtraſſe.

Adolfus autem contra potentiam Comitis Palatini Diethero aſſiſtentis, auxilium Ludouici Ducis Nigri, qui morabatur in Meyſenheim oppidulo, inuocauit: aſſignans pro ſtipendio quidquid habuit Eccleſia Moguntina in comitatu & diſtrictu Spanheimenſi, Bickelnheim videlicet caſtrum & villam, Sobernheim oppidum, Montzega oppidum, Noſsbaum villam, Vlmenam oppidum, & villas plures alias in circuitu, cum omnibus prouentibus & vtilitatibus earum, ſub certa pecuniarum ſumma reemptione ſalua. Quæ omnia Fridericus Comes Palatinus ſæpe dictus iure belli non diu poſtea (ſicut dicemus) ſuo imperio ſubiecit. Carolo autem Marchioni Badenſi Adolfus Archiepiſcopus pro ſtipendio contulit in pignus quasdam villas, videlicet Algeſsheim, Gaubeckelheim & nonnullas alias in circuitu, cum omnibus vtilitatibus & prouentibus earundem. Vdalricum Comitem de Wirtenberg in auxilium contra Dietherum Adolfus inuocauit, & conduxit ſtipendio viginti millium florenorum in prompta pecunia. Erat autem Comes Vdalricus homo bellicoſus & audax, ſimul & potens valde. Wilhelmum quoque Saxoniæ Ducem, & Henricum Comitem de Schwartzenberg Thuringum, ſibi Adolphus contra Dietherum & Fridericum Comitem Palatinum fecit ſtipendiarios, aſſignans eis pro mercede quædam in Eisfeldt dominia Comitem verò de regio lapide, vulgariter Königſtein, ſororis ſuæ maritum auxiliatorem habuit, cui pro ſtipendio comitatum de Hoffheim aſſignauit. Cernis in quantam miſeriam nobilis illa Moguntina deuenerit Eccleſia, in cuius deſolationem duo Pontifices acriter contendentes omnia penè deſtruxerunt. Adhæſerunt Adolfo contra Dietherum, & alii Principes & Comites multi. Joannes videlicet Archiepiſcopus Treuirorum: Georgius frater eius, Epiſcopus Metenſis: Joannes Epiſcopus Spirenſis, Albertus Marchio Brandenbergenſis. Cum Diethero ſenſit Fridericus Comes Palatinus; Henricus Landgrauius Haſſiæ; Philippus Comes de Catzenelnbogen, Philippus & Johannes Comites de Iſenberg fratres eius. Ciues quoque Moguntini cum Diethero contra Adolphum ſenſerunt.

Beckelheim. Sobernheim. Montzingen. Nohbaum. Ulmen.

Algesheim. Gaubeckelheim.

Aichsfeld.

Inprimis igitur poſtquam Romanus Pontifex Pius ſecundus audiuit, quod Dietherus non curaret eius ſententiam, ſed Archiepiſcopum ſe gereret contra Adolfum; in eum fulminauit excommunicationis ſententiam, & in omnes qui partes eius ſequebantur. Fridericum quoque Palatinum Comitem, propterea quod partes Dietheri defenderet; cum omnibus ſibi adhærentibus excommunicauit & interdixit: & multiplicata ſunt mala in terra his Principibus ſubiecta.

Dietherus autem in arce Moguntina conſiſtens, auxilio Palatini & aliorum ſibi conſentientium, milite contracto plurimo deſcendit in Ringaugiam, & incolas eius, homines quidem ſatis audaces (non dico temerarios) aut promiſſionibus aut armis in ſuas partes compellere nitebatur. Audientes autem Ringaugii

Ringgau.

gii Comitis Palatini cum Diethero contra ſe aduentum, confeſtim ad præſidia ſua confluunt: & ſe venientibus non armis ſed latibulis opponunt. Verùm propter nimiam aëris inclementiam exercitus Palatini diu manere non potuit: alioqui Ringaugii neceſſariò in ſententiam Dietheri peruenisſent. Soluta igitur obſidione quantocius Principes ad ſe redierant.

Poſthæc rumor venit ad aures Dietheri ſub nomine certæ promiſſionis, quod ſi deſcenderet ad Ringaugios, in eius ditionem transirent. Credidit homo hominibus: collectoque rurſus exercitu in Ringaugiam cum potentia deſcendit: & rumorem promiſſionis falſum & mentitum inuenit. Vnde confuſus iratus & deceptus ad Moguntiam cum ſuis reuerſus eſt.

Comes autem Palatinus, poſteaquam ſemel in hoſtes ſæuire cœpit, non potuit quieſcere: ſed tanquam vnicus moloſſus, quem plures catelli circumſtant latrantes, nunc in iſtum, nunc verò in illum copiarum ſuarum impetum vibrauit & morſus: & primo quidem his (quæ diximus) per eum transactis, expeditionem mouit contra Vdalricum Comitem de Wirtenberg, & eius terram incendio, & ferro, multiplici incurſione hoſtiliter deuaſtauit. Comes autem contracto exercitu decem millium pugnatorum, quarto Calend. Julii contra Heilbronnam regni oppidum, quod erat ſub defenſione memorati Comitis Palatini, mouit exercitum. Quod vbi ciues intellexerunt loci, miſſa legatione ad Comitem ea quæ fuerunt paucis rogabant, & impetrauerunt. *Heilbron.*

Interea Fridericus Comes Palatinus, cum vna exercitus parte, contra Ludouicum Ducem cognomento Nigrum proceſſit vt hoſtis, quippe ſæpè deceptus: & oppidum Gawbickelnheim inprimis obſedit, cepit, murosque & turres in circuitu eius ſolotenus deſtruxit: in quo centum ſexaginta pedites captiuauit. Durauit iſta Principum & Epiſcoporum ſupra ſcriptorum contentio per integrum annum, & non ſine multorum damno, periculo & ſanguine, continuatur in ſequentem.

M CCCC LXII.

Anno prænotato, poſteaquam inter Fridericum Comitem Palatinum defenſorem Dietherì de Iſenberg, & Adolfum de Naſſaw cum adhærentibus ei, longa concertatio duraſſet, etiam ſeſſis aliquantulum partibus, amicorum conſilio per oratores Principum de pace fuit tractatum. Iginir conuenientibus in vnum, quibus conſultandi legatio pro pace fuerat commiſſa, ſub certis clauſulis atque capitulis negocium concordiæ in medium fuit propoſitum. Placuit ergò in communi omnibus, pro eo quod non haberent concludendi poteſtatem, vt ſinguli ſuis Principibus ſuper conditionibus pacis, atque capitulis facerent relationem, & quicquid illis in commune placeret, in proximo conuentu eorundem confirmarentur. His actis diſceſſum eſt.

Adolfus autem impatiens morarum, conuentum pro concordia facienda exſpectare contempſit: ſed in exterminium Palatini ſocium exercitum concitauit. Rumor quippe falſus exierat, cuius fuit credulitate deceptus: quia Palatinus, qui dicebatur eſſe in Bauaria, manſerat occultè in patria. Igitur Carolus Marchio Badenſis, Georgius Epiſcopus Metenſis frater eius, & Vdalricus Comes in Wirtenberg, contracto milite adunauerunt exercitum, ſexcentorum videlicet equitum, & ſex millium peditum, & terram Palatini Comitis, quem longè extra patriam credebant abſentem, deuaſtare cœperunt. Et inprimis quidem Heidelsheim oppidum obſidione cinxerunt, quod cum Comes Palatinus intellexiſſet, viros probè armatos quotquot videbantur neceſſarii, ſecum aſſumens occultè nocturno tempore intrauit oppidum: & pauciſſimis cognitus, cuſtodias & defenſores per muros & turres ſufficientes collocauit. Videntes autem poſtridiè obſeſſores, quod expugnare oppidum non poſſent, ſoluta obſidione inde receſſerunt, expeditionem vltetius mouentes. *Heidelbeim.*

Deinde haud procul ab Heidelberg. oppido reſidentiæ Comitis Palatini, caſtra poſuerunt : quibus locatis auxiliarii miſſi ab Adolfo quadringenti ſuperuenerunt equites peditumque tria millia, paucisque diebus quieuèrunt.

Vltima vero die menſis Julii anno prænotato mane in aurora prænominati tres principes, Georgius Metenſis Epiſcòpus, Carolus Marchio Badenſis & Vdalricus Comes de Wirtenberg, cum aliis multis comitibus atque nobilibus, peditatu in caſtris relicto, cum ſolo equitatu mille circiter virorum in agrum Heidelbergenſem iter deflectunt : & pededentim equitantes igne cuncta villagia, & curtes religioſorum deuaſtare ſimul & incendere cœperunt. Fridericus autem Comes Palatinus per exploratores de hoſtium intentione manè certificatus, cum ſeptingentis equitibus & peditatu multo, cum adhuc tenebræ eſſent, Heidelbergam exiuit : & in proximo nemore, vbi hoſtes tranſituri fuerant, ſe abſcondit. Superuenit à caſu Dietherus de Iſenberg, cum trecentis equitibus : & ſe Palatini copiis latenter coniunxit.

Poſtquam ergo tres memorati Principes cum equitatu pertranſiſſent, in nemore haud procul à Seckenheim villa Palatinum cum ſuis latitare neſcientes, & iam peruenissent intet anguſtias Rheni & Neccari, vbi nullus erat locus fugæ, niſi retrorſum ; ſurgunt de inſidiis qui latuerant Palatinenſes, & impetum facientes à tergo, præcedentes invadunt, percutiunt, vulnerant & occidunt. Quo fugerent iam miſeri ab hoſtibus & aquis præcluſi ? Videntes ergò Principes ſæpe dicti, quod nullus eſſet euadendi locus, niſi ferro tantùm relictus, tumultuario impetu conuerſi, contra venientes dimicare cœperunt, contra quatuor millia mille & contra multos pauci.

Ceciderunt in eo prælio multi ex parte trium Principum, inter quos fuere duo nobiliſſimi Comites, alter de Helffenſtein, alter vero de Salm : capti autem fuerunt, Georgius Epiſcopus Metenſis, Carolus frater eius Marchio Badenſis & Vdalricus de Wirtenberg, & alii Comites, nobiles & ignobiles fermè quingenti. Reliqui non occiſi gladio, per fugam ſaluati ſunt. Captiui omnes in oppidum Heidelberg cum magno triumpho deducti fuerunt : & vinculis mancipati ſeſe tandem multa pecunia redemerunt. Acta hæc ſunt in campo latiſſimo non procul à Ladenburgo, ultimo Iunii.

Georgius Metenſis Epiſcopus, Iacobi Marchionis de Baden quondam filius & Caroli frater germanus, pro liberatione ſua de captiuitate Palatino Comiti Friderico quadraginta quinque millia florenorum dare compulſus fuit : denique ſe cum omni militia ſua, & tribus in Lotharingia caſtellis, Bergard, S. Theobaldi, & S. Crucis Palatino perpetuò ſcripſit obnoxium.

Carolus Marchio Badenſis pro ſua liberatione Palatino promiſit, ſcripſit & dedit centum millia florenorum, ut dicemus. Verum quia tanta ſumma pecuniarum non erat in promptu ad manum, tali conditione ſuo triumphatori ſatisfecit. Quidquid in Comitatu Spanheimenſi habuit, Palatinatui ſub reemptionis titulo tradidit. Oppida quoque Beſegheim, Bonheim, cum thelonæo & caſtello, ſimili ſub reemptionis iure aſſignauit. Inſuper omni reemptionis iuri, quod ſe habere ſuper oppido Heidelsheim & Eppingen prætendebat ; venationibus quoque & piſcationibus inter Seltz & Germersheim in terra & Rheno, pro quibus antea lis & contentio fuerat, in perpetuum renunciauit. Oppidum denique Pfortzheim Palatinatui feodale conſtituit : & ſe cum omni poſteritate ſua literis & iuramento neceſſariis in perpetuum eidem obnoxium fecit.

Beſigheim. Beinheim.

Heidelsheim. Eppingen. Pfortzheim.

Udalricus autem Comes de Wirtenberg pro centum florenorum millibus Palatino fuit ſimiliter mulctatus. Quorum in promptu fuerunt ſoluta quadraginta millia. Viginti autem millia florenorum Comiti memorato ab Adolfo de Naſſau, Moguntino Archiepiſcopo contra Dietherum, ſuper ſtrata montenſi aſſignata, idem Comes Palatino Comiti reſignauit : & ſic fuerunt ſoluta florenorum ſexaginta millia. De reliquis vero quadraginta millibus, Comes de Wirtenberg

Cemi-

Comiti Palatino penſionem dabat annuam, duorum millium florenorum, quam neceſſariis monimentis confirmauit. Marpach inſuper oppidum Palatino feodale conſtituit, & ſe cum omni militia ſua Palatinatui obnoxium ſcripſit. His factis Principes liberati fuerunt. *Marbach.*

ADDITIO. Inde carmina Epinicia hæc compoſita.

O columen firmum patriæ ſpes, gloria Rheni,
O tu certa ſalus, protector fortis ut Hector,
O decus armorum, celeberrima gloria gentis,
Eximia virtute tua de Bade ſuperbus
Victus, & compulſus in vitâ præbere tributum;
Wirtenbergque tuis preſſus victricibus armis:
Compes eum Sueuos vetuit ſpectare penates.
Iactatrix ora gens implens voce ſonora
Colla leoninis nunc arrige vincta catenis.
Ha ha, Metenſis, quæ te dementia cepit?
Dum manus iniectos ſacras fœdare in enſes
Herois doctas ab iniquis ſumere pœnas,
*Es victus, victorque leo * fortis ut Hector,*
In Pauli feſto quis finis erat, memor eſto.

Item aliud:

Qua mihi Muſa placens, quæ chordula, quæue Camœna
Laudibus excolere dabit acta leonis amœna.
Quem conſpirarunt Samſonis perdere vulpes
Fraude, dolo, laqueos nectentes fomite turpes.
Dauidica teſtante lyra, quia falſa pararunt,
Nec ſtabilire valent, quæ conſiliis cogitarunt,
Hæc vi non iure diſceptant, bellua tanquam.
Sed rationis opem ſequitur leo viribus aptam.
A ſummis, mediis, & ab imis iura popoſcit:
Obturant aures cuncti. Deus omnia neſcit,
Dans domino pugnam, propriis non fidit in armis.
*Vulpibus * Leo vi ſociauerat unam,*
Hinc reliqua litis cupiunt defendere primam.
Tentarunt temerè numerum complere priorem,
Quem leo (dante Deo) faciebat rite minorem.
Ex hoc ſingultus, gemitus, dolor, ira, ſimultas,
Fletus & inſidiæ mentes penetrat modo multas.
Is leo dante Deo potens hominis quem velat imago,
Actibus eſt elegans, facit hoc generoſa propago.
Parcere deuictis ſcit mens animoſa leonis:
Non ſit urſus, aper, vulpes, lupus, ira draconis.
Viue, vale: valeant, leo qui tua facta coronant.

Et iterum:

Marchio Badenſis feſto Pauli proſtratus
Ducitur, & captus Palatinis exſuperatus:
Wirtenberg: Baden, comites ſunt Petri proſtrati
Craſtino, captiui Palatinis rite redacti.
Marte Fridrice tuo calcas tot bella, quot hoſtes:
*Subque nucem * Cererem ducis Mauorte madentem.*
Commemores Pauli pſallemus feſta triumphi.

* al. ſub eadem.

Principibus in captiuitatem actis (vt dictum est) Fridericus Comes Palatinus contra Iohannem Nix Episcopum Spirensem traduxit exercitum: & inprimis
Rotenberg. oppidum Rottenberg cum castello annexo circundedit obsidione, expugnauit & cepit. Postremo ad instantiam Capituli Ecclesiæ Spirensis concordia sub tali
Werfau. Lufshart. conditione facta est: *Castellum cum oppido Rottenberg, similiter Werfauu perpetuò sint iuris Palatini. In nemore quoque Spirensis Ecclesiæ, dicta Lushart, omnis venatio soli cedat Palatino cunctis temporibus.* His ita concluſis, post mirabilem Ecclesiæ Spirensis desolationem, post rapinas & incendia multa, pax reformatur Ecclesiæ, non sine incommodo eius maximo.

Eodem anno in mense Octobri Adolfus de Nassau, quem Pius Papa secundus abrogato (sicut diximus) Diethero de Isenberg, Archiepiscopum instituerat Moguntinum, consilio suorum habito vrbem capere Moguntinam cupiebat.
Moguntia urbs capta. Ciues enim Moguntini partes Dietheri sequebantur. Ludouicus igitur dux Bauariæ, cognomento Niger, qui morabatur in Meisenheim, Alwicus Comes de Sultz, Eberhardus de Konigstein, & quidam alii ex nobilibus huius prouinciæ onus sinbeuntes, Ortwinum & Dudonem ciues Moguntinos traditores urbis in consilium admiserunt, quorum informatione res fuit peragenda. Cumque tempus adesset negotio præstitutum in vigilia SS. Apostolorum Simonis & Iudæ memorati Comites unà cum duce Ludouico, Ringauiensibus quoque, & armato milite non nimis plurimo, in profunda nocte, cum silentium iam quietum teneret omnia, cum scalis & machinis ad fossatum ciuitatis in eo peruenerunt loco, ubi propter difficilem aditum custodibus non videbatur opus, & falce facto tramite per vepres & dumeta muros aggrediuntur, scalas applicantes totis viribus parabant ascensum. Interea cum scalas apponerent muris, vidit quispiam muro insidentem eminentemque noctuam: quæ sedens, uno fixa in loco super murum alas iam extendit, iamque depressit. Cumque hoc in longam faceret horam territi fuere cementes, propterea quod latere fortem super muros arbitrarentur custodiam, Nam propter tenebrarum horrorem, clarè quid esset discernere non poterant. Propè iam erat, si paulo diutius durauisset spectaculum, ut scalis à muro depositis, infecto negocio retrocessissent metu perculsi: cum ecce bestia subito deuolans metu liberauit semidesperatos.

Iam deinceps facti alacriores, muros per scalas conscendunt erectas, atque successiuè silenterque introgressi traditorum auxilio custodias occupant, pro-
Gauesort. ximamque urbis portam, quæ Gauii porta nominatur, applicatis machinis infringunt & aperiunt, per quam totum exercitum foris præstolantem intromittunt. Expergefacti ciues tam ex clamore vigilum insolito, quam ex fragore portarum & hostium strepitu, correptis armis tumultuariè, quid agerent non satis scire potuerunt. Primo itaque impetu in paucos hostes irruerunt pugnaturi: sed fracta urbis porta, mox equites peditesque hostiles ciuitatem ingressi, suis audaciam & vires contra miseros addiderunt.

Coadunati tandem ciues fortiter contra hostes pugnauerunt, & cum eos bis terque retrocedere compulissent, numero tamen eorum tandem superati sunt, & quadringentis eorum occisis succubuerunt. Nam hostes ab una parte cum ciuibus acriter pugnabant, & in alia parte ciuitatem per traditores fecerunt incendi. Unde miseri ciues & urbem ardere videntes, & se imparibus viribus cum hoste decertare non posse considerantes, proiectis armis deditionem fecerunt. Quo facto ciuitate pulsi sunt omnes, qui arma ferre potuissent, & tam celeriter exire coacti, ut ne quidem salutatio suorum concederetur. Egrediebantur enim necessitate urgente omnes, uxoribus, liberis, amicis, & bonis omnibus, in hostium potestate relictis: & ibant egentes atque mendici.

Prædam hostis reperit ingentem, quæ non unius ciuitatis, sed penè totius patriæ thesaurus esse videbatur. Omnium namque in circuitu Monasteriorum, Ecclesiarum, nobilium & rusticorum bona mobilia in ciuitatem fuerant repositæ, metu hostilitatis à facie inimici. Nemini parcebant, non clericis, non clausta-

libus,

libus, non ciuibus: ſed quidquid poterant in tota ciuitate inuenire, absque ulla miſeratione rapuerunt. Videres miniſtros Chriſti ſacerdotes, una cum Iudæis crudeliter captos, & in altam villam ſatis ignominiosè duci ligatos. Omnes enim, qui cum Adolfo non ſenſerunt contra Dietherum, a Papa Pio ſecundo denunciabantur excommunicati. Et quicunque in ciuitate Moguntina, priuſquam caperetur, non ſentiebant cum Diethero contra Pium Pontificem Romanum, eius cenſuras, ſententias, interdictum, & Adolfi promotionem contemnendo, urbe pellebantur. Præfuit illis diebus monaſterio S. Iacobi noſtri ordinis in monte ſpecioſo, iuxta mœnia fortis ciuitatem, Eberhardus de Venlo Abbas, vir experientiæ & prudentiæ multæ, ſecundum inſtituta Bursfeldenſium unà cum Monachis ſuis optimè reformatus. Is cum Papæ mandata conſtantiſſimè in ſe, & in Monachis ſuis obſeruaret, nec in præſentia excommunicatorum & interdictorum ab eo conſentiret celebrare diuina; iuſſus eſt monaſterio cum ſuis deſerto procul abire. Qui Chriſti vicario malens obedire quàm Diethero, & ipſe diſceſſit ab urbe, & Monachos ſuos præcepit exire de cœnobio. Prior itaque proceſſionaliter una cùm conuentu per medium ciuitatis tranſiens, exiuit de cœnobio, ſignum ſanctæ crucis Ottoni de Selbach nobili præferente donato. Tres duntaxat ſenieres in monaſterio ad ſarcinas (ut ſolet dici) remanſerunt. Fratres autem hinc inde diſperſi, alii apud S. Matthiam propè Treuerim, alii verò in Colonia apud S. Martinum, alii in aliis locis manſiones receperunt ad tempus.

In ea nocte, dum ciuitas Moguntina caperetur ab Adolfo, Dietherus præſul abrogatus vnà cum Philippo Comite de Catzenelnbogen erant in caſtro, quod vrbi iacet annexum, Fridericum Palatinum Comitem expectantes, qui illò erat poſtera die venturus. Audito autem tumultu, & intellecto quod hoſtes præoccupaſſent ciuitatem, per murum ſubmiſſi nauicula Rhenum ſulcantes euaſerunt. Comes enim Palatinus Rheni conſilio mathematici ſui Matthiæ de Kemnaten prænonitus nunquam induci potuit, vt in Moguntia vel vna nocte permanſiſſet: eo quod vrbem ſibi periculoſam aſtra prænunciarent.

Interea verò dum hæc in Moguntina diœceſi gererentur bella, Johannes ex Marchionibus de Baden Archiepiſcopus Treuirorum, volens & ipſe mandatis obedire Apoſtolicis, & exterminare Dietherum; Lanſtein oppidum, quod parum diſtat à Confluentia juxta Rhenum, cuius incolæ partes Dietheri ſequebantur, bina obſidione vallauit. Eſt autem prædictum oppidum in diœceſi quidem Treuirorum, ſed iure dominii Eccleſiæ pertinet Moguntinæ. Obſeſſi ergo ab Archiepiſcopo ciues fortiter egerunt, murorum & turrium firmitate defenſi, hoſtes tandem fatigatos ſine effectu diſcedere compulerunt. Altera poſt hæc vice Archiepiſcopus denuò contra eos firmauit obſidionem: & denuò ſine effectu cum damno Eccleſiæ ſuæ & confuſione abire compulſus eſt. *Lanſtein.*

Poſtremò fatigatis Principibus & exhauſtis æraríis, de concordia reformanda inter Dietherum & Adolfum cœpit haberi tractatus, qui apud Franckenfurt oppidum regni tali ſanè conditione fuit poſtea concluſus. Dietherus Archiepiſcopatum eccleſiæ Moguntinæ, cum omnibus bello vel pace contractis eatenus debitis, Adolfo reſignauit: & pro ſuſtentatione ſua, quamdiu viveret in humanis, Lonſtein oppidum, caſtellum & thelonæum, oppidum quoque Hœſt, caſtellum & thelonæum, Steinheim oppidum & thelonæum, Diepurg quoque oppidum cum omnibus prouentibus eorum liberè ſuſcepit. Et ſic tandem pax reformata eſt poſt omnimodam penè deſolationem. *Lonſtein. Hœſt Steinheim. Diepurg.*

In hac negociorum compoſitione Friderico Palatino Comiti, pro impenſis cum Diethero habitis contra Adolfum, aſſignati ſunt mille floreni annui cenſus ſuper theloneo in Ernfels, cum viginti millibus florenorum redimibiles. Pro nouem verò millibus florenorum, quos Ringaugienſes Palatino ſe daturos promiſerant, dum Pedersheim oppidum caperetur (vt ſupra diximus) & nec dum ſa-

tisfecerant, ipſum oppidum Pedersheim ſub titulo reemptionis fuit aſſignatum; vsque in præſentem diem inreemptum.

Anno item prænotato Fridericus Comes Palatinus cultor & amator iuſtitiæ, ſubditorum ſuorum pauperum curam gerens peruigilem, Parlamentum, quod *Hofgericht.* Curiale iudicium nuncupant, inſtituit: in quod viros iure peritos cum certis nobilibus aſſeſſores & iudices collocauit, qui iuſtitiam adminiſtrarent omnibus, nulli facientes iniuriam.

Eodem anno viceſima prima die menſis Auguſti, quæ fuit Sabbatho poſt feſtum Aſſumptionis beatæ Mariæ ſemper virginis, domus ſcribarum, ſiue cancellaria Principis Palatini Heidelbergæ caſuali igne fuit incenſa & exuſta, cum literis nonnullis atque regiſtris. In cuius locum Fridericus eam, quæ hodie cer- *Cancellaria reſtituta.* nitur, pulchram & ſumptuoſam breui reſtituit.

ADDITIO. Hoc tempore Principis honori hæc carmina fuerunt conſecrata.

Da mihi Muſa placens, date carmina, dâque Poeſis
Magnanimum Rheni Comitem, diuum Fridericum
Laudibus efferre, quas admiranda requirunt
Geſta ſua, populos dudum vulgata per omnes.
Quem ſic laudari dignumque neceſſe videtur,
Nec latet id quemquam. Sed non deſcribere quasque
Ipſe velim laudes, eum nactus idonea non ſim.
Scribere præterea eum paulum verſiculorum.
Hactenus effeci, cum animos admitteret ætas.
Ædes prudentum ſtipata caterua venuſtat
*Illius, & crebrò tales imitantur * abundè,* ** f. imitantur.*
Qui pro iuſtitia de rebus ſemper agendis
*Definire ſciunt, & ſecundos * dare ſuaſus.* ** f. ſecuros,*
Non modo doctorum turmas conſueuit amare,
Aſt ad doctrinas animum non dedere ſperni.
Laude magis dignum nil cenſeo, nil meliusque
(Ut priſci planè decantauêre periti)
Quam Reges patriæque ſupremos philoſophiam
Inſignem colere, quo doctrinas adipiſci
Poſſint fructiferas, & dignè regna ſubire.
Heidelberga moram nonnunquam præbet amœnam
Illi, quam locus oblectans circumſtat vbique
Graminei campi, ſiluæ frondibus altæ,
Jucundi montes: ſolamen Neccharus affert,
Commoda Gymnaſium præſtat perplura celebre,
Quod grandis cœtus ſapientum ritè poliuit.
Robore pollentes ſed bello educat apertos.
Cum quibus effrenes hoſtes domet atque propulſet,
Defendat, ſaluet ſubiectos & tueatur.
O quam grata ſalus populo ſub principe tali,
Cui pax ſemper adeſt, cui rara pericula dantur.
Sed plerique ſuis inuiſi ſæpe tropheis
(Namque fauent alii rarò quem fata ſecundant)
Oderunt miſerè fortunatum Fridericum.
Qui ſimul inſidias quondam ſtatuere latentes,
Qualiter excidium dirum, diſcrimina, magnum
Dedecus inuicto poſſent offerre Leoni,
Maxima turba fuit. Sed Dii quibus omnia parent,

Pre-

Præſidium gratum diuo dederant Palatino.
O Palatine Comes, palmarum ſit tibi iam ſpes
Firma futurarum, quem Dii ſeruant peramantque.
Magnificus leo verſutos ſubuerterat hoſtes,
Et pietate ſua proſtratis parcere viſus
In caſtrum victos illeſo corpore duxit
Æmulos. Infelix ſi quis fortem Palatinum
Concitat in bilem, caſſes hunc Hercle priores
Arripient, nec eum ſtimulos fortuna ſequentur.
Deſine ſperare palmam modo quisquis es hoſtis.
Huius enim magna virtus & mira poteſtas
Te ſuperat, vincit, capit, affligit miſerandum.

M CCCC LXVIII.

Indictione Romanorum prima, Rupertus Archiepiſcopus Colonienſis nimia paupertate & inopia preſſus, cum habere non poſſet, unde iuxta decentiam ſtatus ſui viueret, conſilium & auxilium Capituli ſimul & vaſallorum inuocauit. Omnia enim caſtella, oppida, & thelonea, cum reditibus & prouentibus eorum, vnde pontifices viuere ſolebant & ſtatum manutenere dignitatis, per anteceſſores eius fuerant impignorata pro ſummis pecuniarum maximis: & menſa Epiſcopalis in vltimam penè redacta paupertatem. *Rupertus Archiep. Colon.*

Fuit eo tempore Decanus memoratæ Eccleſiæ Colonienſis, Stephanus Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, Friderici Cynonoti & Ludouici cognomento Nigri ducum Bauariæ frater germanus: qui contrà memoratum Epiſcopum Rupertum cognatum ſuum, neſcio quam ob cauſam, feroci quadam diſplicentia, ne dicam odio laborabat. Is quo potuit ingenio, Canonicorum ſuorum ab eo mentes & animos ſedulo auertebat, ipſumque multorum detractionibus breui obiecit. Neceſſitate igitur compulſus, & inopia graui oppreſſus memoratus Archipræſul Rupertus, cum neque à Capitulo, neque à vaſallis ſuis conſilium obtinere potuiſſet, quo ex tanta releuaretur miſetia; rem armis aggredi ſtatuit, & vaſallis Eccleſiæ impignotata caſtella, oppida ſiue thelonea manu auferre violenta: quod ei in maximum ceſſit malum, cuius occaſione tandem & Epiſcopatum amiſit & vitam. Deſtitutus namque ſuorum auxilio, Friderici Palatini Comitis germani ſui, qui tutor erat Philippi, ſubſidium inuocauit contra eos, qui bona Eccleſiæ tenebant impignotata: qui fratri compaſſus egenti, miſit ei pecunias, frumenta, & viros armatos, in quorum violenta manu plura Eccleſiæ bona, quæ fuerant alienata, ſubitò recuperauit. Ex qua re omnium in ſe vaſallorum atque nobilium terræ odium concitauit. *Stephanus Pal. Canon. Colon.*

M CCCC LXIX.

Indictione Romanorum ſecunda, Fridericus Comes Palatinus, tutor Philippi, contracta bellatorum multitudine nauigio per Rhenum bombardas & machinas, per terram verò exercitum in agrum duxit Colonienſem, pro ferendo germano ſuo Ruperto Archiepiſcopo contra eos auxilio, qui oppida, caſtella, & alia Eccleſiæ bona, ſub impignotationis titulo detinebant. Erant autem nobiles & vaſalli Eccleſiæ memoratæ potentiores, qui hæc ipſa bona tenebant impignorata: qui cum nollent ea gratis & ſine pecunia Pontifici ſæpe dicto reſtituere, arma in eos mouit, & fratris præfati auxilio violenter obtinuit plurima, quorum iſta ſunt nomina. Bunna oppidum cum theloneo: Nuſſia oppidum: Lechnech oppidum cum caſtello: Zulwich oppidum: Bruël oppidum caſtrum atque theloneum: Nurberg caſtrum in Euphalia: Altenaer caſtrum: Rinbach oppidum, caſtrum & theloneum: caſtellum quod nominatur die Hardt: Lynz oppidum caſtellum & theloneum: Andernach oppidum, caſtrum & theloneum: Rolandiſeck caſtrum: Gutenawe caſtrum & oppidum: Lyns oppidum caſtrum & thelo- *Bonn. Neuſs. Lechnech. Zulich. Brol.*

& theloneum : Gutenberg caſtrum : Kempen oppidum & caſtrum : Erpenrod caſtrum : Keiſerswerd oppidum , caſtrum & theloneum : Nyer caſtrum : Pappenberg caſtrum : Hersberg caſtrum , & alia plura , quorum nomina iam memoriæ noſtræ minimè occurrunt. Omnia præſcripta oppida , caſtella & thelonea, cum aliis multis , Fridericus Comes Palatinus Rheni non pecuniis , ſed armis & comminationibus ab illis quibus impignorata fuerant, obtinuit : & Ruperto fratri Archiepiſcopo Colonienſium reſignauit. Ex qua re omnes penè vaſalli Eccleſiæ ac nobiles terræ occaſione ſumta , cum ſe grauiter læſos conquererentur , vnanimi conſpiratione facta , contra ipſum Rupertum Archiepiſcopum inſurrexerunt : & multiplicata ſunt mala per totam dioeceſin Colonienſem, neque ceſſauerunt à tumultu , donec tandem & Pontificatu & vita priuaretur Archiepiſcopus Rupertus, poſt mortem fratris Palatini , vt infra dicemus.

Porrò Fridericus Comes Palatinus Rheni , frater Archiepiſcopi Ruperti, pro laboribus ſuis & impenſis , quas fecerat in memoratis occupationibus cunctis, *Keiſerswerd.* Keiſerswerde oppidum , caſtrum & theloneum impignorata pro certa pecuniarum ſumma accepit , cum omnibus prouentibus eorum , quæ poſt annos aliquot Hermannus Archiepiſcopus Ruperti ſucceſſor immediatus data pecunia redemit Eccleſiæ.

Eodem anno cum inſigne monaſterium SS. Petri & Pauli Apoſtolorum in oppido Weiſſenburg Spirenſis dioeceſis , noſtri ordinis , ſedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectum, propter malum & inordinatum regimen Iacobi de Brug eo rempore Abbatis , in ultimam deueniſſet paupertatem , eſſetque grauatum ære alieno plusquam in viginti florenorum millibus, & omnia penè bona & impignorata, vel prorſus alienata , viuerentque in eo ſine lege Monachi ; appoſuit animum Fridericus Comes Palatinus , ut ad regularis obſeruantiæ tramitem reduceretur. Commiſſione igitur impetrata à ſede Apoſtolica, ad ſe vocauit Eberhardum de Venlo Abbatem montis monachorum propè Bambergam, & Hermannum Abbatem montis S. Iacobi prope Moguntiam, viros in obſeruantia ſtrenuos, & longo uſu exercitatos : quorum conſilio negocium optatum perduxit ad effectum , licet cum magna difficultate , multisque laboribus & impenſis. Cum enim prædictos duos Abbates , cum aliis viris doctis ac notabilibus ſuis à ſecretis pro reformatione prædicti monaſterii miſiſſet ad Weiſſenburg , Senatu conſentiente ac iurante ſe manu tenturum , quicquid pro monachorum obſeruantia fuiſſet inchoatum ; ſtabat in umbone Iodocus de Galba concionator Heidelgenſis, ſacræ Theologiæ Profeſſor inſignis , Dei verbum faciens ad populum commiſſariis rei præſentibus. Et ecce tumultus in oppido ſæuientis populi oritur, in altum clamor exrollitur , monaſterium armatis vinitoribus obſidetur, clamabant omnes una ſententia vociferantes : *Tolliſe monachos iſtos ruriculas , qui nobiles viros de cœnobio expellere laborant : occidantur pediculoſi nebulones , qui loca ſibi vendicant aliena.* Ad clamorem tanti ciuium tumultus territi ſunt omnes, qui venerant ad reformandum, & alii ſe in ſachriſtia recludentes abſconderunt ; alii vero in aliis monaſterii locis, ubi poterant latibula quæſierunt. Sedato tandem per Senatum furentis populi tumultu, inceptum negotium perficiebatur, & ſancta reformatio Bursfeldianorum obſeruantiæ fuit introducta, Monachis antiquis deformatis à faciè regularis diſciplinæ fugientibus, & nouis benè reformatis ex monaſterio S. Iacobi propè Moguntiam in locum eorum repoſitis.

Eodem anno in menſe Auguſto reformatum fuit monaſterium S. Martini in Spanheim ordinis noſtri, ex monaſterio S. Iacobi propè Moguntiam , opera & impenſis Friderici Comitis Palatini , Bauariæque Ducis ac Principis electoris , & alterius Friderici Ducis , qui morabatur apud Cynonotos in oppido Symern , conſenſu & permiſſione Adolfi Archiepiſcopi Moguntini , per Conradum Rotenbergium S. Iohannis in Ringaugia , & S. Iacobi propè Moguntiam monaſteriorum ordinis noſtri memoratos Abbates. In qua reformatione Otto de Colonia, tunc *Ruprechtsberg.* Abbas officium reſignauit , & præpoſitus monialium factus eſt in monte S. Ruperti.

perti. Huic in Abbatia ſucceſſit Iohannes de Colenhuſen S. Iacobi Moguntiæ, & præfuit annis tredecim, menſibus undecim, & tribus diebus in magna paupertate: vir doctus & optimus: qui poſtea translatus fuit ad Selgenſtat.

Eodem anno Adolfus Archiepiſcopus Moguntinus Rudolphus Epiſcopus Herbipolenſis, & Fridericus Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, tutor Philippi, auxilio ciuium regni contractis copiis caſtrum Georgii, Arnoldi, & Michaëlis de Roſenberg nomine Bugsberg, obſidione cinxerunt, in quo ſeſe latrones viarum atque prædones ſceleratiſſimi recipere ſolebant: qui propriæ ſalutis immemores, imperialiumque mandatorum contemptores, & pacis regni communis impii turbatores, non ſolum bonos quoslibet ſpoliauerunt itinerantes, ſed & alia prius inaudita ſcelera in ſacerdotes Domini commiſerunt. Amputatis namque virilibus miniſtros Eccleſiæ ſacrilegis manibus caſtrauerunt, ex quibus nonnulli doloribus nimium urgentibus moriebantur. Poſthæc quædam inſtrumenta ferrea ſeris occultiſſimè clauſa excogitauerunt: quibus teſticulos tam clericorum, quàm laicorum comprimentes; cum nemo ſeras aperire poſſet, niſi ipſi, venire miſeros quocunque iuſſiſſent compellebant. *Bockberg.*

ADDITIO. De iſto clero-maſtyge hi verſus fuerunt ſcripti:

Qui raſo capite præſtas, proficiſcere eautus:
Iam tibi ſuccenſens nobilis ecce latet.
Eſſe pius clero propter ſua probra recuſat,
Quem regit antiſtes clarus in Herbipoli.
Qui vulgo præſunt, clam nunc expectat, ut illis
Abſumat læto pectore teſticulos.
Presbyter ergo caue, maneas & in adibus aſtu,
Ne ſic te miſerum ſauciet hoſtis atrox.
Nam mucrone malo quæ furripit ipſe nefandus,
Nequaquam minima viſcera ſunt hominis.

Hæc & his ſimilia plura facientes mala, nomen infamiæ ſibi perpetuum contraxerunt, quod non dubium apud inferos vindictæ ſemper manebit obnoxium: quia non ſolum ipſi grauiter in his peccauerunt, ſed etiam aliis prauæ actionis præbuerunt exemplum. Si peccatum non dimittitur, niſi ablatum reſtituatur; quis dubitauerit raptores atque latrones iſtos perpetuæ damnationi obnoxios fore, qui omnia, quæ poſſunt iniuſtè diripiunt, nunquam reſtituunt, & ſic moriuntur. Obſidione autem firmata in anno ſequente, caſtellum per dictos Principes durè ſatis impugnatur, & poſtremo expugnatum capitur: in quo fuerunt ſeptuaginta nobiles pro eius defenſione congregati qui omnes fuga lapſi ſunt. Durauerat memorata obſidio diebus uno & viginti, in quibus obſeſſores caſtrum bombardis & machinis ſine intermiſſione fortiter quaſſare non ceſſarunt: quod captum illis de Roſenberg ſub certis conditionibus poſtea fuit reſtitutum. Acta fuerunt hæc anno ſequente in quinta feria cœnæ Domini. Inde mouentes exercitum Schuff caſtellum quoddam ſatis munitum octo diebus obſidentes, tandem in octaua reſurrectionis Domini cœperunt, quod funditus deſolarunt. *Schupff.*

M CCCC LXX.

Eodem anno ciues oppidi Weiſſenburgenſis, qui anno tranſacto in verba & ſententiam Palatini iurauerant, quod Abbatem Henricum & monachos de obſeruantia ad monaſterium ibidem laudabiliter introductos, (ut ſupra diximus) fideliter deberent vellentque fouere, manu tenere, & contra inſultus deformatorum antiquorum & expulſorum defendere; mutato conſilio & immemores iuramentorum deformatos Monachos antiquos iudicio Apoſtolico, ut inutiles & votorum ſuorum transgreſſores per Palatinum Comitem expulſos, in habitu muliebri nocturno tempore ad oppidum intromittunt, & expulſis reformatis ad cœnobium iterum reponunt. Witicum etiam dictum Hoffart manifeſtum Palatini

Comitis hoſtem, & alios inimicos eius fouentes in oppidum ſuſceperunt hoſpitio: & licet eorum eſſet protector, tamen ipſi non ſatis fideliter in ipſum reſpiciebant. Præfectum quoque ſeu Vice-tenentem Palatini captum & ſpoliatum contumeliis & iniuriis plurimis affeeerunt: & alia nonnulla ferebantur in eum commiſiſſe delicta, quibus iram eius non gratiam meruerunt. Vnde commotus *Weiſſenburg.* animo Palatinus oppidum Weiſſenburg in manu ſuorum valida obſedit: & locatis in deſerta præpoſitura quatuor turrium militibus, per totam fere hyemem urbem fortiter impugnauit. Tandem Argentinenſes & quidam alii ciues regni viciniores inter Comitem Palatinum & Weiſſenburgenſes pro pace laboraverunt: quorum interuentu concordia ſub certis fuit conditionibus reformata, & ſoluta obſidio.

Veruntamen Weiſſenburgenſes in concluſione pacis acceptæ non diu permanſerunt: ſed literis & nunciis ad Imperatorem miſſis, qui tum erat in Auſtria, Comitem Palatinum *deſtructorem regni & perſecutorem ciuium eius* proclamarunt. Cuius ut inſolentiam & tyrannidem poſſent reprimere, Cæſari ſupplicabant, quatenus regni capitaneum & Cæſareæ Maieſtatis vicarium per Alſatiam & circumiacentes regiones conſtitueret, cum plena poteſtate bellandi contra ip- *Ludouicus Niger, Capitaneus Imperii.* ſum Palatinum auxilio ciuitatum, Ludouicum Comitem Palatinum, Bauariæque Ducem, cognomento Nigrum patrem ducis Alexandri, qui morabatur in Gemino ponte, vulgariter Zweybrücken. Et conſenſit petitioni eorum Friderieus Imperator: conſtituitque ducem Ludouicum regni capitaneum.

Quod mox ut Friderieo Palatino Comiti ſupra dicto innotuit, ſuorum non paruum exercitum contraxit, & quaſi leo rugiens ad prædam contra Ducem Ludouicum proceſſit ad prælium. Sed Ludouicus Dux ad eius venire congreſſum non audebat. Palatinus Comes Fridericus terram Ducis Ludouici cum potentia ingreſſus, multas breui tempore munitiones illius obtinuit. Et inprimis *Stralberg. Schriesheim.* quidem obſedit Stralburg caſtrum, & Schriesheim: & in octo diebus utrumque obtinuit, & præda oppidanis dimiſſa, nobiles & præſidium Ducis Ludouici captiuos abduxit. Ex peditibus verò in oppido & caſtello inuentis ſedecim fecit ſub- *Armsheim.* mergi. Inde mouens exercitum Armsheim oppidum Ducis memorati obſedit: quod bombardis & machinis fortiter impugnans, tandem in die commemorationis S. Pauli cepit & obtinuit. Non erat ei mos vel conſuetudo pauperum exurendi domicilia: ſed pecunia redempta, prout unuſquiſque ſoluere poterat, intacta relinquebat. In oppido iam dicto nobiles reperit decem & octo: equites verò duo & quadraginta, quos omnes captiuos fecit abduci. Pedites autem re- *Alzey.* perit quadraginta, quos ad oppidum Altzen proximum tranſmiſit captiuos. Deinde muros & turres per gyrum oppidi funditus deſtruxit, & foſſatum ſolo adæquauit. Quadraginta vero pedites, quos in Alzen diximus fuiſſe deductos, quaſi omnes fecit ſubmergi. Habebat enim quaſi pro lege conſuetudinem, ut comprehenſum neminem ſineret viuum, qui ex eius dominio ad hoſtes ſpontanea voluntate defeciſſet.

Wachenheim. Poſt hæc mouit exercitum ad Wachenheim: & oppido proximè ſuperemineus in monte caſtellum, ſitu & arte munitum obſedit, impugnauit, & cepit. Quod aliquandiu in locum præſidii tenuit: ſed poſteaquam & oppidum cepit, ipſum caſtellum (ut hodiè cernitur) funditus euertit. In eodem caſtello magnum reperit apparatum bombardarum. Capto autem caſtro, mox oppidum Wachenheim obſidione vallauit, quod tamen illa vice non obtinuit.

Enimuerò cum audiuiſſet Ludouicum Ducem & regni capitaneum, adiun- *Deidesheim.* ctis ſibi Comitibus de Bitſch & Liningen, cum magno pugnatorum exercitu per Alſatiam venire in terram Palatinatus, animo & intentione ut omnia deſolaret: obſidione ſoluta, machinisque bellicis in Didesheim oppido Eccleſiæ Spirenſis tranſpoſitis, cum exercitu obuiam hoſtibus venit. Ludouicus autem cognito Palatini aduentu retroceſſit, nec ſtare coram eo ſe poſſe confidit. Nouit enim vires Palatini expertus.

Poſt-

Posthæc memoratus Comes Palatinus munitissimum castrum Ruperseck ob- *Ruperzeck.*
sidione cingens, bombardis & machinis fortiter impugnauit: quod subsolum tandem violenter obtinuit: in quo multam prouisionem ad victum necessariam reperit: arma quoque, machinas bellicas, equos, & suppellectilem variam inuenit. Viros etiam militares, quos nobiles vocant, cepit numero tredecim: inter quos fuerunt præcipui, Reinhartus Comes Hirsutus, qui vulgariter Rugraff dicebatur, & Ioannes de Landeck capitaneus. Equites non militares cepit numero quadraginta sex: & nonnullos pedites.

Interea dum hæc fierent per Comitem Palatinum, nebulones quidam armati, quos dux Ludouicus in oppido Wachenheim ad custodiam contra Palatinum posuerat, in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ semper virginis, irruptione facta monasterium vicinum Lympurg nostri ordinis turmatim intrârunt: & fractis violenter ianuis cœnobii omnibus, quicquid præter libros & reliquias Sanctorum inuenire poterant, rapientes ad oppidum reuersi sunt. *Limpurg.*

M CCCC LXXI.

Indictione Romanorum quarta, Fridericus Comes Palatinus exercitum quatuordecim millium pugnatorum in propria persona duxit, contra Ludouicum Ducem Nigrum regni Capitaneum: & inprimis oppidum eius Wachenheim, quod obsederat anno transacto ante hyemem (sicut diximus) iterum obsedit, in vindictam maximè, quod cœnobium Lympurg ex eo spoliauerant. Obsidione igitur firmata, Palatinus oppidum bombardis & machinis fortiter impugnans, tandem in die S. Bonifacii Archiepiscopi & Martyris obtinuit: in quo cepit ex nobilitaribus viros octo, equites inferioris ordinis triginta quinque, pedites vero septuaginta, quorum quinquaginta quatuor fecit submergi in aquam, propterea quod pauperes rusticos interfecerant, domos succenderant, Ecclesias & monasterium Lymburgense spoliauerant, reddidit malefactoribus vicem dictante iusticia: & cæteros abduxit captiuos. Deinde muros & turres oppidi omnes subuertit: & fossatum per circuitum solo adæquauit, bombardas & machinas sibi seruauit.

Posthæc mouit exercitum ad Beckelnheim villas maiorem & minorem, *Beckelnheim.*
utramque fossatis & propugnaculis benè munitam, quæ pertinebant Comitibus de Leiningen, ambasque obsidione vallauit, impugnauit, & in octaua die obsidionis cepit: fossata complanauit, & propugnacula destruxit. In his reperit nobiles quatuor, equites quindecim, & pedites viginti ex quibus nonnullos in aquam fecit submergi. Ex nobilibus autem pridiè quam villæ caperentur, nonnulli fuga lapsi, noctis beneficio euaserunt. Villas iussit incendio cremari, ac funditus destrui. Facta sunt hæc anno dominicæ natiuitatis prænotato quarta decima die Mensis Iunii.

Inde mouens exercitum Palatinus Vlmen oppidum cum arce obsidione val- *Ulmen.*
lauit, quod impignoratum pro certa summa pecuniarum ab Ecclesia Moguntina Dux Ludouicus tenebat: ex quo plura Palatino intulerat damna. Obsidione firmata Canonici memoratæ Ecclesiæ prægogitantes, quod futurum forsan esse videbant, quod si oppidum & castellum in virtute bellica semel in manus peruenisset Palatini, ad ius Ecclesiæ minimè deinceps posset reuocari, talem cum eo concordiam inière. Conditio prima concordiæ fuit, *vt Palatinus nobiles, equites, & alios, qui ex parte Ducis Ludouici erant, in oppido vel in arce, sine lasione cum rebus suis omnibus, quo vellent saluos abire sineret.* Secunda conditio fuit, *quod Canonici Ecclesiæ Moguntinæ castrum eum oppido ad manus suas reciperent & possiderent, ita tamen quod Ludouicum Ducem vel suos perpetuò deinceps non intromitterent.* Tertia fuit conditio pacis, *quod Canonici Moguntinenses Palatino Comiti persoluerent quatuor millia florenorum, pro habitis expensis. Et quod nullus perpetuò foueri seu teneri debeat in eodem oppido vel castello, qui damnum velit inferre Pala-*

tinatui. His factis atque concluſis, in die S. Jacobi Apoſtoli anno præſcripto, ſoluta fuit obſidio.

Lamsheim. Exinde mouens Palatinus oppidum Lamsheim ſitu, muris, propugnaculis, foſſatis, aquis, & milite ſatis munitum obſedit: in quo illo tempore fuerunt viri nobiles quatuor & triginta cum equitibus, pedites verò ex coniuratis Heluetiorum mercede conductis, plusquam trecenti. Obſidione autem firmata oppidum ab hoſtibus fortiſſimè impugnabatur: quod videntes Heluetii pedites, qui Palatini vires iam prius fuerant experti, de ſua cœperunt timere ſalute. Igitur conſilio inter ſe habito, licentiam & ſecuritatem abeundi à Palatino Comite poſtulantes, obtinuerunt: oppidum ſine cuſtodia dimittentes, ſub ea tamen conditione, *quod illa durante contentione inter ipſum & Ducem Ludouicum non amplius bello ſe intromittant.* Poſt quorum receſſum Palatinus oppidum fortitudine & de-
Leyſer. fenſione nudatum, in ſuam poteſtatem accepit. In quo reperit Philippum Luſſer ex Didesheim capitaneum Ducis Ludouici, cum aliis nobilibus quindecim, equitibus vno & triginta: pedites verò quatuor & viginti, quos quidem pedites in foſſato fecit ſubmergi. Oppidani autem in verba Palatini iurantes, ſalui corpore rebusque manſerunt. Facta ſunt hæc quarta die menſis Auguſti, quæ fuit Dominica poſt vincula Petri.

ADDITIO. Inde verſus hi compoſiti.

Vincere murum tandem potuit vis magna Leonis
Munitum Lamsheim, cui laus immenſa dabatur,
Vix expugnari ſperabant tempore longo,
Quos ad præſidium Ludouicus Dux dedit illi.
Magna tamen virtus eſt ſpem fruſtrata Leonis.
Octo dies nondum labuntur ab obſidione,
Dum patet ingreſſus, ignisque coercuit hoſtes.
Hic belli ſortes, hic comperit ipſe neſandos.
Hi ramos inter, hi nobilium prece turpes
Euaſere neces, miſſi nunc quærere piſces.
Philippum Luſſer, Adam Riſſen petulantes,
Nonne Leo domuit? ſua nunc laſciuia ceſſat.
Ergo hoſtis caueas, noli irritare Leonem,
Quem ſtipata cohors animo comitatur atroci,
Oppida quæ vaſtat, villas, hoſtesque propulſat.
Prouida ſis Zabern, Meyſenheim ſis cauta neceſſe eſt.
Hortor vos itidem ſummis in montibus arces,
Solliciti ſitis veſtras vitare ruinas.
Singula magnanimus leo plurima caſtra ſubegit:
Hoc anni ſpacio tam ſplendida geſta peregit.
En Boxberg, Schrisheim, Schuff, Stralburg, Wachenheim,
Armsheim, Rupertzeck, Bockenheim, Lamsheim deleta videtur.
Ne foret his ſocia, vix nonne ſuperfuit Ulma?
Obtulit hæc primus & ſeptuageſimus annus.

His peractis Comes Palatinus obſedit Türckheim, oppidum Comitatus de
Turckheim. Leiningen præcipuum, pro cuius munitione Comites ipſi per annos viginti antea deſudantes, neque laboribus, neque impenſis pepercerunt: quod muris, foſſatis, turribus & propugnaculis fortiſſimum reddiderunt. Sed quid deſtruere manus hominum nequeunt, quod conſtruere potuerunt? Comes enim Palatinus in vi-
Sebach. cino monialium noſtri ordinis cœnobio Sebach perſonaliter conſtitutus, oppidum fortiſſimè impugnabat: & variis capere modis anniſus eſt. Hi autem qui erant in oppido, viriliter incurſantibus reſtiterunt, & hoſtium plures aſtu & ingenio peremerunt. Poſtremò tamen octaua die Auguſti, quæ fuit feſto S. Martyris

Aga-

Agapiti ſolemnis, oppidum à Palatino capitur, muri, turres cum arce deſtruuntur: & foſſatum in gyrum complanatur, ſicuti hodiè videtur. Vxor tunc Emichonis Comitis ex Duroburgo * veniens ad Palatinum, precibus obtinuit ſibi donari Durckheim, & ipſum caſtellum Hartenburg, propterea quod eſſent ei aſcripta in dotem: alioquin dubium non eſt, quo minus vtrumque funditus ab illo fuiſſet euerſum & deſtructum. * *Hart.burg.*

Reperit autem Comes Palatinus in memorato oppido Diirckheim, Philippum & Dietherum Comites de Leiningen, Pettum Comitem quendam Gallicanum, nobiles quatuor & viginti; equites centum ſex, pedites conductos ſtipendio quadraginta; oppidanos vnum & quinquaginta, ruſticos ex diuerſis locis comitatus de Liningen pro defenſione introuocatos ſeptuaginta: quos omnes captiuos pro pecunia libertati poſtea donauit.

In ea expugnatione Durckenhemenſi de exercitu Palatini ceciderunt occiſi ducenti viri: inter quos plures fuerunt nobiles atque potentes. Ex parte verò comitum de Liningen octoginta nouem interierunt. Abſconderant enim Durckhemenſes in foſſato vel circa foueam terrâ ſubtiliter opertam, in cuius fundo palos fixerant acutos. Cumque Palatini milites cum impetu ad muros vellent irrumpere, ſubitò ceciderunt in foueam occultam. At illi quibus talis negocii fuerat commiſſa induſtria, præparatis antea pulueribus ignem ſubmiſerunt in foueam, & lapſos in eam cunctos necauerunt. Meliores inter ſuos nobilitates Palatinus ibidem amiſit.

Poſthæc Palatinus mouit exercitum contra Ducem Ludouicum, obſeditque Sobernheim oppidum Eccleſiæ Moguntinæ, ipſi Ludouico (vt ſupra diximus) ab Adolfo Archiepiſcopo pro certa pecuniarum ſumma impignoratum. Oppidani non habentes à Duce Ludouico defenſionis aliquod ſubſidium, cum tantæ multitudini nequaquam poſſent reſiſtere, in manus ſe obſidentis Palatini cum oppido tradiderunt, anno prænotato in die S. Bartholomæi Apoſtoli; & ita ſalui manſerunt ſub Palatinatu vsque in præſens. *Sobernheim.*

A Sobernheim mouit exercitum ad Montzegen oppidum: quod breui vna cum Merixheim & Nosbaum in villis munitis in ſuam poteſtatem accepit: quæ ſimiliter fuerunt iuris Eccleſiæ Moguntinæ, ſitæ in comitatu Spanheimenſi, emptæ quondam cum aliis ſupra & infra notatis per Wernherum Archiepiſcopum ab vno Comite de Spanheim Heinrico. *Monzingen, Merxheim. Noſsbaum.*

Caſtellum poſthæc Bickelnheim & vtramque eiusdem nominis villam obſedit, expugnauit & cepit. Erat in ipſo caſtello ex parte Ludouici Ducis capitaneus ſeu vicem-tenens, homo quidam patria Ringaugienſis, nomine Conradus Schlarpp ex Giſenheim oriundus, qui caſtrum cuſtodiendum ſuſceperat. Verùm poſteaquam Ducis ſui auxilium implotaſſet, expectaſſetque aliquandiu, & nullum penitus aduenire; caſtrum in manus Palatini tradidit, & ipſe cum his, quos ſecum habuit peditibus, quo vellet, liber abire permiſſus fuit. *Bickelheim.*

His geſtis Palatinus Comes à Bickelnheim mouens exercitum, viceſima ſexta die Menſis Auguſti, quæ feria erat ſecunda poſt feſtum S. Bartholomæi Apoſtoli, caſtellum Landſperg & vicum Moſcheln cum arce obſedit, & fortitet ſatis impugnare cœpit. Tunc primum Dux Ludouicus videns, quod deſolatus eſſet ab omnibus, neminemque haberet auxiliantem, & quia ſuis vitibus nequaquam poſſet reſiſtere, poſteaquam plura iam oppida & caſtella perdidiſſet, ſuorum vſus conſilio procerum veniam ab eo rurſus poſtulauit. *Landſperg. Moſcheln.*

Anno igitur Dominicæ natiuitatis prænotata facta eſt inter Fridericum Comitem Palatinum & Ducem Ludouicum tertia concordia: & ſecunda die Septembris Heidelbergæ concluſa, ſcripta, & ſigillorum monimentis confirmata. In ea concordia fuit concluſum, quod omnia oppida & caſtella, quæ Palatinus toto diſſenſionis eorum tempore de manibus Ludouici Ducis obtinuerat, perpetuò deinceps ad dominium Palatinatus debeant pertinere ſine impedimento cuiuscunque: ſicut & hodie pertinent, quorum iſta nomina. In comitatu Spanheimenſi, So- *Tranſactio inter Fridericum & Ludouicum.*

bernheim oppidum, Monzingen oppidum, Bickelnheim caſtrum, & duæ villæ: Merixheim villa, Nosbaum villa, Bois villa, cum aliis pertinentibus ad prædicta: quæ omnia dux Ludouicus ab Eccleſia Moguntina (vt ſupra dictum eſt) ab Adolfo Archiepiſcopo contra Dietherum ſuſceperat impignorata, & olim pertinebant ad comitatum Spanheimenſem iam dictum. In ſtrata montenſi caſtrum & oppidum Schriesheim. In gauio maiori Armsheim oppidum, Gawbickelnheim oppidum, Waldertheim oppidum, cum viculis quibusdam & villis eorum. Lamsheim quoque oppidum, & Rupertzeck caſtrum cum aliis. Vlmenam nihilominus oppidum & caſtrum dux Ludouicus perdidit: quamuis in dominium eccleſiæ Moguntinæ, & non Comitis Palatini (vt diximus) peruenerint.

Non placuit Romanorum Imperatori Friderico iſta concordia, qui aduerſus Comitem Palatinum multiplices ob cauſas animum gerebat indignabundum. Dux autem Ludouicus iam tertio non ſine maximo principatus ſui detrimento expertus iram leonis, Imperatorem ipſum iam deinceps maluiſſet habere aduerſarium, quam eius mandato Comitem rurſus impugnare Palatii. Cæteri quoque in circuitu Principes penè omnes magno cum periculo rerum ſuarum experti, quid vires poſſint memorati Comitis Palatini, contra eum mouere pedem amplius non audebant: quia incubuit timor eius ſuper eos vehementer.

ADDITIO. De hac concordia ſcripti ſunt hi verſus:

*Nubila nunc tandem cælo proſper * auffert,*
Nec rurſus imbres triſtia parturient.
En Friderice Comes iam fata laboribus ipſis
Adducunt finem: iam labor omnis abit.
Jamque palam ſeruant fulgentia ſigna leonis
Caſtra Ludouici, qui prius hoſtis erat.
Ergo Leo plaudas hoſtes virtute cohercens,
Quos demum pacem cogis inire piam.
Infeſtos terres tu, munitas capis vrbes,
Succubuit miſerè nunc inimica manus.
Jamque reluctantes ferro telisque propulſas,
Ciues, tirones, ruricolas, proceres.
Fruſtra tuis hoſtes iam vi virtutibus obſtant:
Nam non impune facta proterua ferunt.
Nactus es immenſos ſumma cum laude triumphos:
Tu Rheno felix commoda magna paras.
Nullos deuitat audacia magna labores
Ambigit, & faciunt iam tua geſta fidem.
Nuper enim Dorckheim atrox expugnando petebas,
Difficiles adstus non verebare quidem.
Nec rumor falſus, nec Cæſaris ira minantis,
Nec te formido terruit vlla necis.
Nec triſtes Hyades, nec Phœbi grandior æſtus,
Quin inimica tuis oppida diriperes.
Quis ſat conſequitur præconia magna Leonis?
O magnas laudes principis egregii.
Pellite magnanimi mecum vos, pellite curas:
Nam vitam placidam pax dabit accelerans.
Dux en Veldenſis, qui ſæpe pericla minatus,
Qui ſe diſcidii geſſerat ante ducem;
Jam dedit ad nutus humili ſe mente Leonis:
Mutata mente deditus eſſe cupit.
Plaudite mortales, præſens mòdo Juppiter adſit,
Jam bellum cedat, gratia pacis adeſt.

Nunc

Nunc mercator iter cape, nunc miles pede fausto:
Nemo tibi rursus clam locat insidias.
Ergo tibi Friderice Comes spondemus amici,
Nos semper monitis velle parere tuis.
Viue, vale, gaude: nam quæ nos cunque sequentur
Fata, viros tecum nos dabimus comites.
Nec tibi coniuncti nos desperabimus vnquam:
Et metus in nobis te duce nullus erit.
Exercere modo Mauortia gesta licebit:
Nam Iouis excelsi fungimur auxilio.
O Rheni ductor, leo fortis, & inclite Princeps,
Magna salus patriæ tu Friderice Comes.
O præclare comes, ô tu fortissime victor:
Maiestati tuæ me modò dedo miser.
Suscipe parua libens munuscula mente benigna,
*Quæ tibi Jacobus * ex famulis minimus.*
Ille tuas laudes longum diffundet in auum,
Et tenui metro te super astra feret:
Virtutesque tuas tenui lanugine cinctus
In totum faciet nunc penetrare solum.

His ritè peractis, iterum Comes Palatinus Weissenburgenses cunctorum iam destitutos auxilio monuit, quatenus Monachos de obseruantia Bursfeldensi, remotis & expulsis deformatis, quantocius reciperent, aut bellum & obsidionem denuò experirentur. At illi consilio inter se habito satius iudicabant monachos reformatos intromittere, quam propter antiquos deformatos vitæ ac rerum suarum extremum periculum subire. Expulsis ergo monachis antiquis deformatis; expulsi prius reformati ad locum reuocati & introducti sunt, manentque reformati usque in præsentem diem.

Eodem anno vicesima tertia die mensis Octobris sæpè dictus Comes Palatinus, confœderatione prius facta cum Nicolao duce Lotharingiæ, coadunato pugnatorum exercitu oppidum Mauri monasterium, & castellum vicinum Gerolseck, in quibus prædones & inimici prænominati ducis Lotharingiæ sua receptacula consueuerant habere, obsedit, impugnauit, & cepit, muroſque per gyrum & fossata destruxit, latronibus nocturna fuga salutem quærentibus. *Mornunster Gerolzeck.*

Rursus eodem anno in Decembri memoratus Princeps duo prædonum castella, quorum alterum dicebatur Dortzbach, alterum verò Waltbach, in pago quem Odenwald vulgò nuncupamus, obsedit: quorum primum septima decima die Decembris obtinuit, secundum verò die sequente. Latronum in castellis ipsis tunc existentium alii fuerunt occisi, alii verò capti: cæteri autem fuga lapsi manus persequentis euaserunt, ne & ipsi caperentur. *Dortzbahh. Waltbach.*

ADDITIO. Super hoc versus hi facti.

Nequaquam admittis gratam Friderice quietem,
Nec rigidum Martem vexillis ducere cessas,
Ni virtute tua compescas quosque nefandos.
Temporis æstiui post diros hercle labores,
Dum refrenatus tibi Dux Ludouicus abibat,
Et manifesta suo gemitu discrimina planxit
Cinctum Morsmonster tunc obsidione molesta,
Quod prius indomitum tenuit lasciuia grandis,
Mox tibi subiicitur, auulsis mœnibus atque
Iure cohercetur, eius petulantia cessat.
Quando munitas arces inuadere tentas,
Expugnas subito, sternens virtute superbos.

Sed

Sed mortis timidus procul hinc fugit ipſe Ditherus,
Vitam conſuluit propriam quærendo ſalutem.
At frater vinctus obſcuro carcere dormit.
Vos quoque laſciui, maleducti, vos nebulones
Pœnas effugite; metuenda eſt ira Leonis,
Ne vos arripiat, ne vos tradat cruciandos
Carnifici, dudum qui plures miſit in Orcum.

Ermelſtein. Eodem tempore arx quædam nomine Ermelſtein, in qua Palatinus ius aperturæ & refugii habebat, per inſidias à quibusdam iniquis conſcenſa & occupata fuit. Quo comperto Palatinus ſtatim armatos ſuos adduxit, & prædictam arcem vi in manus ſuas recepit. Unde verſus:

Quæ dudum terras fuerat vulgata per omnes
Amplificas famam tu Palatine tuam.
Demonſtrat ſolitos arx perquam clara triumphos.
Viribus Ermelſtein exſuperata tuis.
Non fuit hunc equites iuſtum coluiſſe rebelles:
Eſt tua vis illos pellere viſa viros.

Eodem anno Fridericus Imperator tertius conuentum Principum ſtatuumque regni magnum habuit in ciuitate Ratisponenſi: ubi inter alia multa varii habebantur tractatus de bello in Turcas mouendo, ſed omnia terminabantur verbis, cunctis quæ ſua ſunt quærentibus, non quæ Reipublicæ IEſu Chriſti.

M CCCC LXXII.

Hoc anno Rupertus ex Comite Palatino Archiepiſcopus Colonienſis germanus Friderici ſæpe dicti principis, magnam ſuorum contra ſe diſplicentiam concitauit. Nam inter ipſum & Canonicos maioris Eccleſiæ (quorum congregationem Capitulum nuncupant) magna contentione ſuborta, prouentus eorum & cenſus in vindictam rebellionis, ubicunque potuit extra Coloniam præoccupauit, & in uſus proprios conuertit. Hinc nimium commoti, & forſan non immeritò, Canonici quidquid contra eum potuerant agere, toto mentis ſtudio conſiliati ſunt. Adhæſerunt eis ciues Colonienſes: adhæſerunt Bonnenſes: Noueſii quoque, & omne robur totius nobilitatis in patria: qui penè omnes unanimi ſententia rebellarunt.

Archiepiſcopus autem ipſe cum experimento rebellionem ſuorum didiciſſet, grauiter tulit: & quomodo ſuam poſſet ulciſci contumeliam, ſedulò cogitabat. Erant inter conſultantes rebus Pontificiis nonnulli, quorum ſententiam male ſequutus Præſul, Noueſium capere viribus cum non poſſet, inſidiis & dolo aggreſſus eſt. Dicebantur eo tempore ſubordinati fuiſſe tres viri, magniſque promiſſionibus conducti, videlicet Erhardus Bock, Friderieus Schouff, & Baſilius quidam per eos, quibus Archiepiſcopus rerum commiſerat ſummam, ut oppidum in manus eius traderent per inſidias. Receſſerunt enim Noueſii (ſicut iam diximus) ab obedientia Archiepiſcopi. Verum Baſilius aquam utroque ſciens portare humero, & in una re bis traditor factus, à Noueſiis accepta pecunia, ſocios ſuos in eorum notitiam ſecretius tradidit. Qui cum nauigio per flumen Rheni deſcendiſſet Noueſium, accepto ciues à bis traditore ſigno, mox eos in littore capientes, torturis examinarunt. Quid plura? Interrogati conſilium aperiunt, voluntatis ſuæ inſtitutum fatentur: ſententiam capitis accipiunt: ceruicibuſque amputatis, trunci quatuor in partes diuiduntur. Hinc grauem commotus in iram, necatis factam clamauit iniuriam: afferens nec ſe nec ſuos unquam de traditione Noueſii queleeunque habuiſſe conſilium. Mandauit ergo Noueſiis, & iureiurando denunciari fecit, ſcirent, quod & illatam ſibi ab eis contumeliam, & innocentibus mortem, totis viribus, & quo poſſet ingenio cogitauerit in proximo vindicare. Iam deinceps in apertam rebellionem conſpirarunt.

Eodem

Eodem anno Fridericus Comes Palatinus, ubi tantam audiuit inter fratrem Archiepiſcopum & Canonicos eius Colonienſes diſcordiam, miſit ad Coloniam Reinhardum Epiſcopum Wormatienſem, cum aliis quibusdam à ſecretis, ut ſi quouis ingenio poſſent, concordiam inter eos reformarent. Miſſi ad Coloniam veniunt, cauſam aduentus ſui aperiunt: ſed pacem inter diſſidentes nullatenus componere potuerunt. Abeuntes ergo ſine concordiæ vel pacis effectu triſtes, cum nauigio veniſſent paululum ſupra villulam Rotenkirchen, omnes capti, & neſcio quorſum fuerunt abducti. Iam enim Palatinus odio habebatur à Capitulo, à ciuibus, & omnibus terræ nobilibus, propterea quod Archiepiſcopo adhæſit. Cuius odii prima cauſa fuit violentia, quam fecerant his qui bona Eccleſiæ tenuerant impignorata, quæ ſine pecuniarum ſolutione occupauit omnia. *Rotckirch.*

Anno prænotato circa feſtum S. Martini Epiſcopi Palatinus Comes Fridecus miſſis exercitibus ſuis caſtellum quoddam nomine Diſſaw in Bohemiæ nemore ſitum, in quo prædones latibula ſua habere ſolebant, obſedit, cepit ac funditus deſtruxit: latrones in eo repertos interfecit, & dominum caſtri ad Amberg miſit captiuum. Itaque ſuperatis hoſtibus pacem bello comparauit, & ambulantibus in principatu ſuo itinere purgauit. *Diſſaw.*

ADDITIO. Verſus deſuper facti tales:

Non ſolum Rheni te patria vaſta veretur,
Nec ſatis eſſe putas ſylua Ottonis dominari,
Finitimiſque locis, quibus eſt tua cognita virtus:
Sed tua maieſtas ſimul eſt perſpecta Bohemis.
Namque illis Diſſau cepiſti nudius arcem
Deuaſtans penitus, ac deprenſos nece triſti
Illico condemnans: quoniam factis meruere.
Peruerſumque caput, pietas cui magna pepercit,
Nunc Amberga tenet loris ceruice reuinctum.

M CCCC LXXIII.

Canonici maioris Eccleſiæ Colonienſis contra Rupertum Archiepiſcopum ſuum iam propter ſpolium à ſede Apoſtolica ad eorum inſtantiam excommunicatum Hermannum ex Landgrauiis Haſſiorum Canonicum ſuum Eccleſiæ beatæ Mariæ ſemper virginis in regali oppido ad Aquaſgrani Præpoſitum, in gubernatorem & adminiſtratorem Eccleſiæ ſuæ conſtituerunt: qui erat vir non ſolum nobilitate præcipuus, ſed etiam prudentia, conſilio & actione præclarus: qui etiam Ruperto poſtea in Archiepiſcopatu ſucceſſit. Huic mox gubernatori facto Nouenſii, Andernachii, Bunnani, & plerique alii deficientes à Ruperto fidelitatis iuramenta præſtiterunt: quorum ſuffultus auxilio non pauca breui caſtella Eccleſiæ obſedit, & cepit ſibique & Capitulo memorato potenter, nulloque reſiſtente ſubiecit. *Hermannus.*

M CCCC LXXIIII.

Hoc anno Philippus Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, Ludouici Pii Principis Electoris quondam filius, uxorem duxit Margaretham Ludouici Ducis cognomento Diuitis filiam, ſororem Georgii diuitis: & in oppido Amberg nuptias in dominica Quinquageſimæ ſolenni pompa celebrauit, anno ætatis ſuæ viceſimo ſexto. Ad regimen tamen paterni principatus, quamdiu vixit Fridericus patruus, non peruenit. Superuixit autem poſt eius coniugium tutor ipſe Fridericus annis tribus. *Philippi Palatini nuptiæ.*

ADDITIO. In has nuptias hoc carmen ſcriptum.

Plaudite iam proceres, latas ignobile vulgus
Voces effundat, feſtos celebrans hymeneos,
Qui Margaretam omnis virtutis ſimulacrum
Cogunt felices thalamos intrare Philippi.
Dux Ludouice potens, fortis gaude & Friderice.
Diuos connubium dabit hoc ſpectare nepotes.
Margareta virum ſortita eſt tempore fauſto,
Quo non eſt melior, nec eſt formoſior alter,
Dulcior alloquio, factisque benignior ipſis
Vita non fruitur. Latas ad ſidera palmas
Tuque Philippe refer : tibi eſt caſtiſſima coniux,
Moribus inſignis, præſtanti corpore quasque
Præcellens nymphas cretas de ſanguine claro,
Te ſobolis pulcra dulcem factura parentem.

Margaretha verò Philippi uxor, peperit ei filios & filias ſubſequentes, Ludouicum primogenitum, qui patri ſuccedens in principatu hodiè * dominatur : Philippum Friſingenſem Epiſcopum : Rupertum ducem, qui habuit uxorem filiam ducis Georgii auunculi ſui, & obiit ante patrem : Fridericum qui hodiè ſine uxore tutotem ſe gerit filiorum Ruperti fratris ante dicti : Georgium Epiſcopum Spirenſem : Henricum præpoſitum S. Albani Moguntiæ : Ioannem Epiſcopum Ratisponenſem : Wolffgangum Canonicum Herbipolenſem. Filiarum iſta ſunt nomina : Eliſabeth, primo nupſit Landgrauio Haſſiæ Wilhelmo quo ſine liberis mortuo data eſt in coniugium Badenſium Marchioni Philippo : Amalia, & Helena quarum altera nupſit duci Meckelnburgenſium, altera verò duci Pomeranorum & Stetinenſium : Catharina monialis eſt noſtri ordinis in cœnobio Neuenberg propè Heidelberg Wormatienſis diœceſis. Porrò Barbara cum eſſet annorum quatuordecim, virgo moritur : & Otto Heinricus in pueritia ſua obiit. Reliqui hodiè adhuc viuunt omnes.

Anno 1514.

M CCCC LXXVII.

Friderici obitus.

Anno duodecima die menſis Decembris obiit Fridericus Comes Palatinus Rheni, Bauariæque Dux, tutor Philippi, frater iam dictæ Mechildis, Ludouici quoque patris Philippi & Ruperti Archiepiſcopi Colonienſis : cuius corpus in habitu fratrum minorum apud eiosdem in oppido Heidelberg ſub marmore cælato, in abſidula dextrorſum, ſolemni pompa fuit ſepultum. Magnus Princeps, amator Cleri, defenſor pauperum & viduarum, Eccleſiarum aduocatus integerrimus : qui tanta fecit, quanta nullus in Germania Princeps in trecentis retrò annis, pro pace & defenſione ſuorum omnium, adiutorium eius poſtulantium. Qui (ut mea ſert opinio) ſi Romanorum fuiſſet Imperator, non tot regna, tot prouincias, tot urbes à Chriſtianorum dominio Turcus rapuiſſet ; aut ſi Imperator fuiſſet, qualis iſte erat. Quo mortuo excellentiſſimus Princeps noſter Philippus Palatinus, hodie feliciter imperans, paternum ducatum quem ille poſt obitum patris tutotio nomine gubernauerat annis XXVI. regendum hoc ipſo anno ſuſcepit, annum ætatis agens XXVIII. Princeps inclytus, manſuetus, ingenio clarus & ſubtillis, non minus conſilio quàm armis valens, amator pacis & ſubditorum ſuorum defenſor & rutor accerrimus.

Philippus Palatinus ſuccedit.

ADDITIO. Apotheoſis Friderici Palatini.

Tanti fama ducis, totum celebrata per orbem
Compulit, ut cœlo collocet ipſe ſuo
Jupiter : atque tuum pateat iam nomen Olympo,
Agmine quod fortes Marte viros ſuperas.

Sic

*Sic ego dum radiis nomen * fulget ab alto,*
Protinus exarsi, quo tua sacra colam:
Nomina grata Deis, Musisque dicata serenis,
O Friderice salus & decus Imperii.
Aureus in medio terra notissimus orbe:
Arduus astra petens, quo fremit acer equus.
Dux Fridericus adest, & inter sidera fulget,
Nomen & aternum posteritate feret.

EOLOGIUM
ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS FRIDERICI BAVARIÆ DUCIS, COMITIS PALATINI RHENI, SCRIPTUM à IACOBO SCHLETSTAT, XII. CAL. FEBRUAR. ANNO M CCCC LXXI.

Cæsareum pectus tibi cum sit, maxime Princeps,
Corpus & Hectoreum, lingua Catonis adest.
Munere Alexander tibi, voce cedit Ulysses,
Qui valuit summa posteritate frui.
Quod si te tantum genuissent prisca parentem
*Tempora, dedissent vota * gerenda tibi.* * f. regna.
Quare age magne Princeps, mihi munus trade rogatum,
Ut mea sint grata carmina missa tibi.

Prouida discutiens iam dudum cuncta vetustas,
Humani generis quisquis status esset, eidem
Supremum statuit, cuius ditione subacti
Transigerent longam fausto cum fœdere vitam.
Ne si tollatur honor & formido regentis,
Pessima dissidia crebrò subrepere possint.
Nam virtute carens, quamuis turpissimus adsit,
Ambitione celer quiuis ad honores anhelat,
Præferri cupiens ut iure coherceat imos.
Huic voluit veterum prudentia magna mederi,
Virtute egregia quicunque sit accomodatus,
Refrenans alios regnum prælatus haberet.
Ergo Ludouicus omni virtute probatus,
Qui quondam fuerat illustris sanguine multum
Bauarico, reges superans virtutibus omnes,
Præfuit his terris summa cum laude gubernans.
Is pius, is iustus, populo veneratus ab omni,
Plangitur emoriens, & magnum sentit amorem
Mœstorum procerum, quos mors fecit sua tristes.
Verum lætitiam cunctis spes unica præstat,
Quam fuit amplexus dum viueret, inclyta virtus
Qua facit ut iunctum superis hunc nemo vacillet.
At patris effigies nobis Philippe superstes
Manifesti, sectans virtutes crebro paternas,
Quem natura dedit vultus splendore venustus,
Sideris oculis, cultu quoque præditus omni:
Quoslibet in magnum vehementi laude fauorem

Allicit ille tui, nec te quoque amaſſe :*
Quosque piget ut ament, faciei forma coercet.
Namque tibi hæc animum profitetur ineſſe benignum,
Præ ſe ferque palmam magna virtute venuſtam.
Et quia virtutes tua mens amplectitur omnes,
Proſequiturque imos placide coniunctio mitis,
Et tua Maieſtas eſt viſa tyrannidis expers;
Non inconſultò ſubiecta caterua tuorum
Te colit, expectat, te diligit, & veneratur :
Et tibi congaudet, amat, applaudit, fauet ultro:
Atque uniuerſa tuas clamat Germania laudes.
At non immeritò præconia talia ſeruas,
Cum teneris, ut erat laudabilis indoles, annis
Quæ tibi rectorum mandabat idonea turba,
Ipſe memor fueras ſtudioſa mente ſecutus.
Jam didiciſſe ſenem, iam iuſſa ſalubria quondam
Auſcultaſſe iuuat, nam regna futura requirent,
Tum princeps aderis populo gratiſſimus omni,
Tum tua vota tibi ſubito feliciter omnes
Explebunt auidi, monitis parere veloces.
Omnibus in rebus nunquam diffidere fas eſt
Inſigni tecum duce patrono Friderico.
Is pater optatus regimen tibi nate beatum
Suggerit, atque docet præſens incumbere Marti.
Ipſe Philippe tuas virtutes ſemper amauit,
Et ſua cura tibi regnum noctesque diesque
Amplificare ſtudet : hunc tu ſectare parentem.
O Friderice tuas iam pridem accedere laudes
Philippus ſtatuit, mores virtutibus ornans.
Non illum quisquam venturis Hercle diebus
Degenerem dicet, patris at ſimilem Ludouici.
Nuper enim Princeps dum Marte inimica ſecundo
Oppida dirueres, arcesque & hoſtibus armis,
Philippus conſtans, bellis aptiſſimus, atro
Conflicta noluit audax euadere tyro.
Sed tua non certi prudentia neſcia fati
Illum nolebat atroci exponere damno.
Hæc ſunt iudicia ſenii ſpectata ſalubris.
Geſta etiam multum doctus iocunda paleſtræ
Cernitur in theatro cunctos ſuperare coæuos.
Nemo illi par eſt: in propatulo magis unquam
Nemo inſedit equos placidè, quibus ardua ceruix,
Et iuba dependens, & robore pectus amœnum.
Hic ubi magna ſuis haſtilia ſumſerit alis,
Et lato fuerit umbone in pectore cinctus,
Et greſſus celeri concurrit rite caballus
In pugilem aduerſum, quanquam ſua pectora tundat,
Is fixus reſidet, deorſum nec corpore nutat.
Nonnunquam gladiis comites vibrantibus aptè
Ne tactus obſint, aduerſaque pectora ledit.
Quid iuvat, ô Muſa, longis ambagibus uti,
Ut morer illuſtrem ſumma virtute Philippum ?
O felix Princeps, ô vaſti gloria mundi,

O decus

O decus excellens, ô ſummo dignus honore.
Quæ tibi non inſit, virtutem nemo recenſet.
Imo tuis manibus quæcunque negocia tractas
Sunt viſu placida, quæcunque iocunda videntur.
Dum quoque frendentes altis in montibus apros
Sectaris, te nulla fera veſtigia terrent:
Aprum qui nudius confoſſo pectore in undis
Letali gladio minimè penetrare timebas.
Ergo tui mores, tua mens, tua maxima virtus
Vitaque iocunda te cunctis reddit amandum.
Letificat pariter omnis ſpes una Philippe, &
Præmia ſi meritis condigna rependere fas eſt,
Quin tibi regalis præſtetur laurea tandem
Romani imperii: nam virtutes meruere.
Tum tibi geſta canam, temptabo dicere verſu,
Quæ ſplendore ſuo præconia magna requirent.
Tu modo quæ Iacobus iuvenili carmine pangit,
Et quæ felicis anni ſub nomine mittit,
Suſcipe, vive, vale longè venerandus in ævum.

NOTÆ ET ADDITIONES QUÆDAM, AD GESTA FRIDERICI PALATINI, COGNOMINE VICTORIOSI.

PAg. 327. (*Trithemio ſcriptore*) Hic familiam Palatinam, cui multum debuit, quantum potuit, calamo ſuo exornare ſtuduit. Extat eius *Chronicon ſucceſſionis Ducum Bauariæ & Comitum Palatinorum, ad Philippum Palatinum Principem Electorem*, iuſſu illius ſcriptum: quod cum aliis eius operibus Hiſtoricis nuper recuſum eſt. Scripſit etiam *De origine, Regibus ac Ducibus Bauarorum, ſimul & Comitum Palatinorum & Spanheimenſium, libros* IIII. *ad Johannem Comitem Palatinum, & in Spanheim, apud Symeren reſidentem.* ſi fidus eſt catalogus operum eius Polygraphiæ præfixus: nam in Epiſtola ad Rogerium Sicambrum (quæ inter familiares eſt num. 51.) ſcripta anno MDVII. qua omnes eius lucubrationes enumerantur, nulla huius operis mentio. Friderici porrò Palatini Electoris laudatiſſimi Principis, præter quæ de eo in breui illa Genealogia ſtrictim notat, res geſtas in Chronico Spanheimenſi per annorum ſeriem cum cura conſignauit: poſtea tamen etiam copioſius & accuratius, in repetita elaboratione Annalium Hirſaugienſium, quos anno MDXIIII. in Abbatia ſua Herbipolitana de nouo recoxit, & in tantum amplificauit, vt duobus prægrandibus voluminibus deſcripti, quadruplum primæ editionis, quam ſolam hactenus vulgatam habemus, conficiant. Inde nos iſta excerpſimus, cum beneficio Illuſtriſſimi principis Ducis Johannis Palatini Rheni, eos libros precariò teneremus: ne forte Lector putet, peculiarem fuiſſe à Trithemio libellum Friderico tributum. Habuit tamen etiam proprios rerum ſuarum ſcriptores Princeps noſter, vernaculo ſermone vſos. Inter quos duo eximii fuerunt, vnus Matthias de Kemnaten Theologus, Principis Capellanus, & (vt Trithemius pag. 33. meminit) Mathematicus: alter Michael Bohemus Weinſpergenſis Poeta: quorum ille proſa, hic rhytmis Teutonicis, vterque ab origine Palatinæ ſtirpis exorſus, Friderici huius geſta diffusè & copioſè celebrarunt, qui in archiuis Palatinis adhuc conſeruantur. Eorundem geſtorum diuerſæ etiam Epitomæ, incertis auctoribus, circumferuntur. Quæ omnia

partim à clementiſſimo noſtro Principe Electore Friderico IIII. benignè ſuppeditata, partim ab amicis vltrò oggeſta, eum diligenter inſpexiſſem; deprehendi iis ipſis adiutum Trithemium, qui proximè ab illorum ſcriptorum æuo abſuit, iſta ſua concinaſſe. Nos illis nunc etiam aliunde lucis aliquid afferre conabimur.

Pag. 329. *Naſcitur Philippus*) Hue Genethliacon, ab illius æui elegantia, eodem illo Jacobo (vt videtur) auctore.

Surge age Calliope, latas de pectore voces
Cum Muſis ſociis virginioque choro
Funde, exultando melos ad ſidera profer:
Jam reſonet Phœbus cum cithara atque lyra.
Ipſi gaudentes voces ad athera iactent
Nunc mecum populi, Paan Joque & Jo.
Naſcitur hac die nam pulcra de ſtirpe Philippus,
Dux populi inclitus Diis gratus ſuperis.
Mille quater centenos & quaterque decem Sol
Annos cum octo nato Iheſu faceret.
Illa die moritur ſanctus Henricus & eius,
Spiritus æthereis eollocatur ſedibus.
Quem Bamberga potens tumulo ſacrauit & æde
Ante annos multos fata ſuperna ſequens.
Deſpiciens qui cœlo ſuos de ſtirpe creatos,
Hunc pro ſe terris omine fauſto dedit.
Gaude igitur felix pietate atque omine tanto:
Inque patrum dirige greſſus & ingenia.
Diſce puer ſtudio virtutem & optimas artes,
In pace vt patriam iuſtitiaque regas.
Sic tibi pro meritis terram multosque dabunt Dii
Cum liberis annos, æthereasque ſedes.
Ipſe ego carminibus (abſit modo inuidia) pergam
Scribere facta tua, te ſuper aſtra ferens.

Ead. quousque Philippus XVIII. *compleuerit annum*) Hoc ſecundum diſpoſitionem Aureæ bullæ Caroli IIII. Imp. §. Inter ſollicitudines: *Si Principem Electorem ſeu eius primogenitum mori, & heredes maſculos & legitimos laicos defectum ætatis patientes relinquere contigerit; tunc frater ſenior eiusdem primogeniti, tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec ſenior ex eis legitimam ætatem attigerit; quam in Principe Electore octodecim annos completos cenſeri volumus & ſtatuimus perpetuo haberi. Quam dum attigerit, ius, vocem & poteſtatem, & omnia ab ipſis dependentia, tutor ipſe totaliter cum officio teneatur protinus aſſignare.* Idem confirmauit Sigismundus Imp. duabus Bullis, à nobis editis eum diſſertatione ſingulari, *De legitima Palatini Electoris ætate.*

Pag. 329. *Tutor infantis Philippi*) à ſe adoptati. Æneas Syluius in Europa cap. 40. *Mortuo Ludouico Palatino, qui relictam Ludouici Regis Cypri vxorem duxerat, filium ex ea natum infantem adhuc Fredericus frater eius, conſentientibus terræ optimatibus, adoptauit: gubernatorem prouinciæ tanquam dominus, Electorem Imperii ſe dixit: calibatum perpetuum promiſit, ne arrogato filio vxorem ducens præiudicium faceret. Rogatus Nicolaus Pontifex* v. *id genus adoptionis confirmauit, recuſauit Fredericus Imperator ſæpe multumque requiſitus.*

Pag. 333. *Latibulum latronum*) Laus Friderici magna, tumuloque eius inſcripta, FVLMEN PRÆDONVM. Wimpheling. in Epit. rer. German. cap. 55. *Raptores & prædones inprimis exterminauit, eorumque arces ſolo æquauit, terrarum itinera viatoribus tutiſſima fecit.* Horum quæ illo æuo rabies, & metuenda licentia fuerit, docet Æn. Syluius in Germania cap. 68. *Et quamuis adhuc veterum*

rum nonnulla rapinarum veſtigia maneant, (nam hoc vnum eſt ex priſca barbarie vitium inter vos relictum) non tamen ea prædarum libertas eſt, quæ olim fuit: nec ciuitates veſtræ prædonibus, ſi quando in poteſtatem earum veniunt, veniam præbent, ſed eos acerbiſſimo rotarum ſupplicio enecant.

Pag. 333. *Principatum ſuum muniuit)* Cui rei etiam ſpeculam illam oportuniſſimo loco poſitam, latè vndiquaque proſpectantem (cui Truts-Kayſer nomen fecit) militari opere excitauit. De qua vide not. in origin. Palatin. cap. 10. & Cruſ. in Annal. Sueuic. part. 3. lib. 7. cap. 10.

Ibid. *Eccleſia Moguntina caſtrum Schauuenburg)* Huc pertinent verſus, in Trithemio edendo omiſſi:

Ecce Palatinus Rheni Comes inſpicit hoſtes:
Hos fugat, hos cædit, multos captiuat, & ecce
Quatuor hic comites nunc captiuando triumphat,
In Moguntinum ſic primatem ſuperando
Hunc Vdalrici Dux Bauaria Fridericus
Princeps elector, facit hic animoſus vt Hector.
Gaudia multa tuli, Princeps iuſtiſſime, quando
Mœſtum principium gratior fortuna ſecuta eſt.
Terror namque tuum inuaſit populum, agmine tanto
Allecto Furiis quando comitata ſororum
Tartareas liquit ſedes, ſuperasque petendo
Corda ſacerdotum ſtimulis infecit amaris,
Ac rabie, fera bella mouens. pudor atque pudebit
Æternum, Chriſti populum tam perditis actum:
Conſulibus quis iuſtitia exulat, atque Deorum
Religio proſtrata iacet. pia numina ſacris
Exeeſſere locis: quibus agmina nunc temulenta
Bacchi, & luxurioſa Venus, Cererisque guloſa
Turba ſubit: ſegetemque ob pinguem turpiter acta
Turpia committit, Chriſti perdensque tributum
Templa Deum violans miſerorum ſanguine fœdat:
Et corpus Domini quo nos á morte redemit,
Quodque pium nobis monumentum & pignus amoris
Veſcendum tradidit, pedibus calcare relinquit.
Attamen omnipotens pater antiqua pietate
Æquis hæc oculis, hominum indignosque labores
Aſpicit, & ſceptro caput æquæ religionis
Haud dubitans ferro ſtatuit te. Putrida tabes,
Atque vlcus ſanie aſperſum nocuoque veneno,
Singula ne peſtem contactu peeora ſumant,
Reſcindendum eſt enſe, ne pars infecta trahatur.
*In partem putridam. * Nec te terreat armis*
Gens ignaua ſacerdotum, queis ocia cura,
Et Venus, & Bachi cyathi longæque popinæ.
Martis opus ſpernunt, nec membra labori
Sufficiunt tanto: Mars gaudet milite duro.
Ergo age nunc Friderice potens & religionis
Perfectum ſtatue, & iuſticia concomitante
Accinctus armis fidum fer pectus in hoſtem,
Torpentem ignauia turpi, & ſtabulis ſaturatum
Armentum infectumque gregem pelle atque coerce,
Donec ſe Chriſti famulos & religionis
Cultores opere & verbo efficiant ſtatuantque.

Nam-

Namque hæc mens ſuperum eſt, ſic ſuadent numina Diuûm:
Iuppiter ex altoque tuos iam reſpicit actus,
Et iuuat aſſiduo: cæpto ne deſice, teſtis
Eſt arx clara tuis manibus proſtrataque terra
Machina Schauuenburg, fuſusque exercitus omnis
Cum caſtris: pridie cum victor ſpolia tanta
Attuleris, victosque equites in vincla dediſti.
Eia age, ne timeas cunctos ſuperare labores:
Perfer & obdura, contraque audentior ito,
Quam tua te fortuna ſinet ſuprema ſalutis.
Tempus erit cæloque ſuo pandetur ab alto.
Tunc tua facta canam, cæloque adducere temptans
Te decus æternum patriæ ſine fine dicabo.
Inuidia quanquam nunc maxima turba tuorum,
Quos nutris, tua facta ſilet: tamen inclyta virtus
Opprimi nec poterit, pueri namque agmine tanto
Conclamant læti, Mauortia geſta canendo,
Queis ſuperas cunctos, nec quis tibi par erit unquam.
Neque tuum turpis poterit abolere vetuſtas
Nomen & imperium, decus ô Friderice tuorum,
Allecto namque Stygiis ſeſe extulit undis,
Corda ſacerdotum rabieque infecit amara,
Ut bene factoribus bella horrida ſicque cruenta
Inferrent, atque ingrati immemoresque bonorum
Pro pietate dolum, pro melle venena referrent.
Quod Deus ex alto conſpexit, teque piorum
Ultorem ſtatuens, hoſtem ſuperare volebat.
Sicque ſacerdoti, dum bella fortia temptat,
Armipotens princeps iuſtumque piumque colendo,
Signa rapis, referens ſpolia ampla ex hoſte trophæum
Spiritus ſancto ſtatuiſti, laude perenni
Cuncta per ora virum celebrabere carmine noſtro:
Quod tibi nunc iuuenum depromunt pectora puris
Vocibus, & ſalvum exoptant te tempore longo.

Pag. 334. *Regale oppidum Ingelnheim)* Huc vide Munſter lib. 3. Coſmograph. cap. 128.

Pag. 335. *Dietherus per ſententiam Pii PP. II. depoſitus)* Nauclerus Geneal. 49. *Cauſæ priuationis ſiue depoſitionis fuerunt, quod ſcilicet procuratores ſui ſuffulti pleno mandato, dum promiſſionis literas obtinerent, iurauerunt in animam ipſius Dietheri, inter cætera quæ Epiſcopi iurare neceſſe habent, quod infra annum ſe Romano Pontifici præſentaret: quod (vt aſſerit Papa Pius) non ſeruauit. Fertur excommunicatus etiam debiti cauſa fuiſſe, quod mercatoribus ſoluere debuiſſet. Item quod conſecrationem in tempore debito non accepit, & quod ſimoniacè electus fiat. Item quod legato miſſo ad exigendam decimam contra Turcas dixerat, Papam argentum nationis non fidei defenſionem quærere. Item quod in natione conventum Principum contra voluntatem Imperatoris conuocauerat. Item quod à bulla Mantuana ſuper decimatione decreta ad futurum Concilium appellauit. Et iterum, quod appellauit à Papa male informato ad melius informandum: prout hæc omnia in Bulla priuationis continentur, Data 2. Cal. Sept. Anno MCCCC. LXI.*

Pag. 336. *Strata montenſis de monaſterio Lauriſſenſi)* Platea montium vocatur in veteri documento, edito in origin. Palat. pag. 51. Ut à Lauriſſa in Moguntiam fuerit translata, vide Chronicon Laurishamenſe, in fin. & Append.

Pag.

Pag. 336. *Fridericum, quod partes Dietheri defenderet excommunicauit)* Huc pertinet illa inter Æneæ Syluii Epiſtolas 383. Prius *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, nobili viro Friderico Comiti Palatino, Sacri Imperii Electori S. Quod te dilectum de more filium non vocamus, neque benedicimus tibi, faciunt opera tua: qui & Eccleſia Moguntina bona ad te detrabens, aduerſus Apoſtolicæ ſedis mandata Dietherо priuato & anathematizato iungere arma non es veritus, & vlterius publica edicta ponere, ne quis litteras noſtras in tuis tentoriis vel publicare vel exequi audeat, mortem ei comminatus qui contra fecerit. Quod nihil eſt aliud, quam primæ ſedis & JEſu Chriſti vicario rebellare. Quibus ex rebus quamvis non à nobis, ipſo tamen iure excommunicatus es & extra Chriſti Eccleſiam factus. Neque dilectus filius appellari potes, neque benedictionis capax haberis: nec tua te tuentur edicta, nec inhibitiones quibus Apoſtolica decreta prohibes ad te deferri. Non flumina, non montes, non muri, aut aliæ quæuis munitiones, excommunicationis ad te aditum impedire poſſunt. Dei fulmen eſt Apoſtolicum anathema, cui nulla poſſunt arma reſiſtere. Tu longam epiſtolam ad nos ſcripſiſti, ut excuſares quod feciſti. Sed quanti momenti ſint quæ dicis, Deus novit, & tu ipſe ſcis: nec ignoramus, iudicat te conſcientia tua. Quæ te cauſa mouerit, Dietherо tuo prius inimico auxilium præſtare contra iuſtitiam, omnes intelligunt. Potes multa dicere: ſed veritas in ſuo loco manebit. Petis ne credamus inimicis tuis, neue cauſam tibi demus quærendi remedia, quibus defendi poſſis: & arroganter aliqua per minas ſubnectere videris. Nos ſolum operibus credimus, & ea quæ palam videmus, non poſſumus non credere: tua offenſio notoria eſt, & manifeſta rebellio. Si te volueris emendare, ut bonum filium decet, Apoſtolicis obedire præceptis, utemur pii patris officio, nec redeuntem filium aſpernabimur: quin potius vitulum ſaginatum apponemus, ſicut in Evangelio erga filium prodigum feciſſe legimus bonum patrem familias. Quod ſi perges Apoſtolicam ſedem impugnare, & eius decreta contemnere; ſenties maiorem eſſe Romanam Eccleſiam, quam vel tu ſis, vel quicunque alius, qui tibi opem afferre voluerit. Prudens es, & noſti quæ poſſunt adverſus te fieri: & planè intelligis, quia non poteſt vinci veritas, & quod iniuſto agenti nulla ſatis tuta poſſint inveniri præſidia. Dat. Romæ, 7. Calend. Martii.*

Pag. 337. *Conuenientibus in unum)* Interueniente potiſſimum ſummæ tum auctoritatis Principe, Philippo Burgundiæ Duce. Naucler.

Pag. 338. *In agrum Heidelbergenſem)* Progreſſum & circumſtantias huius prælii accuratè deſcribit Nauclerus Generat. 49. Sed iuuat ipſius Friderici de ea re nunciam epiſtolam, ipſa die victoriæ ad Ludouicum Bauariæ Ducem datam, adſcribere. Dem Hochgebornen Fürſten vnſerem freundlichen lieben Vettern, Herrn Ludwigen, Hertzogen in vnder vnd obern Bayern, ꝛc. Vnſern freundlichen dienſt, vnd was wir liebs vnd guts vermögen, zuvor, Hochgeborner Fürſt, Lieber Vetter, Es ſeind auff heut dato des Brieffs, Marggraff Carle von Baden, ſein Bruder der Biſchoff zu Metz, vnd Graff Vlrich von Wirtenberg mit einem ſtarcken raiſigen zeug, bey acht hundert pferd, in das Ampt Heidelberg kommen, vnd allernechſt bey Heidelberg angeſtoſſen zu brennen. So haben wir vnſern raiſigen zeug, zu guter maß heimlichen beyeinander gehabt, vnd vnſer Freund der Biſchoff zu Metz iſt heimlich mit dreyhundert Pferden vnden zu vns geſtoſſen, vnd wir ſeind den Feinden nachgezogen, vnd ihnen ein fürlaß geben, vnd wolten ſie in die mitte nemmen. Da ſeind wir mit dem hauffen zuſammen geſtrichen, vnd durch gnad vnd hülffe deß Allmächtigen GOttes, haben wir die genandte drey gefangen, vnd mit ihnen ein Graffen von Werdenberg, ein Graffen von Sendenwerd, vnd ein von Liningen, vnd ſonſt viel guter Ritter vnd Knecht. Vnd iſt ein Herr von Brandis, ein Graff von Helffenſtein, vnd ſonſt etliche von der Ritterſchafft auff der Wahlſtatt blieben, auff der Feind ſeiten. So iſt auff vnſer ſeiten niemand, dann ein Ritter Herr Wilprecht von Helmſtatt, todt blieben. Den handel wolten wir ewer lieb nicht verhalten, in dem getrawen, daß ihr das zu groſſen frewden gern vernemmet: vnd euch auch in ewren ſachen deſto

füglicher wiſſet zu richten. Datum Heidelberg, auff Mittwoch Petri vnd Pauli Apoſtoli, Anno 62. Hertzog Friderich Pfaltzgraff, Churfürſt.

Pag. 338. *Campo latiſſimo non procul à Ladenburgo)* iuxta villam Seckenheim hodie dictam, olim Sigenheim, & Sickenheim, ſuper flumine Nechar in pago Lobodunenſi ſitam, de qua in Origin. Pal. cap. 7. Nec vana coniectura ducor, campos illos patentes eundem locum eſſe, vbi Gratianus Imp. olim Germana agmina fudit, & vltra Nicrum repulit; vbi tum oppidum habebant Lupodunum, Auſonio teſte, quod hodiernum eſſe Ladeburgum alibi expoſuimus. Inde loco & villæ ab inſigni victoria factum nomen *Sigenheim*, veluti Nicopoli aur Niceæ: vt alteri villæ Ladeburgo proximæ *Walſtat*, à clade & internecione ſua luctuoſum nomen ab ipſis Germanis tribui potuit. Idem locus poſtea tot ſæculis hac eximia Victorioſi noſtri victoria (de ſummâ rei tum ferè agebatur) nobilior redditus eſt. Vbi in agro prælii conſcio, crux lapidea erecta viſitur, hac inſcriptione: Als man zalt nach GOttes geburt M CCCC LXII. Jahr, auff S. Paulus gedächtnis tag, ſeind auff dieſer walſtatt durch Hertzog Friderich Pfaltzgrauen bey Rhein und Churfürſten, nidergeworffen worden, Herr Jörg Biſchoff zu Metz, Marggraue Carl von Baden, vnd Graue Vlrich von Wirtenberg, mit einer mercklichen zahl ihrer Diener, Grauen, Herren vnd Knecht. Vnd denſelben die in ſolchem geſchefft todt blieben ſeind, wolle GOtt barmhertzig ſein.

Ibid. *Cum magno triumpho.)* Sunt qui ſcribant, parta victoria Heidelbergam reuerſum non ſtatim aſcendiſſe arcem; ſed prius ingreſſum templum, flexis genibus ad aram, longo tempore precationem ſuam ad Deum dixiſſe, & egiſſe gratias pro liberatione è periculis. Quo forte reſpicit verſiculus ille, pag. 29. *Dans Domino palmam* (ita legere malim) *propriis non fidit in armis.* Vexilla Principum captiuorum, ſuſpenſa ad tholum Templi S. Spiritus etiam hodie viſuntur. Peruulgata eſt hiſtoriola, quam tamen in antiquioribus eius ævi ſcriptoribus non reperi, Fridericum deuictos captosque hoſtes excepiſſe in prima cœna conuiuio Principibus digno: ſed panem apponi prohibuiſſe. Hunc verò cum poſcerent conuiuæ, reſpondere iuſſiſſe; *Non eſſe iuſtum illis panem præberi, qui ſegetes contra belli iura crudeliter vaſtaſſent, & frumentum in horreis combuſſiſſet, & molas paſſim igne deleuiſſent.* Porrò victoriam pariter illam inſignem, & in ea animi moderationem verè heroicam, eleganti ſtylo celebrat Petr. Antonius Finarienſis, in libello *De dignitate Principis*, huic ipſi Friderico noſtro inſcripto, cuius verba placet adſcribere: *De elementia*, inquit, *qua ad Deum (Demoſthene teſte) propius accedit princeps, ſi quis ſatis dicere vellet, annalibus profectò foret opus. Nam eum iuſſe in hoſtes ſæuire poſſet, quos iuſto prælio captiuos fecerat, elementiſſimum ſe oſtendit. Didicit enim iamdudum Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos. Intelligit namque gloriæ Principis ac decori non parum conuenire, eos, qui de victoria contendant, hoſtes putare, victos verò homines iudicare. Animi autem magnitudine quàm incredibili valeat, declarauit ea in audita victoria, quam præter omnium ſpem ſua virtute parva manu nactus eſt. Fuit enim hoc antiquitati ignotum, poſteritati verò incredibile, ut de eius victoria deſperabatur, is ſe victorem demonſtraverit. Is enim optimè tenet, quod Saluſtius ait; Antea conſulto, deinde facto opus eſt. Nam cum iterum iterumque quid factum eſſet, cogitaſſet, tum repente in hoſtes veluti corpore tauri validiſſimi impetum fecit; vt eos terrore timidos reddiderit: qua re glorioſum & immortale nomen ſibi poſterisque ſuis quadam heroica virtute vendicauit. Neque velim tibi perſuadeas, huius victoriæ partem ſibi Fortunam vindicaſſe. Fuit enim propria ſua virtus, qua ad cœlum uſque tollendus eſt.* Hanc clementiam tangunt illi verſus pag. 343.

Magnificus Leo verſutos ſubverterat hoſtes:
At pietate ſua proſtratis pareere viſus,
In caſtrum victos illæſo corpore duxit.

Pag.

Pag. 340. *Principibus in captiuitatem actis.*) Ringente Papa Pio, & mira cum Cæſare conſilia clanculum agitante, ut videre licet ex Epiſtola eius 381. Pius *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio, nobili viro, Philippo Duci Burgundiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Scripſeramus ſuperioribus menſibus chariſſimo in Chriſto filio Friderico Rom. Imp. Auguſto quàm potuimus accuratius, vt cauſam defenſionis Eccleſiæ Moguntinæ amplecti vellet, ac operam daret liberationi venerabilis fratris noſtri Georgii Epiſcopi Metenſis, & dilectorum filiorum Caroli Marchionis Badenſis, & Udalrici Comitis Wirtenbergenſis, qui ſuperiori æſtate rebus adverſe geſtis à Friderico Comite Palatino Rheni capti extiterunt. Requiſiuimus ſuam Serenitatem, vt adgredi vellet hæc opera, in quibus & laudem & gloriam ſibi parare poſſet. Reſcripſit nobis ſua ſublimitas, animumque promtum quidem & optimè diſpoſitum demonſtrauit: adiecit autem inter cætera, nonnulla de peruerſo propoſito Palatini prædicti, eumque accenſum contra honorem noſtrum & Apoſtolicæ ſedis eſſe ſignificauit: quodque poſt inducias Nurenbergæ initas inter ipſos, idem Palatinus aſtu & dolo nonnullis Principibus & Prælatis ac communitatibus ſe coniungere & colligere nixus eſt, eo conſilio, vt Apoſtolicam Imperialemque dignitatem pro damnabili ſua libidine confundere & peſſundare poſſet. Suadet imperator obviandum eſſe tantæ iniquitati: & ad conſeruationem vtriusque dignitatis præ cæteris unam & expeditam viam nobis obtulit, qua via una occurri poſſit malignitati Palatini & complicum, & liberatio Epiſcopi Metenſis aliorumque captiuorum procurari. Ea eſt, vt nos ſimul cum ipſo Imperatore communi nomine Nobilitati tuæ, aut dilecto filio Carolo nato tuo, contra Palatinum & Dietherum de Iſenberg, & Comitem de Katzenelenbogen, & illis adhærentes ac ſequaces, captancatum committamus, litterasque Apoſtolicas cum cenſuris & pœnis eccleſiaſticis ad cohercendum rebelles & hoſtes concedamus. Placuit nobis & placet Imperatoris conſilium, idque amplecti animo decreuimus. Sed quia neſcimus, quæ ſi in hac re intentio tua Nobilitatis, deliberauimus prius ad te ſcribere, vt nobis ſignifices, quid intendas. Nam ſi nouerimus tibi cordi hanc rem eſſe, alacri animo Captancatum huiusmodi, vt Imperator cenſet, deferemus. Nobis enim gratum ſupra modum futurum eſt, vt Nobilitas tua aut filius tuus onus aſſumat: & vt aſſumere velit, affectuosè hortamur ac requirimus: id etiam poſtulantes, vt ſuper ea re tuam intentionem nobis notam facias. Si eam acceptandam duxeris, nos confeſtim litteras Apoſtolicas ad te transmittemus: confidentes nihilominus, quod propter hoc non deſeres religionem Chriſtianam, quin ei contra Turcos (vt ſæpe pollicitus es) auxilia opportuna ipſe præſtes. Erit igitur prudentiæ tuæ examinatis rebus id conſilii capere, quod dignum ſit tanto principe, & quod tibi & domui tuæ laudem & gloriam afferat. Cæterum ex ipſius Imperatoris litteris læto animo accepimus, eum decreuiſſe, noſtra præſertim contemplatione, concedere tibi Regalem inueſtituram: ſuper quo in tui fauorem ſæpius ad Celſitudinem ſuam ſcripſiſſe meminimus. Et non hoc tantum facere deliberaſſe, ſed etiam affinitatem tecum contrahere ratione filii ſui & filiæ tui nati; ac tibi Vicariatum Imperii in terris Gallicanis ultra Rhenum concedere ſtatuiſſe. Quod profectò nobis eſt gratiſſimum: idque Serenitati ſuæ & Generoſitati tuæ proſperum & felix eſſe optamus, ad pacem & perpetuam conſolationem vtriusque veſtrum, ac ſedis Apoſtolicæ & Chriſtianæ religionis conſeruationem & augmentum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ* M. CCCC. LXII. XIV. *Calend. Februarii, Pontificatus noſtri anno V.*

Extat elegans oratio gratulatoria per Iohannem Camerarium Dalburgium Epiſcopum Wormatienſem nomine Philippi Palatini Electoris ad Innocentium VIII. Pont. Max. habita, ſtylo Rodolphi Agricolæ conſcripta, qua noſter Fridericus de hac apud ſedem Romanam contracta offenſa purgatur. *Ludouici frater Fridericus, Philippi per ætatem tutor, difficile diiudicatu eſt, prudentior, fortior, an felicior fuerit: qui crebro admodum collatis cum hoſte ſignis cum præſens ipſe dimicaverit, victoriam quæ natura incertiſſima eſt, vt ubique induſtriæ ſuæ certa eſſet, virtute perfecit. Quindecim Germaniæ Principes bellum illi vno eodemque tempore cupidiſſimè indixerunt. Id cum acerrimè gererent, inferrentque, tres ex eis una acie*

victos cepit, eoque res perducta est, vt conditiones pacis à nullo acciperet, omnibus daret. Primus is veterem rei militaris disciplinam, quantum temporum ratio passa est, renouauit. Primus Germaniam post Augustum Cæsarem purgare latrociniis est adorsus. Fuit tempus, quo simultate & factione hostium coactus est, de se præbere alienioris animi in Sacram hanc sedem opinionem. Paruit tempori, & vrgenti se necessitati cessit. Postea verò quam datus est liberior de omnibus cognoscendi locus, tum quidem est illius accepta accusatio, præstititque deinde, quod semper ante præstiterat, ut Ecclesiam Romanam nullo in loco fidei obsequiique sui pœniteret.

Pag. 344. *Cultor & amator iustitiæ.)* Petr. Antonius Finariensis eodem loco: *Qua verò iustitia, qua animi prudentia, qua continentia, qua constantia omni iure vtatur, satis perspicuè intelligi potest, quod nulla turpitudo admittitur. Unicuique quod suum est, tribui vult: benemerentes autem & officio & fauore prosequitur: malos verò (quod Iustitiæ plurimum conuenit) maxima pœna dignos esse existimat. Nihil enim die noctuque cogitat, nisi quod ad suam immortalem dignitatem spectare cognoscit.*

Ibid. *Curiale Judicium*) supremum totius Palatinatus Rhenensis tribunal, ad quod ab omnibus totius prouinciæ iudiciis appellatur, quodque omnes Principis ministri & officiati agnoscunt: neque inde ad Cameram Imperialem ab exteris appellatur, infra magnam summam priuilegio Cæsareo definitam. In hoc cum nos etiam iudicio Principis clementissimi quatuordecim totos annos Assessoris locum tenuerimus, visum nostris oculis memorabile & perpetua laude dignum eius factum hoc loco memoriæ posteritatis consecrandum duximus. Anno enim superiori M. DCI. XV. Cal. April. cum cognitis examinatisque causis controuersis, dictatas decretorias sententias complures solemni more promulgaturi essemus; absente tum legationis Polonicæ causa dignissimo Præside nostro D. Hyppolyto à Collibus, ipse Princeps sereniſſimus Fridericus Palatinus IV. Elector, proceribus suis cinctus in consessum venit, tribunal ostro stratum occupauit, sceptrum tenuit, & ut verbo dicam, iudex sedit, dum sententiæ ex breuiculo recitarentur: atque ita non minus se iustitiæ religiosissimum, quam armipotentem Ducem & facto ipso, & eleganti ad assessores suos sermone extemporaneo comprobauit. O digna posteritas magni illius cognominis Victoriosi, primi huius Curiæ conditoris! cuius memoriam pariter & saluberrimum institutum hoc exemplo honoratum, Manes ipsi Herois lætabuntur.

Pag. ead. *Prudentum stipata caterua.*) Quos inter eximium virum habuit Matthiam Roming Bauarum, Curiæ suæ Cancellarium: qui prudentiæ virtutisque suæ merito in Præsulem Spirensem euectus, successor D. Iohannis Nix de Hoheneck, sub quo multis modis pauperatam & damnificatam Ecclesiam resecit & restituit. Ad hunc quoque scriptum à Iacobo illo panegyricum non omittemus: iterum testati, unico exemplari vitiosissimè scripto usos, hac vice emendatiora dare nos non potuisse; daturos si quis correctius amice suppeditet.

En spaciosa tuas cantat Germania laudes,
Optime Matthia, Spirensis & inclyte præsul.
Copia virtutis in te processit anita:
Quo fit vt ingenuè summo fungaris honore.
Non tu degeneras patrum vestigia sectans,
Ac superas ipsos virtutibus accumulatus.
Omnibus in rebus tibi cura est semper honestas
Fluxis illecebris crebro cœlestia præfers.
Præsulis officio quæcunque negocia tractas,
Ad superum nutus ea cuncta referre videris.
Hic labor, hoc opus est: hic per singula finis
Insertus cordique tuo, non ladere Diuos.
Quid verbis opus est? tua laus immensaque virtus

Diuûm

Diuûm religio, morumque elegantia grandis,
Magnus honos, omnem dudum penetrauit in orbem,
Et quos inuisa nonnunquam torquet egestas,
His tu præsul opem speratam sedulus adfers.
Dii dent inter eos demum valeam numerari:
Ne dum fautor ades his qui coluere Mineruam
Sed veterumque frequens monimenta salubria versas.
Ergo ex canonibus es magnum fulmen adeptus.
Quod sint vera tua prorsus præconia fama,
Magnanimus Leo dat, cui te coniungere mauis,
Quo tibi contingat virtutum copia maior:
Quàm plerisque comes nunc apparere tyrannis.
Spectatis iunctus fias, bonus ipse, necesse est.
Id volueus animo dnum sectare Leonem.
At properare dolor me nunc ad certa coegit.
Conqueror ecce tibi mœstus, iustissime Præsul:
Ecce modo parui iucunda poemata vatum,
Qua fuerant rebus quondam prælata caducis.
Gaudebantque sui scriptores ære tributo.
Hinc vita egregia veterum: nunc vndique nostra
Tempestate putet omni uenerabilis æuo.
Et modo Cæsaribus priscis laus nulla daretur.
Nam sua iam dudum non cognita gesta laterent,
Si non scripsisset vatum diuina caterua.
At subit in mentem, quare tam poemata rogat
Nunc aspernari pariter conantur inertes,
Vt docti ignoto vah indulgere labori
Tamen carmen vacuum mendeque pellacie fedant
Dicere nam temptat artis cuiuslibet expers
Magnanimum laude dignissima gesta virorum.
Carminibus lectis vbi menda videtur inesse,
Incutiunt scripta regi vitiosa pudorem.
Et multi sparsim lustrando volumina vatum
Inconcinna solent connectere carmina stulti
Cunctaque finxisse mentitum lingua superba
Maiorum scriptis famam mendaca requirens.
Nec dubito quin sæpe meos clam nebulo versus
Esse suos iuret: tum scribere plura rogatus,
Mox supplex nostrum desiderat ille laborem.
Ergo spectatos nunc explorasse poetas
Cura sit, ô Reges, qui semper idonea scribant
Carmina mandantes præconia posteritati,
Qua vita integritas & præclia vestra merentur.
Magnus Alexander proficisci dedecus in se
Sentit adhuc stulte scribentis carmina vatis.
Jactabat Cherylus sese olfeciisse Poesin,
Gesta palam regis Mauortia scribere tentans:
At miser indigne palma calamum sibi sumsit,
Contaminans temere nulla formidine cartas.
Sic ego non dubitans itidem conscribere versus,
Viribus ingenii discussis, vltro peregi,

Quæ laudi & famæ, quæ summo semper honori
O tibi fortis erunt Leo, nobilis omne per ævum.
Virtutes cecini simul & præconia Martis,
Et sanctum regimen, quo gens tua freta bonum
Se nactam dudum rectorem sentit apertè:
Cuius Maiestas & laudes sidera tangunt.
Nec minus ipse tuam, Præsul clarissime, famam
Sæpe dicabo tibi numeris vtcunque peractis.
Plura supervacuum me iam dixisse putabo:
Ingeniumque tuum rursus obtundere nolim,
Nobilis antistes. tua iam me scribere virtus
Impulit, & pietas, tibi quam fert rumor inesse,
Me facit audenter versu conscribere retro.
Ergo Matthia tibi mea scribit inertia carmen.
Tu miserum clemens scriptorem suscipe Præsul:
Nec tua me virtus immensa repudiet, oro.
Sedulo namque tuas decreui scribere laudes.
Tu modo quæ cecini prima lanugine cinctus,
Præsul magnifice, iam suscipe mente benigna.

Habuit Fridericus & alios sapientes consiliarios, Dietherum de Sickingen, Henricum Ieger Protonotarium, & præcipuum quendam M. Johannem Ernst Custodem Ecclesiæ Wormatiensis. Cuius hoc extat Epitaphium:

Paruit Ernsti fatis Marcelli luce Johannes,
Iustitiæ cultor, & leuitate carens.
Prudens, maturus, sollers, grauis atque modestus:
Cognomen rebus conuenuens fuerat.
Is tibi consilio semper Leo fortis adhæsit,
Prouidus in causis singula iura colens.
Conduxisse tibi sua cum prudentia visa est,
Nobilis ô Princeps, hunc obiisse dolet.
Marcelle nocte tua lux Ernsti deficit à te.
M CCCC LXXIII.

Pag. 349. *In expugnatione Durekheimensi.)* Huc pertinent carmina, quibus reuertentem è bello Principem filii sui Fridericus & Ludouicus, de reditu eius gaudentes, adorti sunt:

Salue iuste parens, genitor charissime salue:
Aduentusque tui sit tibi sausta dies.
Qui redis ad natos illæso corpore felix,
Quique euasisti tanta pericla necis.
Felix plaude pater, & te venientibus vltrò
Fortunis offer. Dii tibi plura dabunt.
Sis tibi mens hilaris, pater ô charissime, gaudo:
Quem superimites semper amare solent.
Ecce reluctantes inimicos quosque refrenas,
Frangis & insidias quas statuere tibi,
Arces expugnas, & strenuus oppida deles:
Castra tuis manibus nunc inimica cadunt.
Vi capis ingenuos, & domas Marte nefandos:
Omnibus in rebus tu pia iura colis.
Iam Dorckem petulans tua vis compescuit: ergo
Maiestas Comitum iam quoque mœsta gemit.

Nobi-

Nobilium quanta fuerit ſtipata caterua,
Non datur ô genitor dicere carminibus.
In te iam pridem ſtatuit diffundere telum
In Ratiſpona Cæſaris ira fui.
Illic ecce Duces ferus accuſauerit omnes,
Et petere in Turcas ſe ſimulauit opem.
At tibi ſuccenſens, cinctus liuore maligno,
Tandem te aduerſum quaque mouere ſtudet.
Suisenſes, ſuperos, Acheronta laceſſere (vt aiunt)
In te conatus: ſed labor eius inert.
*Nam non ex facili tua * præterita virtus:*
Illa ſibi conſtans iuſtitiam ſequitur.
Si libet, ô Cæſar, abs te propellere Turcas;
Noſtri nunc patris quære Leonis opem.
Hunc palmam breuiter lætam cernes adipiſci:
Quo ſine bellantis nil tua cæpta valent.
Nonne pater fortis tua laus iam ſidera tangit?
Nonne tibi vera nos iuuenes canimus?
Cum belli ſuperes tanquam fortiſſimus Hector,
Hoſtes inuadas vt Leo magnanimus.
Nemo tui ſimilis ex vaſti Regibus orbis.
Quem tua plebs vellet ſemper adeſſe ſibi.
Ergo lætamur: itidem lateris oportet:
Nam DEus inprimis eſt tibi ſubſidio.

Et ne hos Principis filios ſilentio prætereamus, elogium eorum tale in eodem codice reperimus:

Iam Palatine Comes, fortis Leo, maxime Princeps,
Indoles ecce volat paſſim diuina per orbem
Natorum iuuenum, Friderici cum Ludouico.
Corporis effigies reſplendet Apollinis inſtar:
Ingenium procax, ſtudii præclara cupido,
Ingenii mores, induſtria nobilis, illos
Condignos laude facit & ſuper æthera tollit:
Præferri reliquis iubet & fama venerari.
Hi mox, vt fas, auſcultant iuſſa magiſtri,
Semper eos habiles ſpectati ſufficientes,
Vberibus multum doctrinis erudierunt:
Qua ſunt ventura virtutis idonea ſigna.
O lætare parens, cuius & ſtirpe creantur
Filioli tales, quorum molitur vterque
Virtutes patrias amplecti. Iam Leo plaude.
Vos teneri iuuenes diui curate parentis
(Namque decet) iuſſa cum fronte capeſſere læta,
Sicut cæpiſtis ſtudioſi pergite: rurſus
Pergite ſolliciti creſcentes tempore floris.
Nouit enim ſenium, iuuenilis quod capit ætas.

Horum Trithemius ita meminit in Genealogia Palatina: *Fridericus Comes Palatinus non habuit vxorem, nec heredes legitimos reliquit: filios tamen duos genuit ex quadam Clara* (Dettin cognomen fuit) *quorum primus Fridericus in Eccleſia Spirenſi Canonicus fuit, ſecundus Ludovicus Comes in Leuuenſtein factus, adhuc hodie viuit. Sunt qui dicant, eum cum prefata muliere matrimonium* (forte ad morganaticam)

naticam) *in facie Eccleſia clandeſtinè contraxiſſe.* Quod & tetigit ſupra pag. 5. Eius Friderici Canonici Epitaphium iuxta paternum viſitur tale: *Anno Domini* MCCCCLXXIV. *ipſo die Galli obiit venerabilis & nobilis dominus Fridericus, illuſtriſſimi Principis & Domini, Domini Friderici Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ S. Rom. Imperii Archidapiferi ac Principis Electoris filius legitimus, Eccleſiarumque Wormatienſis & Spirenſis Canonicus: cuius anima requieſcat in pace.*

Pag. 350. *Animum grebat indignabundum.*) Durauit animi ille rancor ad utriuſque ſucceſſorem. Ita enim loquentem Maximilianum Imp. de Philippo Palatino, inducit Ricardus Bartolinus lib. 3. Auſtriados.

> - - - - - *Stat Pallatinus in alta*
> *Arce ferox, noſtrisque inhiat violentior arvis.*
> *Nec quemquam timet, & iam formidabile bellum*
> *Illum oratores referunt pugnamque futuram*
> *Moliri impauidam: ac fruſtra repetuntur ab illo*
> *Noſtras quas tenuit ſedes. Hagenoia tellus*
> *Teſtis erit nobis, & iam pridem oppida capta*
> *Antiqua Helſatia. Vobis quot & abſtulit urbes,*
> *Colligite: atque utinam falſum ſit, latius acrem*
> *Inſtruit hic animum, & vi parto degere neſcit:*
> *Veſtra niſi hunc contra virtus inſurgat, & iram*
> *Arceat, atque ſui regni intra limina cogat.*

Pag. 350. *Conventum Principum Ratiſponæ*) In eo ad Fridericum noſtrum pertinentia hæc eruo ex epiſtolis inde ſcriptis Iohan. Antonii Campani ad Iacobum Cardinalem Papienſem Epiſt. 8. *Altera fuit contentio Spirenſis Epiſcopi, qui primum nomine Colonienſis acceptus in conuentu inter oratores Electorum conſederat: ſed vbi Colonienſis ipſe* (Rupertus nimirum Palatinus) *aduenit, iam Palatini loco ſe gerens, vetitus à Cæſar eſt, ne vbi prius, hoc eſt Electorum gradu locaretur: quod nec decreto ſuo Palatinum Electorem eſſe contenderet, nec oporteret duos ſimul fratres poteſtatem habere Cæſaris eligendi.* Epiſt. X. *Continuò deinde multis diebus acta eſt cauſa Palatini: graues diverſeque accuſationes, aque magnis defenſionibus audita.* Epiſt. XI. *Cauſa Palatini ad hanc diem nequicquam diu multumque acta interturbat omnia: & rumor eſt, coegiſſe eum quantum nunquam antea exercitum. Cæſar pauciſſima videtur conceſſurus: Spes tamen eſt in neceſſitate Cæſaris aliqua.* Epiſt. XII. *Capita ſunt diſcordiarum Palatinus, & Cæſar: hic verbis, ille armis rem interturbat: cum alter maxima petat, alter nec minima quidem videatur conceſſurus. Hos Germani omnes & propinquitatibus & ſtudio partium ſequuntur. Multum Cæſari auctoritatis & virium eſt: Palatino plus animi. Quanquam nec vires habet, qui ſic habet, vt non habeat. Etiam auctoritas exigua eſt, etiam quæ magna, ſi miniſtrum deſideret* Hæc ille

Pag. 354. *Rupertum, qui habuit filiam Ducis Georgii*) cuius occaſione Palatinatui obortum eſt triſte & exitioſum illud bellum Bauaricum: quod latè deſcribit idem Trithemius noſter in Annalibus Spanheimenſibus. Idem poeticè deducit Riccardus Bartolinus Peruſinus in libris Auſtriados. Eam rerum conuerſionem & aduerſitates, præuiſam velut per corneam portam, attigit Iohannes Liechtenbergius in Prophetia ſua, cap. 22. ad Philippum Palatinum ita ſcribens: *Dictat iuris naturalis æquitas, probat hoc recta rationis perſpicacitas, atteſtantur hoc annales, quod Principum geſta conuenit conſcribere, ne oblivio mater erroris interveniat. Congruit itaque ſæpius conſpicere eadem, quatenus ex eis eluceſcat, unde bonus commendetur, & malus vituperetur: vt ſic tanquam ex relucenti ſpeculo valeant extergere ſordes criminum, & immaculatum laudare Dominum. Igitur huius Comitis Palatini intueri ſuæ exaltationis initium, vt pateat quam honeſtum fuerat ſuæ converſationis principium. Nam ſplendor paternæ gloriæ, & candor lucis æternæ, clarè fun-*

dens

dens ex æthere theſauros ſua gratia in ipſum Comitem Palatinum tam morum quam ſapientiæ: duos enim micantes radios largiſſuos per lacteum circulum ſuæ clementiæ, ſic quod præmultis Principibus quaſi columna nubis candida Virginalibus eſſet divinitus miſſa cis fluvium Rheni. Hic Comes Palatinus non eſt idololatra, ſed verus Dei & Chriſtianæ religionis cultor & teſtis optimus. Quid autem huic iuſto pio, clementi principi præſens Eclipſatio portendat, audiat Dominus meus benigno favore. Hic debet volare aquila ſupra ſiluam: ſub una ſilua Leo medius videtur, ſub alia ſilva Leo totus videtur, ſub tertia Leo abſconditur. Cap. XXIII. *Sæviſſima & valde horrenda huius Eclipſis erunt portenta, & longè ſæviora quàm ab hominum memoria habita aut viſa fuerint; adeo ut à promulgatione ſignificationis eius me prope deterruit: longè namque malitia & ſævitate eclipſin illam præcellit, quam maiores noſtri Martini Pontificis tempore fuiſſe narrant, Regibus quidem & Principibus minimè profuturæ, ſed plurimum noxiæ. Ex quo enim in ſigno regali & capite fuerit Zodiaci, maximam Regibus & dominantibus iacturam indicit, & contra eos vario infortuniorum genere graſſabitur: plurimis quidem ipſorum repentinum & inſperatum mortis decernit exilium. O Dux ſinceriſſime, fortunam influxam à cœleſtibus noli amittere. Tu imitaberis domeſticos tibi contrariantes, regem hylii excitabis. Aquilam dormientem provocabis. Leonem ſylueſtrem adverſus Eccleſiam conſurgere & garrire facies. Tu in altiſſimo cacumine ſcalæ tuæ exiſtis. Aſpectum amicabilem arripuiſti: à leunculis honorem percepiſti: nidulos præparaſti, leunculos domuiſti. Attende quid dicatur. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Heu quot lilia in agris tuis ſuccreſcent. Nam ſubditi tui per hanc ſæviſſimam eclipſationem ab inimicis aut æmulis opprimentur. Alii à ſubditis & familiaribus dominandi cauſa patientur inſidias. Simili modo civitatibus & villulis tuis, gubernatoribus & præſidibus crudeli ſemper feritate præſens eclipſis obſiſtet, variisque periclitabuntur inſidiis. Alios namque ex honoribus & adminiſtrationibus ſuis cum dignitatis iactura deponet: alios ſub principatu tuo turbulentis ſeditionibus oppreſſos, popularium manibus diſſipatos taliter interimet, ut mortis eorum auctores nec inueniri poſſint, nec dici. Et vt in ſumma dicam, cunctis principibus Baioaricam terram tenentibus ac ibidem regnantibus, funeſtæ calamitatis decernit præſens eclipſis incommoda.* Hic debet ſtare Leo ſupra montem coronatus, & tres Leones ſecum ſub monte. Cap. XXIV. *O Princeps illuſtriſſime, qui leonem geris in capite coronatum, liberum omni impedimento: attende (vt Principibus congruit) clementer. Nam iuxta dictum Principis Aſtrologiæ Ptolomæi, vir ſapiens prædominatur aſtrorum influxibus. Præſens eclipſatio prædicit tibi & tuis fortunas varias. Nam tibi & tuis leunculis montenſibus maxima gloriæ conferentur inſignia: aut tu, vel de ſanguine tuo unus erit equitum dux, aut peditum duces exercitum, aut nauale committeretur imperium, aut aliter utcumque apprime equo vectus militares exercebis armaturas, vita necisque poteſtatem adquires. Adventum tuum ciuitates & caſtra ſemper perhorreſcent: & niſi Eclipſis contra operaretur, proceſſu temporis omnis felicitatis ſubſtantia tibi & tuis accederet. Verum fatidica hæc Eclipſis in præcipitium & malæ mortis exitium ducet, niſi prudenter vigilaveris. Quia ab Aquila Leo montenſis patietur væ & lamentum. Ergo Princeps illuſtriſſime, neceſſe eſt vt ſiderum interpretes, aſtrorum iudices, ſcientes cœleſtes influxus ruinam principum ac infortunia non ceſſent prædicere, vt cognoſcas unum ſolum in cœleſtibus dominari. Mortalitates per gladium, & decollationes, & ſanguinum effuſiones, quas cœlum & ſtellæ influunt & indicant, ſpero ſapientes tui, ô Dux, reconcilientur. Amicabiles quoque confœderationes cauſa quietis & honeſtatis intromittent. Influxus enim cœleſtis aliquorum mentes hominum mulcebit: vnde inſidiæ placabuntur. Difficile enim erit ortas inſidias poſſe ad bella & ſanguinum effuſiones deuenire, niſi particularis revolutio potenter id impellat. Si quos verò mori contingat, quacunque dictarum mortalitatum, illi de radice Geminorum (vt infra patebit) erunt. Itaque erunt anni plures ſubintrantes chiliadem præſentem pacifici & proſperi, & ſatis fertiles compaſſione iam ad multos præteritos annos. Patet etiam fortunam proſperam arriſam ire his quorum radix eſt Sagittarius. Hi ſunt qui iuſtitiam, honeſtatem & pul-*

chritudinem roboratas lege naturæ pro fundamento habent : occasione cuius commotiones & intricationes faciunt in vsurpatis per Geminos, quæ iustitiæ, honestatis, pacis vtilitati derogare videntur. Et timebitur difficultas magna sub principatu tuo, quæ tamen fine laudabili terminabitur. Maius tamen periculum quod tibi vel tuis, ò sincerissime Princeps, imminebit in mancipatione novitatum, in tuis itineribus continget, & in montibus ad loca aliena caballanti. In pactis verò & compromissionibus, fœderibus & ordinationibus tuis plus quam bellis aut exercituum motibus proficient, si non fallor. Leo ergo in montibus securus dormiet, & in speluncis : venatores enim vestigia eius non considerare possunt, nisi in egressu & descensu. Hæc corde reconde, & in terris & oppidis tuis hæc significata contingent, & surgent sub tuis nouitates cum quadam decentia & pulchritudine. Et quæcunque dicta sunt per me de tua potenti serenitate, intelligi etiam debent de statu & officio & artificio circa populares tuos &c. petens cum humilitate veniam. Sed de sanguine tuo exsurget maior in regimine. Cœli rotunditas illa parit. Confœderatio tua, funiculus tuus rumpetur : fides, confœderatio frangetur tibi. Adversum te excitabit Aquila bestias regni. Proximi tui exsurgent, & Leunculi parum dabunt fugam, & mœrebunt. Illa arguuntur ex Sole domo earum. In propriis nidulis patientur Leunculi radio solari. Oriente ac radiante sole cæteræ stellæ Leonistæ obfuscabuntur : & sicut lumina vestra à Sole incendistis, sic eclipsationes, passiones, deiectiones patiemini tempora longa. Hæc ille.

Pag. 354. *Turcus rapuisset.*) Certè aliquando Turcico bello destinatum fuisse Fridericum, notat Æneas Syluius in Germania Cap. 67. *Per Saxoniam, Sueuiam, Franconiamque viri clari sunt, numerosos exercitus ducere idonei. Siquidem & Fridericus Palatinus Princeps Elector, & Albertus germanus Imperatoris, & Carolus Marchio Badensis, digni omnium iudicio existimati sunt, qui copiis in Turcos educendis præficerentur.*

Ibid. *Sub marmore cælato.)* Quod monumentum etiamnum extat, & dignum sane visu. Ipse Princeps in habitu electorali, imperiale pomum dextra tenens, Leonem suppedaneum habens, supernè in saxo eleuato & quatuor columellis sustentato conspicitur : in saxo autem inferiore quod terræ incumbit, sceleton hominis osseum faberrimè scalptum, mortalitatis etiam maximorum Principum nos admonens. Inscriptio Heroe digna per saxi superioris circuitum legitur talis : FRIDERICUS. BAVARIÆ. DUX. COMES. RHENI. PALATINUS. SACRI. ROMANI. IMPERII. ELECTOR. SALUS. PATRIÆ. PRÆDONUM. FULMEN. TREIS. ILLUSTRES. HOSTES. VICIT. PRINCIPATUM. AUXIT. ET. PIE. VIVIS. EXCESSIT. ANNO. CHRISTI. M. CCCC. LXXVI. PRIDIE. IDUS. DECEMBRIS. FUIT. EIUS. VITÆ. SOCIA. VIRTUS. GLORIA. MORTIS. COMES.

Omissum.

Pag. 332. *Theodoricus Schenck de Erpach Archiep. Mogunt.)* Habuit hic Cancellarium, virum doctum & cordatum, Martinum Maiorem Heidelberga oriundum, cuius extat ad Æneam Cardinalem Senensem epistola cumprimis notatu digna, & omnino hoc loco adscribenda, ut appareat, eodem tum zelo pro patriæ & Ecclesiæ libertate illum Præsulem laborasse, ob quem postea eius successorem Dietherum idem Æneas factus Papa Pius II. grauissimè est persecutus. MARTINUS MEYR *Cancellarius Moguntini Præsulis, domino Æneæ Cardinali Senensi, patri optimo S. P. D. Cognoui ex literis amicorum te Cardinalem esse creatum. congratulor & tibi, qui pro virtute tua digna consecutus es præmia, & mihi, cuius amicus in ea dignitate constitutus est, in qua me meosque necessarios aliquando iuuare poterit. Illud mihi molestum, quod in ea tempora incidisti, quæ sedem Apostolicam afflictura videntur. Nam domino meo Archiepiscopo frequentes afferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neque Constantiensis, neque Basiliensis Concilii decreta custodit, neque se pactionibus antecessoris sui teneri arbitratur : nationemque*

nostram

noſtram contemnere & prorſus exhaurire videtur. Conſtat enim electiones Prælatorum paſſim reiici, beneficia dignitatesque cuiuſvis qualitatis & Cardinalibus & protonotariis reſervari. Et tu quidem ad tres provincias Teutonici nominis ſub ea formula reſeruationem impetraſti, quæ hactenus inſolita eſt & inaudita. Expectativæ enim gratiæ ſine numero conceduntur. Annatæ ſiue medii fructus abſque vlla dilatione temporis exiguntur, & plus etiam quàm debeatur, extorqueri palam eſt. Eccleſiarum regimina non magis merenti, ſed plus offerenti committuntur. Ad corradendas pecunias nova indulgentiæ indies conceduntur. Decimarum exactiones inconſultis Prælatis noſtris Turcorum cauſa fieri iubentur. Cauſæ quæ tractandæ terminandeque in his partibus fuerant, ad Apoſtolicum tribunal indiſtinctè trahuntur. Excogitantur mille modi, quibus Romana ſedes aurum ex nobis, tanquam ex Barbaris, ſubtili extrahat ingenio. Ob quas res natio noſtra quondam inclyta, quæ ſua virtute ſuoque ſanguine Romanum imperium coëmit, fuitque Mundi domina ac regina, nunc ad inopiam redacta ancilla & tributaria facta eſt, & in ſqualore iacens ſuam fortunam, ſuamque pauperiem multos iam annos mœret. Nunc verò quaſi ex ſomno excitati optimates noſtri, quibus remediis huic calamitati obuiam pergant, cogitare cœperunt; iugumque prorſus excutere, & ſe in priſtinam vindicare libertatem decreverunt. Erit hæc non parva iactura Romanæ curiæ, ſi quod cogitant, Germani Principes effecerint. Quantum itaque de tua nova dignitate lator, tantum commoueor & angor tuo tempore hæc parari. Sed Dei fortaſſe alia eſt cogitatio: & illius profectò ſententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum, & quibus repagulis fluminis impetus coberceri poſſit, pro tua ſapientia cogitato, & vale optimè. Ex Haſchaffenburgo, pridie Cal. Sept. M CCCC LVII. Vixit eodem tempore & alius Theodoricus de Morſa Archiepiſcopus Colonienſis eodem (ut videtur) zelo affectus, ad quem idem Æneas Cardinalis ita ſcribit epiſt. 305. *Certificatus eſt dominus noſter Pontifex, in conventionibus quæ in Germania fiunt, aliqua tractari quæ hanc ſedem concernunt. Oro ne tua circumſpectio his aures adhibeat, qui novitates efficere cupiunt, vt vel ſic emergant. Namque ſi Romanæ ſedis auctoritas deprimeretur, credito quia nec tua nec aliorum Epiſcoporum ſalva manebit. Audito tamen quæ conſulis, vt hic quoque ea reformentur, quæ odium tua nationis pariunt, & ego ſi vox mea audietur, ad id operam dabo. Nam & hic aliqua committuntur, quæ non laudo omnia. Verum illud ſalubre puto, vt ſuper grauaminibus quæ veſtri allegant, ad Romanum Pontificem recurſus habeatur: qui non negabit aſſenſum iuſta petentibus.* Vnde apparet, quæ cauſſa Fridericum noſtrum mouerit, ut pro libertate patriæ contra machinationes Pontificias tuenda nec ipſe ceſſaret: cum toto Rheni tractu grauaminibus illis Germania ingemiſceret, nec iam per legatos Pontificios ultra demulceri poſſet. Ex illis fuit Laurentius quidam Rouarella, ad quem idem Æneas ita ſcribit epiſtola 334. *De negotiis Rheni multa referuntur non bona: propter quæ neceſſarium erit, vt quamprimum cum conſilio Imperatoris & cum litteris ſuis ad partes illas te transferas, & labores iuxta commiſſionem tibi traditam. Interea bonum eſt vt cures, quod Imperator ſcribat Archiepiſcopo Magdeburgenſi, ſimulque Rigenſi, & inprimis Trevirenſi & Saltzburgenſi, vt ſi quærantur ad aliquam conventionem in factis Eccleſiæ, non conſentiant, ſed ad ſcipſam omnia referant quæ quæruntur: & ſuadeat, vt ſi qui ſunt qui novitates quærant, illis non aſſentiant, quia periculum eſt in mora. Bonum eſt etiam laborare apud Ducem Bavariæ Ludovicum, vt ſcribat Palatino Rheni ſanguineo ſuo, ne ſe implicet conventionibus eorum, qui contra ſedem Apoſtolicam aliquo modo moliuntur: perſuadendo ſibi, quod multo facilius filii Principum promovebuntur per ſedem Apoſtolicam, quam per Capitula vel ordinarios. Et hoc bene cura in auribus Principum inculcare, quia veritas eſt. Vale, & ſcribe ſæpius quomodo tibi ſucceſſerit. Datæ Romæ 8. Cal. Decemb.* Et hæc ille.

AD EXCELSUM ET INVICTISSIMUM PRINCIPEM D.D. FRIDERICUM BAVARIÆ DUCEM AC PALATINUM RHENI,

PETRI ANTONII FINARIENSIS LIBER INCIPIT.

CUm omnes cogitationes & actiones meas, inuictiſſime Princeps, iam dudum propter tuas ſingulares ac propè diuinas virtutes tibi me debere arbitrarer: quod tua celebri auctoritate dignum opus eſſet, cogitare cœpi. Nam cum te ſapientiſſimum principem & eloquentiſſimum eſſe, hiſtoriisque & antiquorum clariſſimorumque virorum exemplis (quibus maximopere delectaris) abundantem, boneſtiſſimis moribus præditum, antiquiſſima prole natum, ætatis & conſilii plenum intelligerem; neminem mortalium reperiri poſſe rebar, qui quod illis innumerabilibus tuis virtutibus conuenientiſſimum foret, tractare ac dicere poſſet. Hæc omnia diutius mihi cogitanti, penè ab inſtituto me reuocauit. Nam cum apud Celſitudinem tuam de huiusmodi rebus tractare conſtituerem, in quibus à teneris unguiculis verſatus es; verebar maximopere, ne in id inciderem, quod ab Annibale de Phormione ferunt antiqui dictum fuiſſe. Sed cum à tua diuina mente humanitatem haud eſſe alienam acciperem, ea nimirum fretus: quod de Principum dignitate à magiſtro Iodoco Kalb. S. Theologiæ Doctore, & magiſtro Heinrico Munſiger experto Medico tuo diſputari audiui, in hunc librum redegi. In eo enim ſi quid docti elimatiue excellentia tua legerit, eorum ſapientiæ poterit attribuere: id autem quod minus dignum aut incultum libellus hic præ ſe fert, auctori eſſe adſcribendum haud negare poſſum. Eum autem, cum ſit mei laboris anteacti primum munus, & deuotionis in tuam excellentiam ſummæ plenum, gratum accipere debes. Hortus enim meus cùm amplior & cultior fuerit, præſtantiores profecto fructus tibi reddet.

HEINRICVS. Quæ de Ptincipis Ftiderici laudibus in medium adduxiſti, & vera, & ſumnia memoria digna eſſe non me latet. Sed quoniam de eius celebri ac præſtanti dignitate inciditi in ſermonem, non arbitror à tuo officio eſſe alienum, quippe qui pro tua inæſtimabili ſapientia ſolitus es ſedulò omnem rem & ornatè & cumulatè diſſetere, ſi de *Principum dignitate*, quod iam dudum audire, & mirum in modum intelligere optaui, nonnihil abs te accepero. Nam cùm ſit res & noſtra ætate, & poſteritate digna, & à tua officina haud aliena, facies quod non ſolùm mihi intelligere vtile, ſed nonnullis ſummopere gratum erit, ſi id quod de ea te ſentire cognoſco, mihi deſideranti ſignificabis. Non enim te fugit, quod diuinus Plato ait, *Ortus noſtri partem patriam, partem amicos ſibi vendicare:* neque quod Stoicis placuit, *Homines hominum cauſa generatos extitiſſe*, à tua mente eſt alienum. Nam & te ignorare non arbitror, optimum eum eſſe virum (quod philoſophus ait) non qui ad ſe ipſum, ſed qui ad alium vtitur virtute. Etenim Perſii illud iamdudum legere debuiſti.

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Nam & Homerus omnium Græcorum poëtarum facile princeps, nullam vnquam apud nos laudem ſibi vendicaſſet, ſi ſe ſibi natum ſuiſſet arbitratus. Neque Demoſtheni ætas noſtra vllam gloriam condonaſſet, ſi ea quæ memoriæ noſtræ commendauit, ſilentio præteriiſſet. Quid rurſus Ciceroni profuiſſet inaudita dicendi vis? quid Maroni Muſæ? quid Alexandro orbis imperium? quid Scipionibus Carthaginenſis triumphus? quid Pompeio nauale bellum, & piratarum fauſtæ perſecutiones? quid Cæſari crebræ victoriæ? quid Octauiano unica pax? niſi literis & monumentis clariſſimi viri notam ſeciſſent poſteritati? Age igitur, te unicè rogo, adgredere id cui pro

tua

tua ſingulari ſapientia, & eruditiſſimorum virorum exemplis, & rerum magnarum excelſarumque experientia facillimè es ſatisfacturus, & tuæ virtuti laudem non vulgarem accumulaturus.

JODOCVS. Humani hominis officium eſſe non arbitrarer, qui tuæ orationis ſuauiſſimo dicendi ſtilo non ſummopere delectaretur. Conatus es enim & antiquorum, & eorum quidem clariſſimorum virorum exemplis, & ratione (quæ omni in re maximam partem ſibi vendicat) probare, homines haud aliqua laude eſſe dignos, niſi eam quam aut ingenium aut natura (de his enim locutus es quæ ad virtutem attinent) eis comparauerit, vt futura ætas intelligeret, maximam diligentiam adhibuerint: fuit enim de doctiſſimorum hominum virtutibus tua facunda & grauis oratio. Non enim negare poſſum hominem veluti diuinam imaginem præ ſe ferentem, & animi immortalitate præditum, debere, quod vel natura, vel ſtudium, vel longæua ætas (quæ rebus præſentibus, ſanè quòd multorum hominum mores vidiſſe debuit, præterita atque futura ſolet adiungere) ſibi condonauit, ſiue id ad priuatam ſiue ad publicam hominum actionem ſpectet, poſterorum ſæculorum memoriæ declarare atque ſignificare. Sed quis ego ſum, aut quæ eſt in me facultas, vt de Principum excellentiſſima dignitate auſim diſputare? Nam cùm ea per ſe ſumma atque immortalis eſt, quippe quod & gloria & clariſſimarum rerum excellentia clareat, ſintque Principes tanquam quædam naturæ in terris ſimulacra, quibus reliquorum hominum dignitates præſtant; ita humani ingenii quemquam haud poſſe inueniri iudico, qui pro rei magnitudine dignum quidquam ea in re non ſolum diſſerere, ſed verbum facere poſſit. Quid enim Principum dignitate excellentius? quid hoc in orbe præſtantius? Non enim meis humeris parem prouinciam vendicaſti: etenim doctiſſimorum virorum ſententiis hoc onus commendandum erat. Hi enim etſi omnia, tanquam mortales de immortali dignitate Principum, ad eumulum dicere non potuiſſent, tamen me multò ſubtilius verſati ea in re profectò fuiſſent. Sed cum noſtra amicitia, qua iam pridem coniuncti ſumus, nihil tam difficile eſſe mihi perſuadeat, quod facilè, cùm tuæ voluntati morem geſſero, non ducam; de dignitate Principum quid ſentiam, ea profectò me dicere cogit. Quamobrem videamus imprimis, quis Principum fuerit ortus, & à quo fonte hanc eorum dignitatem hauſerint, paululum inueſtigare liceat. Aggrediamur igitur eam, ſcilicet Virturem, quam Ariſtoteles habitum proæreticum in mediocritate conſiſtentem eſſe dixit. Nam cum de eius vi potentiaque dictum fuerit, intelligemus planè eam fuiſſe, quæ inter homines maximam conſtituit eſſe differentiam. Quid enim aliud (vt reliquos omittam) Saturnum, Jouem, quos Heroas antiqui appellarunt, fuiſſe quisquam poteſt arbitrari, niſi homines ſingulari virtute præſtantes? Nam cùm ea obſcura & ignota antiquitati penitus foret, quippe quòd homines æque ac bruta carentia rationis vi ac maieſtate viuerent, neque hanc melliſluam, ſed aſperam iniucundamque vitam præ ſeſe ferrent; facillime fiebat, ſanè quòd humani ab ſe alienum haberent nihil, vt cuiuspiam egregii viri auctoritati auſcultarent. Itaque ſi inter tam craſſa ingenia, inter incultos mores, inter tantam barbariem quis altiſſimo ingenio, probitatis maieſtate præditus oriretur; profecto qui neque DEum ſolum colerent, neque quid religionis cultus ſaperet intelligerent, fiebat, vt eum æquè ac DEum adorarent. Proinde factum eſt, vt Lycurgus apud Lacedæmonios, poſt Cecropis Athenarum conditoris obſoleta iamdudum extinctaque de coniugio præcepta, vxores viris certa lege ac ſingulari ſapientia coniungens, ab Apolline Diuus fuerit iudicatus. Neque enim velim aliò noſtram de hominibus primis opinionem, quàm nos duceres. Quis eſt enim medius fidius à naturæ bonitate alienus, vt non intelligat eorum antiquam probitatem, non tanquam diuinam, ſed humanam præ ſe ferentem rationem, omninò fuiſſe colendam? Nam ſi homo eſt, vt veteres definiuere, animal rationale atque mortale, atque quodammodo (teſte Auguſtino) medius inter pecora & angelos; vtque pecus eſt animal irrationale atque mortale; medius eſt homo, infetior angelis,

ſuperior pecoribus ; ſit, cum rationis particeps ſit, vt ipſam virtutem, quæ à rationis fonte originem trahit, habere ſumma cum diligentia quærat. Nemo enim eſt, qui duce natura bene feliciterque viuere in hoc ſpatii curriculo non expetat. Placuit enim Ciceroni, *honorem artes alere, & omnes ad virtutem incendi gloria.* Sed tanta illorum hominum paucitas, ac exiguus numerus inuenitur, qui bene viuendi rationem, ſine qua nullum honeſtum vitæ genus eſſè poteſt, ſequatur, vt ſit incredibile dictu. Alii enim diuitiis, vt Crœſus, vt Maſiniſſa, vt Lucullus ; nonnulli potentia, & exercitu, vt Artaxerxes ; aliqui honoribus præſtantius meliùsue æſtimant nihil eſſe. Multi præterea ſunt (quod belluarum proprium prudentes eſſe dicunt) qui in voluptate vitam conſumunt ? quo in genere Sardanapalum Regem fuiſſe accepimus. Et ita variis opinionibus polluti ac infecti, ſinguli ferè ſingulis in erroribus verſantur. Itaque fit vt inter tantam generis humani ſocietatem vix comperti ſint, qui non aliqua ex parte à virtute forent alieni, & in his communibus deliramentis verſarentur. Quis enim hac tempeſtate voluptates non magni facit ? quis opibus non delectatur ? quis honores non cupit ? Nemo enim tam parui puſilliq́ue animi eſt, qui quadam dulcedine ac cupiditate perfectæ gloriæ non trahatur. Etenim quantò quis maiore animo natus eſt, & ab ipſa natura omnium procreatrice pulcherrimè optimeque dotatus ; tanto enititur magis, vt pace vel bello clarum æternumq́ue nomen ſibi vendicet. Verùm enim verò alia re nulla, niſi virtutis ſplendore, maieſtate, dignitate, quisquam ſe immortalem præſtare poteſt. Ea enim cùm in homine (vt Aurelio ſanctiſſimo placuit) diuina ſit, ita ab ea diuinum nomen & ortum Principes habuerunt. Nam & id virtutis præmium eſt, vt omnes qui eius ſtudiis plurimum delectantur, quàm primum ad id perueniant, quod eſt bene beateq́ue viuere. Quamobrem hi qui illuſtre nomen ſibi vendicarunt, vel in beata vita extiterunt, nunquam voluptatibus parendum eſſe exiſtimarunt. Quid enim ipſos ſeptem numero ſapientes, Biantem Prienenſem, Cleobulum Lindium, Chilonem Lacedæmonium, Pittacum Mitylenæum, Periandrum Corinthium, Solonem Athenienſem, Thaletem Mileſium, aut Socratem, aut Platonem tantopere apud nos commendauit ? Quid Ariſtotelem ipſum Philoſophorum principem ? quid reliquos omnes Philoſophos ? Num virtus, num ſcientia, quam ſibi ſummis vigiliis comparauerunt ? Quid Catoni, quid Lælio tribuit Sapientis cognomen ? Quid Alexandrum ? quid Themiſtoclem ? quid Pyrrhum ? quid demum Cæſarem ipſum poſteritati notum fecit, niſi ſuæ pulcherrimæ res geſtæ ? Quid poſtremò (vt altius repetam Paullos, Fabricios, Scipiones, Catones, Scæuolas tanta nos proſequi admiratione docuit, niſi virtus, qua ſummopere delectati ſunt ? Salomonem taceo, Moyſen prætereo, reliquos vero non commemoro, quos ſingulari virtute præditos fuiſſe & audiuit poſteritas, & nouit antiquitas. Sumus enim in virtutem parumper prolapſi, quoniam te ea mirum in modum delectari cognouimus : & ad id, quod ad Principum dignitatem attinet, plurimum ſpectare pertinereque videtur. Neque enim Principis nomine ſeu aliqua laude dignus quisquam Princeps inuentus eſt uſquam, qui in virtute ſummum bonum non poſuerit, locauerit, firmauerit. Nam cum Deus optimus maximus humeris Principum orbis imperium regendum, gubernandum, moderandumque tradiderit ; quis eſt qui absque ullo probitatis genere, & ſceleratorum fraudibus obuiare (quod maximè Principem decet) & bonos munere afficere poſſit ? Quæ quidem omnia ad iuſtitiæ obſeruationem, quæ Principum mentes ſanctè ac honeſtè commouere debet, attinere videntur. Cùm enim nonnullis excellentiæ meritis eos cæteris hominibus antecellere diſcamus ; hoc uno tamen potiſſimum eis præſtant, quòd bonis benefacere, & pœna digna malos perſequendos eſſe cognoſcere debent. Illi enim conſilio & probitate Principis gloriam magnificiendam eſſe ducunt, & eam tanquam nauem in portum à ventorum concuſſione, hoc eſt, ab inuidis inimicorum manibus liberant, tuentur, conſeruant. Hi verò in rempublicam ſeditiones, diſcordias inducunt : quo fit ut inter ciues horribile bellum oriatur.

Si qui-

Siquidem Romæ Gracchum, Catilinam idem feciſſe memoriæ proditum eſt. Quis enim me Hercule eſt, qui ſibi iure optimo non perſuadeat, Principes in terras à Deo optimo maximo eſſe lapſos, ut eſſent qui ſua virtute, præſtantia, ingenio, homines regerent, gubernarent, hortarentur, monerent, punirent; ac ſi fas eſſet, ut Iuſtitiæ, quæ Principis regina eſt, & omnium bonorum nutrix ſatisfacerent, & malos morti traderent? Quo enim pacto virginum ſtupra, quo pacto adulteria, quo pacto homicidia, contra naturam & diuinam voluntatem quæſita vitarent homines? quo demum pacto & rerum ſacrarum ad diuinum cultum ſpectantium obſeruatio illæſa inconcuſſaque maneret? niſi in Principe iuſtitia, prudentia, fortitudo, temperantia, & earum partes haberent locum? Huic autem noſtræ ſententiæ, Platonis illa diuina accedat auctoritas, quòd *qualis Princeps in Republica, tales reliqui ſoleant eſſe cives.* Fit igitur facilè, ſi Princeps optimè ſit inſtitutus, ut ciues bene beateque viuendi exemplo eius trahantur. Si verò quis erit in Principe vitiorum morbus, facile in eos qui ei obtemperantes præſto ſunt, traditur atque transfunditur: & multò facilius malum quod in eo eſt, ab eo tranſit, quàm ſi quid in eo virtutis & induſtriæ fuerit. Quamobrem (ut aliqua iam concluſione utamur) videmus in Principe virtutem eſſe potiſſimùm neceſſariam, & absque eius actione eum mancum eſſe profectò cognoſcimus. Virtus enim quod Ariſtoteles iam pridem dixit, (cuius ſententia ſummopere delectamur) eſt potius benefacere, quàm ſuſcipere; & honeſta potius agere, quàm a turpibus abſtinere. Quis eſt qui non intelligat, Principum ortum à Virtutis fonte emanaſſe. De Principum ortu ac dignitatis origine ſat à me dictum fuiſſe arbitror, Heinrice ſuauiſſime. Itaque ſi ea in re aliquid amplius audire cupis, te rogo ab eis petas, qui hanc facultatem profitentur, & in eius doctrina, tanquam in propria ſupellectile verſati ſunt.

HEINRICUS. Neminem inueniri poſſe arbitror, vir doctiſſime, à quo, quàm abs te uno, ea quæ de ortu Principum narraſti accipere maluiſſem. Quis enim eſt, qui te uno ea in re ſubtiliorem ſermonem habere potuiſſet? quis eliматiorem, quis ad eam rem accommodatiorem? Sat enim intellexi tua oratione virtutem eam fuiſſe, quæ Principes reliquis hominibus quadam dignitate antecellere conſtituit. Quod etſi non ſecus eſſe abusque tuo dicendi initio mihi perſuadebam; tamen te narrante, hæc meam in mentem prorſus inciderunt: ſi virtutis operatio eſt; ut paulo ſuperius egregie abs te eſt dictum) quæ ex priuatis hominibus eos Princeps fecerit, crearit, conſtituerit; ut omnes qui virtutis domicilio delectarentur, & in eius actione verſarentur, principes forent neceſſe eſſet. Sed quoniam nonnullos ſingulari virtute præditos homines eſſe cognoui, qui imperium nullum, maieſtatem nullam haberent, ut de Diogene, de Ariſtide, de Fabricio audiuimus, quos nedum imperaſſe, ſed minimas fortunas, habuiſſe legimus; eodem modo multos fuiſſe & apud Babyloniam, & apud Aſſyrios & Romanos imperaſſe accepimus (ſi de Semiramide, Heliogabalo, de Smindiride fama non mentitur) qui omnem libidinem, crudelitatem omnem, & vitia maximi fecere; alium inter priuatos viros claros & principes prudentes dilatum * ptæterquam virtutem, & eum quidem maximum eſſe exiſtimo. Nonne generoſum & illuſtre nomen, & antiquorum ſuorum clariſſimæ res geſtæ noſtræ ætatis Principibus non mediocrem fauorem condonarunt? An nou Romulo & Remo in condenda urbe Troianum nomen ſummopere profuit? Nonne Iupiter Æacum genuit? nonne Æacus Peleum? nonne Peleus Achillem? nonne Achilles Pyrrhum? qui omnem Æacidarum gloriam quadam animi magnitudine ſuperauit? An non Alexandro, quamuis orbis imperium florente iuventute virtute & fortuna ſecunda nactus fuerit, Philippi patris gloria ingens profuit? Neque arbitror Epaminondam deuictis Lacedæmoniis glorioſam victoriam cum morte ſibi comparare potuiſſe, niſi maiorum ſuorum memoria clarum ſe præſtitiſſet. Neque

que iure quisquam mihi probare poterit, Pompeium vigesimo secundo anno natum aduersus Sertorium ad necem paternam vindicandam exercitum ducere potuisse, nisi ingens patris gloria eum maxima auctoritate esse dignum militibus persuasisset. Neque cygnus mergum, neque agna leonem gignit. Quare videtur mihi potius hereditarium quoddam esse munus, quàm à fortuna quæsitum imperium.

IODOCUS. Nisi te virum doctissimum esse cognoscetem, quemque quod de Principibus variè dixisti, potius disputationis, quam iudicii gratia loquutum fuisse non me fugit; dubitarem equidem te tacitè vulgo assentiri velle, cùm volueris glorioſum nomen parentum posteris viam ad imperium, non autem virtutem reliquisse. Soleo enim pro meo iure hac in re ab his longè dissentire, qui omnem nobilitatis gloriam non in suam, sed in maiorum suorum virtutem & clarissima facinora conferunt: quique cum genus suum laudant, nescient se aliena iactare, quod Seneca sensit, *& miserrimum esse aliena incumbere famæ* ignorant, ut Iuvenalis Satyricus ait. Quod autem multos Principes fuisse ais, qui quod præse ferrent, in virtute versari possent nihil; nolim, si silentio id præterirem, atque tibi concederem, me potius assentatorem & blandam frontem habere, quam rectum iudicem existimares. Nam si quid imperare, & quid proprium Principis sit, rectè metiri velis; iudicabis eos, non dixerim nomine Principis: sed Tyranni fuisse profectò dignos. Itaque neque Sardanapalum illum, neque eos quos in Principum numero ausus es collocare, principatum vllum habuisse arbitror. Quis est enim, qui in alios imperium habere diei possit, qui sibi ipsi imperare nequeat? Homini verò cùm sit perdifficile scire regi, id est, regenti se obtemperare; multò difficilius est scire alios regere, vt Gregorius Nazianzenus voluit. Nam si is, consilio cuius rectè se putant gubernari homines, & in quem oculi sui sunt conuersi, prudentia egeat, & eius vitam ad perniciem pestemque conuertat; non mihi rectè videtur Princeps, sed multorum principum seruus esse. Ex quo in calamitatem & in eum errorem deueniunt sæpenumero homines, vt in Republica infinita penè regentium sit multitudo, quorum animos (vt Romæ scimus fuisse) ad priuatam commoditatem non ad publicam vtilitatem conferunt. Nam quandoquidem quot capita, tot sunt sententiæ; vt plures variè de imperio sentiant, est necesse. Quo enim pacto putas illum principatum diutius esse permansurum, in quo * obedientes sunt. Proinde rectè Tragicus *regnum duos non capere* dixit. Age verò, an censes eum Principem appellari posse, qui contra mores, leges, instituta faciat, & Reip. rationem non habeat? Nam quemadmodum Mimum, quanquam in Comœdiarum scenis, spectante populo actus celebrat, non præterea Poëtam vocamus: ita eum qui regitur, non Principem, sed eum regentes Principes appellamus. Neque C. ipsum Julium Cæsarem imperium in Romanos, sed violentam tyrannidem habuisse legimus, quippe quòd omnia Romanæ Reip. instituta, & sanctas leges euerterit; ærarium autem, in qua & paeis dignitatem & belli commoditatem consistere non te præterit, iure priuato sibi vendicauerit. Quare in eam incidit Satyri sententiam.

Adgenerum Cereris sine cade & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

Nam si se non priuatam, sed omnium Romanorum personam gerere cognouisset, ad id sane fortasse peruenisset, in quo Thales ille sapiens summam felicitatem Principis ineſſe existimauit, hoc est, *si finuerit conseneſcens secundum naturam.* Quod enim ille ipse de aliis augurium dederat, in semetipsum iure redundauit. Is enim

Is enim ita inquit Cæſar, *Conſueuere Dii immortales, quo grauius homines ex commutatione rerum doleant, iis quos pro eorum ſcelere vlciſci velint, ſecundiores res interdum, & diuturniorem impunitatem concedere.* Quare in Principe omnium rerum maturationem maximam ineſſe oportere exiſtimamus, ne cùm rectè ac ſapienter facere videatur, id perperam feciſſe iudicetur. Eſt enim (vt iam aliquid quod ad eius officium ſpectat, aggrediamur) proprium Principis, diligenter curare, vt vnusquisque ſuum teneat, & ne de bonis priuatorum ciuium publicè diminutio fiat, diligentiam adhibere. Non enim dormiendum eſt, cui rerum publicarum cura & adminiſtratio commiſſa eſt. At illud prætereundum non eſt, quod maximè curare debet Princeps, vt in ciuitate ſint viri optimi, quorum conſilio bellum ſuſcipiatur; & pacem & concordiam Rerumpublicarum maxima eſſe fundamenta optimè intelligant. Danda eſt etiam opera, quod fieri ſæpe videmus, ne propter ærarii tenuitatem, aſſiduitatemque bellorum tributum ſit conferendum; idque ne eueniat, multò ante erit prouidendum. Quæ autem & ad ornamentum & decorum ciuitatis ſpectant, ſi maxime ſibi erunt curæ, ad màximam laudem ſuam accedat non parum oportet. Illa verò quæ diuinum cultum & ſanctiſſimas ceremonias concernunt, vt optimè ſint inſtituta, longè videre ac animaduertere debet: & vt religio de ſe ipſa pollicetur, ita nihil in ea ſtatuet, quod vim aut iniuriam vlli adferre poſſit. Vt autem earum rerum quæ ad ipſius Principis dignitatem pertinent, maxima ſit copia, conſulere profecto debet: dummodo ne nimiæ auaritiæ ſuſpicio inducatur, maximopere caueat. Nam velut liberalitas animos hominum ad amorem Principis trahit & allicit, & eos iratos mitigat atque placat; ita auaritiâ ad odium, ad iram incitantur atque penitus inflammantur. Quid enim deterius in Principe auaritiâ? Audiat autem C. Pontii vocem Princeps: *Vtinam me ad illa tempora ſeruaſſet, & tunc natus eſſem, quando Romani dona accipere cœpiſſent: non eſſem paſſus eos diutius imperare.* Quo factum ſuit, vt Africanus maximam laudem ſit adeptus, quod capta Carthagine haud locupletior factus eſſet: intelligebat enim ille auaritiam multorum malorum eſſe caput. Proinde ferunt Apollinem Pythium oraculum dediſſe, *Spartam nulla re alia niſi auaritiâ eſſe perituram.* Quare noli eos principes iudicare, qui ciuium bona diripiunt, vt in omnem libidinem, voluptatem omnem ſuam conſumant vitam. Videsne eos ipſos quos imperaſſe dicis, vt Neronem & Heliogabalum, multosque alios, non Principes ſed Tyrannos fuiſſe. Quo enim pacto putas Principem incolumem eſſe diutius poſſe, ſi ciues ſuos ſaluos eſſe nolit. Non enim potuit Cæſaris abhorrenda vox eum à manibus Bruti liberare, qui cùm dicere veritus non ſit: *Si violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt, in reliquis ſeruare decere pietatem*, quis dubitat in alium finem eum incidere potuiſſe, niſi in eum in quem ipſe peruenit? Quanquam enim homine indigna ſententia eſſet, quippe quod ius, quo nihil melius, nihil præſtantius mortalibus à DEO optimo ſit datum, violandum eſſe duxerit, tamen pietatis nomen cenſuit eſſe ſeruandum. Itaque eos arbitramur, qui ita viuere volunt, vt ſanctum nomen imperii nanciſcantur, pietatis imaginem præ ſe ferre debere. Age verò, vir doctiſſime, eumne diutius cenſes imperare poſſe, qui in principatu ſuo ius ſeruare non cupit? Non dixit Julius, *Vbi ius ratioque perit, illic habitandum non eſt.* Quemadmodum enim ſecundum naturam nihil magis eſſe dicimus, quam ſi labores & moleſtias quam maximas, pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſeruandis ac iuuandis ſuſcipimus: ita contra naturam eum facere exiſtimamus, qui iniuria detrimentum aliquod afferre ſocietati humanæ procurat. Quo quid ſordidius Principi accidere poteſt? Qui enim appetitione ducitur alieni, is quidem mea ſententia potius Reipublicæ deſtructor & Tyrannus, quàm conſeruator, quàm Princeps eſt appellandus. Nulla enim ſancta lex, nulla bonorum morum inſtitutio, nulla honeſta religio cum tyrannis eſſe poteſt. Quo fit vt huiuscemodi

hominum genus peſtiferum atque impium ab omni humana ſocietate exterminandum eſſe ducam. Et tanquam quædam membra amputantur, ſi ſanguine & ſpiritu carere cœperint, ne cæteris partibus corporis noceant; ſic iſta immanitas belluæ à communi humanitate ſegreganda eſt. Sed vt iam eorum aliquam rationem habeamus, quos præditos virtutibus ſummis eſſe dixiſti, quique priuatam vitam egerunt; ſiquidem Diogenem & alios multos nullum imperium in homines ſcimus habuiſſe, ſed in poſteros ſuos maximum & excellentiſſimum principatum eos tenuiſſe demonſtrandum eſt. Nonne Ariſtotelis auctoritas & in omnes bonos non mediocre eſt imperium? Qui verò illi tanquam Philoſophorum principi, auctoritatem dant, tanquam obedientes aliqui ſunt. Quid enim aliud eſt imperare, niſi auctoritatem habere? Sed vt ad noſtrum ſermonem redeamus, eum mihi haud negabis optimum Principem eſſe, qui non in aliena ſed in ſua clariſſima facinora ſui principatus ſpem collocauit. Neque Alexandrum, neque Romulum, neque Pompeium ſola paterna gloria in excellenti principatus gradu, ſed eorum paternæ adiuncta collocauit atque conſtituit. Delectat me hîc loci plurimum, & te credo iuuabit quoddam præclarum Lycurgi exemplum, qui cum populo leges laturus eſſet, quibus eum ad bene beateque viuendum prouocaret, duos iisdem parentibus catulos natos ad varias res inſtruendas eſſe duxit: quorum alter crapulæ, alter venationi operam dedit. Cùm autem is in medium ferre vellet leges, in forum catulos venire iuſſit, parata autem erant omnia, ad quæ quilibet nutritus fuerat. Itaque qui crapulæ exercitium habuerat, ad id continuò currere cœpit: alter verò quàm primum leporem ſecutus eſt. Neque enim ſine magna maturatione hoc Lycurgum feciſſe exiſtimare debemus. Non enim fugiebat eum, hoc facillimè fieri poſſe, vt ex iisdem parentibus Princeps quidam ſingulari virtute præditus naſceretur, & ex his peſſimus & ventri deditus vir oriretur. Fateri hoc quidem mihi neceſſe eſt, ad ſummam Principis felicitatem accedere, ſi clariſſimorum ſanguine principum ortus & genitus, aut parentes, vt Alexander Philippum, gloria & ingenti virtute ſuperarit, aut eos ſaltem adæquarit. Et ne longius exempla repetamus, aceedat in campum M. Tullii Ciceronis ſententia: *Ego meos maiores virtute præluxi, vt omnes ſi antea noti non fuerunt, à me capiant initium nobilitatis ſuæ.* Neque Æneas ipſe Pius, quanquam ex Troiano principe natus, Romæ vrbi originem dediſſet, niſi ſingulari animi magnitudine pericula mari terraque adire conſtituiſſet. Nec ipſum Marcum Arpinis natum parentum gloria, nec maiorum ſuorum memoria, quæ nulla erat; ſed ſua virtus, ad Conſulatus dignitatem aduocauit. Quod ſi tua ratio ſeu opinio hac in re locum ſibi vendicaret, vt hi Principes eſſent, qui nulla virtute, nulla bene viuendi ratione pollerent; vt nonnunquam latrones & piratæ Principes fierent, neceſſe eſſet. Quamobrem eos quos vitiis deditos Principes dixiſti, violatores principatuum rectè poteras appellare. Sed vt eò reuertatur, quo noſtra digreſſa eſt oratio, arbitror equidem C. Fabricium, M. Curium, Diogenem, eosque qui in virtute ſummum principatum collocarunt, in optimo imperio eſſe verſatos. Is enim qui aliis & ſibi imperare non poteſt, non honeſto imperio ſed voluntate ducitur. Qui vero ita ſe inſtituit, vt ſibi & aliis imperare poſſit, is mea quidem ſententia non hominibus ſed ſimillimus DEO iudicandus eſt. Quis ergo magis ſibi ipſi & poſteris imperauit quàm philoſophi, quàm viri ſapientes. Hi enim quod rectum, quod honeſtum, quod ſanctum eſſe exiſtimabant, id obſeruare maximum imperium eſſe ducebant. Sola enim probitate, ſola animi virtute delectabantur. Vt igitur in omnibus rebus multò maiora opera ſunt animi quàm corporis: ſic eas res quas noſtro ingenio, & virtute noſtra exſequimur, gratiores eſſe profectò iudicamus, quàm illæ quas viribus. Illi enim optimum imperium, appetitum inhoneſtum refrenare, (qui hominem nonnunquam ad interitum voluntarium ducit) ac maximum

ximum esse opinati sunt. Est enim Principis optimi officium, non ad iram, non ad odium, non ad amorem, sed ad iustitiæ sanctitatem animum conuertere. Quod quidem in eo esse haud potest, qui appetitui, vt illi fecerunt, non resistit. Nam si Tarquinius ille non pro libertate imperii in Lucretiam nobilissimam stuprum committere sibi licere fuisset arbitratus; nunquam priuatus regno, ad Porsenæ Clusinarum regis auxilium conuolasset. Decet enim Principem non solùm manus, sed oculos habere abstinentes, quod ad prætorem pertinere Tullius scripsit. Neque Ptolomæus Pompeium capite priuari iussisset, si bene merentes meritis, non autem malis & poenis prosequendos esse didicisset. Theseus verò Hippolyti morte non doluisset, si falsa vxoris suasione ad iram non se prouocasset. Quamobrem fit sæpe numero, vt ciuitates, principatus, regna corruant, cum malis hominibus, non optimis viris ac sapientissimis permissum sit imperare. Angor enim mirum in modum antiquarum urbium calamitatem recordari, & nostra tempestate Christianorum acerbam videre cladem, & Principes nonnullos effectos cæcos fuisse doleo: qui si viderent immanem illam belluam Mahometum rabido ore in Christanos sæuire, non ducerent in atriis habitare nunc esse bonum, neque in choræis versari iucundum esse arbitrarentur. Hæc autem omnia accidere & imminere vidimus, quoniam ad summam miseriam venire contenti sumus, & nihil pluris facimus, quam vicinum prostratum & iacentem videre. Quod si optimè imperare nouissent homines, cymba Christiana in portu tutè nauigaret. Quare te nunc fugere non arbitror, optimum Principem neminem nisi virtuosum esse.

HENRICUS. Non sum nescius, eum Principem, (ut ex tua diuina oratione accepi) in summa felicitate esse constitutum, qui nedum virtutis ac probitatis laudem egregium munus esse ducat, sed etiam in omni ætate ea se refertum ostendat. Etenim cum mecum iterum iterumque reuoluo id, quod de Principum dignitate dixisti; vereor maximopere id de his posse dici, quod de sapientibus Apollo iudicauit: *Unum enim solum è cunctis hominum millibus sapientem esse* dixit. Nam aut fingendus tuo Princeps est quispiam iudicio, aut unicum, qui ea omnia teneat, quæ in Principe necessaria esse, statuisti, vix posse inueniri iudico. Quare si nostra hac ætate Princeps quisquam est, qui (ut sentire videris) de Deo immortali, de pietate, de concordia, de communi ciuium utilitate, de hominum iure & æquitate, de temperantia, de magnitudine animi, de re militari, de omni virtutis genere dicere, & illis versari possit; facies rem mihi gratissimam si eius immortale nomen abs te audiuero.

IODOCUS. Geram ego quidem libenti animo hac in re tuæ voluntati morem. Potes enim apud me pro singulari virtute non parum. Ego enim cum adolescentulus Philosophiæ ac Theologiæ studiis mirificè deditus essem, his maximis laboribus, vigiliis, insomniis ac lucubrationibus non paruis operam nauare cœpi: in quibus quantum profecerim, aliorum sit iudicium. Verùm enim vero dum ætas me parumper, tum usus multarum rerum, ad quid nati essemus, cognoscere constituit; decreui apud aliquem optimum Principem locum mihi vendicare. Occurrebant autem mihi præterea multi clarissimi quidem, quorum nonnulli diuitiis, alii potentia, multi autem præstantissima prole, atque clarissimarum rerum gloria florebant: qui verò hæc omnia, quæ optimo & præstantissimo Principe digna esse existimaui, teneret, solus mihi inuentus est. Quem cùm tibi nominauero, haud vereor, quin eius præstantissimum nomen immortale tibi videatur. Is enim FRIDERICUS Bauariæ Dux clarissimus ac Palatinus Comes est: quem cum intelligerem ea omnia, quæ Principem & virum optimum decent, possidere, est incredibile dictu, quanta animi affectione sibi ser-

uire flagrabam. Iure enim optimo mihi perſu adebam, aut hunc ſolum aut neminem Principem eſſe. Eo igitur id meam in mentem incidit, quod arbitrabar Principem æquè ac omnium ſuorum ciuium perſonam gereret, ita ea omnia quæ ipſi bona animi tenerent, eum deceret habere. Nam quemadmodum mundi huius bona, & ſumma hominis laus tribus conſiſtit in rebus, in fortunæ, in corporis, in animi bonis; ita eum hæc omnia poſſidere tibi perſuadeas velim. Quod ſi ad eius laudes immortales ac propè diu inas mea non accedat oratio, tuum erit intelligere, hîc loci me non de laudibus, ſed Principis optimi nomine quærere. Quum igitur (ut re non latet) clariſſima atque antiquiſſima prole natus eſſet, ad ea quæ ad Principis morem & decorem attinent, eius inuictiſſimus pater nutriendum erudiendumque eſſe ſtatuit. Cum autem iam fari cœpiſſet, literis operam dare voluit, maiorum Romanorum Regum exemplum imitatus, qui ad Principis gloriam, cognitionem literarum atque ſtudiorum ſpectare plurimum iudicabant. Intelligebat namque optimus Princeps ille, ſe virtutibus facillimè imbui poſſe, ſi quid Duces, quid Imperatores, quid Reges antiqui feciſſent, ſapere poſſet. Quo factum eſt, ut ad optimarum literarum peritiam peruenerit. Nam cum ſibi opus facto cognouiſſet cum his viris verſari, qui literas ſaperent, noluit ab eis illæſum ſe iri poſſe, * facillimè enim fieri poteſt, ut Princeps literarum ignarus à viris doctis decipiatur, & opinione potius quam optima ratione ducatur. Quapropter Philippus Alexandrum Macedonem Ariſtotelis diſciplina erudiendum eſſe ſtatuit. Quemadmodum enim ſi quis Herculis pictam imaginem vidit, ad eius amorem atque veſtigia imitanda incitatur; ita qui Darii, Xerxis, Cyri, Artaxerxis, Hectoris, Hannibalis, Pyrrhi, res clariſſimas geſtas legit, fit ut eos gloria & virtute imitari conetur; & à vitiis in quibus illi verſati ſunt, penitus abhorreat, & pericula quæ illis acciderunt, funditus euitet. Quare factum eſt, ut hic Fridericus Princeps noſter, tanta animi magnitudine, tanta ſapientia præditum ſe die noctuque legendo præſtauerit, ut ſit admirabile dictu. Quod ſi cuipiam forteſſe obſcurum & incredibile videtur, conuertat animum ad res ſuas pulcherrimè geſtas, circumſpiciatque omnium Regum & imperatorum clariſſima facinora. Inueniet profecto, nec bellorum magnitudine, nec pacis ornamentis, nec multiplici victoria, nec rerum optimarum gloria cum hoc noſtro diuo Principe eos poſſe comparari, Laudatur Alexander quòd liberalis, Hannibal quòd magnanimus. Hercules quòd fortis, Cato quòd prudentiſſimus. Scipio quòd continens, Cæſar quòd clemens, Q. Mutius quòd conſtans fuerit. At quis magis Friderico liberalior aut viſus, aut unquam inuentus eſt? qui neminem virum probitate refertum à ſe indonatum abire permittit. De clementia verò (qua ad Deum, Demoſthene reſte, propius accedit) Principis, ſi quis ſatis dicere vellet, annalibus profectò foret opus. Nam cum iuſtè in hoſtes ſæuire poſſet, quos iuſto prælio captiuos fecerat, clementiſſimum ſe oſtendit. Didicit enim iamdudum.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Intelligit namque gloriæ Principis ac decori non parum conuenire, eos qui de victoria contendant, hoſtes putare; victos verò homines iudicare. Animi autem magnitudine quam incredibili valeat, declarauit ea inaudicta victoria, quam præter omnium ſpem ſua virtute nactus eſt. Nam qui Cæſarem, qui Pompeium propter crebras victorias laudare ſolent, quàm maiores arbitraris huic noſtro Principi laudes dare meritò poſſe? Illi enim magna militum copia, hic parua; illi ingenti manu, hic exigua victoriam conſecutus eſt: illi luſtro, hic hora bellum diremit, atque triumphauit. Non enim iure is laudatur,

datur, neque victoriæ gloria ſe Victorioſum præſtat, qui magno equitatu, ac milite multo in paucos vires oſtendit ſuas. Itaque quanto maiori laude is dignus iudicatur, qui paruum hoſtem debellauit; tantò maiori gloria ſplendet, qui minima cum manu maximam militum deuicit multitudinem. Fuit enim hoc antiquitati ignotum, poſteritati verò incredibile, ut de cuius victoria deſperabatur, is ſe victorem demonſtrauerit. Is enim optimè tenet quod Salluſtius ait, *Antea conſulto, deinde facto opus eſt.* Nam cùm iterum iterumque, quid facturus eſſet, cogitaſſet: tum repente in hoſtes veluti corpore tauri validiſſimi impetum fecit, ut eos terrore timidos reddiderit: qua re glorioſum & immortale nomen ſibi poſterisque ſuis quadam Heroica virtute vendicauit. O admirabilem Principis prudentiam! ô virtutem inauditam! Quid enim eſt tam laudabile, quàm Principem bello victorioſum, & pace iuſtiſſimum ſe oſtendere? Quid tam ſingulare, quàm audire unicum Principem de multis principibus triumphaſſe? Quid porrò tam liberale, tam egregium, quam in captiuos clementem ſe præbere atque præſtare? Quid demum tam admirabile, quàm audire hac tempeſtate Principem eſſe, qui omnem antiquorum Regum Imperatorumque memoriam ſuperarit? Neque velim tibi perſuadeas, huius victoriæ partem Fortunam ſibi vendicaſſe. Fuit enim propria ſua virtus, qua ad cœlum uſque tollendus eſt. Qua verò iuſtitia, qua animi prudentia, qua continentia, qua conſtantia omni in te utatur, ſatis perſpicuè intelligi poteſt, quòd nulla in eius Principatu iniuria, nulla vis, nulla turpitudo admittitur: unicuique quod ſuum eſt, tribui vult: bene merentes autem & officio & fauore proſequitur, malos verò (quod iuſtitiæ plurimum conuenit) maxima pœna dignos exiſtimat. Nihil enim die noctuque cogitat, niſi quod ad ſuam immortalem dignitatem ſpectare cognoſcit. Age quis eſt enim aut nobilitate aut probitate præſtantior? Quæ tanta poteſt eſſe dicendi vis, quæ ubertas tanta ingenii, quod tam diuinum orationis genus, quo quiſquam non dicam exornare, ſed enarrare res ſuas clariſſimas geſtas poſſit? Quare dabis veniam, quæſo, ſi eas haud complexus ſum laudes mea exigua oratione, quibus dignum eſſe non te præterit.

HENRICUS. Scio certè multò maiora in Principe noſtro diuo virtutum merita eſſe, quàm oratoris cuiuspiam eloquentiſſimi exprimi lingua poſſit. Nam ſi, quas ſinguli habuere virtutes, is poſſidet, nemo mortalium eſt, qui ad ſummum uſque narrare poſſit. Verùm quoniam, ut de Crœſo Solon dixit, finem uniuſcuiusque, quomodo quisque felix, iudicatur eſſe conſiderandum; quid eſt cur eum in vita felicem eſſe iudicas?

IODOCUS. Ego verò id arbitror, finem quempiam aut bonum aut malum in homine ineſſe oportere. Sed unum profectò exiſtimo, quod non vulgaribus coniecturis percipi poteſt, neminem probum & optimum virum in peſſimum finem poſſe deuenire. Nam cuius operatio bona fuit, eius finis ut ſit optimus neceſſe eſt. Quod idem de Principe noſtro futurum arbitror: quum in omni virtutis genere vitam exerceat ſuam, nihilque pluris faciat quàm quòd Chilon dicit, *Principatum habentem nihil mortale, ſed cuncta immortalia debere iudicare.* Itaque omne ſuum tempus nunc in iuſto prælio, nunc in pace & iuſtitia conſumit, nunc ad cœleſtia mentem erigit: & ſi quid eſt quod ſummum bonum ſpectare cognoſcat, omni cura ut ad id perueniat, ſummaque cum diligentia inquirit. Quod ſi ſermo hic noſter ſuas laudes ageret, oſtenderem profecto, neminem unquam principem fuiſſe, qui Principi noſtro optimarum rerum gloria iure merito non cederet. Sed quoniam optimi Principis, & eius dignitatis exemplum dandum fuit, neminem aut paucos inueniebam, quorum

exemplum idoneum mihi videretur. Habes quæ ad Principum dignitatem pertinere exiſtimaui. Si quæ autem amplius ſunt (credo autem eſſe multa) ab his quæſo petas, qui hanc differendi profitentur facultatem.

Non me latet, optime Princeps, cum hunc librum tuis in manibus accipies, parvum; cùm verò perlegeris, magnum munus fuiſſe, te fore iudicaturum. Nam veluti lapillos pretioſos non magnitudine, ſed perfectione cæteras res præſtare videmus: ita hunc librum illis antecellere rectè tibi perſuadere potes. Illi enim, quo ad te, poſt tuam peribunt mortem: hic verò tuo perempto corpore, te apud homines viventem & immortalem conſtituet.

M. AN-

M. ANTONII TORQUATI
PROGNOSTICON
APOPHTEGMATA IMPERATORUM.
FRIDERICI III. IMP.
EPISTOLÆ ET LIBELLUS
PRECATIONUM.
HERMOLAI BARBARI
ORATIO
AD
FRIDERICUM III.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

INter ſuperiorum temporum aſtrologos eminet nomen M. ANTONII TORQUATI, Medicinæ Doctoris Ferrarienſis, cuius Prognoſticon, quod hic exhibemus, magnæ olim erat exiſtimationis. Non defuerunt equidem Prognoſtici euentus; aſt multa etiam plane aliter acciderunt. Operæ pretium eſt Joannis Fileſaci, Theologi olim Pariſienſis verba de eodem hic adducere: * *extat* ait, *Antonii Torquati Ferrarienſis, Aſtrologi ſua ætate clariſſimi, prognoſticon, quod Matthiæ Regi Hungariæ, in cuius paterna hiſtoria lufimus aliquando, oblatum eſt, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo octuageſimo, quod cum aliquanto prolixius videatur, præcipuas illius ſententias tantum adnotabo. Turci magna ſtrage ſuorum in Chriſtianis arma mouebunt. Venetis primum multa inferent damna, poſt eorum amici facti, Belgradum in ditionem recipient, Rhodum ſuperabunt, Pannoniam & Hungariam multis cladibus afficient. Tandem vim comminantes, regnum Hungarorum lacerantes, ſimulque imperium Romanum Germanumque diutiſſimis bellis tentantes, in eorum manus cadent: Annus erit Chriſti 1594. ad 1595. Sed prius Apuliam intrabunt, Siciliam, Galliæ Hiſpaniæque littorum claſſe ſua, nec non Italiam moleſtabunt & affligent. Paulo poſt, Imperatorem Turcarum in prælio occidendum prædicit, additque Osmann namque domus in tredecimo vel quarto decimo capitibus corruet, nec illum excedet numerum, nec annum ſalutis 1596. tranſibit. Tunc enim horrendo concidet caſu, tandem concludit hac clade euerſum iri Imperium Turcicum & a Chriſtianis occupandum. Sic refert Leunclauius in Hiſtoriæ Muſulmanæ appendice; poſt Epiſtolas. Non eſt vel huius loci, vel mei otii hiſtorias retexere, quibus multa, quæ hic exprimuntur, eueniſſe intelligamus, ſatis ſit expendiſſe corollarium huius prædictionis quam varium ſit, quam falſum, quam ridiculum, de Imperio Turcico funditus euerſo, ad annum Chriſti 1596. cum hoc anno 1608. tum florens & potens, magno quidem Chriſtiani nominis malo, cernamus, quam unquam antea extiterit, nec vlla parte, aut hiare, aut mutare, aut inclinare, tanti Imperii moles perſpiciatur: nec in quarto decimo Imperatore Osmanida ſeriem Sultanorum & Principum*

* *De idolol. Magica fol.* 32. Ex hoc ſua habet Bayle *Dictionaire Hiſtor. voce Torquati.*

pum ſuorum defeciſſe videamus, cum Sultanus Muhamet Cham, tertius huius nominis, ſit decimus quintus Osmanidarum Principum, à primo illo Osmano Sultano. Magno certe conſtitit Hungaris hæc prædictio, cui cum ſtolide inniterentur, motumque maximum ſub Sultano Soleimanno in Hungaria excitaſſent, ab eo magna clade affecti ſuæ credulitatis veſanæ, pœnas non minimas dederunt, quemadmodum narrat Leunclauius hiſtor. Muſulmanæ lib. 18. Hoc autem Torquati Prognoſticon ſeparatim antea prodierat *Antwerpiæ 1552.* Reperitur quoque inter Goldaſti Politica Imperialia. *

In margine videmus adnotatum, qua ratione hæc vel iſta euenerint.

Sequuntur Impp. APOPHTEGMATA ex variis collecta. Continent iſta quædam acute dicta a Rudolpho Habsburgico, Henrico VII. Carolo IV. Sigismundo, Alberto II. Friderico III. Scilicet moris hoc erat ſeculo decimo quinto exeunte, & ſexto ineunte, vt multa induſtria eiusmodi dicta colligerentur. Hinc etiam quæ prudenter dicta ab Auſtriacis Impp. ſedulus collegit Fuggerus Poggius Florentinus, Orator ſeculi decimi quinti clariſſimus, facetiarum librum ſcripſit, qui inter Opera ** eius vltimum locum occupat. Sic etiam diuerſa Principum apophtegmata congeſſit Æneas Syluius, Epiſcopus Senenſis, in Commentario in libros Antonii Panormitæ Poëtæ, de dictis, & factis Alphonſi regis memorabilibus, inter quæ varia ſunt Imperatorum Germanicorum. *** Henricus quoque Bebelius, Tubingenſis olim Profeſſor, facetias edidit, **** talia continentes. Has quoque Bebelii & Poggii facetias, vna cum Alphonſi dictis, & Jacobi Henrichmanni Prognoſtico in omne ævum durante editas habemus: ***** Ex tribus hiſce Apophtegmatum atque facetiarum ſcriptoribus, hæc deſumta ſunt, ea ſaltim continentia, quæ Germaniæ quidam Imperatores fuerunt effati.

Hæc excipiunt EPISTOLÆ aliquot FRIDERICI III. Imp. Inter has prima eſt, quam ſtatim ac ad Imperii dignitatem eſſet promotus, ad Carolum VII. Francorum Regem ſcripſit, qua ipſum ad Comitia Moguntina in diem feſtum Purificationis Mariæ 1441. habenda, inuitat. ****** Altera Epiſtola ad Nicolaum V. Papam fuit directa, qua ipſum rogat, vt communem quendam Regum ac Principum Europæ conuentum indicat, ſe non defuturum. Extat hæc ipſa Epiſtolas inter alias Syluianas. *******

Tertia ad Eugenium IV. Papam eſt directa, pro iure Ladislai in regnum Vngariæ, quod ipſi præripere conabantur Vngari, Albertum Bauarum eligentes. In Quarta Epiſtola Æneæ Syluio de Cardinalis dignitate, quam fuerat adeptus, gratulatur. ********

Adiecimus, quem Freherus in Syllabo Auctorum promiſerat Libellum Precationum Friderici III. Imp. ad Blaſium, quem ex Gabrielis Bucelini Chronologia Monaſteriorum Germaniæ ********* ſumſimus, de quo vbi de Blaſio Hippolito, Muſico in Monaſterio Vrſpringenſi loquitur, ſic agit: *habebat is egregie ornatum orationale Imperatoris Friderici tertii, ex quo ſequentem precationem (qua optimus Imperator pro filio Maximiliano*

* *Part. XVIII. pag.* 773.
** *Baſilea* 1538. *fol.* edita.
*** Extat inter ipſius Opera *Baſilea* 1551. *fol.* coniunctim edita *pag.* 472.
**** Inter Opuſcula ipſius *Argentorati* 1514. edita.
***** *Tubingæ* 1555. 8.
****** Reperitur iſta etiam in Mülleri *Reichs-Tags Theatro Part. I. c. IV.*
******* *Epiſt. C LXIII.*
******** Extat hæc inter Syluii epiſtolas *epiſt. CCL.*
********* *Pag.* 624.

apud æternum patrem Domini noſtri JEſu Chriſti intercedere eſt ſolitus) *tranſcripſi : quam ne intercidat, & pereat, huic loco inſerendam ſtatui una cum carminibus meis : quibus prædictus D. Blaſius libellum Diuo Carolo V. Imperatori ipſiusque Fratri Diuo Ferdinando Regi offerre decreuerat.*

Sequitur HERMOLAI BARBARI *Oratio* quam Venetorum nomine ad Fridericum & Maximilianum, Auguſto menſe 1486. Brugis habuit, qua ipſi de Regis Romanorum dignitate gratulatur. Erat iſte Franciſci filius, Patritius Venetus, factus poſtea Archiepiſcopus & Patriarcha Aquilegienſis, demum Eccleſiæ Romanæ Cardinalis. Magnam hic eloquentiæ laudem fuerat adeptus * inde etiam Reipublicæ Venetæ nomine varias obiit legationes ad Papam etiam. Extat hæc oratio inter *alias* ipſius Orationes coniunctim ** editas & in Goldaſti Politicis Imperialibus. ***

---

* Teſtatur de eo Paulus Jouius *elog. vir. doct. anno XXXV.* Jo. Trithemius *de Script. Eccleſ. pag.* 379. Petrus etiam Bembus Hiſt. Venet. Lib. I. p. 31. eius laudes prædicat & qua ratione Patriarcha factus fuerit Aquilegienſis, demum obierit, teſtatur. Petrus Crinitus *de honeſta diſciplina Lib. I. cap. VII.* Voſſius *de Hiſtor. Lat. pag.* 622.

** *Pariſiis* 1508. 4. *Baſilea* 1529. 4.

*** *Part. XXI. num.* 2. *pag.* 973.

PROGNO-

p.169 # PROGNOSTICON M. ANTONII TORQUATI ET MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS, CLARISSIMIQUE ASTROLOGI, DE EVERSIONE EUROPÆ.

QUOD SERENISSIMO MATHIÆ VNGARIÆ REGI ANNO SALVTIS M. CCCC. LXXX. DIREXIT, USQUE AD ANNUM M. D. XXXVIII.

MULTA ſunt ſereniſſime Rex, quæ diuinos homines efficiunt, virtutis primum excellentia, ut in ſeptimo teſtatur Ariſtoteles. Secundo Deitatis contemplatio, claraque ſubſtantiarum ſeparatarum notitia, ſicut ex decimo eiusdem habetur. Sed inter cætera nihil tam ſimiles Deo mortales reddit, quam contingentium præſcientia futurorum, quam omnes Dei propriam eſſe confirmant, nec ſine diuinitatis participatione adipiſci poteſt. Quæ & ad conſilia præbenda & ad prouidentiam eorum, quæ ventura ſunt, plurimum prodeſſe atque conducere experientia fidem faciente, conſpicitur. Et propterea regnorum, prouinciarumque, nec non & ciuitatum dominis, rectoribus atque gubernatoribus permaxime noſcuntur neceſſaria.

Et quoniam feſtinant tempora, in quibus Deus per aſtra tanquam per ſecundas cauſas mirabilia multa ſingulariaque plurima, horribilia viſu, audituque tremenda, & euentu ipſo ac effectu terribilia, quibus ſimilia per longa ſæcula facta fuiſſe non legimus. Quæ licet plurima climata, orbisque prouincias ſint afflicturа, & reges, dominia, ſtatus, leges, mores, religiones, ſectas, doctrinas mutatura, & variatura pro certo ſint. Tamen quoniam maiori ex parte huiuſcemodi euentus noſtra apparebunt in Europa, dignum duxi eadem annotare, & tuæ Maieſtati deſtinare. Quia vir diuinus es, & non paruam ipſius Europæ partem cum prudentia regis atque gubernas, Chriſtianamque rempublicam ab infidelibus tueris & defendis. Et id ad conſolationem tuam addere non vereor. Futurum eſſe, ut poſt nonnullas ſtrages & depopulationes Ungariæ ab Otthomannis factas, Otthomannorum Regem in manus cuiusdam Ungariæ Regis, & Ungarorum, Imperiique Romani, & Germanorum agentibus Hiſpanis caſurum eſſe. Interficienturque ab eisdem, antequam anni M. D. XXXVIII. finientur. Et Otthomannorum domus, Imperiumque Conſtantinopolitanum deficiet. Et Imperator Germanus unicus, ſuper duo regnabit Imperia, & Ungariæ gloria ſuper ſydera ſcandet.

Et ut iudicium noſtrum hoc Chriſtiano more bonum ſortiatur exordium, Diuinum prius inuocabimus auxilium. Primo & ante omnia tria ponderoſorum

M. CCCC. XCIV. Lud. Sfort. pro duce Io. Galeazo ne pote ſuo ex fratre, Mediolanum gubernante ob Zelotypiam, Carolo Gallorum rege contra Alphonſum Arragonie regem prouocante quæ relicto Neapolitano regno in Siciliam fugiens.

conuentuum prius inuocabimus auxilium. M. D. III. & M. D. IV. futura prænotabimus, & in M. D. IV. anni biſſextilis Februar. 5. die menſis 21. Virginis gradu, annalis reuolutionis erit, præuentio. Quæ non parum ponderanda venit. Quoniam luna defectum patietur. Secundo conſiderandum accedit, non ſolum trium ponderoſorum, ſed etiam omnium pene erraticarum ſtellarum coitus in piſcibus, qui anno ſalutis M. D. XXIV. Februarii continget menſe, ſed & lunæ ſolisque defectus, qui contingent, ac maxime de aquea, terreaque triplicitate, & in angularibus ſignis, angulariſue ſchematum, ac præcipue primo & decimo fient, geminorumque tetragonis maiorum duorum ſupernorum ponderoſorum & oppoſitiones, & qui coitus ſequentur.

M. CCCC. XCIX. Lud. Gallorum rex. expulſo. Lud. Sfort. duce Mediolani, & capto Mediolano, poſtque menſis ſex, iterum derelicto, & expulſo.

Ex præfatis igitur cæli conſtellationibus primo dicendum eſt, ab Italia exordium tantorum malorum naſciturum eſſe, nam præuiis malis diſpoſitionibus, quæ orientur, ex ſimultatibus Aragonum Sfortiadumque domorum, accitis ab altera earum in Italia, Galliis, Europæ, diſcordiæque ruinæ virus diffundetur, & ſemina iacientur, ex quibus inter Chriſtianos reges & principes maxima naſcentur bella, & ad hæc mala augenda Turcarum auxilia etiam contra Chriſtianos, ab ipſiſmet Chriſtianis implorabuntur. E regno Neapolitano agentibus Gallis p.170
Arragones non ſemel pellentur, ſed è Mediolano per eoſdem pellentur etiam Sfortiadæ. Et ab utroque regno vel dominio ab Hiſpanis, Germanis & Italis, pluries vel ipſi expellentur Galli, & mutationes magnæ orientur in Italia, in qua nonnulli mox in altum eleuabuntur, moxque decident.

M. D. I. Lud. Sfort. Mediolan. dux à Gallis Nouaria capitur, atque in Francia perducitur. Incidit in foueam quam fecit.

Potentes Veneti ac Eccleſia Romana in præfatis fortunæ ludis commiſcebuntur, qui utinam abſtinerent. Nam cum maiora lucrati credent, etiam quæ habebunt, amittent, nec ſemel id duntaxat eueniet eis.

M. D. VIII. Cæſar Maximilianus cum Iulio Pont. & Lud. Gallorum rege contra Venetos conſpirant.

Orientur quoque res ob Italicas inter Romanum Germanumque Imperatorem, & Gallorum regem primam poſt conſtellationem multa odia, & inimicitiæ non paruæ, ſed agentibus etiam Eccleſiaſticis Principibus dicti reges in vnum inient fœdus, & in Venetorum pernitiem conſpirabunt, diſſimulata potius inter eos pax concordiaque fiet quam vera, & ideo poſt aliquot annos ſecretis & occultis effectibus, alter alterum deiiciet, neque alto animi conſilio inuicem bene conuenient. Galli ſuperabunt Venetos, & omnia pene terreſtria ab eis auferent, & ad cuſtodiam Venetiarum Veneti ipſi deuoluentur. Sed hæc initia dolorum eiſdem erunt, non finis. Nam humiles facti, contra Gallos non modica recipient auxilia, & amiſſa recuperabunt, & animos apponent ad maiora aequirenda. Quæ res totalem interitum libertatis, atque ſtatus ac eorum dominii ruinam pariet, parumque aberit, quin & Venetiarum ciuitas quoque euertatur.

M. D. IX. A Cæſare Maxim. Pont. Iul. & Gall. rege ſub actis, debellatis caſis & profligatis Venetis, Cæſar capit Veronam, Patauium Galli Bergamum Brixiam, & Cremonam, cum aliis oppidis, locis & caſtris tollunt.

Poſt hæc inter Eccleſiaſticos prælatos, inter Gallosque atrox bellum inſurget, & nonnullæ ciuitates Venetorum antè à Gallis ſubactæ, ipſis nouiſſimis dominis rebellabunt quamobrem bellis acribus ac diris interfectionibus & depopulationibus affligentur, & modo Galli, modo Eccleſiaſtici vincent, varia utriuſque & aneeps ſortuna eueniet, & in bello utrinque multi cadent. Eccleſiaſtici Germanorum, Hiſpanorumque auxiliis freti ſortiores erunt, Gallosque cladibus & præliis affectos vi tandem ab Italia pellent. Eoque tempore Angli contra Gallos tunc magna neceſſitate compulſos bella ex Hiſpania mouebunt, ſed hæc bella parum durabunt. Poſt quæ exurget in Gallos rex novus, in cuius ſpe plurimi peribunt, quoniam Gallos iterum in Italia ducet. Hic humili cum gente dimicans, magno tamen cum diſcrimine vincet & Inſubrum ciuitatibus potietur, & cum Papa duratura fœdera iniet. Nam circa ſalutis annos, M. D. XIX. vel M. D. XX. noua iterum prælia inter Gallos Papamque conſurgent, & agentibus Imperatore Romano, Romanis, Hiſpaniſque Papa ſolicitante, rurſus Galli Italia pellentur. Et Sfortiada domus (parum duratura) tertio in Mediolanenſium ducatum redibit. Verum obſtinati Galli obſeſſum Mediolanum reuertentur, ſed re infecta calamitatibus oppreſſi, fugam arripientes, vix in patriam ſuam ſe recipient. Sed nedum Galli obſtinatiores effecti, quin tamen domi bellis fuerunt

M. D. XIII. Caſis & profligatis Nouaria Gallis, ab Italia expulſis Maxim. Sforcia Dux Mediolani reſtituitur.

M. D. XV. Franciſc. Rex Gall. mens. ſept. caſis hoſtib. Mediolano potitur.

vexa-

vexati, ab Italis feducti, Italica rurſus bella tentabunt, & in annis M. D. XXIII. M. D. XXIV. M. D. XXV. infeliciter pugnabunt, & eorum rex, vel capietur, aut interficietur. Qui liberatus immemor præteritæ fortunæ ad maiora diſcrimina ſubeunda animum ponet, nec deſinet tam diu Romanum imperium contra præ-lia miſcere, donec confractis viribus, regnum, vitam, filios, duces, & omnia ſimul amiſerit, ſed alio me reuocant cœleſtia fata.

M. D. XXI. Franc. II. Sfort. Dux Mediol. potentia Caroli V. Caſ. in paternum ſolum reducitur.

Per hæc fere tempora tumultus in Germania orientur atque internitiæ multæ. Ignobiles contra nobiles inſurgent, ſed prius hæc labes in Ungaria naſcetur, in qua viri Eccleſiaſtici plurimorum cauſa malorum fient.

M. D. XXIV. Ingens militis Franc. Rex Galliæ menſe Septembri Papiam, capto primo Mediolano circumuallat, & M. D. XXV. Febr. 24. apud Papiam in Barchacis palatium Mirabelli infeliciter pugnans, Rex cum ingenti Baronum, procerum & caparum cede capitur.

Sed ad omnium prouinciarum particularia quædam veniam, & ad nonnullarum domorum ac gentium & ſtatuum ſeu dominia ſpecialia procedam, in quibus plura diſtinctius enodabo futura.

Futurum eſt enim poſt hæc, vt Papa, Galli, Angli, Veneti ac Sfortiada domus, cum nonnullis aliis contra Romanum Imperium conſurgant, & noua prælia mouentes uno animo in illud ferantur. Mediolanum obſidione cingent, & Inſubres diuerſis commiſcebunt malis, intus ac foris, & cum Hiſpanis male res agentur, & eorum militia circumdabitur, ſed noua auxilia ex Germania venient, viroſque anxios releuabit, & ad meliorem ſpem euectos conſolatione non modica faciet lætari. Sed hæc lætitia diuitius non durabit. Nam iterum ruina eadem pene Inſubres, Hiſpanique maiori calamitate, nec diſſimili prementur.

Per totam ferè Germaniam vulgus contra potentes, nobiles, ſuperioresque capit ſeruire ob innumerabiles aggrauationes, naſcitur ſedition magna, fuſio ſanguinis maxima ab utriſque.

p.171 Per hæc fere tempora atque hæc ob bella Chriſtianorum & ad nonnullorum forte Chriſtianorum inſtantiam immaniſſimus Turcarum exercitus capiet Belgradum & Rhodum munitiſſima Chriſtianorum loca. In Ungariam traiiciet. Et potius Ungarorum ſeditionibus quam vi ſua vincet. Ungariæ Rex, qui tunc erit, neſcio vi an dolo, aut caſu, eo morietur in bello.

Quamobrem non modica inter Ungaros de regno orietur contentio, atque hi vnum, alii alium ſibi depoſcent in regem. Turcarum gens Pannoniam pene totam depopulabitur, incendet, deſtruet, & prædam multam, viros ac mulieres captiuas absque numero ex ea abducet. Et duo reges in Ungaria eligentur, vnus per ambitionem & contentionem, alius canonice atque mature, & forte ex antiqua regni Hungariæ ſtirpe veniet. Hic ille erit Rex, in cuius manu Otthomannorum Imperator interficietur. In ea ſiquidem re Ungarorum aderit non modica laus & Germanorum: ſed aſtra etiam Regem quendam magnum Hiſpanum, ac Hiſpanorum ingenium affuturum pronunciant, & Imp. Romano auxiliares copias promittunt, & forte ipſe quoque aderit Cæſar. Sed regis Ungariæ prima laus & ſingularis in hac erit opera. Nam & ſecretum tibi ſereniſſime rex, & ſtellarum fata aperiam, inter annos Domini M. D. XXXVI. & M. D. XXXVII. hæc oculata fide cernent Chriſtiani. Antequam præfati finiantur anni. Imperium Conſtantinopolitanum diſſoluetur & debellabitur, Turcis ipſis crudeliſſimis ſtragibus affectis, & non ſolum ab alienigenis hæc fient contra Turcas, verum etiam à diſcordia inter ſuos principes orta. Nam interfecto Turcarum Imperatore tanta orietur inter duces eorum diſcordia atque diſſenſio, quod & ab inuicem, & ab externis crudeliſſimis bellis lacerabuntur, & diris bellis per totam Græciam excitatis, atque Marte per Græcos, & Aſiam minorem furente, & eosdem populos fæuiſſima peſte cruciante. Ex Otthomannorum familia, atque à Turcarum gente Conſtantopolitanum Imperium absque dubio cadet, de quibus in fine libelli noſtri longior à nobis fiet mentio.

M. D. XXVI. Papa Clemens VII. Henricus Anglicus, parlamentum Franciæ, & Veneti aduerſus Cæſar. copias tam Germ. quam Hiſpanas, vt ab Italia eas depellerent coniurant, agentes Caſ. ſub conſpirationis colore fucato, obnoxium, Franciſc. Sfort. II. Mediolani Ducem contaminant laborantem in agone. Creditur Venetos, vt ſe ſuaque tutarentur facilius, Turcam contra Chriſtianos incitaſſe.

Tempus eſt enim vt ad Chriſticolas reuertar, & de Eccleſiaſticis Diis hominibusque vniuerſis eantum lugubrem canam. Nam in annis M. D. XXVI. vel annis M. D. XXVII. capitibus Eccleſiaſticorum prælatorum aduerſa fortuna inci-

Qui M. D. XXI. Ungariam invadens, proditione Albæ regali capto. M. D XXII. Poſt longam Rhodi defenſionem menſe Decemb. tandem in Turcarum deditionem venit. M. D. XXVI. Lud. Ungariæ Rex in ſtrategemate contra Turcas, XXVII. Auguſti periit. Eodem anno pars Ung. Ferdinandum regem Boëmorum, Pars altera Ioannem Waywodam in reges eligunt, duo illi pro regno diſceptant. M. D. XXVII. Pro Cæſare bello Imp. Carol. Borbon. Dux Romam circumuallat, & 6. Mart. eam capit, ingrediendo ictu belli tactus tormento, tam glorioſiſſime quam victorioſiſſime occidit Papa Clemens VII. cum aliquibus Cardinalibus ad arcem S. Angeli aufugiens, tandem ſe dat captis diſperſiſque cæteris.

incipiet comminari, fietque pluribus annis fortuna nouerca, & Eccleſiaſticis Romanisque dura contingent mala, Roma vi expugnabitur, & exercitui Imperatoris Romani præda fiet, & in ea interficientur multi. Papa vel fugabitur, vel capietur. Cardinales & Eccleſiaſtici prælati ſpoliabuntur & priuabuntur bonis, & Cardinales triſtabuntur, & prælatorum Eccleſiaſticorum diuitum atque potentium incipiet ruina. Horrendum quidem & extremiſcendum Eccleſiæ Romanæ futurum dicam, Eccleſia namque Romana diuitiis vltra modum aucta ad id deueniet, vt poſthabita rerum ſpiritualium cura, de rebus temporalibus duntaxat cogitatura ſit, atque curam habitura, & regnum cœlorum cuius claues ſibi datas creditur, in temporale terrenumque regnum commutabit. Propter quod DEus eos abiiciet à ſe, atque diris ac crudeliſſimis flagellis eos percutiet. Quoniam nihil cæleſte tunc diuinumque meditabuntur, & armis hoſtium, tum infidelium, tum Chriſtianorum, bellisque multiplicibus expugnabuntur; & tam acriter quidem, vt diſperſi prælati in fugam conuerſi profugique varia ſint ad loca acceſſuri. Nec in tribulationibus illis maximis alicubi tuti erunt, & à Chriſtianorum tandem auxilio deſtituti miſerias ſuas amare flebunt; Quoad omnes ſolum CHRISTVM Dominum honorantes, rebus factisque contemnentur atque vexabuntur, & ad priſtinam religionem reducti ſub ſpirituali fient poteſtate, quoniam neque DEum, vt DEum, neque ſanctos eius, ſed ſeipſos tantum glorificabunt.

Et in hypocriſi loquentes mendacium, populos decipientes, atque fallentes ſpe virtutis, & vmbra, Eccleſiam DEI profanabunt, & multorum malorum inter principes & populos Chriſtianos & gentes exiſtent cauſa. Quorum nonnulli nominis Chriſtiani hoſtes occulte erunt, & quoniam tales peſtes nunquam dignatus eſt Chriſtus habere ſeruos de futuris malis dico, non de bonis, nam multos, & Eccleſiaſticos nedum bonos, verumetiam optimos fore cerno. Veruntamen de malis duntaxat intendo loqui. Quoniam propter eos veniet, ira DEI ſuper Eccleſiam, & malos hic incipiens de medio tollet, qui futuri ſunt in malo obſtinati, alios ad ſe conuertet. Bonosque ſicut argentum & aurum præfatis flagellis ac veluti per ignem purgabit, & ſic ex malis DEus eliciet bona, & Eccleſiæ ſtatum reformabit. Nam plures erunt mali, & boni pauciſſimi. Quoniam tunc inſurgent Hypocritæ multi & Pſeudoprophetæ, & pauci in veritate Chriſti ambulabunt. Miſer ille papa & infelix, de quo dixi, dolis propriis capietur, & alios credens decipere ipſe ſe decipiet, & ab aliis decipietur. p. 172

An de Luthero hoc dixiſſe velit an de aliis ncſcio. Circa tempora Luth. Pont. Leonem x. inuehere de poteſtate clauium incepit pro indulgentiis.

Poſt capturam aut fugam eius non diu ſuperuiuet, obiturus breui aut animi dolore aut veneno, aut ferro, vel à ſemetipſo neſcio. Cardinales infuturi Papæ electione diſcordes, magni ſchismatis cauſa erunt, plures papæ creabuntur, quo fiet, vt Eccleſiaſtici viri odio omnibus hominibus, tum infidelibus tum fidelibus, & in hæreſin venient, & abominabiles cunctis erunt. Religiones omnes perturbationibus plurimis ac diſcordiis agitabuntur, & præcipue Minorum religio. Omnes Eccleſiaſtici viri tam presbyteri ſeculares, quam clauſtrales, à via veritatis diſcedent, ſanctimoniales à dono caſtitatis & regulis ſuis decident, & cuncti pene à via veritatis auertentur, multa ſimulatio ſanctitatis regnabit & dominabitur, adeo vt veri boni Religioſi non valentes habitare cum malis, ad montes tunc fugere cogantur.

M. D. XXIX. Comitis de Zyps ducis Wayuote ſeuere nunquc Turcæ potentiſſimo exercitu, inuocato domino Vngarion tutans Buda capta, aliisque oppidis Deinde in Auſtriam animum ponens, Viennam inuadit, atque obſidet.

Veniet à ſeptentrione Hæreſiarcha magnus, ſubuertens populos contra vota Romanæ ſedis, cum magnotum Principum Septentrionalium auxilio, qui faciet ingentia, & magna loquetur, & apparebunt tunc temporis multi Hypocritæ, quærentes ſibi exaltationes & honores, & dignitates Eccleſiaſticas ambient, & erit confuſio & perſecutio maxima in Eccleſia, tam diu, donec interfectis Eccleſiaſticis in malo obſtinatis, atque vi maximarum tribulationum ad Deum conuerſis, & malis moribus in bonos mutatis, & iniquis legibus ac pratis conſuetudinibus ſublatis, & ritibus peſſimis deletis, & in ſanctas & æquas leges conſuetudineſque ac ritus pios conuerſis. Eccleſiæ ſtatus renouabitur totus, & velut ſol oriens claro

ro ſereno formoſus, & decorus refulget in terra, ſed nondum ſtatim finis. Nam fere annis octo Petri nauicula fluctuabit, ſed fluctibus non opprimetur. Quin imo melior emerget, & ſolidior ac ſolito ſplendidior, & precioſas merces in cœlum vehèt. *MDXXXVII. Innumerabili exercitu Turca ſecundo Auſtriam pergreſſatur incendiis, ruina, atque depraedat, infecta re, ludibrioſe recedit.*

Sed & alio ſermonem meum conuertere me oportet, & ad Chriſtianorum bella redire, demum ad externa me conuertam. Erunt enim in diebus illis bella fœuiſſima inter Francos tunc maxima calamitate compulſos, & inter Germanos, Anglos, Hiſpanosque, nec non inter Pannonios & Italos, & Italiam, & tanta quidem, ut genus humanum tantam mortalitatem vix poterit pati. Galli cum Hiſpanis, Anglis Germanisque manus miſcebunt. Sed & inter quosdam eorum primos inuicem bella, & diſcordiæ videbuntur. Itaque ab externis, & a ſuis affligentur. Germanique & domi, & foris, & ad inuicem & cum externis & maxime cum Gallis & Italis præliabuntur. Angli modo cum Gallis, modo cum finitimis Scotis, ac etiam cum Hiſpanis bellabunt. Itali & ad inuicem & ab externis opprimentur & interficientur, & in area Italiæ maior pars huius lugubris ludi fortunæ fiet. Nam in ea peſtes fœuiſſimæ, quæ eam conſument, euenient, ac præcipue Roma, Venetiæ, Mediolanum, Florentiæ, Ianuæque pene totaliter conſumentur, licet & aliæ ciuitates plurimæ eo morbo pluries adeo affligentur, vt hominibus quaſi vacuæ ſint remanſuræ. Inauditi morbi naſcentur in eis, quibus Medici neſcient remedia propria conferre. Penuria quoque Italiæ populos ciuitatesque plus quam credi poſſit aggrauabit. Ciuitates nonnullæ, villæ caſtraque partim comburentur, partim deſtruentur, & æquabuntur ſolo. *M. D. XXIX. Perhorrendus inaudituſque prius morbus, Anglicus ſudor appellatus increbuit, Medicis incognitus, quam plures ciuiſſime abſtulit. Eodemque anno penuria ingentiſſima non tam Italiam quam etiam Germaniam peruagata, permulta fame pericrunt.*

Timeant Inſubres, & Longobardi, qui ad mortem vſque & internitiem grauiſſimis & diris & variis affligentur malis intus & extra. Quæ omnia eis propter inteſtinas diſcordias ac delicta, & propter ſtatus Mediolani contentiones contingent. Poſt Mediolanum Roma, poſt Romam Florentia, poſt Florentiam Ianua, Venetiæque conſimilia timeant fata. Nam eadem fortuna & aduerſa ipſos omnes moratur, ut deuoret. *M. D. XXVIII. Franc. Gall. rex cum Venetis caſtra contra Neapolin ponunt, eamque obſidione cingunt.*

Sed & Neapolitanum regnum anguſtias & aduerſas fortunas ſuſtinebit, in quo Galli cum Hiſpanis pluries longoque tempore pugnabunt. *M. D. XXX. Die 8. Octobr. hora 11. noctis Tybris fluuius excreuit, non modico damno Romam ſubmerſit.*

Poſt Turci cum Hiſpanis, quibus omnibus tandem Hiſpani ſuperiores erunt. Omnia extrema viſura, paſſuraque miſella eſt Italia, ſed præcipue Longobardi; bellicus furor omnia maligna in Italiam effundet, plusque Italiæ quam cæteris prouinciis aſtra minantur. Apparebit namque fortiſſimus princeps à ſeptentrione, qui populos debellabit, & urbes & dominia, & potentatus, horribili cum terrore fœuiſſimiſque bellis, expugnabit, uniuerſos vi ſibi ſubiiciet. p. 173 *Eodemque anno 5. Novemb. Zelandiæ & Holandiæ maxima fuit aquarum inundatio ſubuerſione multorum locorum.*

Aquarum diluuia nedum in Italia, verum etiam in aliis quoque prouinciis exundabunt, & humiliora operient loca, & ciuitates & caſtra ſubmergent.

Futurumque eſt mare piratis & claſſibus plenum, qui magno cum terrore ciuitates maritimas oppriment, & ſpoliabunt, vnde fleant expectantes, fleantque permaxime Romani Imperii hoſtes. Quot dominia mutabuntur, quotque illuſtres familiæ antiqua amittent dominia, haud facile narrari poteſt, & hoc permaxime in Italia continget. Quot Reſpublicæ per vim & cum dolore ſuos ſtatus & libertates amittent, & aliis dominiis & externis ſubiicientur. Florentia, Luca, Janua, Venetiæ, & aliæ quæcunque Italiæ Reipublicæ præfato fato erunt ſubiectæ, neque euadere poterunt, & quo tardius id fiet, eo durius miſeriusque atque infelicius eueniet eis, & eo fato prementur. Circa namque annos M. D. XXVIII. & M. D. XXIX. & M. D. XXX. tam ardua, diraque atque fœuiſſima bella inter Gallos atque Germanos & Hiſpanos, & inter eorum reges oritura ſunt; inter quos Angli, Italique miſcebuntur, & etiam Turci ad ea Chriſtianis in auxilium vocabuntur. Ita quod tunc videbitur, quod ſtatus orbis ſit ruiturus, & omnes præ confuſione rerum, timebunt vltimam ruinam. *Hoc idem Antuerpiæ, in Flandria vicinisque oppidis accidit.*

Multi contra Romanum Imperatorem & ſuos ferentur & ibunt, ſed Romanum Imperium tanta vi repente contra hoſtes ſuos præter omnium ſpem & opinionem

nionem insurget, quod contra omnium iudicium opprimet eos, superabit, ac vincet, & Gallorum regem aut interficiet, aut secundo eum capiet, tamen gladio concidet, & amisso regno, filiis calamitatibus oppressis, Ducibus suis interfectis vitam finiet, & tunc vltima Gallorum laus, sub aquila volabit, tum Galli infelices erunt, M. D. XXVIII. M. D. XXIX. & M. D. XXX. M. D. XXXI. sed in armis M. D. XXVII. & in principio. M. D. XXVIII. ipsorum Jupiter causam souebit & permeabit ingentem gloriæ famam, mox interituram amittet, & post subito totaliter extinguetur, interea feliciter pugnabit.

Anglus quoque Rex Gallicis ruinis non longe dissimilia pertimescat infortunia, poterit & ipse cum suis aduersam experiri fortunam, & ingenti strage prosterni, quia tutum non est contra fata niti. Verum si sapiens fuerit, dominabitur astris.

Hispani multis victoriis augebuntur, gemina Hispanorum regna sub vno rege conuolabunt. Auaritia fœdabuntur, & eos in Italia grauiter pessundabit. Multas Italiæ partes Africamque totam suo subiicient imperio.

Romanorum Imperator, Germanusque, & Vngarus indissolubili iungentur amicitia, & inuicem auxiliaribus armis se iuuabunt.

Angli modo cum Imperio, modo cum Gallis, nuncque eum his, nunc vero cum illis erunt, firmam stationem non habebunt, sed videant ne studio aut opinione fallantur.

Germani cum Vngaris mediante rege firmius cohærebunt.

Veneti nunc his, nunc illis adhærebunt, adeo vt perfidi reputentur, & magna super eos veniet, & insperata ruina. Nam destructis Gallis, & eorum rege interfecto, Florentia, Januaque occultorum ac manifestorum criminum suorum erudeles pœnas dabunt.

Mediolanum in ipsa Gallorum concidetur ruina, post Venetiis manent crudelia fata, pestibus sæuissimis consumentur, & nouis bellandi artibus, & inaudito exercitus genere ipsæmet Venetiæ expugnabuntur, & alienæ ditioni fient subiectæ.

Astra quidem monent virorum bellatorum ingenia, nec crudeli fato obuiam venire poterunt. Clamabunt nec exaudientur, neque quisquam eorum miserebitur. Et adducet Dominus super eos omnem ruinam, quam ipsi super alios artibus induxerunt, & potentes potenter tormenta patientur. Concludet eos dominus in manus inimici, & sapientiam eorum perdet, nec scient vulneri suo remedium aliquod afferre, propter grauissima eorum peccata, quæ in CHRISTVM & rempublicam Christianam commissuri sunt, & quæ commisere. Tunc p.174 ad Turcarum auxilia iam non secrete sed palam manifeste confugient, & Otthomannorum Imperatorum familiam, gentem secum in ruinam trahent. Veruntamen victis hostibus huius velint nolint, tradent manus, & deeantus Hieremiæ atque lamentatio cantabitur. Princeps prouinciarum facta est sub tributo.

Cumque eorum interitum absque lachrymis prædicere nequeam, cum de me benemeritos non amare non possim, Hoc illis tamen prædicere volui, vt non ignorent, quam viam ad eorum salutem capere. Si tamen obcœcatum non fiat cor eorum, quod sæpe contingit. Quia nescimus credere cœlo materiamque magnæ struimus per vota ruinæ, & à Deo sæpe ducimur, atque cum peruenerimus, peccatorum pœnitentes, futuris ac imminentibus malis remedium aliquod afferre non valemus.

Ad immanissimos Turcas iam sermonem meum conuerto. Quos longum latumque ac magnum imperium, diuitiarum magnitudo, & frequentium gloria victoriarum, tantum attollet animum eorum ac spem, vt eis non putent ipsum posse resistere cœlum, atque idcirco ad totius imperium aspirabunt, Assyrios, Ægyptios magnis præliis fractos superabunt. Armenos, Parthos & Persas continuis præliis infestabunt.

Cum

Cum his variam ſortientur fortunam, nunc eos ſuperabunt, nunc ab illis ſuperabuntur, pluries victores atque ſuperiores euadent, & quandoque ſuccumbent magna ſtrage ſuorum. In Chriſtianos arma mouebunt, Venetis multa inferent damna, poſt amici eorum facti, Belgradum in ditionem ſuam recipient, ſuperabunt Pannoniam, Ungariamque multis cladibus afficient, tandem in eam intrantes, aut regem eorum bello laceſſentes, ſimul & Imperium Romanum, Germanoſque bellis duriſſimis tentantes, eorum Imperator in ipſorum manus cadet. Annos tunc Chriſti M. D. XXXIII. vel M. D. XXXV. ſed prius Apuliam intrabit, & Siciliam, & Galliæ Hiſpaniæque littora claſſe ſua, nec non & Italiam moleſtabit & affliget, terrorem magnum Chriſtianis incutiet. Sed CHRISTUS tandem ſuorum ſtragem diutius non feret, Furorem Germanorum, Ungarorumque militiam, & Hiſpanorum atque Italorum ingenia contra eum adducet. Et tandem ſuperatus interficietur, in quo prœlio, ac negotio Regis Ungarorum laus erit prima. Nam ut aſtra prædicunt dicti regis auſpiciis ingenio induſtriaque ac ductu perficientur omnia.

Hæc de morte immaniſſimi Imperatoris Otthomannorum, & victoria contra eum per Chriſtianos habenda prædixi. Otthomanna namque domus in XIII. vel XV. capita deficiet, neque illum excedet numerum, neque annos ſalutis. M. D. XXXVI. tranſibit. Tunc omni horrendo concider caſu. Ex hac Turcarum Imperatoris morte tanta orietur inter Otthomannos diſcordia, quod ab inuicem & ab externis interficientur & deſtruentur, & tota Græcia inermis, & in externis bellis feruescentibus in ea afflictabitur, peſteque ac fame laborans ſæuiſſima, ultra modum excruciabitur, nec ſibi paulum reſpirandi præſtabitur tempus aut locus, donec pene tota corruerit. Tunc Chriſtiani omnes uno animo, unoque impetu alacres mare tranſibunt, & tanta velocitate ac rot & tantis copiis, ut quaſi totam terram Chriſtianorum in orientem non ire, ſed potius volare credendum ſit. Sed prius Veneti & ipſi malis omnibus afflicti ſuccumbent, quam hæc fiant. Tunc videbis Turcas ad Chriſti fidem convolare, tunc Chriſtiani qui Chriſtum abnegauerunt, ad eius ſuave iugum læti reuertentur, & gemina imperia ſub uno Imperatore conuolabunt, & ab uno regentur.

Aphrica quoque ſanguinolentis bellis deuaſtabitur, peſteque ſæuiſſima laborans, & multis afflicta calamitatibus, & ipſa Hiſpano regi victas manus dare cogetur. Ad hoc accedit ſtultiſſimi Pœnorum regis ſtultiſſima proles diſcordiis agitatura, & de Numidia, Aphricæque contendens Imperio, dum quisque ſummam Aphricæ conabitur habere, atque regere, viribus nititur, regnum diſſipans amittet, & ad tantam prorumpet inſaniam, vt malit externo ſubiici regi quam præfati & paternum regnum ad Hiſpanos peruenire potius quam apud ſuos permanere. Hæc odia proxima ad annos Chriſti M. D. XXXVI. & M. D. XXXVII. inter fratres oriri incipient, & aliquandiu diſſimulata erunt, in principio parum contendent ad inuicem, poſt in apertas inimicitias deuenientes ad inſaniam & extremam anguſtiam ducentur, & furore ad inuicem agitati, vel relinquent ſtatum,
p. 175 quod ad pernitiem fraternam facere arbitrabantur, ſicque dum externa ad auxilia confugient, & ab ſuis & ab alienis vi compulſi cadent. Et in manus Chriſtianorum Aphricæ perueniet regnum. Nec ceſſabunt, nec deſinent Hiſpani ad ulteriora procedere, donec omnia meridiana ad extremam Indiam uſque ſibi ſubiiciant, ſed gloriam ſuam auaritia, luxuriaque aliquantulum denigrabunt, prædaque ingentiſſima ab omni parte, genteque domum adducta, ſupra quam credi poteſt ditabuntur. Sicque domini noſtri IEſu Chriſti vexillum ad orientales partes, cum gloria portabitur. Et Machumethana ſecta ceſſabit, & paſſim Machumethani & Indi, ad Chriſti Baptiſmum conuolabunt, cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Hæc dixiſſe ſcripſiſſeque voluerim, Sereniſſime Rex, & tibi direxiſſe, ut nonnullam ex hoc caperes voluptatem & in eo tanquam in ſpeculo futura proſpiciens,

ciens, etiam quæ ventura erunt poſt te prænoſcas, ut beneficiorum à te receptorum non immemor, dictum vaticinium gratiarum loco referendarum Maieſtati tuæ mitterem. Qui obſecro non donum, ſed mittentis cor aſpiciens benigne accipias, & Torquati tui ſemper in bonum ſis memor.

APOPHTHEGMATA IMPERATORUM ROM. RUDOLPHI, HEINRICI VII. CAROLI IV. SIGISMUNDI, ALBERTI, FRIDERICI III. PER POGGIUM FLORENTINUM, ÆNEAM SYLVIUM, ET HENR. BEBELIUM CONSIGNATA.

RVDOLPHI ROM. REGIS.

QVAS non didicerunt artes, recuſant omnes exercere: imperare, quæ eſt ars artium, omniumque difficillima, nemo recuſat. Interrogatus Rodolphus Cæſar, qui primus in familiam Auſtriæ traduxit Imperium, cur ita fieret; *Non mirum*, inquit, *ſtultos putant, qui regna neſciant, ſtultum autem ſeſe nemo iudicat.*

Seuerum, inquit Cæſar Rodolphus, & *immitem fuiſſe me aliquando pœnituit, lenem ac placabilem nunquam.*

Ad Rudolphum Imperatorem venit quiſpiam, qui Ottacarum Bohemiæ Regem in venatione ſeſe occiſurum promitteret, ſi facto præmium eſſet. Cui Rodolphus; *Etſi noſter hoſtis eſt Ottacarus, eumque odimus, non tamen id efficiet, vt iuſtitiæ & moderationis fines transeamus.*

HENRICVS VII. IMP.

COMITES de Wirtenberg apud Germanos in Sueuia late dominantur, & quamuis principatus honore & appellatione careant, potentia tamen multos principes antecedunt. At inſolentes & improbi habentur, qui neque Romanam ſedem verentur, neque obſequuntur imperio. Nobilis quiſpiam, qui hos diu ſectatus fuiſſet, ab eis tandem recedens ad curiam Cæſaris profugit. Henricus tum Septimus imperabat auus Caroli IV. qui Sigismundi pater fuit. Nobilis in conſpectu Cæſaris quotidie accuſare comites, nunc rebelles, nunc raptores appellare, hoſtes imperii, contemptores Eccleſiæ. Cui Henricus; *Tace*, inquit, *veterator, neque laudanti tibi, quos ſcimus peſſimos, neque vituperanti, quos tu olim ſequebaris, fidem habemus.*

CAROLI IV. IMP.

IN ſcholam Pragenſem ingreſſus aliquando Carolus IV. Romanorum Imperator, cum diſputantes liberalium artium magiſtros in horas quatuor audiuiſſet, idque purpurati moleſte ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent: *Mihi*, inquit, *tempus eſt minime, nam cœna mea hæc eſt.*

Carolus IV. Romanorum Imperator, hominem qui ſibi necem paraſſet, ad ſe vocauit, eique aureos mille dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret; illius ſe miſereri dicens, cui filia natu grandior domi clauſa eſſet. Homo gratias egit Regi & ad conſpiratores egreſſus; *Neſciebam*, inquit, *Carolus qualis eſſet. Nunc liberalem & clementem Principem ferire nullo pacto poſſum.*

WENCESLAI REGIS.

WENCESLAVM Bohemiæ Regem inter purpuratos ſuos crebro ſermone p. 176
vſurpare ſolitum ferunt; *Ego ſi me diripiendis vrbibus Italiæ fors præſentem dederit, cæterarum rerum prædam militibus impartiar, vini tantum apud me ſpolia reſer-*

reſeruabo. Si quis autem in cellam vinariam iniuſſu meo fuerit ingreſſus, gladio feriatur. Hunc Principes Electores velut inertem atque ſocordem imperio deiecerunt, Ruperto Boiario in locum eius ſuffecto: ad quem ciuitates Teutoniæ omnes defecerunt, demptis Noribergenſibus, qui Wenceslao iuraſſent. Hi cum hinc iutisiurandi religionem vererentur, inde vim Boiarii timerent, legatos ad Wenceslaum mittunt, qui ſe iuramento ſolui petunt, ac ſi neceſſe ſit, auri viginti millia nummum in eam rem offerunt. Rex auditis legatis, liberos Noribergenſes dicit, *ſi currus quatuor tradant onuſtos vino, quod Bacchara cenſe vocant*, Hoc eſt inter Rhenenſia vina, vt putant, optimum.

Jodocus Marchio Morauiæ, cum patruum ſuum Wenceslaum Bohemiæ Romanorumque Regem viſitatum veniſſet, vocauit eum patruus in penitiorem ædium partem, atque in hunc modum allocutus eſt? *Etſi ſatis ſcio non eſſe è dignitate mea, quod Electores imperii me regno Romano abdicauerunt, ſolatio tamen eſt, quod familiæ noſtræ hoc decus non excidit: Ego te libens volensque ſucceſſorem mihi datum accipio.* Cumque Jodocus his verbis territus ad regis genua procubuiſſet ac ſibi nihil imputandum diceret, qui earum rerum omnium ignarus eſſet; *Pone metum*, inquit, *nepos, nam neque imperium inuitus depono; neque ſi retinere illud cupiam, iura ſanguinis violare auſim. Bono itaque animo eſto, imperiumque tibi demandatum ſuſcipe: mihi mea ſatis eſt Bohemia, viris, opibus regni mei tanquam tuis, vt libet, vtere.* Lætumque & donatum nepotem à ſe dimiſit. At ille ſex tantum menſes ſuperuixit, locumque poſtea Ruperto Boiario qui imperaret, fecit.

SIGISMVNDI IMP.

SIGISMVNDI Cæſaris prouerbium fuit, *Ignarum eſſe regnandi, qui ſimulare neſciret.* Vera ratio nec vultum, nec animum mendacio obtegentem regem probat.

Laudanti eum ſupra modum, & Diis perſimilem eſſe prædicanti cuipiam, alapas Sigismundus non paucas incuſſit, dicentique illi, cur me cædis? *Cur me mordes? ait.*

Alberto Auſtriæ Duci (qui mortuo Sigismundo Cæſare, cuius erat gener, regnum Hungariæ ac Bohemiæ cum Romano Imperio ſuſcepit) cum Principes amore ciuium tutos eſſe oportere, idque ſolam innocentiam præſtare diceret; *Et fida cuſtodia*, reſpondit ſocer, *infortunium excludit.*

Cum accuſaſſent purpurati apud Sigismundum maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de ſuo Principe paſſim obloqueretur, ſubridens Imperator; *An vobis*, inquit, *graue videtur illos male loqui, cum nos male agamus.* Cumque quidam ſe ciuem Budenſem diceret, ſibique tanquam membro parcendum arbitraretur; *Et putrida*, inquit Sigismundus, *ſi ſit mea manus, abſcindatur. At à Deo*, inquit Fridericus Imperator, *cum oro, miſericordiam peto, non iuſtitiam. Cur igitur me ſubditis elementem atque miſericordem non exhibeam?*

Interrogatus Sigismundus Imperator, cur apud liberas ciuitates peculatus crimen adeo frequens inueniretur; *Idcirco*, reſpondit, *quod nudos honores ciuibus commendant, populus autem ad lucrum inhiat.*

Beatos eſſe in terris Reges aiebat Sigismundus Imperator, *ſi excluſis ſuperbis, manſuetudinis, humanitatisque cultores in curiam adſciſcerent.*

Exigenti promiſſa veterano militi, cum diceret Sigismundus Imperator, *At immoderata fuit petitio tua.* Reſpondit miles, *poteras negare, cum peterem: nunc ſine turpitudine quod promiſſum eſt, reſcindere non poteris.* Tum Sigismundus, *ſi ex duobus, alterum me ferre oportet, leuius rerum quam famæ iacturam ſubibo.*

Vlrico de Roſis, * inter Bohemos proceres opibus & auctoritate pollenti, cum Sigismundo abſenti mortem fratris, & rebellionem Pragenſium ſignificaſſet; *Fratrem ſuum* reſpondit Sigismundus *naturæ tributum ſoluiſſe. Pragenſes vero ſibi tanto glorioſius ſoluturos, quanto fortius vincerentur.*

Piponem Florentinum, ex domo Stroziorum, cum plurima bella fideliter feliciterque confeciſſet, adeo Sigismundus Imperator apud Hungaros magnificauit, vt ſecundum illius regni caput omnes fatererentur, plerique primum putarent. Dixiſſe quoque Sigismundum aliquando ferunt. *Facile Pipo, ſi velit, Scipione in manum meam dato, regni fines egredi me ſolum ac nudum videbit.*

Cum diceret aliquando Sigismundus Imp. aſſentatores ſe veluti peſtem odiſſe, *imo* inquit Brunorius Veronenſis; *Nullum genus hominum magis amas. Nam quid apud te poſſent Marcus Banus, Laurentius Palatinus, Vrſacius Michael, Caſpar Schlickius, niſi aſſentando tuam gratiam meruiſſent.* Tum Sigismundus, *Brunori,* ait, *ſic nam comparatum eſt, cum vitandos eſſe adulatores dicimus tum maxime illis aures damus. Nec tu mecum tam diu fuiſſes, niſi mibi blandiri aſſueuiſſes.* p.177

Mariam Hungariæ Reginam cum accepiſſet vxorem Sigismundus. Principum regni concilium apud Budam actum eſt. In eo regina perfidiam regulorum accuſauit, qui ſe regno ſpoliare conati eſſent, tum Sigismundus vna cum iudicibus cauſa cognita, duos & triginta regulos ſecuri percuſſit, quæ res multorum deinde laborum & diſcriminum ei cauſa fuit.

In obſidione Pragenſi principes ciuitatis, qui Sigismundum odiſſent, populares vt obſcæna & petulantiſſima in eum verba iactarent, aſtu atque arte prouocabant. Sic enim futurum arbitrabantur, vt irritatus hoſtis crucem & quæuis duriora ſupplicia comminaretur obſeſſis; illi vero pœnam metuentes, obſidionis incommoda conſtantius tolerarent. Quod cum intelligeret Imperator, impunitatem omnium, quæ in ſe dicerentur, per præconem promiſit.

Cum diceret Laurentius Palatinus Hungariæ, imprudenter agere Sigismundum Imperatorem, qui victis hoſtibus non ſolum vitam & opes relinqueret, ſed etiam eos inter amicos reciperet, extolleretque: *Tibi*, inquit Sigismundus, *videtur vtile inimicum occidere, neque enim mortuus bellum excitat: At ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio dum extollo.*

Conſpirauerant Hungari aduerſus Sigismundum, armatique regiam intrauerant, aut capturi Regem, aut ſi id non ſuccederet, occiſuri. Quos vt ad ſe irrumpentes cognouit, accepto pugione in medium progreſſus; *Ecquis*, inquit, *veſtrum manus in me iniiciet? aut quidnam feci, quod me regem veſtrum occidere vultis? prodeat è vobis ſi quis audet, & cum me ſolo ſolus eongrediatur.* Ea voce & audacia obſtupuere coniurati, & ſibi quisque timens abiere.

Captum ab Hungaris Sigismundum duo adoleſcentes cognomento Garii, quorum pater ab eo neci traditus fuiſſet, cuſtodiendum accepere, donec omni conſpiratorum iudicio in eum animaduerteretur. Quos cum ille ut ſe dimitterent, fruſtra pertentaſſet, vidua eorum matre ad ſe vocata; *Scio*, inquit, *mulier, viri tui mortem tibi acerbiſſimam fuiſſe, teque mihi tanquam auctori eius infenſam, verum ego per ſuperos iuro inuitus tanti viri exitio aſſenſus ſum. Regina eum atque alios accuſauit, condeſcenderunt regni proceres, atque in reos mortis ſententiam tulere. Ignarus ego factionum veſtrarum, nouus ad regnum veneram. Quod regulorum maior pars decreuiſſet, id mihi exequi neceſſarium erat. Eſto tamen, virum tuum ſciens volensque neci dederim cruciandum, tunc propterea natorum tuorum aut aliorum iracundiæ me obiicies? Et quis (obſecro) vel te vel illos fructus ſequetur? Non deſunt mihi fratres & amici, qui meum ſanguinem ulciſcantur: neque Hungaria rege diutius carebit. Exempla Reges timent, nemo apud eos acceptus eſt, qui manus ſuas regio ſanguine cruentauerit. Quod ſi me miſſum feceris, ex filiabus Hermanni comitis Ciliæ neceſſarii tui uxorem ducam, fratris ac ſoceri adiutus opibus, regiam demum poteſtatem vendicabo, filios tuos imprimis charos habebo, efficiamque ut omnis poſteritas tua hoc factum ſibi fructuoſum ſentiat. Hoc ego cum liberis tuis egi: ſed non capit atas, quantum neceſſe eſt. Te quæ plus ſapis, & illis, & tibi conſulere oportet.* Perſuaſa mulier Regem dimiſit. Is Barbara Cilienſi in matrimonium ſuſcepta, breui poſt tempore debellatis rebellibus victor regnum obtinuit, promiſſoque ſatisfaciens, Garios iuuenes ſuper regulos extulit. Ex his ortus eſt Ladislaus

dislaus de Gara, quem Banum appellant, inter primores Hungariæ proceres opibus & auctoritate præpollens.

Allata erant Sigismundo Cæsari ex Hungaria aureorum quadraginta millia, cum iam adueſperaſceret, eaque in thalamo regio recondita fuere cum cubitum iſſet. Cæsar dum cogitat, in quemnam vſum eam pecuniam conuertat, ſomnus eum deſtituit. Tum ille excitatis cubicularijs; *Ite*, inquit, *ocyus: conſiliarios ducesque militum huc accerſite.* Vocati proceres media nocte trepidi (timebant enim ne quid aduerſi accidiſſet) Imperatorem celeriter adeunt, & quæ cauſa ſit tam repentinæ vocationis inquirunt. Imperator confeſtim aperta arca, inter eos qui aduenerant pecunia diſtributa; *Ite*, inquit, *ſecure, tranquilleque nobis dormire liceat. Nam quod mihi ſomnum ademerat, vobiſcum exit.*

Satis vicit, inquit Sigismundus Imperator, *qui hoſtes fugauit.*

Cum rogaretur Sigismundus Imperator, quem virum regno dignum aptumque exiſtimaret? *Eum*, inquit, *quem neque ſecunda res extollerent, neque adverſa deprimerent.*

Sigismundus quoque Imperator cuidam coram eo querenti, Conſtantiæ libertatem non eſſe. *Atqui*, inquit, *niſi hic ſumma eſſet libertas, tu tam libere minime loquereris. Libere enim loqui, magnæ libertatis eſt ſignum.* Bebel.

Cum gloriabundus quidam eques coram Sigismundo urbanos magiſtratus
p.178 parui faceret, tribunosque militum laudibus in cœlum tolleret: *Tace*, inquit, *Thraſo nulla nobis militia opus eſſet, ſi ſuas quique ciuitates prætores, cæterique magiſtratus moderate iuſteque gubernarent.*

Cum beatos quiſpiam fœneratores coram Sigismundo diceret; qui dormientes rem augerent? *Et tu ergo miſer*, inquit Sigismundus, *qui rem vigilando comminuis.*

Georgius Fiſcellus cum eſſet Doctor, à Sigismundo Cæsare equeſtris militiæ inſignia ſuſcepit. Exin cum Baſilienſium Synodum adiſſet, conſultante de rebus arduis Sigismundo, dubius an Doctoribus legum coniunctis in unum locum, aut ſe equitibus ab illis in alium ſeparatis coniungat; cumque tandem ad equites inclinaret; *Stulte agis*, inquit Sigismundus, *qui literis militiam præfers. Nam ego milites mille vna die fecerim: doctorem mille annis non vnum fecerim.*

Sigismundus Imperator cum eſſet in Italia, audiſſetque patres Baſileæ coactos Eugenium Papam ſummo pontificatu deponere ſtatuiſſe, quamuis podagra laboraret, itineri ſe commiſit, tantaque celeritate aduectus eſt, vt ante in Concilio ſit viſus, quam eo venturus audiretur. Neque enim bono Principi tolerabile videbatur, Eccleſiam, quam ſe auctore ad conſenſionem & pacem Conſtantienſis ſynodus reduxiſſet, Baſilienſis denuo reſcinderet.

Qui iocos moderate ferrent, ſapientes dicere Sigismundus ſolitus erat; *qui promptiſſime iocarentur, ingenioſos.*

Quemadmodum ſuperi amari & timeri volunt, ita & Reges, ait Sigismundus. *Neque enim bene ames, niſi timeas.*

Ignis quem ſacrum vocant, digitum pedis Sigismundi Cæsaris exurebat, & ne altius ſerperet timebatur. Medici abſcindendum digitum ſuaſere, paruit Imperator, & quaſi alius incideretur, ita immotus chirurgi ferrum inſpectauit & pertulit.

ALBERTI II. IMP.

IN bello quod contra Bohemos Albertus Auſtriæ Dux, priusquam Romanis imperaret, diutiſſime geſſit, interrogatus, quem copiis præficere ſtatuiſſet; *ſi alium* inquit, *quam me ductorem exercitus petitis, fruſtra me Auſtriæ Ducem appellatis.*

Venatio, inquit Albertus Imperator, Ladislai pater, *exercitatio virilis, ſaltatio muliebris: ſeque voluptate quamis alia carere poſſe, venatione non poſſe.*

FRIDERICI III. IMP.

IN Fridericum Cæſarem III. cum nonnulli dicta probroſa iáctaſſent, referentibus aulicis: *An neſcitis*, inquit Fridericus, *Principes quaſi ſignum ad Sagittam expoſitos eſſe. Turres quidem fulmina prealtas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiſcum bene agitur, ſi verbis tantum impetimur.*

Hypocritarum vitam Friderico Cæſari coram accuſabat Caſpar Schlickius, abiturumque ſeſe aliquando in loca dicebat, quæ hiſce hominum monſtris vacua eſſent. Cui Fridericus. *Ultra Sauromatas ergo*, inquit, *& glacialem Oceanum tibi eundum eſt. Sed cum eo veneris non omnino carebit hypocriſi locus, ſi modo & tu homo, non Deus es. Inter mortales enim nemo eſt, qui non ex aliqua parte fictus fucatusque ſit.*

Dicentem ſæpe numero Fridericum audiuimus, *malle ſe febri teneri, quam ſaltationi operam dare.* At Galli, vt quam leuiſſime ſaltent, veſtium, quibus nec nates (turpe dictu viſuque) obtegunt, uſum inuenere. Sequitur Hiſpania Gallicas ineptias; Italia vero damnat, deteſtatur, abhorret. Nam quid turpius, quam ita veſtitum eſſe hominem, vt quaſi nudus pudenda quæque in propatulo habeat.

Ioannes Gerſius Weſtphalus, qui Sigismundi Cæſaris protonotarius fuit Alberto Romanorum Rege fatis functo, Principes Electores apud Francfurdiam adiit, ac ne Fridericum eligerent, ſuadere ſummopere conatus eſt, conficta in eum vitia multa diſſeminans. Neque contentus his, cum Romam Fridericus peteret, imperiales infulas ſuſcepturus, Nicolao V. Pontifici Maximo epiſtolas direxit, quibusne Fridericus coronaretur annixus eſt. Nihil tamen horum Imperatorem latuit; hominemque cum poſſet corrigere atque interimere, paſſus eſt Viennæ viuere, partiſque frui bonis, quæ illi non mediocria fuere.

Fridericus Imperator extra cœnam nunquam vtitur vino. In cœna lectiſſimum bibit, & id aqua perdomitum. Leonoræ Auguſtæ, quæ paterna in domo nunquam vinum guſtaſſet, ſuadebant medici, in Germania regione frigida, ſi mater fieri vellet, vinum biberet. Quod cum accepiſſet Fridericus, me dico vocato, p.179
Abi, inquit, *atque Imperatrici dicito, ſterilem me coniugem quam vinoſam malle. Proinde, me ſi amat, vinum oderit.* Ad id nuncium, Leonora: *Et ſi viri iuſſioni tam libenter pareo, quam viuo, ſi tamen vini vſum mandauerit Imperator, mori optauerim quam parere.*

Teutoniæ Regibus, qui ad Imperium eliguntur, apud Belgas in Aquenſi ciuitate mos eſt coronari, atque inungi. Huc dum Fridericus iam electus propetat, Albertus frater eius, iunctis cum comitibus Ciliæ vitibus, Camos inuadit, Labacum inſigne ac munitiſſimum oppidum obſidione cingit, Crainburgenſes infeſtat, Tergeſtinis, ſe niſi dedant, exitium minatur; apud Carenthanos, apud Stirienſes nouas turbas excitat. Seniores qui apud Erneſtum patrem imprimis accepti ac fideles fuerant, Friderico ſuadent, *patrimonii quam imperii curam maiorem gerat. Imperium rem communem, alio tempore curari poſſe; patrimonium rem propriam, & ad hæredes tranſituram niſi nunc tuetur, fruſtra in poſterum optari quærique.* Contra Fridericus, imperii communia negotia per ſeſe, hæreditaria & priuata per procuratores curanda ſtatuit, cœptumque iter proſequens, belli duces elegit, qui ſe abſente patriæ conſulant. Coronatus dum reuertitur, fratrem cum comitibus profligatum reperit: ad ſe vocatum temeritatis fraterni hoſpitii & amoris arguens, rurſus in gratiam recipit, & quaſi nihil peccaſſet, in partem regni reſtituit.

Fridericus Imp. III. victis bello & vi captis Gunzienſibus, LXXX. homines, qui rerum nouarum ac rebellionis autores fuerant, in patibulum ſuſtulit, reliquæ multitudini vitam libertatemque ac fortunas conceſſit.

Audiui Fridericum Imp. ſæpe numero dicentem, *ex iis quos extuliſſet, quam pau-*

pauciſſimos gratos fuiſſe : idque muneribus ſuis datum eſſe , vt ex fidelibus infideles fierent.

Homini agreſti , qui ad nundinas Nouæ ciuitatis Auſtriæ venale triticum aduexerat , dum parumper ad caupones diuertiſſet , equorum alter ex biga ſubtractus eſt. Furti querela ad Fridericum Imperatorem defertur , iubetur actor reum nominare. Is ſibi de furto conſtare ait , in ciuitate regia facto , furem ignorare. Hærentibus in coniectura conſiliariis , ſi ſorte in ſuſpicionem quisquam veniret , *Mirum* , inquit Fridericus , *cur etiam alterum equum homo non perdidit : tot ſunt hodie in hac vrbe equites , qui equis indigent.* Cum ruſticus ; *Equa eſt altera , ô Cæſar , quæ belligerantibus nulli eſt vſui. Atqui ergo* , ait Cæſar , *eam inſideto , atque in omnes vrbis viculos diſcurrito : ſubtractus equus in aliquo ſtabulo latitat , qui cum iugalem equam ſenſerit , mox hinnitum dabit.* Paruit homo , eoque pacto furtum compertum , agreſtis quod ſuum erat recuperauit , fur pœnas dedit. Omnes igitur qui iuri dicundo præſunt , non tantum iuſtos , ſed etiam prudentes & peracutos eſſe decet. Ziſcha Bohemus , qui cæcus Thaboritarum duxit exercitum , villam quandam in Auſtria cum diripuiſſet , neque inueniſſet armenta (nam illa in inſulam Danubio cinctam tranſuecta fuerant) conquiſitis à proximis villis duobus vitulis , totidemque ſuibus , eos è regione inſulæ tam diu verberari iuſſit , donec mugitum , grunnitum , vaccæ , ſuesque exaudientes ad ripam ſuam transnarunt. Quibus interceptis , prædam non modicam abduxit ? atque ita docuit ingenio non minus quam viribus res militares geri.

Jacobus Archiepiſcopus Treuirenſis , Princeps Elector , vir induſtrius , ac magni conſilii , ſed multum cupidus , & ad extollendam Eccleſiæ ſuæ potentiam nimis attentus , anno ab hinc ſecundo , Fridericum Cæſarem apud Nouamciuitatem cum adiiſſet , & alia atque alia petens impetraſſet , pluraque petendo inſtaret : *Si non facis* , inquit Imperator , *petendi finem , ego negandi principium inueniam.*

Alberto Ladislai patre vita functo & Bohemi & Hungari Fridericum Cæſarem ſibi regem petiuerunt ; Quibus ille , *Abſit à me* , inquit , *ſcelus hoc , vt patrueli meo paternam hæreditatem auferam.*

Friderico Romanorum Imperatori Amadeus Dux Sabaudiæ , quem clerus apud Baſileam congregatus , Eugenio IIII. à ſummo Pontificatu depoſito , in illius locum ſuffecerat , Felicemque Papam V. vocauerat , filiam quam domi habebat viduam , iuuenem & forma præſtantem in matrimonium obtulit , ſimulque dotis nomine auri nummûm ducenta millia , ſi Eugenio relicto Petri ſe ſucceſſorem appellaret. Horruit Cæſar , minimeque Sacramento ſuo , Eccleſiæ Sacramenta fœdare voluit , atque ad ſuos conuerſus ; *Vendere* , inquit , *alii pontificalia ſolent , hic libenter emat , ſi reperiat venditorem.*

Qui duri atque immites eſſent Principes , his aiebat Fridericus Cæſar , mortem nimis extimeſcendam eſſe , *Nam quales ſe dum vixerunt , aliis præſtitêre , tales cum moriantur , in ſe iudices inuenturi eſſent.*

Neque ſtultis , inquit Fridericus Cæſar , *delectari poſſum , neque ſuperbis eſſe amicus.*

p. 180 Victis in Hungaria Gunzienſibus , *Magnum* , inquit Fridericus Imperator , *actum eſt opus : nunc maius reſtat , vt ſcilicet vincamus nos metipſos , atque auaritiæ & vlciſcendi cupiditati frenos imponamus.*

Cum vocaret in curiam ſenatores Fridericus Imperator , *Vtinam* , inquit , *duas res conſiliarii mei in palatii veſtibulo deponerent , ſic enim & ipſi recte conſulerent , & mihi inter conſilia diiudicare facillimum eſſet.* Interrogatus , quænam res illæ eſſent , *ſimulatio , & diſſimulatio* , reſpondit.

In Auſtriam cum remearet ex Italia Fridericus Imperator , renunciatum eſt , Auſtrales in armis eſſe , & aſſumptis ſecum aliquot Bohemorum militibus Nouam ciuitatem obſidere inſtituiſſe. Proinde caueret , ne montes Stiriæ transmitteret , ſimiliterque amici omnes vno ore conſuluere. Nam fugæ , cum in Auſtriam

ſtriam veniſſet, nulla ei facultas daretur. Ad ea Fridericus, *Nec mihi veriſimile ſit Auſtrales*, ait, *eo perfidiæ prolabi, vt me dominum ſuum exercitu petant; neque ego is ſum, qui fugiam ante ora eorum, quin capi vel occidi malim. Exin quid illi petant, niſi Ladislaum, pignus hoc, quo reddito liberi ſumus? tenerum adhuc puellum inuiti ex tutela noſtra remittemus. At ſi pergunt petere, in medium Auſtralium, Bohemorum, & Hungarorum id pomum dabimus, de quo tres DEos inter ſe contendiſſe fabulæ Junonem, Venerem, & Mineruam tradunt.*

Romam cum peteret Fridericus Imperator, ex præfectis quos Flauianis reliquit, certior factus eſt, Vlricum Eitzingerum, inter proceres Auſtriæ opibus & induſtria nulli ſecundum, trans Danubium profectum eſſe, ibique clandeſtina colloquia cum Morauis habere, timendum eſſe, ne res nouaret abſente Principe, è re igitur fore, Vlrico, cum rediret, vincula iniicere. Quibus Imperator reſpondit; *Clarum ac potentem hominem periculoſum eſſe in carcerem rapere, quando neque nocentem plectere eum, neque innocentem dimittere audeas. Vlricum deinde, quia conſiliarius ſuus eſſet, iurisiurandi immemorem haudquaquam ſe credere, prius quam experiatur.*

Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ Regem cum educaret Fridericus Imperator, non defuerunt peruerſæ mentis homines, qui perdendum ſuaderent puerum, cuius vita ingentes moleſtias Cæſari, mors regna, & opes maximas allatura eſſent. Ad quos ille; *Ergo me*, inquit, *opulentum magis regem, quam pium, quam iuſtum cupitis? at ego bonum nomen cunctis diuitiis antepono.*

Ad gloriam non mediocrem Alphonſo Aragonum Regi ceſſit, quod Fridericus Imperator Romæ coronatus, ad eum viſendum venerit. Nam ille cum in Germaniam rediiſſet, interrogantibus amicis, apud Italos quæ memoratu digna vidiſſet; *Alphonſum*, inquit, *omnium qui modo viuunt Regem & prudentiſſimum, & magnificentiſſimum.* Cumque aliqui non probarent, quod maior dignitas ad minorem veniſſet: *Imo*; ait ille, *ad maiorem profectus ſum. Nam etſi minor eſt Regis auctoritas quam Imperatoris, Alphonſus tamen Friderico maior eſt.*

Schadurenna oppidum eſt cum arce munitiſſima, per quod Auſtralibus in Stiriam iter eſt. Huic præfuit vnus ex veteribus amicis Erneſti, qui Friderici Cæſaris pater fuit. Adierunt Fridericum aliquot ſucceſſiue adoleſcentes, ſibique præfecturam loci committi petierunt, quod qui illam teneret ætate ac viribus conſectus eſſet. Ad quos Fridericus; *Paternum amicum oppido, non amico oppidum commendamus.*

Literæ Caſparis Schlickii ex Norinberga miſſæ cum in manus Friderici Cæſaris veniſſent, quæ nonnullis Hungaris inſcribebantur, fuerunt qui eos aperiendas dicerent, quod in iis aliquid proditionis ſcriptum eſſe putarent, quod ſciri oporteret. Quibus Fridericus, *Caſparem ego & probum virum, & mei amantem exiſtimo. Si fallor, malo per ſeſe error pateat, quam mea diligentia inueſtigetur.*

Interrogatus aliquando Fridericus Imperator, quid homini optimum poſſit contingere? reſpondit, *Bonus in hac vita exitus.*

In terra Auſtria cum obiiſſet vnus ex primoribus annos natus tres & nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebrasque nulla vnquam valetudine offenſam duxiſſet, ignotaque illi omnis calamitas, omnis mœſtitia fuiſſet, idque Friderico Cæſari narraretur; *Et hinc*, inquit ille, *immortales animas cenſere licet. Namque ſi Deus eſt, qui hunc mundum gubernat, vt Philoſophi & Theologi docent, eumque iuſtum eſſe nemo negat, profecto l alia loca ſunt, ad quæ poſt mortem animæ migrant, ibique pro factis, aut mercedem aut pœnam accipiunt. Nam hic neque bonis ſua præmia, neque malis ſua ſupplicia reddi videmus.*

Interrogatus Fridericus Imperator, quinam ſibi chariſſimi eſſent, *Qui me*, inquit, *non magis quam Deum timent.*

Iuraſſe Fridericum nunquam comperi, niſi cum in ciuitate Aquenſi apud Belgas, & cum Romæ coronatus eſſet. Idque iuramentum conſtantiſſime tenuit. Cum enim iureiurando promiſiſſet, *Quæ bona poſſideret Imperium, nullatenus alie-* p. 181

natu-

naturum, & modo hoc modo illud ex eo peteretur, maluit auarus negando, quam concedendo periurus videri, eamque ob cauſam petenti Borſio * Marchioni Eſtenſi ducatum Mutinæ & Rhegii, tam diu reſtitit, donec monſtratum eſt eundem ducatum, qui ſub annuo tributo concederetur, lucri magis quam alienationis ſpeciem habere, præſertim cum Mutina ac Regium in poteſtate ſua non eſſent. Quam rem nos ei potiſſime ſuaſimus. * Borgia.

Hæc ex Æneæ Syluio.

Fridericus III. Cæſar Auguſtus, cum Romam profecturus Florentiam tranſiret, videretque Coſmi Medicis florentiſſimas opes, qui aliquando pauperrimus eſſe prædicabatur, dixiſſe fertur: *O quam multa eonuitia & contumelioſa verba pertulit, ſurdaque aure tranſiuit, donec ita locupletatus fuerit.* Optime iudicans, omnes illos, qui præter conſuetam felicitatem aliorum, ex paupertate, vel ex humili loco ſtirpeque emergunt; multorum odiis, variis opinionibus atque conuitiis exponi. Cum ex traditione Corn. Taciti libr. 17. inſita ſit mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpicere. *Bebel.*

Cum diuus Fridericus III. tempore Concilii generalis Baſileam peteret, ac oppidum Rhinfeldam tranſire ſtatuiſſet, ciues eius oppidi honorifice Regem ſuum ſalutare cupientes, quæritabant ſacerdotem eruditum & idoneum, qui munere oratorio fungeretur. Obtulit ſe quidam Beanus (vt Barbare vocamus eum, qui barbarus ſit & homo indoctus, incultisque moribus deformis) qui vel Zuickauiæ, vel Dauentriæ, vel Butzpachii in militia literaria deſudauerat; & cum uniuerſus populus, totuſque ordo clericorum cum Sacramento Euchariſtiæ obuiam proceſſiſſent Cæſari, inſulſus Beanus (vt Barbare de Barbaro loquar) nihil aliud dixit, niſi *Bene veneritis domine Rex.* Qua ſalutatione ob ſacramenti reuetentiam vix riſum Cæſar continuit. *Bebel.*

Cum Fridericus III. Rom. Imp. conuentum Principum haberet Noribergæ, venit quidam mendicus ad aulam, petens intromitti, quia frater Cæſaris eſſet. Et cum ſæpius inſtaret, tandem res deuenit ad Cæſarem, qui rei admiratione motus, iuſſit intrare mendicum, atque *vnde frater ſuus eſſet*, interrogauit. Reſpondit mendicus. *Omnes eſſe mortales inter ſe fratres, à primo parente Adamo, atque vt ſe pro iſta fraternitate donaret, petiuit.* Cæſar cui procacitas illius parum grata fuit, homini tantum cruciferum, quæ eſt moneta ſatis nota, dedit. Cui mendicus: *Non deeet, inuictiſſime Cæſar, vt fratri tuo tam parvum munus des, cum tu tam diues ſis. Vade,* inquit Imperator, *& ſi quilibet fratrum tuorum tantum tibi dederit, eris me ipſo ditior. Bebel.*

FRIDERICI III. IMP. EPISTOLÆ ALIQUOT.

I.

SERENISSIMO PRINCIPI, CAROLO FRANCORUM REGI, FRATRI ET CONSANGUINEO NOSTRO CHARISSIMO.

FRIDERICUS Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Auſtriæ, Stiriæ, Karinthiæ, & Carniolæ Dux, comes Tirolis, &c. Sereniſſimo principi, Carolo Regi Francorum fratri & conſanguineo noſtro chariſſimo ſalutem, & fraternæ dilectionis affectum. Dum ad ſacri Imperii faſtigia diuina vocati munere tantæ moli grauiſſimæ gubernationis humeros noſtros in Dei nomine, ne ſuæ videremur ordinationi reſiſtere, ſyncero corde ſubmiſimus, inter innumera mala, quibus undique orbis terrarum concutitur, hoc maxime quo certamen agitur, vt æuo noſtro ſancta ſcindatur Eccleſia, animum noſtrum eo premit, ardentiusque ſolli-

ſollicitat, quo eidem Eccleſiæ matri noſtræ filiali dilectionis amore & nobili advocationis officio fortius conſtituimur obligati, vt illi ſæua nunc iacula patienti pro viribus nobis diſtributis ab alto, diligentia celeri ſuccurramus, atque ad concurrendum in hoc tam neceſſario ac ſalutari opere Reges & principes Chriſtiano nomine gaudentes pura ſynceritate hortemur. Nihil vero ad id æque patrocinaturum conſpicimus, quam ſi catholici ſimul conueniamus Reges & principes, Eccleſiaſtici & ſæculares, ut ſentiant quicunque diſſidentes unam eſſe vocem omnium. Tunc enim ſperandum, quod nemo vſquam illam irridebit, aut ſpernet, nemo non reuerebitur, neque non timebit. Unde venerabilium & illuſtrium noſtrorum & ſacri Imperii Principum Electorum oratoribus qui pridem de- p.182
cretum electionis de noſtra perſona ad culmen imperii celebratæ conſpectui noſtro attulerant; aliis quoque prælatis, principibus, comitibus, baronibus, proceribus, & viris conſularibus, noſtris fidelibus dilectis deliberate conſulentibus, conuentionem ſeu dietam ſolennem pro communi conſtituimus omnium ſalure in ciuitate Moguntina, rebus gerendis plurjbus ex cauſis accommoda, in diem feſtum Purificationis glorioſæ virginis Mariæ proxime futurum, quæ erit ſecunda menſis Februarii: ad quam dexterâ Dei nobis aſſiſtente propitia, intendimus perſonaliter nos transferre: chariſſimam fraternitatem veſtram puro cordis affectu roganres, quatenus orthodoxorum progehitorum veſtrorum imitantes veſtigia, pro laude Dei, pro conſolatione Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ac totius populi Chriſtiani ſalure, ad conuentionem ſeu dietam huiusmodi idoneos veſtros oratores, de veſtræ fraternæ dilectionis propoſito, viis quoque & modis, quibus ab imminentibus calamitatibus ſancta poſſit reſpirare Eccleſia, diſtincte inſtructos, & ad tractandum, conſulendum, cooperandum, & concludendum in his plena veſtra poteſtate fulciros, illic deſtinare velitis. Si autem frarernitas veſtra conuocationem & dietam eandem accedere poſſet ac vellet propria in perſona, id profecto ingentem gloriam & rebus gerendis fructum vberiorem afferret. Hortamur denique fraterniratem veſtram, aduertere velle mente fideli, quæ ſi noſtra exhortatio, quantaque Eccleſiæ ſubſit neceſſitas, & quam periculoſum eſſet noſtrum ſilentium & agere libeat quod expetimus, propter ſalutem populi & decus veſtrum, reſpicientes ad illum cuius cauſa agitur: qui de cœlo deſcendit, vt moriturus homo crucem aſcenderet, in quo militans fundatur Eccleſia: quatenus in ea ſuborta tollantur diſſidia, & â grauioribus periculis eruatur. Datum Viennæ, Anno Domini MCCCCXL. menſis Maii, regni noſtri anno primo. *Ad mandatum Domini Regis.*

Conradus præpoſitus Viennenſis, Cancellarius.

II.

FRIDERICI III. IMP. AD NICOLAUM V. PP. EPISTOLA DE AMISSIONE URBIS CONSTANTINOPOLIS.

Apud. Æn. Sylv. epiſt. 153

BEATISSIME pater & domine Reverendiſſime, cum nobis renunciatum eſſet his diebus Conſtantinopolim Græciæ caput, & Orientalis imperii quondam ſedem per Turcorum dominum expugnatam & in ſeruitutem redactam, multumque ibi Chriſtiani ſanguinis fuſum eſſe; grauiter quidem (vt debuimus) & moleſtiſſime tulimus communem Chriſtianæ religionis calamitatem atque iacturam, intelligentes, non de præterito ſolum quod doleamus, ſed de futuro quoque quod timeamus, tantæ vrbis amiſſionem fidelibus Chriſtianis abunde præbere. Namque ſi verus eſt rumor ad nos delatus, hominum quadraginta millia cæſa ſunt: animæ plures in ſeruitium miſerabile ductæ: Templa diuino nomini dedicata funditus diruta: Naues non paucæ captæ: amiſſa ciuitas famoſiſſima, & ratione ſitus & aliis conditionibus ad tutelam Chriſtianitatis admodum neceſſaria: In qua per multa ſecula & patriarchalis dignitas claruit, ac imperialis maieſtatis inſignia floruerunt. Taceamus de literis & bonarum omnium artium ſtudiis,

diis, quæ veluti domicilium proprium ex tota Græcia Conſtantinopolin habuere. Quibus modo cum ciuitate cadentibus nullum profecto credimus eſſe Chriſtiano nomine inſignitum, qui de tantæ vrbis ruina ſupra modum non angatur & doleat. Maximum certe atque horribile vulnus illatum eſt eccleſiæ Catholicæ noſtro tempore, ac maius, quam ſcriptis poſſit aut verbis exprimi. At cum potentiſſimus hoſtis, crudeliſſimus, immaniſſimusque in manu victoriam hanc, locumque nactus ſit, ex quo fidei Chriſtianæ quam proſequitur pro ſua libidine poſſit officere, quis non eum indies plura conaturum exiſtimet, quibus Chriſtianorum gentem in perniciem deſolationemque ducat? Quippe victoria ſui natura inſolens etiam ſi ad mites venerit, feroces eos impudentesque reddit: Quid cum his agat qui ſuopte ingenio ſoliti ſunt ſæuire? An putare quiſquam poteſt, iratorum hominum cupidorum atque acerbiſſimorum quieturam eſſe victoriam? Enimuero qui ex illis partibus ad nos veniunt, & Peram aiunt Chriſtianis perditam, & alia pleraque loca vicina Conſtantinopoli per Turcos occupata: qui proximam quamque victoriam non deſidiæ aut ſocordiæ ducunt, ſed inſtrumentum ſequentis habent, ſtudiisque omnibus eniituntur, vt Chriſtianum nomen ad internicionem redigant. Neſcimus an vera ſint, quæ autore non certo dicuntur, timere tamen quam ſperare multæ nos vrgent rationes: Fama quæ de venturis Turcorum exercitibus erat, ciuitas regia pro magnitudine ſua parum populoſa, hoſtium propinquitas, auxilii ſpes remotior & infelix ac doloroſum nuncium optato & fauſto ſemper credibilius. Quibus ex rebus & ſi non dubitemus S. veſtram his cognitis excitatam eſſe ad cogitandum inueniendumque modos, quibus tam periculoſo & potenti hoſti, ne amplius noceat, opportune reſiſtatur; tamen quia nos quoque velut Imperatorem & Aduocatum Eccleſiæ res iſta concernit, haud ab re credimus eſſe, ſi clementiam veſtram pro communi
p.183 fidelium ſalute accenſam, magis ac magis inflammare nitamur. Neque enim res eſt, quæ negligi debeat, vel differri: oportet occurrere, priusquam vulnus altius infigatur, aut veneni labes in corda decedat. Cæterum cum tanto negotio non vnius prouinciæ, aut paucorum principum, ſed omnium Chriſtianorum Regum ſeu certe magnæ partis eorum neceſſariæ vires exiſtant, dicemus confidenter, quod nobis ex vſu videtur, neque dubitamus, quin dicta noſtra veſtra Sanctitas in partem recipiet meliorem. Sane pro tanto & tam neceſſario opere optimum factu cenſemus, clementiam veſtram, quæ locum tenet in terris Saluatoris noſtri JEſu Chriſti, cuius res agitur, nunc exurgere, ſcribere Regibus, legatos mittere, monere, hortari Principes ac communitates in aliquem communem locum, vt aut veniant, aut mittant: nunc dum malum eſt recens, Chriſtianæ rei conſulere feſtinent. Pacem aut inducias inter ſocios fidei componant, atque iunctis viribus aduerſus ſalutiferæ crucis inimicos arma promoueant. Quod ſi veſtra S. toto pectore ſuoque more ad rem hanc tam piam & vtilem intenderit, non eſt nobis dubium, quin plures & Reges & Principes, in quibus zelus domus DEI & ardor fidei orthodoxæ non eſt extinctus, ad mandatum veſtrum voluntarios & obſequentes ſe præbeant. Nos certe pietati veſtræ, vt libuerit, & aſſiſtere & cooperari pro noſtri officii debito minime omittemus. Solum precamur, vt veſtrum in hoc negocio conſilium & intentum communicare dignemini. Namque ſi fuerit opus, noſtræ nationis & imperii ſacri Principes ad hoc ipſum conuocare, & alia quæ iuxta conſilium veſtrum putauerimus opportuna, implere non negligemus. Quia vero ad huiusmodi negocium maxime conducere arbitramur, Italica bella quam primum ſopiri, quamuis Beatitudinem veſtram ad hoc conari & per ſe ſufficere non ambigamus, tamen quia anno proxime decurſo, & Romæ & Neapoli, & Ferrariæ, & Venetiis de hoc plurimum egimus, licet fruſtra, ſi pietati veſtræ impræſentiarum quouis modo expedire videtur, quod oratores aut ad S. veſtram aut partes contendentes mittamus, ſiue alio modo pro pace celerius conficienda laboremus, vt ſanctitati veſtræ fuerit viſum, eo modo faciemus, omnique cura & ſtudio proni erimus ad ea intendere,

per quæ pace tam Italis quam cæteris Chriſtianis data, & furori Turcorum reſiſtatur, & Chriſtiana religio in ſuo ſtatu conquieſcere poſſit, & debito ſub ſplendore foueri, Datum, Anno M CCCC LIII.

III.

FRIDERICVS DEI GRATIA ROMANORVM REX SEMPER AVG. SANCTISSIMO PATRI DOMINO EVGENIO PAPÆ IV. S. P. D.

ETSI non dubitemus Apoſtolicam ſedem, tanquam veritatis doctricem, iuſtamque vitæ magiſtram, quorumlibet iuribus fauorabilem eſſe, nullique prorſus iniuriam facere, quia quicquid ab eius ſolio manat, iuſtitiæ lancibus libratur & æquitatis? Non tamen ab re fore putamus aliqua per nos ſcribi. B. tuæ, quibus ius ſereniſſimi principis Ladislai Vngariæ Regis patruelis noſtri chariſſimi, pueri pupilli & Orphani commendatum efficiamus, & eorum qui ficta pro veris referunt, impiis reſiſtamus conatibus. Scit enim tua beatitudo patruelem noſtrum præfatum, qui poſt obitum vitæ, diuæ memoriæ patrui & anteceſſoris noſtri Alberti Romanorum atque Hungariæ, Bohemiæque Regis, in vtero materno poſthumus remanſerat, vt primum natus fuit, & ſacri fontis vnda renatus, adhibitis ex more ſolennitatibus vetam Vngariæ & ſcientiam * ſuſcepiſſe coronam. Nunc autem (ſicut accepimus) magnopere quidam inſtant, vt tua ſanctitas titulum regni huius in alium transferat, multa illinc emolumenta, tum ſanctitati tuæ, tum regno præfato prouenientia dicentes, quæ licet nullatenus Apoſtolicum mouere credamus, quia nullum commodum eſt tam ingens pro quo bene vendi iuſtitia poſſit, mirandus tamen eſt eorum conatus, qui ex alieno incommodo ſuum quærentes commodum, altiſſimi ſanguinis puerum & paterno & auito regno cupiunt ſpoliare. Iniquum profecto & abominabile ſcelus. Fecerit enim alius quiuis magnalia, ſit potens, ſit aptus regimini, ſit per aliquos acerſitus, volumus iſta diſcutere, nec cum iniuria volumus loqui cuiusquam: nulla tamen ratio ſuadet, huic puero ſuum adimi regnum, qui ſi propter ſe non eſſet magni putandus, ei tamen propter facta paterna vniuerſa Chriſtianitas fauorabilis eſſe deberet. Quis enim noſtri temporis homo eſt, qui patris huius glorioſos conflictus, tum contra Turcos, tum contra Huſſitas non audiuerit? Debent præterea & huic puero ſauorem præbere, aui ſui clariſſima geſta, & illa Eccleſiæ vnio Conſtantiæ reparata, tum vero & Caroli quarti, & Henrici ſeptimi. Quorum vltimus hic ſanguis eſt memoria Cæſarum. Tacemus inclitæ domus noſtræ Auſtralis opera, tam pro imperio, quam pro Eccleſia in fauorem fidei per noſtros & huius pueri progenitores edita. Quis tandem non compati deberet innocenti puero parentibus orbato, vero Vngariæ Regi ac hæredi? Inſanæ profecto mentis & animi trucis ſunt, ac rotius hoſtes iuſtitiæ, qui tam gene- p. 184
roſum puerum regno priuare & ius tam clarum conculcare nituntur. Sciunt tamen & illi ipſi qui talia petunt, inhumanum eſſe quod optant, atque idcirco extinctum puerum & nusquam inueniri confingunt, vt vel hoc colore regni titulus in alium deriuetur. Sed aliud reperitur. Viuit enim Rex Ladislaus, ac fauſta & felici fruitur ſoſpitate: ſcitus puer atque formoſus. Is eſt in Nouaciuitate vicinus Vngariæ, adirique ab hominibus poteſt, qui eius viſendi ſunt cupidi. Spes & noſtra & omnium eſt anteceſſorum ſuorum, virtutes in hoc puero reuicturas. Quæ omnia tuæ B. recenſemus, ne per ſiniſtras ſuggeſtiones aliquid ex curia tua valeat extorqueri, quod huic patrueli noſtro poſſit eſſe nociuum, vtque Puerum iſtum omnibus Imperii Principibus ſanguine iunctum Apoſtolicæ ſedis fauore tua Sanctitas proſequatur. Sit igitur hic Rex pupillus in tuo conſpectu recommendatus, ſit ante oculos tuæ mentis ſua generoſitas, ſua ætas, ſua puritas, ſuorum memoria prædeceſſorum, & huius iuſtitiam, ex qua non inanis & ficta

* Legendum forſam *ſanctam*.

& ficta, ſed vera & ampla vtilitas Apoſtolicæ ſedi redundare poteſt, amplecti atque tueri velis. Datum Viennæ.

IV.

FRIDERICVS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORVM IMPERATOR, SEMPER AUGUSTUS, ET AUSTRIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ ET CARNIOLÆ DUX, ET COMES TIROLIS, ÆNEÆ SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALI EPISCOPO SENENSI, PRINCIPI AC CONSILIARIO NOSTRO CHARISSIMO, SALUTEM.

EX literis Henrici Senftleben conſiliarii noſtri Vlrico Epiſcopo Gurcen, etiam principi ac conſiliario noſtro pridem ex Vrbe deſtinatis, accepimus paternitatem veſtram, nuper in proximis quatuor temporibus, per ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam ad dignitatem Cardinalatus promotam extitiſſe: de quo profecto lætitiam & conſolationem habuimus valde ſingularem, præſertim cum id multo iam tempore deſiderauimus, & ſummopere expectauimus. Gaudemus enim nos voti noſtri compotes effectos, ac tot preces & ſcripta noſtra non vsque quaque incaſſum porrecta fuiſſe. Quanquam paternitas veſtra huiusmodi gradum in Eccleſia ſuis etiam meritis & laboribus pro ſede Apoſtolica multipliciter perſpectis digne fuerit conſecuta. Optamus itaque vt ea dignitas vobis felix, fauſta, ac longo tempore duratura exiſtat. Sperantes per hanc apertam eſſe viam paternitati veſtræ ad maius aliquod faſtigium, Domino concedente, conſcendendi: quemadmodum & ſæpius ſumus augurati. Nec dubitamus, eam quidem dignitatem in primis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & vobis plurimum decoris & ornamenti, nobis vero & ſacro Romano Imperio ac inclytæ domui noſtræ, cui in minoribus ſemper fructuoſe & vtiliter præfuiſtis non mediocriter commodum & vtilitatem allaturam, cum id longe magis efficere poterit. Confidimus enim, ac pro certo tenemus, paternitatem veſtram in ea dignitate & loco, ea quæ perſonam noſtram, ſtatum atque dignitatem noſtram & ſacri imperii, nec non dictæ iam domus noſtræ, ac noſtrum ac noſtrorum honorem, commodum atque vtilitatem reſpicere videbuntur, pro ſua ſolita in nos fidelitate & conſuetudine, nec non ſingulari prudentia veſtra tam apud ſanctiſſimum dominum noſtrum, quam etiam ſacrum collegium, cui modo adſcripta eſt, diligenter promoturam & vbicunque opus fuerit, optime defenſuram. Rogamus autem & hortamur paternitatem veſtram, quatenus licebit, nos ſuis literis nobis ſemper iucundiſſimis crebro viſitare nec ſuum circa nos officium intermittere velit. Et nos pro occurrentibus ſingulis ad vos tanquam patronum & promotorem negotiorum apud Apoſtolicum agendorum continuo recurremus; Paternitatem veſtram bene valere, & optimis ſucceſſibus proſperare deſiderantes.

Datum in Grætz, die Dominica, 30. Menſis Januarii,
Anno M CCCC LVII.

Apud Æn. Syl. epiſt. 250.

LIBELLUS
PRECATIONUM DIVI FRIDERICI IMPERATORIS AD BLASIUM.

EN adſum ante tuos oculos chariſſime Blaſi,
Teque liber ſupplici teſtor & oro manu.
Redde meis me principibus, quorum optimus olim
Pulchre ex amplexus me Fridericus avus.
Te quoque laude ego apud Reges ornabo perenni
Officiumque tuum hoc gratus ubique canam.

Reſpondit Blaſius

Vade libelle mihi longe chariſſime : Vade
Auguſtos dominos atque require tuos
Qui Te in deliciis habituri nocte dieque
Propicia & nobis numina forſan erunt

In ipſum Orationale

Parvulus iſte liber Friderici Cæſaris almas
Preeationes continet,
Et quibus ipſe DEO verbis pro Maximiliano
Suo, egerit quoque gratias.
Auſtriacam pietate domum qua ornârit, & ipſi
Dicaverit, Patri DEO.
Ha quia te Fernande, preces, te Carole Quinte
Deliniant & aſſerunt :
Juſtius hunc habet, & circumfert nemo libellum,
Quam vos beati principes,
Quos Fridericus in his precibus depingere pulchre &
Monſtrare eeu digitis ſolet.
Vos hunc Auguſti divi, Regesque potentes
Et Cæſares piiſſimi,
Non modo ſumite elementer, ſed ſepe libellum
Deorum ad aras volvite
Sic pater ille Deus qui Divo Maximiliano
Ubique promptus aſtitit
Vos quoque (ut hactenus) eximia bonitate fovebit
Contra hoſtium omnium faces.
Subiiciet veſtrisque aliquando nepotibus orbem,
Quam late totus is patet.
Vivite felices Auguſti, vivite tuti
Sub optimi clypeo patris
Vos metuat, vobis ſubſitque occaſus & ortus
Et quiequid orbis ubique habet.

SEQUI-

SEQUITUR PRECATIO DIVI FRIDERICI TERTII IMPERATORIS.

NUnc dimittas ſervum tuum Domine ad pacem & tranquillitatem, quam prædeſtinaſti mihi ſecundum magnam miſericordiam tuam Deus meus, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod ex me paraſti tuo populo Chriſtiano, ad tuorum inimicorum deſtructionem, filium meum Maximilianum inquam, lumen oculorum meorum, & baculum ſenectutis meæ, ſuper quo innixus quietem ſumam optatam. O Deus meus! O miſericordia mea infinita! O miſericordia immenſa: quoniam non derelinquis in finem quærentes & invocantes te. Quas igitur laudes ac gratias tibi dicere poſſum, indignus de tanta gratia & munere? Si ex toto corde meo aio: ſi ex omnibus viribus meis dicere velim, nil facio de meo, quoniam tua ſunt omnia & ego totus tuus ſum, & tua creatura: Omnia denique tibi iure debentur bona, quoniam à te ſunt facta. Accipe tamen ſecundum clementiam tuam immenſam, & ſecundum dignationem tuam infinitam, de ſeruo tuo, quod tuum eſt, tibique debetur, æternas & immortales gratias, qui & hanc miſericordiam feciſti cum indigno ſeruo tuo, ſicuti feciſti cum ſeruo tuo David, ut ponetes ſuper ſedem meam de fructu ventris mei, in conſpectu meo, & ſuper thronum filium meum poſt me regnaturum populum tuum, ſanguine tuo pretioſo redemptum. Et nunc tu Domine Deus, cœli & terræ creator, & gubernator liberaliſſime, audi orationem meam, ut impleas eum ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſortitudinis & iuſtitiæ: ſicuti Salomonem filium ſerui tui David: ut poſſit hæreditatem tuam in unam aggregare, unire, pacificare, cuſtodire & gubernare: Hoſtes tuos hereticos, ſchiſmaticos & infideles ad viam reducere veritatis: Rebelles & Obſtinatos compeſcere, & extirpare, fidelem populum tuum ac cultum tibi debitum ampliare & augere. Benedic & ſanctifica ipſum benedictione patrum Abrahæ, Iſaac & Iacob, ut multiplicetur ſemen ſuum ſuper terram, ſicut ſtellæ cœli. Manus eius fortes fiant in cervicibus inimicorum tuorum: Diligant eum tribus ac populi ac omnes nationes fideles: accurrant ſibi armata auxilia in tempore opportuno. Comitentur eum ſancti Angeli tui Michäel, Gabriel, Raphäel: Sitque illi ſemper victoria de cœlo tuo, ſicut & Achatio, & Georgio, Duce S. Mauritio, quatenus pacificatis terris Chriſtianis obtineat terram paſſionis tuæ ſanctæ, deſpectui & ludibrio tam diu ſubiectam. Nunc enim, ut ſpero, tempus venit, & venit tempus miſerendi, quo Chriſtiana multitudo capta & ſubacta immaniſſimo ac turpiſſimo Turco, terraque ſancta tua liberabitur per manum meam, & filii mei poſt me. Da igitur nobis Domine Deus omnipotens, qui aufers ſpiritum principum tyrannorum, & deſtruis conſilia Regum impiorum, potentiam & virtutem, ut hæreditatem tuam, & terram ſanctam ſepulchrumque tuum (quod vidi meis indignis oculis) poſſideamus in ſincera bonitate, ac pura innocentia tibi ſemper ſerviamus, ſemper te ſequamur, te diligamus, tibi ſemper adhæreamus, te nunquam deſeramus, ut à te nunquam deſeramur, ſed ad te, poſt labores & ſudores noſtros, quietem perveniamus æternam,

Amen.

HER-

HERMOLAI BARBARI ZACHARIÆ F. LEGATI VENETI, AD FRIDERICUM IMP. ET MAXIMILIANUM REGEM ROM. PRINCIPES INVICTISSIMOS, ORATIO GRATULATORIA. p. 185

I. CARONDELETO SUPREMO REGIS ROMANOR. SECRETARIO, HERMOLAUS BARBARUS S. D.

AD Principes orationem à me nudiusquartus habitam, amplitudini tuæ mitto recognoſcendam caſtigandamque. Quanquam enim mei moris eſſet, nihil unquam temere, nihil non diu conditum atque preſſum emittere, quum primum tamen deſiderari eam à te ſubodoratus ſum, intuli mihi vim & peruici tandem, vt inſtituto meo decederem, ratus id quod erat, minus eſſe malum adire periculum famæ, quam moram deſiderio tuo facere. Quæris, vnde tanti ſis apud me, quem ne de facie quidem norim? Perſpectæ ſunt omnibus eruditio, fides, integritas tua. Compertum nobis eſt, quantum Veneti nominis ſtudioſus ſis; exploratum habeo, quantum me diligas parum merentem, quantum orationem & actionem meam commendes. Sed heus tu docte vir, obſecro ne mirere, ſi qua leges in hoc libello, quæ tunc dicta non fuerunt. Nec enim addidi nunc ea, ſed detraxi tunc, admonitus ab aulicis exemplo quam limen attigi, ne longus eſſem, ambitioſa reciderem, optima quæque dicerem, patientiſſimis omnino, ſed occupatiſſimis tamen Principibus parcerem. Amputavi ſubito conſilio multa. Quanquam quod poteſt conſilium fuiſſe, ſi ſubitum? Ea quæ tunc reſecui, modo ſunt annexa. Utrumque veterum exemplo facimus, quos F. Quintiliano teſte conſtat longe aliter ſcripſiſſe, quam egiſſent. Exulanti Maſſiliæ A. Miloni quidam orationem M. Tullii, non quam habuiſſet pro eo, ſed quam ſcripſiſſet, attulit. Tunc ille, ſi ſic egiſſes, inquit. M. Tulli, non eſitaret Maſſiliæ barbaros piſces Milo. *Cæterum non dubito, quin (niſi te amor fallat) vt audiendo tunc, ita nunc legendo non parum multa tibi diſplicitura ſint. Sed æquum te, quæſo, nobis & cognitorem & iudicem præbe; conſiderans hoc & æſtimans, quod ſeſquihoram antequam Principes adiremus, ſignificatum nobis fuerit, non duas orationes ſeorſum, vt cogitabamus atque paraueramus, ſed vnam duobus iunctim habendam & recitandam eſſe. Plena difficultatis, plena diſcriminis res erat. Tota mihi ratio dicendi puncto temporis immutanda fuit. Orationis vniuerſa filum retexui, atque (vt brevi rem complectar) & cutis & facies ipſa interpolata eſt. Vale decus noſtrum, & me Principi nobiliſſimo (cuius es inter eos, qui ſunt à ſecretis, merito ſupremus) commendatiſſimum rogo facias. Vtinam aliquando tanti ſim, vt res ab illo fortiter & magnifice geſtas poſteritati commendare poſſim. Tam facturus ſim id libenter, quam qui maxime deſideret. Ex Brugis. Pridie Nonas Auguſti, milleſimo quadringenteſimo, octogeſimo ſexto.*

HUIUS PANEGYRICI ITA MEMINIT Q. ÆMILIAN. CIMBRIACUS, IN ENCOMIASTICO, III. v. 44. AD FRIDERIC. ET MAXIMILIAN. CÆSARES.

Te ferat in cœlum Veneta legatus ab vrbe
Laudibus Hermoleos: quo non iam plenius alter
Scrutatus cauſas, & lati ſemina mundi,
Haurit Dircæo vates è fonte liquores.

POST

POSTQUAM literæ tuæ, Sacet Imperatot, iocundiſſimum reipublicæ noſtræ nuncium attulere; Maximilianum celſitudinis tuæ filium, principem celeberrimum & fortiſſimum admirabili populorum & optimatum conſenſu lectum & ſalutatum eſſe regem Romanorum: Senatus & vniuerſa ciuitas noſtra non contenta id per epiſtolam feciſſe, congratulatum vtrique nos miſit & in mandatis adiecit, vt magnitudinem gaudii ſui, quod pro tanta re merito concepiſſet, non duobus modo vobis, Principes inuictiſſimi, ſed Galliæ & Germaniæ, ſed omnibus gentibus, omnibus nationibus teſtatiſſimam & conſpicuam faceremus. Quum quia nihil tam amplum, tam glorioſum ſacratiſſimæ Maieſtati veſtræ poteſt contingere, quod ſibi quoque pro ſua in vos obſeruantia, fide, beneuolentia commune non putet: Tum vero maxime quia quum Chriſtianum nomen, &
p.186 Romanum imperium hoc altiſſimo prouidentiæ veſtræ conſilio diuinitus ampliſicatum ſit; hoc tanto & tam communi bono ſic afficitur vniuerſa noſtra reſpublica, vt ſollicita ſit admodum, ne lætitiam incredibilem ſuam oratione conſequi valeamus. Quanquam enim Cæſar glorioſiſſime (vt à te primum incipiam) nihil eſt fere, quod vel à natura vel à virtute, vel à fortuna ſit expectandum; quin cumulatiſſime conſecutus eſſe videaris: Et iam pridem eas res geſſeris artibus pacis & belli, quæ nomen tuum æternitati commendare poſſint: Hinc tamen opinione noſtra fructum omnis anteactæ vitæ tuæ maximum cœpiſti, quod filium generoſiſſimum, qui nobiliſſimas gentes, ferociſſimos populos, bellicoſiſſimas nationes non minus armis quam ſapientia viciſſet, Regem Romanorum te viuo renunciari permiſeris. Multa ſunt maiorum tuorum Cæſar egregia tum bello tum pace monumenta, quorum perſecutio neque loci, neque temporis huius eſt: ſed omnia ea ut per ſe magna ſunt, & immortali memoria digna; ita cum hoc vno facto comparata, multo reperiuntur eſſe minora quam præ ſe ferunt. At geſſerunt quidem illi rem Romanam tam præclare, ut nihil addi potuerit. Sed quam diu vixerunt, & vtique ſibi. Tu autem filio tuo ad gubernacula tantarum rerum promoto, poſteritati quoque conſulis: & pluribus in futurum ſæculis prouides, ratione inuenta, quemadmodum curam publicæ ſalutis retinere videaris, etiam poſt mortem: ratus id quod eſt, Imperatoris eſſe boni proſpicere, ne poſſit eſſe malus Imperator: Principem eſſe malum, quem vitia ſucceſſoris commendent, & bonum videri faciant. Nam quotusquisque princeps non bonus ſit, ad alterum collatus. Congratulatur ergo tecum ſibi & ſecum tibi, princeps eminentiſſime, non Reſpublica modo noſtra, ſed Chriſtianus orbis vniuerſus; quod principem eum, quem certatim omnes efflagitabant, & tibi facere & ſibi habere contigerit. Rara & viſenda felicitas tua, Cæſar beatiſſime, filium genuiſſe, quem Galliæ, quem Germaniæ, quem Barbari, quem Romani, quem populus Chriſtianus Imperatorem optare te viuo, te reluctante non erubeſcunt. Dixi te reluctante. Nam hæc tua diue Federice propria laus eſt, non minus tibi quam cæteris moderari. Verebaris (audio) modeſtiſſimus & grauiſſimus Imperator, ne ſi precibus populorum & principum omnium protinus annuiſſes, aut charitati patris in filium, aut ambitioni datum eſſe iudicaretur. Parum tibi videbatur præſtare Cæſarem in alios, niſi aduerſus teipſum quoque præſtitiſſes: immo qui clementiſſimus, humaniſſimus, & facillimus es in cæteros (id quod ego non famæ credo, ſed expertus loquor) in te parum æquus, & duriuſculus eſſe voluiſti. Nihil erat apud te fuga voluptatum, & continentia: quas virtutes vno te nullus ante magis commendauit; niſi & paternum affectum, quo nihil eſſe conſtat in homine potentius, nihil tam legitimum, caſtigaſſes & compreſſiſſes. Nec enim vitium erat in Cæſare, liberos ſuos (qui & ipſi ſunt Cæſares protinus, quam naſcuntur) Reges eſſe cupere: quandoquidem non magis honeſtum eſt Regem vocari, quam Cæſaris eſſe filium. Iam patris in filios indulgentia popularis, & plauſibilis quoque ſolet eſſe: nedum vt vel inuidioſa ſit, vel probroſa. Nam in Cæſare commendabilis ſemper fuit: in te vero etiam

expetitur, quaſi debita. Nec iam indulgentiæ nomen habet: ſed iuris & æquitatis. Quis enim eſt filio tuo, vel bello, vel pace clarior? quem res aduerſæ magis exercuere? Quis proſperis & ſecundis minus intumuit? quis in vtraque fortuna conſtantior: in labore pertinax: in remiſſione diligens, ac præcinctus? Mitto bellicas virtutes: quæ ut in eo præſtabiles & eximiæ, ita nec temporum ſunt omnium, nec locorum. Attingantur pacis artes, quæ ſemper & vbique ſunt vſui, ſapientia, temperantia, placabilitas, innocentia, religio, frugalitas. Hæ in iuuene vno tam præclaræ, tam eminentes eſſe perhibentur; vt ne in ſene quidem Imperatore maiora deſiderari poſſe videantur: futuræ prorſus incredibiles, niſi eum ex Auſtria gente celebratiſſima, & filium tuum eſſe meminiſſemus. Quæ quum ita ſint, immortales tibi gratiæ prouinciatim, oppidatimque habentur, & ſemper habebuntur, Imperator conſultiſſime: quod pro communi bono verecundiam & modeſtiam tuam expugnari paſſus es. Ergo bis teipſum viciſti, Cæſar inuictiſſime: Primo quum oblatum filio tuo regnum minime diſſimulanter auerſatus, & deprecatus es: naturalemque patris in filios pietatem virtute plus quam heroica, immo diuina quadam mentis & animi magnitudine ſuperaſti. Secundo quum hanc ipſam virtutem, qua modo te viciſſes, vtilitatis publicæ contemplatio peruicit, & impetrauit à Cæſare, quod impetrari non potuiſſet à patre.

Sed iamdudum mihi Cæſar innuit, Maximiliane Auguſte princeps generoſiſſime, vt à ſe digreſſus, orationem ad te conuertam. Obtemperabo lubens atque lætus: quum quia laudes tuas pater æquiore animo, quam ſuas audit: tum quia per hunc modum imperio Senatus & deſiderio Reipublicæ melius & vbertius ſatisfecero. Ergo Maieſtatis tuæ nomen apud nos tam celebre ſemper p.187
fuit, vt ad diligendum, amandumque te propenſos etiam colendum & obſeruandum impulerit. Eſt hic mos Reipublicæ noſtræ peruetus atque ſanctus, pernitioſos & improbos Tyrannos exitialiter odiſſe: Principibus bonis & fortibus non ſolum fauere, ſed etiam obſequi: dignitatem eorum & amplitudinem omnibus modis iuuare, tueri, defendere. Ætate porro noſtra nemo de Regum & Principum numero fuerit, quem collidi tecum, & comparari poſſe iudicemus. omnino talis & tantus es apud nos: in quo vel plura, vel maiora quam præ te feras, optare, comminiſci, deſiderare pudor ſit: vt nemo mirari debeat, ſi lætitiam immortalem, gaudium incredibile, voluptatem incomparabilem, quam te Romano Rege declarato concepimus, dicendo repræſentare nullo modo poſſumus. Enitent ac prælucent in vno te, ſed iuuene (mirum dictu) virtutes omnes imperatoriæ, iuſtitia, liberalitas, animi magnitudo, clementia, placabilitas, abſtinentia voluptatum omnium, & (vt complectar vno verbo multa) quam immaturum æui te cernimus, tam maturum imperii te cognoſcimus. Peruidit hanc indolis altitudinem Carolus Rex Belgarum, experientiſſimus belli dux, & acerrimi vir ingenii: qua vſque adeo exarſit, vt nihil prius habere videretur, quam vt vnicam ſibi filiam virginem magnæ ſpei, fœminam lectiſſimam, hæredem multarum gentium nationumque futuram, & omnino quam multi Reges appeterent, obſeruarent, ambirent; tibi vni fere pueto, nec uxorio, nec quærenti deſponſare poſſet. Undeuigeſimo autem ætatis anno, quum princeps ille, cui mox aſciſcendus genet eras, ab Leucis & Heluetiis interceptus eſſet: ſoceri tui regnum à Gallis occupatum ingreſſus, parua manu fuſis & trucidatis ingentibus hoſtium copiis ſeruitute liberaſti: vxorem defuncti ducis & filiam, fortunatiſſimas modo fœminas, tum miſerrimas & exangues, nec plus mœrore quam metu confectas, omni diuina & humana ſpe deſtitutas erexiſti, ſubleuaſti, redemiſti: vitam earum & dignitatem & pudicitiam conſeruaſti. Hoc mater, hoc prouinciæ tanto & tam immortali beneficio deuinctæ, virginem ope tua recreatam, virtute tua defenſam, tuis armis inimicorum ereptam iniuriæ, deſponſatam à patre prius animo,

animo, tunc certatim opere tibi collocant: videlicet vt eundem generum atque virum haberent, quem habebant & assertorem & vindicem. Hactenus rudimenta virtutis & fortitudinis tuæ diximus. Quid illa quæ mox egisti quam famigerata? quam mira? quam visenda? nato tibi filio ciuiles ortæ seditiones sunt. Morini auctoribus: quorum opera factum est, vt charissimum tibi pignus, nescio quo prætextu, custodiendum & asseruandum eriperetur. Fuit hoc eorum non perfidia, non defectio, princeps glorioſissime: sed fati vis hoc agentis, vt per intestina quoque bella clarior & celebrior fieres. Nec enim plus eos amat fortuna, quos indulgenter habet, & quibus parcit: sed quos jactat, quos exercet: alioquin clari nec bello nec pace duces intelliguntur, quibus omnia prospere cedunt: sed quibus contingit per labores, per ærumnas, per incommoda splendescere. Nam vt secundæ res fœlicem, magnum certe faciunt aduersæ. Alexandrum illum Macedonem, sunt qui minus egregium bello ducem fuisse prædicent, quod ei nullius pugnæ non secunda fortuna fuerit: quodque in ipso rerum incremento nondum vertentem fortunam expertus, vita decesserit. In te vero, quem certa syderum decreta sceptro patris & solio destinauerant, quid mirum: si aliqui operam dederunt, vt tristiora tibi tempora inciderent: ne aut virtus quiete langueſceret, aut parum dignus imperio fuisse videreris: qui omnino futurus esses imperator.

Itaque continuos nouem annos in castris agens difficillima quinque bella profligasti, Gallicum siue Francicum, Eburonicum, Sicambricum, Batauicum, Morinicum: quod quidem postremum haud facile iudicari potest, utra tibi re glorioſius fuerit, eo ne, quod filium tam diu tibi ademptum auulsumque recepisti: an eo, quod nobiliſſimas gentes, scientissimos bellicæ rei populos, vrbes opulentissimas ad deditionem & pœnitentiam compulisti: id quod nec Carolus socer, nec prosocer Philippus, excellentissimi duces, hic bello, ille sapientia consequi potuisse memorantur. Non cogito Panegyricum, Rex clarissime: non laboro verborum ambitu, nihil amplifico, nihil alleuo: sed decurro per capita, & nudas rerum à te gestarum summas attingo. Mirantur tamen hæc omnes, mirantur etiam citra fucum & negligenter effusa: plus mirentur, si qui te propius introspicerent, & virtutes eas intuerentur, quarum præsidiis munitus tot insignes victorias, tam multa belli decora consecutus esses. Videretur istud os tam probum, tam facundum, hæc tracta de cœlo species, ista lacertorum & pectoris firmitas, hic totius corporis vigor, hæc animi tempestiuitas & volucritas, hic imperatorius ardor ocu-
p. 188 lorum: præterea quam ferox in prælio, mitis in contubernio, effusus aliis, tibi parcus. In castris non veste, non mensa præcipuus: aguntur hyemes cum cætero milite sub pellibus, sudantur æstates æqualiter. Epulæ modico & castrensi cibo contentæ. Iam quis te solertius castris locum capiat? commeatus expediat? Hostem ludificetur? pugnæ tempus eligat? aciem instruat? vrbes obsidione cingat? Neque vero partes imperatoris, & optimi ducis imples: militi non imples. Nullum tibi castrense munus sordet: non stare pro signis, non excubias sorte agere, non vallum ferre, non speculatum egredi: primus inire prælium: postremus excedere: Utrumque iuxta doctus: opere militem & consilio ducem agere: nullam tibi vel principalis fortuna, vel maiestas imperii functionem remittit: nihil tibi parcis, nihil blandiris: indulgentissimus cæteris, tibi parum lætus: & omnino nihil gregario plus habes, nisi quod plus laboras: ratus id quod est, non tam honorem quam onus esse, quod regnas. Imperatoris hoc esse munus, vt opes & magnitudinem suam non ad ambitum quem priuatum, sed ad salutem & commoda reipublicæ conuertat: utique non imperium sibi, sed seipsum imperio deditiium faciat. Sed & illa tibi peculiaria seruntur: diligere quidem omnes, sed amicos etiam di-

ligere : non oblatos iſtos & paſſim obuios, de palcſtra, de ſphæriſterio, de ſtitillo. Sed quos ad innocentiam, patientiam, continentiam : ad algores, ad æſtus, ad opera militaria ſæpius exploraueris. Nec enim amici ſunt quicunque vos ſequuntur : alioquin tam multi, quam ſunt (vt Plutarchus inquit) in culina muſcæ, quæ cum ipſo nidore confluunt & tecedunt. Sed quos amicitia dignos eſſe iudicaueritis, eos debetis vos vltro ſequi. Itaque cum iis qui ſe tibi aliquando virtute commendauiſſent, conſuetudine delectaſſent, vtilitate demeruiſſent in omnia familiaritatis officia deſcendis : & Cæſarem obliuiſceris, vt amicum præſtare poſſis. Neque vero poſtremum inter laudes tuas poſuerim, quod literas & ingenia (ſicut audio) tam impenſe diligis : quodque bonas artes non foues modo, sed alis atque promoues. Imperatorium & hoc decus : quum quod in nullo plus emicat hic nitor, & hoc lumen doctrinæ quam in regibus, unde natum ſit illud ex Homero Platonis interpretatione : *diſcipulos Deorum non alios eſſe quam Reges.* Tum vero maxime quod præcepta ſapientiæ non habentibus modo proſunt, ſed in alios (etiam vere dixerim plus) redundat. Quis ignorat Anaxagoram in Pericle ? Platonem in Dione multos inſtituiſſe ? Non nauigaſſet ab exercitu Cato Rhodon, vt Athenodorum audiret : nec Panætium Scipio videre concupiſſet, niſi tantum in ea re vel ornamenti, vel fructus ineſſe iudicauiſſent. Prætereo multa prudens atque conſcius : nihil me fugit quam religioſe, quam innocenter, quam ſancte iuuentutem tuam exigas. Patet omnibus obſequentiorem te patri filium, nec eſſe nec fuiſſe quenquam. Scio quam præclaræ, quam magnificæ cogitationes tuæ ſunt omnes. Non ignoro, quæ pridem vota conceperis, nuncupaueriſque digna principe Chriſtiano, digna maioribus tuis, digna Cæſare, digna teipſo. Hæ virtutes illæ tuæ ſunt, Imperator vnice, propter quas ducem ſuum te bellicoſiſſima terræ Galliæ pars, Belgæ non modo non dedignantur aduenam & Germanum, (quibus alioquin tam ſunt infenſi, quam proximi lingua, cœlo moribusque diſjuncti) ſed appetunt vt indigenam, venerantur vt principem, diligunt vt patrem. Hæc ingentia tua merita, propter quæ Federicus pater, innocentiſſimus & grauiſſimus Imperator adduci perſuaderique potuit vti te Regem Romanum ſe viuo renunciari pateretur. Ac differebat quidem ille primum, & cunctabatur : ſimul vt verecundiam, & modeſtiam ſuam (quemadmodum prædiximus) ab omni labe ſuſpicionis aſſereret, ſimul vt exploraret, aſſentarentur ne patri, qui pro filio tam enixe laborarent : an conſultum ſaluti ſuæ vellent. Sed extemplo patuit, acclamationes illas atque preces, non adulantium voces fuiſſe, ſed ſtudentium. Nam adulatio ſemel eliſa protinus frangitur atque langueſcit : Studia quo plus arcentur, eo magis gliſcunt & exardeſcunt. Quanto nunc diue Fridcrice gaudio perfunderis : quod filius tuus te incolumi placere poteſt Imperator ? quam iucundum tibi, quod te comparari filio tuo ſentis ? Et quoniam controuerſa res videtur, modo vincis, modo vinceris : Cæterum quid prouidentia tua dignius : amplitudini glorioſius, clementiæ, pietati, felicitati conuenientius facere potuiſſes, quam vti quem ex vtilitate publica fuit, vt genuiſſes : eidem quoque per patrem & decus & nomen imperatoris accreſceret ? Macte ingenti vtroque in rempublicam merito : etiam
* *Plin Panegyr.* ſi difficile percipitur (vt inquit * ille) pulchrius & honeſtius fuerit genuiſſe talem, an cooptaſſe. Non multo minor tamen veſtra laus, Germani principes integerrimi ; quorum ius id eſt, Regem Romanum mox futurum Imperatorem eligere. Nec enim poſſunt non optimi cenſeri, qui principes ſibi optimos proſpiciunt. Proinde quum talis & tantus eſſet is, quem legiſtis, vt & omnibus anteponi meruerit, & ab omnibus : ſcitote vos vtrumque cumulatiſſime conſecutos fuiſſe. Et vt gratiæ vobis ab omnibus immortales & incredibiles p. 189
haberentur, & vt nomen veſtrum æternitati commendatum & conſecratum eſſet. Etenim vt nomine Vitellii, vel Othonis ſubinde admoneremur eorum,

qui

qui facies illas, atque peſtes ad diſſipandum & inceſſendum orbem intuliſſent: ita hæc optimi principis electio nunquam memoriæ hominum ſine vobis recurret: quotiesque poſteri veſtri res ab illo ſortiter geſtas incognoſcent, toties laudabunt, qui talem Imperio præfecerint. Sed redeamus vnde nos contemplatio patris, & eorum qui te legerunt abduxit. Magna per ſe res erat omnibus punctis, omnibus ſuffragiis, & (vt ita dicam) tributim centuriatimque declaratum eſſe Regem Romanorum. Sed fecit occaſio maiorem. Ea ſunt enim reipubl. Chriſtianæ tempora, is habitus Imperii, ut non tam ſpecioſum fuerit te Regem creari, quam neceſſarium: nec ad futura modo, ſed ad præſentia rerum momenta ſalutare: Omitto ſingillatim enumerare publicas clades, omitto percenſere quam luxata, quam conuulſa ſint omnia religionis Chriſtianæ membra: omitto bella, quibus imperium hoc diſtinguitur: ſit enim piaculum in tam feſta præſentium gaudiorum luce miſceri triſtia. Illud ſine periculo violatæ publicæ lætitiæ dicetur: hoc quod principes Germani de creando te ſibi Rege cogitauerunt, non tam conſilium fuiſſe, quam remedium. Ergo non ad ocium, non ad remiſſionem, non ad quietem (alioquin tibi debitam poſt tam multos labores) ſed ad nouas expeditiones, noua bella, nouas difficultates, imperium tibi traditur: omninoque per hoc non ſolatium tibi, ſed aliis quæritur. Nihil enim aliud cogitaſſe video ſummos viros qui te patri tuo principi nobiliſſimo, ſed annorum pleno ſocium addidere; quam vt ille conſilio rempubl. tu laboribus & operibus adiuuare poſſes. Quid illud quam glorioſum tibi, quam lætum patri, quam omnibus in tempore? vt Regem decerni tunc demum te contingeret, quum opem tuam non imperium ſed imperator; nec imperator, ſed pater expectaturus eſſe videretur. Acceſſit hoc ad cumulum amplitudinis & fortunæ tuæ, Rex præſtantiſſime, vt qui filium infantem è penitiſſimis hoſtium munimentis eripuiſſes, apud eundem patris quoque recreati gloria ſtaret. Duos omnino leginus cognomento Pios fuiſſe: nec argumentum ignoratur vnde ſic appellari meruerint. In te poſteritas ambiget, vter euentus hoc nomen tibi conciliauerit: quod pius in parentem, an quod pius in filium apparueris.

Sed iam tempus eſt, vt vela retraham: neu longius me quam volo, aut quam partes legati ſunt, laudum veſtrarum ſplendore, numero, magnitudine detineri patiar. Quamobrem ſi nihil eſt in rebus humanis principe Romano maius & auguſtius, ſi talis & tantus eſt filius tuus Cæſar, vt ab omnibus legi debuerit; & ex omnibus denique ſi nihil vel nobilius ad gloriam, vel certius ad ſalutem excogitari poterat, quam vt ille rempub. difficillimo tempore capeſſeret: nemini mirum videri debet: ſi (quod per initia teſtatus ſum) ad huius magnitudinem lætitiæ nullius hominis facundia, nullius vis ingenii peruenire poteſt. Sed hæc translatitia ſunt, communia ſunt omnibus. Illæ peculiares Veneto cauſæ, quod neque gens eſt vlla, neque natio (abſit verbo inuidia) cuius vel plura vel maiora, & in Chriſtianam rempub. cuius vos caput eſtis, & in Rom. imperium argumenta beneuolentiæ, fidei, pietatis appareant. Non auderem iſta profiteri, Cæſar optime, niſi & vera eſſe conſtaret, & tu vera libenter audires: alioquin ſciebam ſcelus eſſe coram te parum certa dicere, nedum falſa. Sunt & illa nobis propria, Maximiliane rex fortiſſime, quod clariſſimum nomen Auſtriæ familiæ, qua nulla fuit vnquam Regum Imperatorumque fœcundior, religioſum & venerabile ſemper habuimus, quod Federico patri tuo principi ſalubertimo, quæcunque ſe res tulerunt, enixe ſtuduimus, quibuscunque eum locis & temporibus ſingulari ſignificatione voluntatis & obſeruantiæ proſecuti ſumus, quod ipſum & te ſemper à teneris vnguiculis inductione quadam animi non occulta impenſiſſime coluimus, auctoritati tuæ fauimus, amplitudinem quantum vires fuere defendimus. Jam qui principibus Luſitaniæ nobiliſſimis & fortiſſimis, vnde maternum

tibi genus eſt, qui ſocero tuo, Carolo duci generoſiſſimo, qui Philippo eius patri ſapientiſſimo principi chariores vnquam fuere quam Veneti? Tot modis copulati cum ſublimitate veſtra ſumus: tam multiplici nexu vincti, vt qui hæc non vider, nihil omnino videat, qui plus deſideret, nihil omnino deſiderat. Gratulatur ergo prorſus in vobis ſibi, & in ſe vobis Senatus & vniuerſa ciuitas noſtra, non quantum cæteri fecere, ſed quantum nulli: nec quantum dici vel cogitari poteſt, ſed quantum nec dici nec cogitari fas eſt. Et quoniam ambo vos celeberrimi principes, hinc pater inde filius ita mutuo creuiſtis, vt neque tu maior, neque tu felicior eſſe poſſis: reliquum eſt, vt DEum optimum maximum conditorem huius & ſeruatorem imperii, publica voce comprecer & obteſter, vt quando rem Romanam ptincipum duorum patris & filii, huius maturitate ſenioris, illius virtute iuuenis florentiſſimam eſſe voluit; beneficio ſuo p.190
ſaueat, pietatemque ſuam & voluptatem conſeruandi pet optimos Principes generis humani ſanciat, & perpetuam eſſe iubeat. Poſtremo vt illuſtriſſimum Ducem noſtrum, & inclytam Rempublic. incolumitatis & gloriæ veſtræ cupidiſſimam, quæ te Cæſar ſemper & patrem & principem Chriſtianæ religionis agnouit, coluit & ſuſpexit, ſacroſanctæ Maieſtati tuæ quanta maxima poſſimus veneratione, religione, deuotione commendemus: opes noſtras omnes atque vires ad ornamentum & incrementum Imperii, dignitatem & amplitudinem ſacratiſſimi nominis veſtri promptas, expoſitas & dicatas eſſe doceamus.



41

Q. ÆMYLIANI CIMBRICI ENCOMIASTICA.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

POëtica laude inſignis erat Q. Æmylianus Cimbriacus, patria Vincentinus. Comes hic Palatinus erat, & nondum viginti annos natus, laurea poëtica ab Imp. donatus. Sic enim ipſe canit: *Libro 1. v. 28.*

Et me Palladis quondam manus induit auro,
Annorum luſtris nondum mihi quatuor actis,
Sponte tua ſacras dignatus tradere lauros.

Non defuerunt igitur ipſi præcones. Sic enim de eodem Lilius Gregorius Gyraldus: * *fuit & Æmylianus Cymbricus poëta elegiographus in primis, cuius & epigrammata leguntur, audiui & illum exorſum fuiſſe bellum Rhodiacum quod Turcæ ſuo tempore aduerſus Rhodienſes geſſere: & epicedium in Federicum tertium Imperatorem cecinit: at inique huius hominis ſcripta ab inuidis dicuntur ſupprimi.* In his autem ſecutus fuerat Gyraldus Gesneri Bibliothecam. Cuſpinianus ** ſic eum commendat: *Cimbriacus poëta noſtri ſeculi haud contemnendus, raræ eruditionis ac doctrinæ.* Poëmata varia ab ipſo fuiſſe edita, ex dictis patet. Chriſtophorus Hendreich *** adlegat Carmen in Petri Hædi anterotica elegantiſſimum ad Capidinem *impr. Iaruiſii 1497.* Eiusdem Epicedium in Fridericum III. quod etiam Cuſpinianus inſeruit. Aliud epicedium Maximiliano I. ſcripſit. Idem Hendreich eiusdem adlegat poëmata *Francofurti 1612.* edita. Quod autem Gyraldus indicat de bello Rhodienſi poëma, ipſe ſub initium ſtatim encomiaſtici adlegat Æmylianus. Hoc ipſo autem encomiaſtico, libris V. in duobus prioribus quidem electionem potiſſimum Maximiliani in Regem Romanorum, in reliquis eiusdem captiuitatem â Brugenſibus anno 1488. factam, deſcribit, prout ſub initium ſtatim promittit. Editum illud primum ex Aldina eſſe Jo. Camertis præfixa præfatio nos docet. Poſtea prodiit Argentorati apud Schürerium, menſe Maio 1512. 4.

---

* *De poëtis noſtri temporis Dial. I. pag. 386.*
** *Vita Friderici III. pag. 413.*
*** Pandectis Brandenburgicis, *voce Æmylianus.*

QUIN-

QUINCTI ÆMYLIANI CIMBRIACI POETÆ ET COMITIS PALATINI, ENCOMIASTICA AD DIVOS CÆS. FEDERICUM IMPERATOREM ET MAXIMILIANUM REGEM ROMAN.

PALIVRVS.

Fortia gesta volens cognoscere Maxmiliani,
Nec non Friderici Cæsaris acta sacri.
Fulgida Cimbriaci pellustret carmina Vatis,
Cui fudit diuam flauus Apollo chelim.

JOANNES CAMERS ORDINIS MINORUM, IN URBE VIENNA PUBLICE THEOLOGIÆ PROFESSOR, DIVO CÆSARI MAXIMILIANO. S. P. D.

QVærebam cupide ab literarum bonarum professoribus, inuictissime Cæsar, an quispiam ex iis, qui Heroum gesta memoriæ tradunt, acta vel tua, vel genitoris tui, memoratu digna, hac nostra tempestate conscripserit, sic nempe fortium virorum fama viget in posteris. Reperi diuina (vt reor) dispositione Encomiastica hæc quinque, quibus complurimas tam tuas, quam diui parentis tui, sapientissimi senis laudes, Æmilianus Cimbriacus Vincentinus, vates eximius, qui iudicio peritorum cum antiquitate merito certat, heroico carmine non minus docte, quam eleganter complexus est. Quod me quanto affecerit gaudio, non facile dixerim. Quare iis, qui res tam à te quam à patre tuo vel armis fortiter, vel pace sapienter gestis, studiose legunt, facturus copiam, me in Aldi Romani Academiam contuli, vt accurate inibi, atque emendatissime imprimerentur, id quod est ex sententia factum, nam nihil gratius, nihil accidere iucundius Aldo ipsi potuit, quam vt diui Cæsaris acta, sua cura excusa ob ipsius incredibilem in tuam majestatem obseruantiam emitteret in manus hominum. Dabitur deinceps opera ad studiosorum vtilitatem Leonardi Turrensis studiosi iuuenis, ac Æmiliani pergrati discipuli cura, apud quem Encomiastica ipsa reperimus, vt cætera ab eodem vate edita carmina, quæ plurima extant, in lucem veniant. Legant interea docti omnes in his Encomiasticis virtutes tuas, teque parentem bonorum omnium diligant, venerentur, colant. Vale.

ARGUMENTUM.

p.190

EX IOAN. TRITHEMII CHRONICORUM HIRSAUGIENSIUM VOLUM. II. SUB ANNO 1488.

ANNO Blaſii abbatis quarto, indictione Romanorum ſexta, cum ex Germaniæ Maximilianus paucis comitatus familiaribus deſcendiſſet in Flandriam, Philippi filii ſui rebus conſulturus qui annum ætatis tunc agebat ſub tutoribus decimum, à Brugenſibus conſilio Gandauenſium cum ſuis omnibus capitur, & diutius in cuſtodia cuiusdam habitationis honeſta detinetur, cunctis ab eo ſeclusis familiaribus, præter coquum (vt ferebatur) vnicum. Enim vero cum Philippus Archidux, quem ſecum habebant in Flandria, puer adhuc non eſſet ad regimen principatuum terræ idoneus, & patris ordinatione, non per incolas prouinciæ, ſed extraneos omnia diſponerentur & fierent, indignabantur Flandrenſes quaſi viderentur deſpecti: & ſeditione facta manus miſerunt in Regem violentas. Inferebant etiam, quod regentes & præfecti, quos Rex terræ propoſuerat annis iam pluribus retroactis incredibilem pecuniarum leuaſſent ſummam, quam, ubi, quomodo vel in quem vſum expoſuiſſent, nulli fecerint rationem. Hic ergo nimia importunitate Regem vrgebant, volentes imprimis quod omnes deponeret præfectos terræ atque regentes, ſe quoque penitus abdicaret renuntiaretque omni jure comitatus Flandriæ: & jam deinceps omnem adminiſtrationem principatus filio permitteret liberam & abſolutam, quem ipſi pro ſuo recognoſcerent domino, & alium neminem, ne patrem. Renitentem poſtulatis Regem diutius furioſi detinuere captiuum, venenato conſilio Venetorum prope in ejus necem parati, ſic more ſuo ſcribentium: *Homo mortuus non facit Guerram*, quorum conſilium qui non intelligit, nihil intelligit. Sed armis pugnant Germani, non inuiſibili magiſterio. Nihilominus ex familia ejus atque nobilibus aliqui vaſania Burgenſium fuerant occiſi, nonnulli ſimiliter capti, cæteri fuga labentes vix euaſerunt. Interea Fridericus Imperator pater Maximiliani Regis audiens filium à Brugenſibus captum, inprimis auiſat Romanum Pontificem Innocentium octauum de facto, qui Majeſtatis læſæ reos ſtatim excommunicat.

Deinde Principum & ciuium regni auxilio congregauit exercitum, & deſcendit cum multis principibus, atque nobilibus in Flandriam, vt liberaret filium. Habuit autem in ſuo exercitu equitum tria millia, quadringentos & viginti duos: Peditum vero duxit quinque millia, nongentos & viginti quinque: Currus autem habuit ducentos & viginti duos. Cum his veniens in Flandriam, quicquid erat in villis & agris, extra munitiones irato deuaſtare animo cœpit. Burgenſes autem cum audiſſent Cæſaris aduentum, non confidentes oppidi ſui muris atque foſſatis, captiuum Regem tradidere Gandauis. Quod ubi Cæſar intellexiſſet, Gandauum obſedit & fortiter impugnauit. Triceſima nona cernentes Gandaui, quod Cæſaris viribus diutius non poſſent reſiſtere, humiliati pacem ab eo petunt, & ſub certis conditionibus impetrant: qui plurimorum judicio venia indigni videbantur, & ſic pater filium potenter liberauit.

ARGUMENTUM ENCOMIASTICI PRIMI.

Dum Cæſar reputat ſuam ſenectam,
Ac bellinarios videt tumultus,
Et noſtræ fidei timet, Repente
Ad ſe concilium vocat, Subinde
Lectores ſubeunt ſacrum Senatum,
Mox aulea ſuis decent figuris.

CIM-

CIMBRIACI POE. PROTREPTICON AD LIBELL.

Si non vis calamos ſeueriores,
Si non vis Domini pati Aſteriſcos,
Et tantum properas foras abire:
Non vis eſſe diutius libelle.
Et cum grammaticis ſtatim cathedris
Exploſus miſer in grãues coquinas,
Ad ſcombros venies ſalariorum,
Ridebunt ſcioli mihi papyros,
Et fruſtra nimium perire noctes,
Patronum niſi habebis Hermolaon,
Scitum, (Jupiter) & bonum Poetam,
Et quem Sauromatæ audiunt canentem
Curuæ Callimachum lyræ magiſtrum,
Aut grande Aonidum decus ſororum
Lætum, qui Illiadæ docet nepotes.
Hos ſi nactus eris tibi patronos,
Tum ridere Ciconias licebit,
Et nugas & ineptias Suillæ.

QVINCTI ÆMYLIANI CIMBRIACI POE. ET COM. PAL. ENCOMIASTICON PRIMVM AD DI. CÆS. FEDERICVM IMP. ET MAXIMILIANVM REGEM ROMAN.

Aſteridos carmen tenui præluſimus orſu,
Quo Turcarum acies, inimicaque bella canebam,
Pulſatamque Rhodon, partumque ex hoſte trophæum.
Nunc mihi fert animus laudes vulgare per orbem
Cæſaris, ac geſtis ſic addere rebus honorem,
Ordiar, vt regem diuino Cæſare natum
Legere Auſonæ, quibus eſt optare poteſtas
Rectorem imperii, vel tradere ſigna Quiritum,
Victrices aquilas, regni diadema ſecundi.
Qua re ſtelligero ſeſe iam gloria cœlo
Tollit, & immenſum ſperat per ſecula nomen
Auſtriacæ gentis, tam longo ſtemmate auorum
Nobilis, ac magno præſentis numine Regis.
Sed nec fortunæ inuidiam, nec facta ſilebo
Brugarum, plusquam crudeli morte luenda:
Quæ ieiuna fames, quæ peſtis adegerit ipſos
Et reſerare fores, & dicere verba precantum
Suppliciter triſtes, quamuis in carmine vires
Sint mihi pratenues, tantarum ad pondera rerum.
Ergo Caſtalides præſentia numina Vatum
Ferte pedem mecum, facilesque in vota venite:
Si veſtro quondam ſolum pellectus amore
Sacra fero, citharamque mouens plectrumque ſonorum,
Sedulus ingredior Muſarum templa ſacerdos.

Et tu Girrhæi Cæſar mihi numinis inſtar.
Quæſo faue cœptis : mea ſi tibi plectra mouentur,
Si tua Daphnæis præcinxit tempora ramis,
Et me palladio quondam manus induit auro,
Annorum luſtris nondum mihi quatuor actis,
Sponte tua ſacras dignatus tradere lauros :
Qua torquet Naucellus aquas, ac gurgite flexo
Raptus in Adriacos currit ſine nomine fluctus.
Tu quoque Sigæi cuſtos, vel nominis autor, p.193
Maxmiliane, mihi decus admirabile & orbi,
Summaque Strimonii vel debita gloria Martis
Cui nunc diuinos reſonant mea carmina honores,
Ingredere ad citharam, votisque aſſueſce vocari.
Aſpice Cimbriacum jam nunc tua facta canentem,
Non quo terribilem proſternis Teutona vultu,
Gallorumque acies, aut duros cæde Sycambros,
Aut Morinos, Celtasque truces, Batauosque furentes,
Sed quo pacatum moderaris Apolline Martem,
Cum tibi Cecropias reſonat facundia voces.
Et loquitur tecum poſitis Tritonia monſtris.

Frederici Cæſ. cura de ſucceſſore.

Cæſar vbi proprias ſenſit torpeſcere vires,
Ingentes quondam (tantum inſperata ſenectus
Secum auſert ſenſim) ne jam ſufferre labores
Bellorum poſſit, cœlum ſpeculatus & aſtra,
In longum cœpit grandes extendere curas,
Quis quondam imperii currum moderetur habenis
Plus ætate vigens, maiorque ad munia Martis
Surgat, & ad pacem. Qualis confectus ob ænum
Getulus quondam paſtor, cui regna relinquat,
Extremis alium quærit fugientibus annis,
Cui proprias committat oues, doceatque repertos
Fontes, & raris habitata mapalia tectis :
Haud aliter Cæſar, numen venerabile terris,
Atque decus fidei, Chriſtique vicarius alter,
Sine ſecundus apex, cui regna tradat habenas,
Quærebat, terris vbi cedet debitus aſtris :
Ne ſacrum imperium rapiat dum perfidus hoſtis,
Seruitioque premat gentis vexilla fidelis,
Et iam belligeri feruebant Pannonis arma
Auſtriacas preſſura vrbes, dum Cæſar ad oras
Filius Oceani, iuſtas vlciſcitur iras,
Ac ſi ſtelligeri Martem regnator Olympi
Captiuum videat, non curet regna minora,
Sed totis natum redimat cœleſtibus armis.
Præterea crebris etiam tunc cædibus ipſam
Auſoniam late vaſtabant agmina Regis
Saua Dicarchei, propiusque incendia belli
Horrebat tellus quondam regnata Quirino.
At contra diuis ibat Malateſta ſecundis
Ille triumphator Veneto ſub Marte Rubertus,
Cuius ob auſpicium Calabri cecidere ſub armis.
Ergo magna nouos ſpectauit Roma triumphos.
Hunc iuxta haud aliter ductorem flamma ſubibat,

Ac

Ac ſi Peliden quondam ſequeretur Achillem
Ipſe Menœtiades, quos & genuere ſorores.
Tum quoque Boiorum gentes ab origine priſca;
Juſubrumque duces, Mantusque Bianoris vrbes,
Atque Fluentini communi ſorte ferebant
Herculæ & Alcidæ cognomina, & arma ſecuto
Ductore & Calabro Getici Mauortis alumno,
In Venetos bellum Phrygia de ſtirpe creatos,
Qua ferit extremas violentior Adria terras:
Seu furor inuidiæ, ſeu regnorum æmula virtus,
Seu fatale odium, tantos mouere tumultus.
Et miſeram Scodram Turcarum ſæua premebant,
p.194 *Quæ modo Hydronteos populârant agmina campos*
Jam capta & ſæuo directa Chalcide bello.
Hæc iter eſt, quoties triſtes Nabatæa furores
In nos caſtra mouent, turataque ſigna ſequuntur.
Tunc & Carnorum variis incurſibus oram
Vaſtabant Turca currit qua fonte Timauus
Septeno, & rapidas voluit qua Sontius vndas,
Ingreſſi cædes & triſtia damna tulere.
Vidi ego Noricæ qua ſe ſubducere colles
Incipiunt, noſtros crudeli cæde peremptos.
Sæpius hæc rabies Carnorum terruit vrbes:
Donec gens Venetum ſtatuit munire Grauiſcas,
Hoſtis ob incurſum, & fido cuſtode tueri.
Sed nec Gallorum gentes non Marte furebant:
Ac noſtro penitus ſemoti ex orbe Britanni;
Sæpius Oceani miſſa trans æquora elaſſe.
Raptabant furtim vicino ab littore prædas.
Nec minus horridulo ſubiectus Sarmata cœlo
Arma ſequebatur, nec victus prælia Dacus,
Sic quos terrificis propriis premit imbribus Vrſa,
Non pacem Heſperiæ gentes, non ocia habebant.
Triſtia præcipue ſæuus Rex arma mouebat,
Qua ſol Herculeas prono petit æquore metas,
Et lauit excurſo fumantes æthere currus.
Certabant fidei cauſa, pendebat in armis
Mars dubius, longo currit qua flumine Bætis.
At nunc hoſtiles toto premit agmine turmas
Hiſpanus fidei cultor, gentisque nefandæ
Ingens vaſtator, ritusque oppreſſor iniqui
Sic eat, o decus & ſtellantis gloria cœli.
Chriſte precor, pereant gentes & ſacra nefanda,
Mahumetique fides, ſæuique potentia regni.
Sic vexari orbis, ſic omnia feruere bellis,
Non ſectæ populis noſtræ, non gentibus vllis
Jam non eſſe odium, toto diſcordia mundo
Bacchari. ſeu ſponte homines in bella ruebant,
Ac ſi cœleſtes non hæc mortalia curent,
Auertantque oculos, nec triſtia facta luantur:
Seu tales motus ingens poſcebat & ordo
Fatorum, & cœli ſeries arcana mouentis:
Non vitium rectoris erit. ſic æquora venti
Æolii quondam refracto carceris antro

Hippotade in uito miſcent. ſauasque procellas
Quisque ſua regione mouent, freta concita feruent,
Horrendumque tonant. Eſto mihi credere, magnum
Sic ſtatuiſſe DEum, cui ſunt hæc omnia curæ,
Vt regnaturus diſcat ſperare triumphos,
Expertus toties prorumpere victor in hoſtes.
Sydereum quondam regem ſic bella Gigantum
Tentauere Jouem, poſſet quo dignus haberi
Cœlorum imperio partis ex hoſte trophæis,
Victorique ſuo ſeruiret regia mundi,
Hinc metuens (quidem longe non prouidet illud
Diuinum pectus, vel mens bene conſcia recti?
Imperio exitium, ſacras grandæuus ad aras
Cæſar in æternos conuertit lumina ſenſus,
Suppliciterque manus tendens in vota popoſcit
Ire DEum, ne ſe vel debita fata relinquat
Ingreſſum, reliquos liceat ſecurius annos
Exigere, & curuam melius finire ſenectam,
Quando onus imperii iam tot portauerit annis,
Nunc humeris tandem feſſis optare quietem.
Ipſe paret terris, nutu ſi regna reguntur
Ac ſuperum imperiis, alium qui frena ſubire
Poſſit, & in populis æternam ferre quietem.
Sic fatus ſupplex oculos tendebat in aſtra.
Audiuit pia verba DEus, iuſtasque precantis
Expendit voces, ſtatuitque in vota venire.
Et iam tempus erat, terris cum bruma rigentes
Cogit, & Arctoum conſtringit frigore pontum,
Et mæſtæ quærunt ſyluis ſua tecta volucres,
Inſonat & Boreas, ſpoliataque frondibus arbos,
Philhyridesque ſenex inflectit ſemifer arcum, p. 191
Et Mars deſertis vacuus terit ocia caſtris
Inculti ad gelidas ſpaciatus Strymonis vndas,
Aut qua ſublimem Rhodope ſe flectit in Arctos,
Armorumque redit poſito Bellona furore
Ad ſuperos, narratque graues ex ordine pugnas,
Quas animoſus Atax, quas Maurus fecit, & Indus,
Sauromataque truces: patris ſtupet aula tonantis.

Comitia Francofordiæ. 1486.

Maximus hic Cæſar ſolito de more vocauit
Concilium, magnis quoties de rebus habetur,
Qua gens turritam Francfordia poſſidet vrbem.
Haud mora, Cæſareo iuſſu venere vocati:
In primis ſacro quibus eſt optare poteſtas

Bertholdus Moguntinus.

Imperio regem, quorum Beretholdus ab oris
It Maguntinis, cui circum tempora vittæ
Albebant gemini tenues inſignia honoris.
Hunc portabat equus maculis variatus, & auro
Inſignis, cui ſella nitens, phalerisque decorum
Inſtratum, grandi comitum ſubeunte caterua.
Qualis vbi Lyciam Delphis commutat Apollo.
Aut ſacrum Ortygiæ gaudens Phithona reuiſit,

Herman. Coloniæn.

Hunc iuxta Hermannus ſubiit regnator ad vndas
Rheni, qua quondam gens Agrippina reſedit,

185. *Nobi-*

Nobilitate nitens, numeroſoque agmine ſeptus,
Poſt & Joannes veſtis prædiues & auri,
Plus centum comitatus equis, quem belliger omnis
Excolit, ac Treuir ſacro veneratur honore.
Hinc magnum ingreditur præclara ſtirpe Philippus — *Philippus Palatinus.*
Concilium illuſtris, cui ſeruit corniger Iſter,
Et quem mirantur generoſa Palatia Rheni,
Noriciique truces, Rhetiusque aſperrimus armis,
Ac nemus Hercinium, ſub quo Germana triumphos
Pubes aquauit veteres, & facta Quiritum.
Venit & Herneſtus Saxonia miſſus ab oris — *Erneſtus Saxon.*
Vsque tuis, quo non præſtantior alter in armis
Bella mouere manu, ſuos concurrere in hoſtes,
Pallentes reuocare globos, aut ponere caſtra,
Aut dubiam Martis cauſam decernere ferro.
Hunc portabat equus longe velocior Auſtris,
Candidior niuibus, quas nondum contigit vllus
Pes hominisque feræque. Hinc priſco ſanguine auorum
Inſequitur terræ Brandeburgenſis alumnus, — *Albertus Brandeburgenſis.*
Ac princeps magno cunctis dilectus amore:
Tam miti imperio populos moderatur & vrbes,
p.196 *Nullus inferior bello frenare furentes* — *Achilles Teutonicus.*
Hoſtiles acies, cum martia ſumpſerit arma.
Mille alii ſubire Duces, Comitesque potentes,
Atque oratores, quorum ſi nomina ſabor
Secretim, offendam diuinas Cæſaris aures: — *Aulæorum Pictura.*
Tam longum carmen, tam longa exorſa ſecutus.
Non tamen antiquas intexta aulæa figuras
Prætream, quamuis ſpacioſi ingera campi
Currimus, atque datas metas optamus obire.
Hic erat Auſtriacum genus vsque ab origine ductum,
Et repetita mihi veterum modo facta parentum,
Hic ſolis lunæque vices, hic quatuor anni
Tempora, & inſtabili labentia ſydera motu,
Et quæ perpetua raptat vertigine mundus,
Cernere erat, & geminos ſinuoſis orbibus angues,
Sublimemque Arction, condit Styx atra minorem,
Illic & pigri vidiſſes plauſtra Boote,
Andromeden Perſei, Bacchi Minoida amores:
Altera victa manus, paſſis per colla capillis,
Atque DEos atque aſtra vocat, vocat altera amantem
Ingeminans, Theſeu redeas mihi perfide Theſeu,
Quo fugis? his ſurdas implebat queſtibus auras.
Vela dabat Theſeus dulces oblitus amores.
Illic cæruleas Tritones nare per vndas.
Ac leuiter flantes ſpectaſſes aquora ventos,
Et quæ ſtelligerum ſecat orbita lactea cælum.
Inferius nubes, & tela triſulca tonantis,
Terrificasque trabes nulla ratione negantes,
Tum cadere ex alto compreſſis nubibus imbres.
Et patrem Oceanum totam circundare terram,
Perpetuoque inter ſeſe concurrere fluctus,
Quare nunc ereſcunt, nunc aquora noſtra reſidunt,

Alternant-

Alternantque vices, ſol qua deſcendit in vndas,
Et qua mane recens optato lumine terras
Spargit, & humectæ fugat aſtra cadentia noctis.
Hinc Eurus perflat Titonia regna relinquens,
Illinc occidui genitalibus aura Fauoni,
Quos inter ſtridet Boreas ab vertice mundi,
Et contra ſurgens Boream depreſſior Auſter.
Stat tellus immota, rigent ſub frigore vtrinque
Perpetuo gemina, non eſt habitabilis æſtu
Inter vtrasque, ſuo diuiſa ex ordine partes:
Frigore ſol medias iunctim moderatur & æſtu,
Illic Antipodes, nos hic habitamus, & ipſam
Internas limes partitus diſparat oras.
Ad Notον eſt diues Getuli terra leonis:
Aphrica ab imperiis Atlantis ad oſtia Nili,
Contra Aſia ad Boream longe procurrit vtroque;
Has inter Scythicis Europa potentior armis.
Tum poterant vrbes poterant & regna videri
Semotim, & vario labentia flumina curſu,
Ingentesque lacus, & grandi vertice montes,
Vt quæ Pannonios alpis, flectuntur in arcus,
Contra Barbaricos vel munimenta furores.
Præterea Taurusque Cilix, & pœna Promethei
Caucaſus, atque humeris cœlum qui ſuſtinet Atlas,
Caſpius, & ſuperis propior qui ſurgit Olympus,
Quem non terribili percellunt turbine venti,
Non nubes gelidæque niues, ſeuæque pruinæ;
Quæſitumque antrum Vulcani, at triſte cubile
Enceladi crebris conflagrans ignibus Ætna,
Et quos terrigenæ quondam ſtruxere Gigantes;
Auſi ſtelligero regem depellere cœlo:
Non procul Eridanus Phaethontis grande ſepulchrum,
Quod mœſtæ lachrimis quondam ſparſere ſorores,
Donec paulatim liquefactas abſtulit almus.
Inde pater Tybris, tum Rhenus proximus Iſtro
Ad fontem, quamuis poſt in diuerſa fluentes,
Rhenus ad occaſum ſolis, fluat Iſter ad ortum.
Præcipitansque Ararim Rhodanus tam longa morantem
Flumina, diuitiorque Tagus, vel Betis Hiberus,
Tigris & Euphrates, tum Ganges, Nilus, Hydaſpes,
Sperchiosque ſenex, & mœſtis Inachus vndis.
Te Benace loquar caſus imitate marinos,
Et quondam inferni veneranda ſilentia Auerni.
Nil habet hoc cœlum, nil tellus, nil mare vaſtum,
Quod non præſentent variis aulæa figuris,
Ac paſcant animum naturæ arcana ſecutum.
Nunc taciti pompas veſtis tranſimus & auri,
Ac varias Arabum merces, pictisque tapetis
Inſtratas ſedes, Indi quas nobile dentis
Suſtentabat opus ſecta teſtudine factas,
Quis delubra DEum feſtina fronde per vrbem
Velatam, & ſacræ nituerunt cultibus aræ,
Priuataque domus, ac regia cæſare digna.
Si quis ſcire velit, longe maiora requirat

Quam

Quam feſtinanti liceat narrare ſeorſum,
Talis erat cultus, talis modo Cæſaris aula,
Qualem crediderim ſuperis, eum Juppiter olim
Exhibuit menſas latus poſt bella Gigantum.

ARGUMENTUM ENCOMIASTICI SECUNDI.

Cæſar concilio ſtatim vocato,
Factum poſt ſuperis ſacrum, profatur.
Oſtentis ſubito DEI reuiſis.
Fit Rex Æneadum potens auorum
Longo ſtemmate Maximilianus.
Quem poſt Laudibus efferunt in omnem
Victuris obiter perennitatem.

QVINCTI ÆMYLIANI CIMBRIACI POETÆ ENCOMIASTICON II. AD DI. CÆS. FEDERICUM IMP. ET MAXIMILIANUM REGEM ROMAN.

EXpectata dies regem viſura Quiritum,
Illum belligerum diuo de Cæſare natum,
Eois ſurgebat equis, vel letior illa,
Qua pater imperii quondam ſuſcepit habenas,
Et qua Scipiadæ Romani fulmina belli,
Aut ingens Libyæ vaſtator ſigna Quiritum.
Tum læto Phaeton ſpargebat lumine terras,
Ridebatque dies, nec toto nubila cœlo
p.298 *Vlla videbantur, cum diuus Cæſar, & ille*
Maximilianus honos, & auita gloria gentis
Illuſtresque duces ſubierunt templa, ferentes
Vota DEO ſanctasque preces. Ex ordine ſacris
Perfectis, ſedem Cæſar conſcendit eburnam,
Sceptra tenens dextra, veſtemque indutus & aurum,
Ac capiti impoſitum gemmis diadema coruſcans.
Intenti ſiluere omnes, vel principis ora
Mirati ſolio pro maieſtate ſedentis.
Non procul hinc præſtans ſapienti pectore, & armis,
Maximilianus erat. Qualis poſt bella Gigantum,
Aetheriam in ſedem patrisque vocatus in aulam,
Mauors terribili miſcebat prælia vultu,
Sanus adhuc, talis diuino Cæſare natus
Concilium ingreſſus, comitum ſtipante caterua,
Conſedit medius. Cuius ſi facta recenſem,
Æquabunt veteres non ficta laude triumphos,
Collatusque illis longe ſuperabit Achillem,
Longe Tydiden, longeque relinquet Vlyſſem.
Tales ſunt vires, talis prudentia rerum,
Siue opus in caſum ſubito concurrere Martis,
Seu conferre manus, ſeu tuto ponere caſtra,
Seu vim facundis certantibus addere verbis,

Seu vexare hoſtes, & ſoluere bella morando,
Fortunamque omnem juxta ſuperare ferendo,
Hunc ergo latis venientem plauſibus omnes
Excepere, omnes & laudauere ſedentem.
Tum breuiter placido Cæſar ſic pectore fatur,
Concilii expoſitis longo prius ordine cauſis:
Nunc legite ex vobis unquam, qui frena ſecundi
Accipiat regni, & currum moderetur habenis,
Quas ego cedo libens: quando jam ſerior ætas
Admonet, & labens fidei reſpublica noſtræ,
Vt mihi ſuccedat, qui fortia munera Martis
Tractet, & immenſum pacem diffundat in orbem
Plus ætate vigens. Cui, dum per fata licebit,
Addam me ſocium, ac monitis opibusque juvabo.
Sim licet ipſe ſenex, quando vel grandior ætas
Conſiliis prodeſſe poteſt, ſic viribus vti
Non liceat. Pylius ſic poſt duo ſecula Neſtor.
Profuit, iratus cum non pugnaret Achilles,
Sub Phrygiis caderent Danai. Sic fatus Olympi
Alloquitur regem, Si non indebita poſco,
Da pater omnipotens, cui parent ſydera mundi,
Cæruleique maris tractus, terræque iacentes,
Qui regat imperium mecum, dum vita manebit.
Et poſt fata, meas in totum ſumat habenas
Regnorum, ac ſæuos bellis exerceat hoſtes,
Tuteturque fidem, cuius ſtudioſus in oras
Victor Idumæas Romani inſignia ſceptri
Proferat, ac gentes armis contundat, & omnem
Perfidiam reprimat, Solymorumque aſſerat vrbem,
Ac Domini natale ſolum, ſanctumque ſepulchrum,
Quæ mea cura fuit, quod ſi mihi fata dediſſent,
Non ita Maumethi creuiſſent regna nefandi,
Turcarumque genus. Scis tu pater optime rerum,
Et ſine fine DEus, qui nutu ſydera torques,
Qui ſuper aſtra ſedes, fidei voluiſſe potentes
Noſtrai quondam me auctore & principe Reges
Concilio in magno contra capere arma furores
Turcarum, ac ſæuas bello compeſcere gentes.
Hocce animi fuerat Venetis ſocialibus armis,
Pontificique Pio, populisque fidelibus, omnem
Maumethi ſectam, ritusque abolere neſandos.
Verum aliter viſum fatis. Da ſancte Deorum
Quæ petimus, dexterque meis illabere votis.
Vix ea fatus erat, cælo cum flamma ſereno
Arſit, & in medium viſa eſt deſcendere longis
Tractibus, ac rutilos circum depaſcere crines
Maxmiliane tuos, qualis cæleſtis Julo
Lambebat crines quondam ſacer ignis & ora.
Oſtentis ſtupuere omnes, trepidique ferebant
Auxilium, ſacram conati extinguere flammam,
Cum ſubito ex oculis tenues ſacer ignis in auras
Innocuus fugit viſum, fumoſque relinquens.

Hic

Hic ſanctum Cæſar ſupplex ita lumen adorans :
O ſalue quacunque venis, quacunque recedis
Tam ſubito ex oculis lumen venerabile noſtris.
Agnoſco numen : DEus hæc oſtenta ſecundet.
Sed metuo fumum, qui te fugiente relictus
Inuoluit crines, ac circum tempora nubem
Offudit cæcam, verum regnator Olympi
Speratis meliora dabit, qui cuncta per æuum
Æternis regit imperiis, & temperat orbem ;
Cœlorumque globos, vix hoc ſermone peracto ;
Ecce iterum lumen, ſed longe clarius, alto
Emicuit cœlo viſum ſigna coronam,
Atque eadem circum depaſcere tempora crines.
Agnouere DEI numen, ſuperosque precati,
Accipiunt omen læti, Regemque ſalutant ;
Certatimque patri tantum gratantur honorem,
Nec minus Æneadum Regi, tum Cæſar adorans
Conſtitit, ac placida ſupplex ſic voce profatur,
Intendens pariterque manus & lumina cœlo :
Tu mundi ſupreme parens, tu conditor orbis,
Quem fluctus, quem terra colit, quem ſydera honorant,
Cuius & inferni iam manes iuſſa ſequuntur ;
Dexter ades, votisque pater precor annue noſtris.
Si ſuper imbriferas nubes, ſuper æthera trina
Maieſtate ſedes, ſi te vel pallidus Orcus
Contremit, ac metuunt horrenda ſilentia Auerni,
Si tibi paret Helix tepidis depreſſior Auſtris,
Si te ſublimis veneratur Parrhaſis Vrſa,
Aſtriferique globi, ſeruet hunc oro Quiritum
Incolumem Regem, tua grandia iuſſa ſequentem.
Fac ſuperet patris titulos, & ſtemmata auorum.
Dixerat, excipiens Rex eſt ſic ore locutus :
Cœlorum terræque ſator, rerumque poteſtas
Non vllis comprenſa locis, tibi cognita ſoli,
Per quam ſubſiſtunt, quæ continet omnia cœlum ;
Productumque tui exemplar, quæ verba ſecutus
Oſtendam gratumque animum, mentemque benignam,
Ac tibi debentem meritas, quas ſoluere grates
Non potis eſt ? quid enim queat hæc imbella poteſtas ?
Et tua ſunt certe, falſo quæ noſtra vocamus.
Sed nec pro meritis hominum facundia laudes
p.200 *Ferre poteſt, centum licet ora ſonantia linguis,*
Et ſacrum Aonides moueant Helicona ſorores,
Quamuis Threicius vates traxiſſe feratur
Syluas, & cantu manes placaſſe ſilentes ;
Deficiat tamen, ac laudum pars vna tuarum,
Illa ſi tenter, mirabitur Orphea victum.
Dircæoque ſacros deplebit fonte liquores.
Ipſe tibi ſatis eſſe potes, quencunque dediſti.
Hunc mihi ſeruato rerum pater optime honorem :
Inque tuos nutus noſtram precor exige mentem,
Atque mei longum ſerua genitoris honorem.

Ad Electores.

Viuat, & Euboici tranſcendat pulueris annos.
Præterea vobis multum debere fatemur,
Magnanimi proceres etiam ſuper æthera noti,
Qui nos imperii dignos habuiſtis honore:
Pro quo vel grates, vel debita præmia reddam.
Sic fatus; ſiluit, cuncti pia verba ſequuntur.
Tum promiſſa DEO ſoluunt ex ordine vota,
Appendunt ſua dona tholis, ſua munera ſacræ
Accipiunt aræ: præcinctus veſte ſacerdos,

Miſſæ ſacrificium.

More patrum, & fidei diuino dogmate noſtræ
Thuricremas diuis ſupplex operatur ad aras.
Non hic taurorum placatur ſanguine fuſo,
Non poſitis holocauſta ſacris altaribus ardent,
Cæduntuve homines Scythicæ de more Dianæ:
Sed qui panis erat, verum fit corpus & vnda
Fit ſanguis, Chriſtusque pias offertur ad aras.
Hic quodcunque vides, diuinum credito corpus.
Ac Chriſtum eſſe puta, non te decepcrit error,
Corpore vel quoties fit ſacrum ſanguine Chriſti.
Alternant pſalmos, reſpondent organa pſalmos,
Et tuba multiplici crepitans ſonat ærea cantu,
Accenditque animos, variis ſpectacula ludis
Eduntur, pars currit equis, pars bella ſub armis,
Strymonii oſtentat Martis ſimulachra furentis,
Certaturque haſtis, pars nexa fronde coronas
Imponit capiti, menſis epulatur opimis,
Perque vias paſſim molles ætate puellæ
Cum pueris ſaltant, & læta carmina dicunt.
At Regem interea dictis affantur amicis

Principum gratulatio

Illuſtres proceres, quibus eſt data copia fandi.
Salue magna ducum laus, ſalue ſplendida Martis
Gloria: quem cœlum, diuinaque iura ſecuti
Legimus Auſoniæ Regem, magnique ſecundum
Rectorem Imperii, firmet data conditor orbis
Numina, maiores titulos tibi fama per ævum
Orditur, ſedemque parat, qua lacteus orbis
Aſtrigeri tacitos curſus miratur Olympi,
Seu qua regna monent gelidæ prope cornua Lunæ.
Plus certe Elyſius debent tibi ſydera campis,
Et qua Sigæi nunc induis arma Quirini,
Si venies, quo tendis iter, quo ſtemmata auorum
Inclyta, quo magni virtus ſudata parentis
Te vocat, & plenis ætas robuſtior annis;
Si rerum dominæ quondam victricia Romæ
Signa feres, qua ſumma vagi ferit æquora Thetys
Oceani, latasque premit circumflua terras,
Quo tibi conceſſit ſacrum diadema Quiritum
Cæſar & imperii iunxit ſocialibus armis
Te ſocium, titulos tradens ad regna minores.
Sic Atlas quondam cupiens requieſcere, magnum
Sufficit Alciden: nitidis Tyrinthius aſtris
Succedit, dorſumque ſenis leuat ipſe ferendo

p.201

Hirta

Hirta Cleonæo conſtratus membra leone,
Plus ætate vigens mirantur ſydera tantum
Immanes ſuſſerre humeros, & iam ſtupet ipſa
Alternas natura vices, durare per ævum
Jam longum, nulloque abſumi tempore vires.
Sic te belligerum ſtupet vnda binominis Iſtri,
Corniger & flexo ſinuoſus gurgite Rhenus,
Ac Rhodano confuſus Arar, gelidusque Lemannus,
Herciniumque nemus, ſtupet vltima terra gelati
Oceani patris, diuesque Britannia Solis,
Acceptum in patrem regnorum, & ſceptra Quirini
Sufficere imperio, iuſſisque ingentibus olim;
Vt pater optatam decurſa ætate quietem
Exigat, & vitæ reliquum ſine Marte reponat
Securus, poſt bella feri compeſcita Rheni,
Cum tulit auxilium tibi Nuſſia Cæſar, & armis
Vix tunc ſperatis immanem depulit hoſtem: *
Poſt & Pannonios vario certamine fractos,
Vltaque vel toties ciuilis bella furoris,
Viſa Paleſtinæ ſaeraria maxima terræ,
Et natale ſolum pueri cunabula Chriſti,
Bisque ſalutatæ fulgentia limina Romæ.
Tantus amor, fidei tanta eſt reuerentia noſtræ.
Quid nunc laurigeros labor per bella triumphos?
Dum validas plenus vires ad fortia ſanguis
Munia præbebat, longe maiora ſedendo
Exegit, quam qui crudelia bella ſequuntur.
Sic te Belgarum diuino pectore fecit
Maxmiliane ducem, ſic nunc tibi ſceptra ſecundi
Tradidit imperii. Tu tanti nominis hæres
Ingrederis regnum, quantus Peleus Achilles,
Aut Tros Hector erat; quantus, qui vectus ab Iſtro
Aeſonides rediit poſt tanta pericula victor,
Aut de Cretæis Theſeus fortiſſimus oris,
Et iam terdecies conſertis fortiter armis,
Terdecies fracto remeaſti victor ab hoſte,
Raptas exuuias inimicaque ſigna reportans.
Qualis ſeuorum proſtrata mole Gigantum.
In ſolium rediit Phlegræis Jupiter agris,
Cum fumaret adhuc tellus madefacta cruore,
Ac durum Inarime premeret congeſta Typhoeum:
Sic quondam nigris Lenæus victor ab Indis
Venit ad Ogygios frenata lynce penates.
Tu decus Auſoniæ, & Germanæ gloria gentis,
Viue diu fœlix, fauſtumque per omnia regnum,
Victricesque aquilas, & tradita ſceptra miniſtres,
Vt vincas quicunque olim rexere Quirites,
Germanasque vrbes. Totos vbi vixeris annos
Hic tibi conceſſos, venias in ſydera mundi
Spiritus, & fœlix æterna pace fruaris.

* Caroli Burgundum.

Vtum auctoris.

ARGUMENTUM ENCOMIASTICI TERTII.

p.202

SÆvos inuidiæ refert furores,
Et Regem Auſoniæ malis retentum
Brugarum inſidiis, ſubindem oras
Bellorum ſubito manus in hoſtes.
Hinc miſtas lachrimis pias querelas.

QVINCTI ÆMYLIANI CIMBRIACI POE. ENCOMIASTICON III. AD DI. CÆS. FEDERICUM IMP. ET MAXIMILIANUM REGEM ROMAN.

ET iam fama volans totum compleuerat orbem,
Illum diuino præſignem Cæſare natum
Auſoniæ Regem ſceptrum ſubiiſſe Quirini.
Ergo Oratores diuerſo ex orbe profecti
Laudatum veniunt pariter natumque patremque.
In primis Veneti, quorum facundia laudes
Et Regis bello mauortia facta ſecuta
Mouit Fortunæ inuidiam. Nunc triſtia dicam
Facta, ſed inuitus, vellem tibi læta per omnes
Ad citharam numeros deducere carmina, Cæſar,
Cui ſi tu faueas, non eſt cur numina vatum
Sollicitem Muſas, Nyſæique orgia Bacchi,
Occiſoque DEI tripodas Pythone canoros.
Hanc igitur cantus etiam precor aſpice partem;
Nec quia non placeant, ideo contemne canentem
Brugarum inſidias, ac triſtia facta furentum,
Gandarumque ſcelus, quod nunquam deleat ætas;
Si quondam ante rogos auditur flebile carmen,
Et iuuat exhauſtos olim meminiſſe labores,
Illuſtrisque magis per ſumma pericula virtus
Redditur, ac profert victurum in ſæcula nomen.
Si non erraſſet, minus eſſet notus Vlyſſes.
Noſcitur Æneas Troianis exul ab oris,
Dum maris & terræ patitur, bellique furores.
Notior ad Troiam ſæuus dum pugnat Achilles,
Quam dum ſemiferi cantat Chironis in antro.
Sic tuus inſignis poſt tanta pericula natus
Maior erit, quam ſi conceſſa tempora vitæ
Egiſſet ſortem nunquam perpeſſus iniquam.
Non hic te, Cæſar, per longa exorſa morabor:
Summa ſequar fidibus concede ſonantibus aures.
Hic mihi Pierides, & erit mihi magnus Apollo.
Cum ſic vnanimes Regem feciſſe Quiritum
Fortuna. *Cognouit Fortuna duces, tituloque minore*
Imperii nato magnum ceſſiſſe parentem,
Ac totum lætari orbem, ſummisque per omnes
Laudibus in cœlum tolli; ſubriſit amare
Sæua mouens animo, nec tu per numina noſtra
Rex (ait) Auſoniæ mihi non exercitus ibis,

40. *Quam-*

Quamuis promittat ſacram tibi Jupiter aulam,
Nec minor Alcide venias ad regna Quiritum,
Ac tibi certatim populi gratentur, & orbis
Lætitia incedat, magnosque exſoluat honores.
Te ferat in cælum Veneta legatus ab urbe
Laudibus Hermoleos, * *quo non iam plenius alter*
Scrutatus cauſas, & lati ſemina mundi,
Haurit Dircæo vates ex fonte liquores.
Dixit, & vt Gandas Brugasque armaret in iras,
Ocyus infernis pallentem dira ſororem
Sedibus Inuidiam exegit, qua vaſta vorago
Ducit in abruptum duplicata nocte barathrum,
Tartareamque domum, pernix volat illa per vrbes
Magnas, ſumma petens, ſequitur liuorque dolorque,
Æternique metus comites, ac triſtia pallor
Ora mouens, dubiæ comitatur murmura linguæ.
Excitat illa animos Gandarum, & pectora acerbis
Irritat ſtimulis, Brugasque hortatur & vrget
In ſcelus, æternæ promittens nomina famæ,
Si capiant Regem ſociata fraude Quiritum,
Ac morti dedant pro libertate ſuorum.
Ante oculos proponit auos, & facta parentum.
Belliger in Gallos iam tum Rex arma mouebat
Per Brugas, igitur factis gens effera iniquis
Compoſitis, tenuit captiuum fraudibus illum
Nil ſic ſperantem, portisque exire vetabat:
Vel maius factura nefas, ni bella moueri
In ſe continuo, atque vltricia ſigna venire
Audiſſet. Libycis ceu cum Getulus in oris
Jam ſine patre furens luſtrat leo tecta ferarum,
Nec timet inſidias, nec ſubdita regna veretur:
Tam præſtans animi fertur ſecurus in hoſtem.
Si tamen exceptus vaſto claudatur in antro,
Non exire potens; ſecum crudelia frendit,
Secum indignatur, ſecumque exæſtuat ira.
Tum Timor inuadit ſylvas, tum ſæua ferarum
Agmina captiui ſortem miſerata leonis
Horreſcunt; acti donec non immemor aui
Extemplo mortis genitor ſibi vendicat armis
Natum, immane fureus, ſubitoque vlciſcitur hoſtem.
Sic toties victor quamuis iuuenilibus annis
Ille tuus, Cæſar, natus per regna ſuasque
Incedens vrbes, cum bellum ferret in hoſtes,
Armatasque acies, & pictis Teutonas armis;
Nil metuens clauſa ſubito retinetur in vrbe
Brugarum; ille dolis vel circumuentus iniquis
Quamuis captiuus, tamen imperterritus hæſit,
Multa mouens animo, Fortuna agnouit iniqua
Et fraudem, & caſus, & inexorabile fatum.
Quo præceps fortuna ruis? quo triſtia lætis
Permiſces rebus? quantis veſana periclis
Quæſitum decus, & magnarum pondera rerum
Diſturbas? quantos humana negocia motus

p. 203

* Hermolaus Barbarus.

Inuidia.

Rex capitur Brugis.

Excipiunt,

Excipiunt, miſcentque vices? heu ſortis amarę
Interdum, & fragilis laudata potentia ſceptri.
Talibus incuſat Rex indignatus acerbam
Fortunam, rerumque vices ſub corde volutat.
At tu noſtratis fidei venerabile, Ceſar,
Exemplum, ac magni certiſſima gloria mundi,
Non iter euitans, non longi incommoda belli
Pro nato fugiens, quamuis grandauus & annis
In ſenium verſis, ſubito capis arma, ducesque
Primus in arma vocas, Romanaque ſigna ſecutos
Ducis in aduerſos Brugas, quos Marte coactos
Exceptum inſidiis etiam tibi reddere natum
Fregiſti victor, quod nunquam deleat etas p.204
Poſtera, dum Nilus ſepteno gurgite pontum,
Dum prior exurgens venienti nocte ſequetur
Stella diem Veneris renouato nomine Veſper,
Ceſaris hoc factum cunctis mirabile ſeclis
Semper erit, nomenque diu per vota nepotes
Sponte feret ſeros; nulloque tacebitur euo,
Dum Sol flammigera luſtrabit lampade terras,
Et ſoror obliquos incedet luna per orbes,
Principis hæc pietas: pro qua tibi debet Olympus,
Ceſar, honoratam ſedem, cum munere vitæ
Functus in aſtra ſenex ibis, qua lactea mundi
Pars vacat, & nullis turbatur nubibus æther,
Qua ſedes hominum, gelidæ qua proxima Phœbe
Regna beatorum, quos vsque in ſidera virtus
Vexit ab Eliſiis poſt longa obliuia campis,
Talia præclaris redduntur præmia factis,
Poſt cineres ſurdos, ac plenam manibus vrnam,
Et quæſitorem vitæ Minoa relictæ;
Qualia iam totum de te pia fama per orbem
Spargit, & intentas hominum ſibi vendicat aures,
Quali tartareas Orpheus cum venit ad vmbras
Mouit voce DEos, quis enim modo neſcit honores
Ceſaris, ac laudes habitosque ex hoſte triumphos?
Vnde venit Phaethon, & qua ſe condit in vndas,
Qua tonat extremi ad Boream pars vltima mundi
Qua Notos exurgens depreſſam deſerit Arcton,
Auditum eſt, ſpreta Brugas pietate rebelles,
Atque feros Gandas (quibus & ſua præmia reddant,
Si mouet ira DEos, ſi ſunt qui talia curent)
Horrendum feciſſe nefas; iuuenemque potentem
Et formæ egregium, & ſublimem laudibus olim
Captiuum tenuiſſe ducem: cum ferret in hoſtes
Jam toties victor, iam toto cognitus orbe
Armatas acies, & martia ſigna per oras
Belgarum, ac fremeret tellus hoſtilis, & illum
Optatum votis ſperaret Gallia regem.
Præterea comites Regis violaſſe nefandis
Vulneribus, quosdam raptos in vincula ſæua
Confeciſſe fame, aut ferro ſecuiſſe bipenni.

145. *Quid*

Quid tibi mentis erat, eum talia facta videbas
Præsens? heu quales surgebant pectore ab imo
Tum gemitus, quantis implebas questibus auras,
Fortuna inuidiam lachrymis facturus iniqua.
Non sic Circais socios plorauit Vlysses
Ingeniis versos variarum in monstra ferarum,
Aut easos duri vasto Cyclopis in antro,
Qua rapidis ardens flammis exæstuat Ætna;
Non sic Æacides raptum sibi fleuit Achilles
Cade Menœciaden, nec tantis fletibus olim
Phœnix exceptos Cadmus quæsiuit amicos,
Ogygiæ quondam positurus mœnia Thebes
Certatura odiis: non sic delatus in oras
Pœnorum Æneas nunc acrem flebat Orontem,
Nunc Amycum, fortemque Gian, fortemque Cloanthum.
Horum virtutes magna cum laude secutus
Nil pro te quereris; tibi nam mitissime regum
Plus aliena dolent, tu sortem expertus iniquam
p.205 *Nunc socios comitesque tuos, fortesque phalangas,*
Nunc dulcem natum Belgarum sceptra tenentem,
Atque tibi & superis debentem magna Philippum
Quærebas lachrymis, tu sydera conscia fati,
Tu superos testes supplex in vota citabas,
Præsentisque animam, & numen spirabile mundi,
Te nullas vitasse vites, cum fortiter olim
Pugnares nati pro libertate, fuisset
Hic tibi dulce mori: siquidem per vulnera letum
Quod venit, plus laudis habet, nunc facta priorum
Occurrunt, veterumque subit tibi gloria patrum,
Nunc decus imperii, cari genitoris imago,
Maternumque genus, quo Lusitania priscis
Laudibus accedit, magnumque meretur Olympum;
Vnde tibi genitrix mores edocta priores,
Atque fidem Christi, cultrixque operosa Minerua,
Atque pudicitiæ, qualis qua sanguine quondam
Coniugis & patris mouit Lucretia vultus,
Vlta virum; talis diuinam principis aulam
Intrauit coniunx maturo nubilis æuo,
Qualis ad Æmonium venit Nereis amicum
Pelea fatorum decretis mater Achilli
Sydereo quondam vetito succedere Olympo.
Illa Thetis, Peleus Cæsar, tu magnus Achilles,
Heroum æquastis laudes & fortia facta,
Tu rex Æacida, tu Cæsar Peleos, ipsa
Nerines genitrix; quæ nunc pro talibus oras
Possidet æthereas felix, qua morte labores
Non vidit præuenta tuos, nec lumina fletu
Turbauit plorans captiui incommoda nati.
Felix præterea coniunx, qua tristia facta,
Infandumque scelus Brugarum nescit, & iras:
Angelicis sociata choris, vbi pace quiescit
Æterna, ac nullo turbantur gaudia luctu.

Illic non habitant lachrymæ, ſæuique dolores,
Non morbi, triſtesque metus: non curua ſenectus,
Non vaga paupertas, nec habendi dira cupido,
Nec furor inuidiæ, non vana ſuperbia vitæ,
Sed tranquilla quies, & gaudia ſumma per omnes
Annorum curſus, venturaque ſæcula mundi,
Hic te ſancta parens, hic te caſtiſſima coniunx
Iampridem expectant, ac ſumma pace fruuntur,
At tu viue diu terris, & perge per omnes
Maiorum titulos, partosque ex hoſte triumphos,
Maxmiliane, licet fueris captiuus, & olim
Te flerint populi, te magnis quæſtibus vrbes
Quæſierint concuſſa omnes, te nocte, dieque
Plorarit natus, te carum filia pignus,
Te ſoror, & mœſtus terrarum fleuerit orbis.
Solus in aſtrigerum Cæſar conuerſus Olympum,
Non mœſtos habuit vultus, non ſigna doloris
Vlla dedit, fletus ſed lamentaque tenere
Conſtituit, magni quod ſciret lucida mundi
Aſtra mouere diem, propiusque accedere, fatis
Cum maris imperium ac terra ſecurus habebit,
Qui nunc Brugarum captiuus fraude tenetur.
Hinc Cæſar nato conceſſit regna Quirini,
Atque ideo ſecurus erat, nec ſigna doloris
Vlla dabat; totus quamuis exterritus orbis p. 206
Eſſet, & ingentes mortalia pectora cura
Turbarent, veluti ſi vinctum fraude Gigantes,
Captiuumque Iouem multo cuſtode tenerent;
Arma ſenex caperet, ſuperosque ad bella vocaret,
Non tereret lachrymis tempus, quin protinus hoſtes
Iret in aduerſos, tum lati regia cœli
Suppetias ferret. Sic tu, fortiſſime Cæſar,
Pro nato capis arma ſenex, ac Martia ſigna
Tollis in aduerſos Belgas, ſtragemque minaris,
Excidiumque vrbis, caput obiectare periclis
Stat tibi, & infeſtis ſubito concurrere telis;
Ni reddant natum Brugæ, portasque recludant,
Atque tibi faciant. Ergo te principe magni
Ductores coeunt, percuſſaque fœdera iungunt
Germani bello clari, Mauortis alumni,
Qui prima Iliacam referunt ab origine gentem.
Cognatosque DEos, & proxima ſigna Quiritum,
Quamuis indigenas malint audire vetuſtos,
Atque ferant Mannum, patremque Tuiſcona Manni,
Mœnia teſſentur licet Aſciburgia Vlyſſem,
* Tacit. in Germania. *Herculis aduentum memorent,* genus aere virorum,*
Aſſuetum bellis, ſubitamque accerſere mortem,
Ac promptum conferre manus in bella feroces.
Nunc pro captiuo percuſſo fœdere Rege
Coniurant Brugas communi exſcindere ferro,
Gandarumque genus ſanis vrgere periclis,
Sternere cæde viros, captiuas ducere matres,
Dedecus hoc illi vel ſumma iniuria genti.

205. *Anli-*

Aulide ſic quondam tumidis iurauit Atridis
Græcia tota, genus bello delere vetuſtum,
Nec prius à poſitis olim diſcedere caſtris,
Juratisque Deis in verba Agamemnonis, olli
Quam verſa in cineres vidiſſent Pergama Achiui,
Captiuasque nurus poſita venire ſub haſta
Pro raptu, & fidei violato iure Lacænæ.
Sic duce Chriſtophoro mouit Germania bellum,
Juratosque Deos ſic Cæſaris arma ſecuta eſt.

ARGUMENTUM ENCOMIASTICI QUARTI.

BRVGÆ nunc iubitis mali coacti
Excuſant ſcelus, & ſibi precantur
Per facta inclyta Maximiliani.
Ergo Rex veniam dabit petitam.

QUINCTI ÆMYLIANI CIMBRIACI POE. ENCOMIASTICON. IV. AD CÆSS. FEDERICVM IMP. ET MAXIMILIANVM REGEM ROMAN.

JAM qui cornigeri pallentia frigora Rheni,
Boiorumque vrbes, ac duris proxima Rhetis
Saxa colit, poſitasque domos in montibus altis,
Victrices aquilas, Germanaque ſigna ſecutus
Ibat in arma, furens animis, camposque per omnes
Jam poſitis caſtris prædas vectabat, & vrbem
p.207 *Brugarum ingentem longa obſidione premebat*
Magnanimus ductor, flammis & cædibus agros
Vaſtabat Germanus eques, ſic Hannibal olim,
Ille Saguntinæ vaſtator barbarus vrbis,
Inuaſit Latias ſuperatis alpibus oras:
Sic Lybyam oppreſſit ductor Romanus, & arces
Scipio Phœnicas ſubito certamine vicit,
Ille triumphator Pœnorum maximus, ille
Aſſertor patriæ, Latialis gloria gentis,
Nunc etiam Aonides precor aſpirate ſorores,
Et mihi (ſi mereor) cantus, citharamque mouete.
Dura fames intus, Germani triſtia Martis
Bella foris, ſanique premunt contagia morbi.
Crudeles mors atra manus exercet & iras,
Peſtilitate furens, qualis per Dorica caſtra
Vita ſacerdotem, contemptaque numina Phœbi
Sacra, cateruatim Danaos in tartara miſit.
Continuo exoritur ieiuna maxima plebis
Seditio civica intra Brugas.
Seditio: in primis vulgi ſua damna queruntur,
Quod iam non vendant merces, quod littora naues
Non ſubeant ſolitæ, quod non diſpendia belli
Ferre queant, duramque famem, triſtesque labores:
Præſertim quoscunque humilis fortuna ſubegit

Quottidie panem mercari, & quærere victum,
Incuſant proceres, maioraque verba minantur.
Scilicet incluſi paucorum crimine mortem
Nos viles anima non vna morte feremus?
Nos bellum, triſtisque fames, morbique furentes
Conficient, nec erit finis ſperata malorum?
Ante oculos nati, (prob ſi qua eſt cura Deorum)
Imbelles ætate ſenes, lectique iugales
Cade cadent, longaue fame, peſtisve furore
Occiderint nondum matura ætate puellæ,
Arſerint & longo tandem quæſita labore?
Vt paucis cumulentur opes, vt regna ſequantur;
Nos mortem horrendam, nos triſtia fata ſubimus.
At cur non potius cuncti per tela furentes,
(Quod placeat ſuperis) vlciſcimur ante cadendum?
Vt diſcant ſine plebe patres, ſine paupere dites
Fortunam non ferre, licet per vulnera mortem
Exigere vltricem, ac pallentes ire ſub vmbras.
Primo ſecretim, poſt hæc per compita paſſim
Cuncta ferebantur, veluti cum ſurgere venti
Incipiunt, æquor tacitis immurmurat vndis,
Horrida commoti ſubeunt dum prælia fluctus.
Præſenſere Patres, ac decreuere furorem
Et populi mulcere iras, vbi craſtina terris
Attulerit lux orta diem, tibi reddere natum
Incolumem, Cæſar, veniamque orare precando,
Ante pedes Regis proiecti expoſcere pacem.
Interea nigris paulatim aduecta quadrigis
Nox ſubit, & tantum ſurgens ſe tollit in auras,
Quantum Phœbus equis imos inuiſit anhelis
Antipodas rediens; & iam ſub nocte ſilenti
Per mare, per terras animalia feſſa quierant,
Cum Rex portantem rerum ſimulachra nouarum,
Vix oculis ſomnum accepit. Namque ire videbat
Tiſiphonam horrendam, & pallenti condere morte
Tela cruenta manu, Brugasque venire precatum p.208
Suppliciter veniam, portasque patere recluſas,
Ac ſeſe egredier, patrisque in caſtra ſubire,
Brugarum lecta comitum ſtipante caterua.
Ter ſomno excitus, ter ſomnum vidit eundem:
Tum ſurgens inquit, DEus hæc mihi viſa ſecundet,
Euentusque ferat monſtratos conditor orbis.
Quicquid erit, noſtram oblectant inſomnia mentem.
Orta dies aderat, Patres de more Senatu
Tunc habito, atque DEO perfectis ordine ſacris,
Ad Regem veniunt humiles, precibusque paratis
Illum aſſertorem patriæ Regemque ſalutant.
Heu mentes hominum varias, quæ triſtis Erinnys
Vos agitat? nemo ſic ſe componit, vt olim
Non ſibi diſpliceat. Bruga modo perdere Regem,
Inuiſumque humeris cupiebant ponere faſcem:
Nunc illum laudant, titulisque ingentibus illum

In

In cœlum extollunt, perque omnia vota precantur
Suppliciter, veniamque orant, referuntque, quod ille
Geſſerat in Leucos, quibus interceptus ad vmbras
Carolus ex oculis abiit, nec protinus illum
Quisquam hominum vidit. Regnum inuaſere ſubinde
Continuo Leuci: non iam ſpes vlla ſalutis,
Non erat auxilii, quid enim ſine coniuge poſſet
Fœmina, vel tantis ſubito circumdata turmis?
Non bellis aſſueta manus, ceu dia Camilla
Volſcorum regina fuit, ſeu qualis in armis
Penteſilea furens, ferroque armata bipenni
Duxit Amazonidas, tellus cum Troica quondam
Ferueret, & longo pugnaret Gracia bello.
Non aliter fido quondam ſpoliata magiſtro
Puppis in Aegao commotis fluctuat vndis,
Quam circumſiſtunt vario certamine venti,
Hinc Boreas, illinc bellum mouet humidus Auſter.
Stridet ab Hiſpanis Zephyrus, ſonat Eurus ab Indis,
Æquora conſurgunt, crebrisque inſultibus vrgent,
Donec Tyndaridum ter fulgens nobile ſydus
Æquoreas conſtrauit aquas, tum nauita ſurgit,
Grataturque Deis, ac vota in littore ſoluit.
Sic vxor rapti nuper per bella, per hoſtes
Belgarum domini Leucis oppreſſa cateruis,
Pendet inops animi, atque ingenti fluctuat æſtu,
Quam circum dubii reſonabant pralia Martis,
Quid faciat viduata viro, viduata marito
Fœmina? vel tantum mœrens pro coniuge rapto?
Ac pene exhauſtis regnorum viribus? ergo
Illa fidem implorare DEI, manesque vocare
Coniugis erepti: cunctis ſe credere diuis.
Cui Maria ingentes duplicabat filia curas,
Jam matura viro, iam plenis nubilis annis,
Quam DEus & patris regnum dotale manebat,
Ni raperent hoſtes. Igitur (ſic aſtra ferebant)
Egregius factis, ac longo ſtemmate auorum
Illuſtris, belloque licet iuuenilibus annis,
Non expectatus ſubitam, ceu numen Olympi,
Maximilianus opem tulit, & furialibus armis
Eripuit miſeras, ac regnis depulit hoſtem,
Quorum vel ſoceri ſatiauit ſanguine manes,
p.209 *Errantemque diu collegit fortiter vmbram,*
Hoſtibus exactis, regnoque in pace quieto.
Illicet in ſanctas acceſſit filia tadas,
Matre volente pias meritis ſic reddere grates,
Ac ſeruatorem propiori iungere vinclo.
Sic ſeruata ſuo victori nupſit ad Indos
Andromade cœlum ſoceri viſura tonantis.
Hæc memorant, veniamque petunt, Regemque precantur,
Per patris imperium, per ſpes ſurgentis alumni.
Qualis ſub magna ramorum pullulat vmbra
Laurus, & aſſequitur ſpacioſa brachia matris,
Si puer Aeaciden creſcendo æquabat Achilles:

Sic

Sic modo ſubſequitur Titanis Phosphorus aſtrum,
Ac modo præcedit: ſic fratris Cynthia currus
Aſſequitur, quotics renouato lumine ereſcit,
Inque ſuas bigas ſpacio breuiore recurrit,
Cornibus & maior vel decreſcentibus exit.
Creſce puer terris, & auorum facta ſecutus
Quem te ſperarunt, præſta virtute nepotem,
Præſta itidem patrem, quem Bruga in vota precantur,
Per caput vtriusque, & inexorabile fatum,
Per decus, atque olim venturum in ſecula nomen,
Et ſoceri manes, & amata coniugis vmbra,
Per cineres matris, per ſydera conſcia fati
Orant, vt parcat faſſis, dominamque potentem
Fortunam agnoſcat; ſeſe, qui cætera vincit,
Nunc etiam vincat, quando victoria maior
Eſſe nequit, nec plus laudis paritura per ænum,
Addunt, magnanimo regi præſtantius eſſe,
Incolumes ſeruare ſuos, quam perdere bello,
Quos iam pœniteat ſceleris, pro ſanguine poſſe
Nunc tantas ſatis eſſe preces, miſerabile viſu,
Supplicant Brugenſes. *Ecce alii canos fœdati puluere crines,*
Nudatique pedes, ac vincti guttura fune
Pacem orant, feriuntque manus ſua pectora triſtes,
Ductaque ſingultim longo ſuſpiria tractu
Corda premunt, veluti cum mater mœſta ſepulchro
Aſſidet, & chari lachrymatur funera nati.
Dilaceratque comas, & acutis vnguibus ora
Fœdat, & aſſiduis contundit pectora pugnis.
Sic Bruga affuſi genibus, Regemque precantes,
Suppliciterque diu triſtes ſic voce loquuntur:
Da veniam miſeris, ſortemque agnoſce malignam.
Sic tibi Rex viuat Regum, mitiſſime Cæſar,
Omniaque Iliaca tranſcendas ſecula vitæ,
Neſtoreosque dies, & longos pulueris annos
Cumæi genitor, ſeroque & in aſtra receptus,
Te videat toti decoratum inſignibus orbi
Regnantem, & tecum ſubeuntem in regna nepotem,
Amborumque omnes vitam ſuperare Sibyllas.
Sic tua ſancta parens, caſtæ ſic coniugis vmbra
Gaudeat, & felix æterna pace quieſcat:
Sic tua cura puer, ſic longum filia viuat,
Ac neutrum ſimiles cogat fortuna ſubire
Aerumnas: ſic te non deſerat illa Deorum
Virgo Paleſtinis enixa puerpera regem.
Hanc pugnaturus quotics in vota vocabis,
Non neget aſtrigeri veniam regnator Olympi.
Exemplum pictatis habes, en aſpice Chriſtum p.210
In eruce pendentem, proque hoſtibus ora mouentem
Ad patrem æternum, tibi nos peccaſſe fatemur.
Verum quisnam hominum ſic eſt formatus ad vnguem.
Nec peccare queat? qua ſi natura fuiſſet,
Fruſtra vel pietas, vel erat clementia noſtro
Fixa animo, lachrymis ad cor reuocantibus illam.

Nos

Nos meruiſſe mori ſcimus, miſerere tuorum,
Quando humiles veniam petimus, nec ferre negamus
Impertum, ſi nulla mouent te verba precantum,
Nec locus eſt miſeris etiam ſua crimina faſſis;
Cade tuos ferro, nos vltra ad fata venimus,
Quamuis te Ceſar repetat, mortemque minetur
Preſentem, excidiumque vrbis pro talibus auſis;
Te tamen ante ſuis, quam nos extingueret armis:
Ni freti pietate tua, tibi tendere palmas
Maluimus, iuſtasque, preces ac verba ſecuti,
Non plus laudarent venturi fata Sagunti,
Quam Brugas illis æquatos morte nepotes.
Sic fati ingenti turbabant lumina fletu,
Ac genua amplexi Regis terraque voluti
Oſcula figebant pedibus, veniamque vocabant,
Et pacem. Juſſi poſtquam tacuere, ſubinde
Sic Rex excepit: Sileo, quæ plurima poſſem
In vos ferre, viri, lachrymas nec deprecor iſtas,
Nec gemitus ſperno, nec tum pia verba precantum.
Fortunæ inuidiam agnoſco, ne flete, libenter
Hanc vobis veniam damus, & miſereſcimus vltro,
Quam deceat, ſi veſtra velim non verba, ſed ipſa
Facta ſequi, meritasque repoſcere crimine pœnas;
Sed vos excuſent fletus, ſi fraude doletis
Semotæ, ac vere ſcelerum vos pœnitet omnes.
Quod ſi per fraudes, ſi me per falſa mouetis
Gaudia, poſt magni preſentia Cæſaris arma,
Victorem ſperate DEum, mihi cedere regnis,
Et vitâ quando volet hæc fortuna, placebit.
Sic breuiter fatus manibus leuat ipſe iacentes,
Ac lætis iubet eſſe animis, & parcere fletu.
Tum poſitis lachrymis Brugæ ſic ore loquuntur:
Quando pro meritis tibi, Rex, perſoluere grates
Non opis eſt noſtræ, cœli regnator, & orbis
Præmia digna ferat, te nos ex corde feremus
Laudibus in cœlum, viuet tua gloria, viuet,
Inque dies maior veniet, dum ſidera Olympus,
Dum mare habebit aquas, medio dum terra feretur
Ponderibus librata ſuis, dum machina mundi
Audiet imperiis, viuet tua gloria, viuet,
Ac tua venturi memorabunt facta nepotes,
Qualia ſunt magni Alcidæ, tu maior auorum
Stemmatibus laudes, ſacrumque mereris Olympum.

ARGUMENTUM ENCOMIASTICI QUINTI.

BRUGÆ, cum veniam dediſſe Regem
Laudauere, ſtatim DEos precantur
Pleni lætitiæ, ſubit parentis
Tum Rex caſtra ſenis; ſtatim cateruæ
Gratatum veniunt. Subinde vates
Blanditus cytharæ, bene ominatur.

QVINCTI

QVINCTI ÆMYLIANI CIMBRIACI POETÆ ENCOMIASTICON V. AD DI. CÆS. FEDERICUM IMP. ET MAXIMILIANUM REGEM ROMAN.

p.211

Cvm primum Brugas Regem exoraſſe preando,
Atque illum cunctis veniam pacemque dediſſe
Fama tulit, ſenſim totam vulgata per vrbem;
Continuo letis implent clamoribus auras,
Ingeminant voces, reſpondet vocibus æther,
Lætitia incedunt, Regique ex ordine grates
Vicatim ſoluunt, & gaudia ſumma fatentur.
Hic vos Caſtalides precor aſpirare ſorores,
Vltima fila ſequor, faucas mihi Cæſar Apollo,
Si tibi læta cano. Votis & thure Sabæo
Incendunt aras, velantur templa per vrbem
Fronde ſacra, promiſſa ſuis eadit hoſtia votis,
Sacra ferunt noſtræ fidei de more per vrbem.
Nunc alios hominum vultus, aliosque videres
Nunc habitus, vacuum lætus ferit aera cantus.
Sic cum vaſani turbarunt æquora venti,
Aut pluit imbre diu, fugiant ſi nubila eolo,
Et cadat vnda maris, redeat lux alma, dieſque,
Illicet exoritur volucrum concentus in agris,
Tunc alis motus animorum, & nobile terris
Lumen, ſic latos Brugas dare thura per aras
Nunc videas, penitusque oblitos ante malorum.
Quin etiam ſeris monimenta nepotibus illum
Sacrauere diem, Bruga quo Rege Quiritum
Quondam exorato veniam meruere precando,
Quem iuſſi celebrent per ſæcula cuncta minores,
Mane ſalutabunt aras, lætamque per vrbem
Ordine procedent fidei vexilla ſequentes,
Et ſanctam læta pacem clamore vocabunt.
Tum variis memores edent ſpectacula ludis.
Hic mos ſemper erit: contra voluere profanum
Eſſe diem, infauſtumque operi, quo mente ſiniſtra
Alitibusque malis Regem tenuere Quiritum.
Præterea legere viros, qui iuſſa ſecuti
Suppliciter ſando placarent Cæſaris iras,
Atque pium merito Regem ſequerentur honore,
Diluerentque nefas. Titan ſurgebat Eois
Lætus equis, terrasque nouo iam nocte fugata
Lumine ſpargebat, Tyrio cum ſplendidus oſtro,
Et picturatis indutus veſtibus auro,
Cui lateri pendebat ebur; vagina coruſci
Enſis & auratis fulgentia baltea bullis
Ornabant latos humeros, & pectus honeſtum.
Quo poſitis Patroa ſedet Tritonia monſtris.

45. *Colla*

Colla flagellabant rutilantes lactea crines,
Quos etiam molli lambebat circulus auro,
Sicque DEO similis faciem Rex inclytus armis
Instratum conscendit equum, phalerisque decorum.
Qualis Bucephalus, qualis memoratur Arion,
Qualis Xanthus erat, qualis Baliarchus Achilli,
Aut talis currus, qualis tibi Cæsar in armis
p. 212 *Impatiens consortis erat, mansuetus amicis;*
Talem insedit equum subiturus castra parentis
Rex generosus auis, comitum stipante caterua,
Egreditur portis, feriunt clangoribus auras
Aere tuba incuruo, raucos dant cornua cantus,
Armiger ante suum fert arma micantia Regem.
Qualia Lemniacis aiunt fabrefacta camynis,
Et quibus indutus Pelides Troas agebat.
Sub domino præludit equus, cursumque minatur
Frena ferox mandens, aurasque hinnitibus vrgens,
Ac si Mars premeret calcaribus ilia, tanto
Suffectura DEO spacianti ad Strymonis vndas,
Ipse tamen duris reflecteret ora lupatis,
Insultet sonipes animoso pectore Dimos.
Sic Rex vectus equo patris ad tentoria venit,
Non expectatus, quamuis prænuncia fama
Hesterno vulgata die, nec credita magni
Attentas etiam mouisset principis aures,
Incolumem natum reddi, cum crastina surget
Terris orta dies, Brugasque venire preeatum.
Quo viso attonitos subitus stupor occupat omnes:
Mirantur, Regemque vident, Brugasque sequentes,
Vixque suis oculis credunt, ceu somnia eburnas
Nunc spectent egressa fores liquentia manes
Tartareos medio sub sydere noctis opaca,
Atque suos falsa laudant sub imagine sensus.
At tibi, cum natum vidisti, maxime Cæsar,
Venisse incolumem, maduerunt lumina fletu,
Tantaque sollicitum tentarunt gaudia pectus.
Quanta olim mouere senem, cum venit Vlysses,
Quattuor exactis per bella, per æquora lustris.
Tu natum reducem manibus complexus vtrisque
Oscula anhela dabas, longæuus qualiter Aeson,
Raptor vt ad patrias Phryxei velleris oras
Venit, & Adriacos pulsauit remige fluctus
Seruato, magni superatis fluctibus Istri,
Alpinisque iugis, per quæ vel nobilis Argo
Traiecta est humeris ad Iapidis æquora ponti
Oscula mille dabat post tanta pericula nato
Aeson, ac superis reddebat vota secundis.
Non aliter Cæsar soluebas debita magno
Sacra DEO supplex pro nato sospite ad aras:
Hic merces Arabum incensis altaribus ardent,
Quæsitaque preces fiunt, dum thura eremantur,
Quales conueniat tanto pro munere reddi.

Præterea auditis breuiter pro tempore Brugis,
Vix tum ſperatam pacem, veniamque dediſti.
Ante oculos verſata tuos clementia, ſenſus
Commouit placidos, ſubiit pietasque, fidesque,
Ac toties magnis virtus ſpectata periclis,
Et inuicta pariter mentem flexere furores,
Vt citra inuidiam Brugis ignoſcere poſſes,
Quæ tibi perpetuas pariet clementia laudes,
Et fama implebit, titulisque ſonantibus orbem.
Bella gerant alii; placidæ tu pacis amator,
Tu fidei cultor, tu mentem proximus aſtris
Cuncta vides cœli ſaturum arcana mouentis,
Non te perturbant fluctus, ſæuæque procellæ
Rerum humanarum, quin tu maiora ſedendo
Sæpe facis, quam qui crudelia bella ſecuti
Per triſtes hominum cædes, ſæuosque furores
Ac varias mortes, humana negotia miſcent,
In te iuſtitia eſt, placitaque modeſtia vitæ:
Raro belligeras, raro deſcendis in arma.
Quis neget, aut ideo contemnat Cæſaris acta?
Si non plus laudant irati prælia Nerei,
Quam cum proſtratus toto ſilet æquore pontus:
Nec magis hyberna ſæuiſſima frigora bruma,
Aut triſtes pluuias, quam verni temporis auras,
Quamve ſerenati mirantur ſydera cœli.
Quis niſi ſit demens, ergo tua tempora Cæſar
Accuſet, raro quod te iuuat arma mouere?
Quod tibi non placeant cædes, non triſtia Martis
Vulnera, non mortes hominum, non bella furoris
Impia terrifici? Verum ſi forte coactus
Victrices aquilas ad Martia facta mouere,
Dii quantus ſæuos vltor conſurgis in hoſtes,
Siue opus in longum cunctando ducere bellum,
Siue erit in dubiam ſubito concurrere pugnam:
Illic ſiue moras Fabii ſiue vtile rebus
Conſilium Auſoniæ ſuperas, hic Cæſaris illos
Ad pugnam ardores, vbi poſceret alea fati,
Præcipitesque moras, ac feſtinata periclis
Facta per ancipites abrepto tempore caſus,
Teſtes ſunt Brugæ, ſubito qui Marte coacti
Poſt Regem Auſoniæ deductum in caſtra parentis,
Cæſaris ante pedes veniam meruere precando.
Illum igitur fores antiquo more phalanges,
Illum Ductores, illumque exercitus omnis,
Æneadum Regem læto clamore ſalutant,
Ac certum imperii columen. fideique futurum
Auctorem Chriſti, qualem non viderit orbis
Ab cæpto imperio. Tum Cæſaris arma ſecuti,
Iuratosque Deos ſocii gratantur vtrisque;
Regi priuatim, quod in iſta luce manere
Maluerit, duro quam vitam abrumpere ferro,
Quamuis extollant rigidi pia fata Catonis,

Friderici imp. pacificat.

p. 213

Horruit

Horruit ille minas, ac longam Cæſaris iram,
Non oppreſſorem patriæ, non cæde madentem
Suſtinuit Magni, venturaque fata videre.
Plus tamen eſt ſæuos durando vincere caſus,
Ac rerum expectare Vices, quam fata ſubire;
Et fugere indignos aſcita morte labores,
Vel miſcere domos luctu, vel ſumere magnum.
Hoc animo vixit poſt triſtia prælia Magnus,
Æmathiosque ducum ſpumantes ſanguine campos,
Proſtratasque acies, direptaque caſtra ſuorum
Vidit, & vltorem ſeſe promiſit iniquæ
Fortunæ, quamuis longinqua per æquora vectum,
Poſt viſam celeri & laudatam remige Lesbon,
(Pro ſcelus) ad Pharios illum ferus hauſerit enſis
Sic etiam Varro Cannarum in ſtrage ſuperſtes
Maluit eſſe, iterum qui turmas cæde madentes
Colligere aut poſſet magnas audire ruinas
p.214. *Hannibalis, quondam ſi quid fortuna moueret,*
Aduerſi, Tyrios etiam merſura furores,
Horum facta ducum maiori laude ſecutus
Rex nouus Auſoniæ, Brugarum fortiter iras
Pertulit inſanas communi fraude retentus.
Verum non ideo turbauit facta decusque,
Aut binis acies pugnataque prælia luſtris,
Quorum ſunt teſtes Morini, fortesque Sycambri,
Celtarumque genus durum, Batauique furentes,
Ac plures alii, gentes quas fortiter armis
Contudit, ac victas frenis parere coegit,
Quas tibi nunc ferrem numeris, fauſtiſſime Cæſar,
Sed mea feſſa chelys requiem, ſertumque repoſcit,
Si tibi, ſi regi ceecinit per carmina laudes,
Et tua maiores auertunt pectora curæ,
Quas propter longis ſuperaſti tractibus alpes,
Italiam viſens iterum, tua regna, decusque
Nobile terrarum, cuius te ſplendida honorat *Venetorum cultus erga Cæſarem.*
Gens Venetum, nullis per bellica facta ſecunda
Regnis, ac præſens meritos largitur honores.
Tu mihi teſtis ades Veneta legatus ab vrbe,
Antoni Boldæ clariſſima gloria gentis,
Et lux & Veneti non vltima fama Senatus.
Verum tempus erit, cum me tua bella ſonantem,
Germanasque acies iterum mirabitur orbis,
Quo ſe cunque dabit maiores tempore vires,
Et ſperata meos hilarabunt otia vultus:
Quæ ſolus præſtare potes, qui ſponte dediſti
Nunc iterum crines circum mihi ſerpere lauros.
Quare viue precor, totos & Neſtoris annos
Tranſcendas venerande ſenex, omnesque Sibyllæ
Titonique dies, quamuis te regia cœli
Optet, & inuideat terris tua numina Cæſar.
Et tu qui Comitis ſacrum largiris honorem,
Cæſareæque domus titulos, nomenque per auum,

Maxmiliane, tui decus & veriſſima ſecli
Gloria, belligerum cui nuper tradidit enſem
Cæſar, & Auſoniæ conceſſit iura coronæ,
Victricesque aquilas, etiam maiora daturus:
Viue diu felix, ac tantis ſuffice regnis,
Vt te fama vetus longum diffundat in æuum,
Et pater in diuos tandem vel in aſtra receptus
Gaudeat imperii titulis ſuccedere magnis,
Ac Pellæos factis æquare triumphos,
Donec regnanti victus tibi pareat orbis.

FINIS ENCOMIASTICORVM CIMBRIACI POETÆ AD DIVOS CÆS. FEDERICVM IMP. ET MAXIMILIANUM REGEM ROM.

CON-

445

CONRADI WENGERI
DE BELLO
INTER VENETOS
ET
SIGISMUNDUM
AUSTRIÆ ARCHIDUCEM
COMMENTARIUS.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

COnradus Wengerus Canonicus erat Brixinenſis, prout ipſe ſub introitum huius libri ſe effert, qui in hoc ipſo libello Germanorum cauſſam defendendam ſuſcepit. Argumentum ſibi ſumſit belli Veneti hiſtoriam, quod Sigismundus, Auſtriæ Archidux anno 1487. & 1488. geſſerat, cuius ſummam Gerhardus a Roo* tali modo exponit: *Ætatis initio, qua hæc apud Flandros geſta ſunt, Sigismundo Auſtriaco, Tyrolenſium Domino, bellum incidit cum Venetis, de quo, cum alii multis ſcripſerint, quam pauciſſimis dicam. Diſceptatum iam annos aliquot erat, de finibus, inter Ripenſes, Benaci accolas, & Arcuanos regulos, quorum ſub Sigismundi fide bi: ſub Venetorum illi erant, neque dum per legatos ea lis componi potuerat. Accedebat de ferrifodinis, quæ in Noricis, utrorumque finibus, communis fere iuris habebantur, controuerſia. Cumque iam ad arma res veniſſet, Athefini per agrum Tridentinum irrumpentes, Roboretum oppidum, tormentis quatiunt. Horum Dux erat Gaudentius Amaſius, militari gloria illuſtris. Amaſiorum vero, vetus iis in locis, & nobiliſſima olim familia, prorſus extincta eſt. Veneti ad hunc nuncium, copias conſcribunt, quibus Robertum Sanſeverinatem, excelſi nominis ducem præficiunt. Adduntur ei Julius Cæſar Camertius & ipſe Veneti exercitus imperator, ac Lucas Piſanus eius legatus. Vrgebant acriter obſidionem Germani, & præcluſis undequaque viarum anguſtiis, nemo ſubuenire circumſeſſis poterat. Ideo Nicolaus Priulus loci prætor (Poteſtatem ipſi vocant) permiſſo hoſtium poteſtati oppido, in arcem ſe recepit, quadrageſimo obſidionis die. Dein ponte per Athefim facto, Veneti omnem exercitum traiiciunt. Singularis per eos dies pugna, ex prouocatione, inter Antonium Mariam, Roberti ducis filium, & Georgium Comitem Sonnenbergicum, pares ætate ac animo iuuenes, ſpectaculum utriusque non ingratum præbuit. Hi equites prius concurrunt, mox Italo in terram delato, Germanus, uti æquo Marte congrediatur, ſuum & ipſe equum relinquit, cumque ille hunc deiicere conatur, una ambo corruunt, & Georgius ſuperincumbentis femur poſterius, quo arma non pertingebant, pugionis ictu aliquoties repetito, feriens, victoriæ confeſſionem extorſit, qua contentus, deductum in caſtra ac amice habitum, & muneribus cultum, ad ſuos remiſit. Non multo poſt, Germani prope Rupacionem, nec opinato impetu hoſtem adorti, multos cædunt. Robertum*

* *Hiſt. Auſtr. lib. X. pag.* 511.

tum ipſum, in ſummo vitæ periculo conſtitutum, Antonius Maria & Venancius Julii Camertis filius, ſeruauêre, ipſi vero ab hoſtibus circumuenti, ſe dedidere. Poſt hanc pugnam arx Roboreti in poteſtatem venit. Priulus prætor, & Franciſcus Craſſus arcis præfectus, capti, ad Sigismundum mittuntur. Cùm vero Germani, non numerato ſtipendio tumultuarentur, Gaudentius, incenſa arce, Tridentum rediit. Robertus, recepto cum arce Roboreto, Tridentum recta ducit, & ne quid hoſtile a tergo relinquatur, Iſanium & Nomium arces, ex itinere capit, hinc ponte Atheſim iungens, inter Petram ad Callianum & Biſenum, in hoſticum progreditur. Agreſtes vero homines, trepido curſu, in vrbem advolantes, hoſtium aduentum nunciant. Igitur duæ Germanorum equitum turmæ, ac totidem peditum ſigna, cum promiſcua Tridentinorum multitudine excurrentes, hoſtem ſine ordine ad prædam diffuſum, in fugam agunt, qui dum ad pontem properant, Robertum & voce & manu ſiſtere fugam, ac aciem inſtaurare parantem, ſecum abripiunt. Germani, aucta ex hoſtium metu audacia, fugientium tergis inſtant, donec pons multitudine degrauatus, diſſoluitur, & Sanſeuerinas, multique cum eo mortales, & equi a vorticoſo amne abſorpti, miſere perierunt. Cecidere & ex Germanis non pauci, quibus cum Guidone Rubrio Parmenſi res fuit. Is enim, cum equitibus ſuis, ſtrenue pugnans, hoſtium aciem ſuſtinuit, donec amiſſo iam imperatore, in tutum ſe recipere coactus, amnem tranauit. Roberti cadauer cum cura quæſitum, Tridenti in æde D. Vigilii, honorifice tumulatum eſt, is bonos, eius virtuti etiam apud hoſtes eſt habitus. Poſtea interceſſione Pontificis & Imperatoris legatorum, pax facta. De finibus nihil mutatum, & Iſanium Numiumque Venetis relicta, quoad Pontifex de tota controuerſia arbitrium ferret. Atque hæc obiter huic loco inſerere viſum eſt, plura qui volet Bembum ac alios legat.

Deſcribit autem Bembus bellum hoc prolixius libro primo Hiſtoriæ Venetæ. Wengerus, vti ex indice ſcripti ſtatim patet, hoc ſcriptum contra Jacobum Caniceum Parmenſem direxit, qui idem bellum deſcribens, multis opprobriis Germanos laceſſiuerat, quæ in hoc ſcripto refellit.

D. CON-

I.

p.215 # D. CONRADI WENGERI DE BELLO INTER VENETOS ET SIGISMUMDUM AUSTRIÆ ARCHIDUCEM GESTO. ANNO MCCCCLXXXVII.

Commentarius.

CONRADI WENGERI DE BELLO INTER VENETOS ET SIGISMUNDUM AUSTRIÆ ARCHISTRATEGUM LIBER.

ILluſtriſſimo excelſoque Principi Sigismundo, Archiduci Auſtriæ, Comitique Tyrolis, Domino ſuo gratioſiſſimo, vniuerſisque Baronibus euocatis, & ærariis Militibus per Germaniam conſtitutis, in campo apud Calianum Tridentinæ diœceſis prælia gerentibus Conradus Wenget D. Canonicus Brixinenſis humilime ſe commendat, obſequiumque dicit. Et has vti ſunt huiuſce ſui laboris lucubrationes pro gloria princeps tua, & inclytæ Germanicæ nationis offert, contra & aduerſus quendam Iacobum Caniceum Parmenſem, Italum, Ligurem, cuius ſcripta 10. Cal. Septemb. ad ſuas vſque effluebant aures, qui aduerſus Germanum profluit iniuriis, & opprobriis dente cruento laceſſens. Cui ſi me ipſe obiecero clauum clauo retruſero, nil plus egero, quam par pari vicarias referre iniurias. Satius mihi conſultum iri conuitia ſua fordere, quibus nil affert, quam gloriam Princeps tuam, & totius militiæ victricibus armis partam obfuſcare, & gentis ſuæ fugam ignominioſam, exceptamque ſtragem, ſub epithemate & nitore ſermonis, rethoricaque adulatione colorare. Te inclytum Principem cum milite tuo, plus multitudini quam pietati & fidei fidentem, nulla laceſſitum iniuria, nobile caſtellum Roforedum obſidione cingentem, Venetos omnes mercimonia agentes, in tua publica fide receptos capientem, ſpoliantem, incarcerantem (vt verborum ſuorum ſententia vtar) arguere non pauet, compoſitam poſt pacem, & reliqua. Digreſſus extra genus demonſtratiuum, ad genus iudiciale proſiliens, non quid iure belli actum pro & contra ſit, ſed quid æque vel iniquè factum cenſet, & diiudicat, quod longe eſt ab officio hiſtoriam texere volentis. Id non erit opus & labor meus, partes pace nunc fœcundas, & corda ira & odio defecata expergefacere, quæ per Papalis dignitatis, & Imperialis maieſtatis legatos & caduceatores conciliatæ ſunt, compoſitoque nituntur. O Iacobe non indigne vlciſcendum, ſi tua ſponte non ſubmiſſus, carmina illa famoſa per Italiam & Galliam Ciſalpinam, per choros decantari adornaſti, ſumpta olim Feſcennina licentia condemnataque, dum per honeſtas ſerpere cœpit domos lex lata malo, quæ nollet carmine quenquam deſcribi, ludum illum noxium, ver-

terunt formidine fuſtis: ſic ad benedicendum redacti, ipſe chorus obtinuit. In quam legem commiſiſti aduerſus Germanum principem eiusque militem, falſa veris miſcendo ac inclamando. Ais etenim *Germanum nulla laceſſitum iniuria.* Principem meum Germanum eſſe ſcito atque principem Epimetatum, quo non præſtantior alter humanitate, liberalitate, maior pietate & fide extat, eo æuo & nunc hunc laceſſitum per tempora præterita ſua in familia per Cæſaream Maieſt. commentata ſcilicet in archigeneroſos comites, aduerſus quos Venetus ſua dimenſa potentia pro tempore ſæuit, terminos agrorum mouendo, currus & equos abigendo & reliqua. Pro qua familia ſereniſſimus Princeps defenſanda, longe ante hac impar hoſti cum ſuo milite aurato in agro dictorum comitum caſtra metando, bella & exercitum mouit, multas expenſas ſuſtinendo, licet eo tunc parum profeceritis; lege permiſſa, collectis viribus in continenti, vim vi propulſare non diſtulit, nec vt puer laceſſitus inultus fleuit. Num ſi iuris expertus es, id iure digeſto permiſſum eſſe didiciſti, ius ſuum ſibi dicere pro familia laceſſita quenquam poſſe, hoc inficiari nequis. Urit enim fulgore ſuo, qui pergrauat arces penes ſe poſitas, aſpice canino dente rodens, ſi hoc bellum gemino ſit orditum ab ouo. Seu cauſam ipſe præſtitiſti humaniſſimo principi, reſtat te tuis ſcriptis in principem calumniatum, qui nec primo prouocauit cauſam liri præſtando. Ea noſi contentus infamia contra principem diſſeminata, contra militiam Germanam in rebus agentem, *nullam fidem obſeruaſſe, & aſtu ſtylo deliteſcente Germanum in ſingulari certamine Italum ſuper aſſe* confingis, ad quod mea feſtinat Apologia. Germanus quis ſit, & unde ſit accipe. Germania cis citraque Iſtri, alias Danubii fluminis oram, Sueuiam dico, quam Romana reſpublica apud Vindelicam vrbem, nunc Auguſtam appellatam clade accepta, ad internitionem vnius hominis vſque pernotuit. Ab illis Iulius Cæſar apud Nomagium trans Rhenum ponte fabricato fracto, viſo Germano ponte abſtinuit. Huius nunc Ungarus à finibus ſuis egreſſus, in Vindelico campo ſuperatus, fugatus, fuſus, ad fines ſuos adactus, accepta clade perſenſit, amplius nunquam reuerſus, & reliqua. Sic Germana Germania, Rhætia facta, in ſocietatem Romanorum non victa deuenit. Quæ non conſueuit multitudini fidere, ſed fidei & pietati ſempet amica fuit. Hodieque libera Sueula, fide & armis præpollens, in Cæſatea expeditione, in cornu ac primo aggreſſu locum habet, & ſignum fert victoriale. Hæc eſt iſta Germania Cerere ac Baccho abundans, cui etiam nec lac nouum æſtate nec frigore deſit. Cuius virtus bellica pipere precioſior eſt, & cunctis aromatibus vti pulegium p. 216 apud Indos. Is nempe Germanus nutritus fauſtis ſub penetralibus, fortis creatus ex fortibus patrum teſticulis? feroces nec imbecilles progenerat vt aquila columbas. Inde Flaccus *Quis horrida quos parturit Germania fœtus, immanesque Rhætos te Cæſare incolume paueſcet?* Hos forſitan Iacobe ex Suicia villa exiſtimas, qui ea lege non cenſentur. Ex ea Sueuia pauci milites periere; ſed hi qui ex gleba ſulcanda in militiam vocati, partim ſuccubuere dormientes. Hæc tibi in præfatione patefacere me iuuit, vt agnoſcas apricum ſolum, & Genus Germanum, De inclyta Alamania ad oram Rheni fluminis, nobilique Teutonia, ad oram Albiæ fluminis, confinantibus prouincijs, bellicis gentibus deſcribere hiſtoria me præſens comprimit. Nec in prælijs Teuthones propter nimiam diſtantiam interfuerunt; nunc adacti cruentiſſimi Martis & præliorum, proh Deum, pone agrum Calianum Tridentinæ dioeceſis, aliaque loca, geſta per ſereniſſimum Principem Sigismundum, contra & aduerſus magnificum & potentem Senatum Venetorum, ſtyli officio deſcribere zelus dicti mei principis, dulcis amor patriæ Sueuicæ, & tua Iacobe ſcripta commouere. Non quæ vidi (quod proprium eſt hiſtoricorum) ſed quæ ab his, qui viderunt, interfuerunt, præliati ſunt didiceram, poſt multam lucubrationem, vt ficta non ſint proxima veris, vti Græci in hiſtorijs nugari ſoliti juxta vatem, Xerxem regem velificatum Athon montem, fretumque conſtratis claſſibus pontificabile facere (vt aiunt) tentaſſe, ſcribere tentabo.

Sueuorum priuilegium Lamb. Schaffn. ſub anno 1071.

Et

Et ceu olim videre Rhœti bella Druſum gerentem, ſub alpibus Vindelicis, * ita ſub anno ſalutis 1487. in die S. Georgij Martyris videre Roforenſes ciues, dominio Veneto ſubiecti, Gaudentium Comitem Amaciæ, belli ducem generalem, ſub alpibus ad oram Atheſis fluminis, & procul ab extremis fluminum Rheni & Iſtri oris, ſyluaque Hercinia principi meo ſubiectis gentibus, Norico admixto milite, vna cum ſuis proceribus comitatus Tyrolis, nec non & quos (vt ait Lucanus) *fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos, Indomitumque caput Rheni ducentem*, quibus deductus per omne tempus mos Amazonia ſecuri dextras obarmet, quorum ſupraſcriptorum omni ope Roſoredum forti cingitur obſidione. Dux caſtra, tentoria, papiliones, ſtatiuas, aggeresque locat, fabricat ſedula cura membra, & montem occupat, bombardas admouet, muros & arcem agitat, commeatum claudit. Miſeri incolæ data repentina obſidione territi, reſumpto ſpiritu, mens vna omnibus patrios defendere muros, telis & ſaxis mortiferis hoſtes profligant, aggreſſores propulſant. Pœnas Germanus ex hoſtili homine extra muros ſumit, ſic turmam è turmatu lituo dux reuocat, ſaucios vngit, necatos in foſſam ſepelit hoſtis. Stratagemate dux vſus, muros & arcem bombardis præuios facere decreuit, viam latam & tutum ſcalis aſcenſum. Sic altera iam vice, prima quia non ſucceſſit, via adoritur reliqua. Inſonat Germanus tuba, turma labori non detrahens, nec metu mortis fracta, impigre hoſtis poſtes adoritur, muros & arcem tormentis bellicis igne & ſulphure præuios patefactos ingredi nititur, & ſcalis appoſitis aſcendere tentat. Qua rata eſt acies, ex arce 60. viris munita, longa arcem defendere temporis mora moliuntur, ſaxa infeſta voluunt pondere graui. Contra ruunt hinc inde ſaucia corpora, ploratus & gemitus intra muros & extra. Partibus tandem ad inuicem afflictis grauiter & attritis vulnere, cæde, fame, ſqualore, tabo, obſeſſi pacem precantur, inducias & treugas depoſcunt. Germanus pietate vſus & fide, inducias præſtat. Venetias nuncius datur, concione facta per Robertum belli ducem. Decernitur, miſeris non eſſe ſuccurrendum, nec congrediendum eſſe cum Germano, qui tamen ſuo milite impar exercitui Italo extitit. Sic arx & oppidum in ditionem principis Germani deuenit, captiuis principi præſentatis. Fides ſponſa obſeruata eſt, quod tu Jacobe inficiaris. Porro priusquam arx & oppidum ſe dedere, Robertus Sanſeuerinas, vir inſignis, generalis Venetorum capitaneus Germanos in certamine ſingulari & tumultuario tentare & guſtare gliſcens, filium ſuum præſtantiorem Antonium cum quouis ex agmine Germanorum in certamine ad duellum exitiale ſubeundum pro mille ducatis ſiſtere pollicetur. Quidam Joannes de ſtirpe dapiferorum, Comes de Sunnenburg, pugil robuſtus, & natus Sueuus iuſtus ſe ſiſtit. Pacta fiunt & capitula, de die, tempore locoque conuenitur. Congreditur ab equis, tritum in ſolum & luctationem devenitur. Squalent calentia in ſolo pectora, nec alter alterum ſubiugare valet. Tandem Ioannes memor pugionis, quem palam in certamine penes ſe geſtabat, nec pacto contrarium, extrahit, in nates Antonium torſit, fixit; qui ſic fixus ne Ioannes victor inclementius in eum ageret, & mortis euaderet ictum, captiuum ſe dedit, M. ducatos ſoluit: prout hæc in quadam Monomachia latius deſcripſi, ad quam reſero legentes. Hic tu Iacobe ſuſpectum te facis. Si Germanus arma non permiſſa, ſed deliteſcentia habuiſſet. Italus appetitor præſens non tacuiſſet. Itidem ante deditam arcem & oppidum belli dux annuit militi frumentatum ire, qui ponte vltra Atheſim traiecto, & cuſtode tutato, decreuit à lacu Benaci, exercitui Veneto, qui apud Serauellem caſtra metabatur, meatum claudere & intercipere montis Coronæ aditum. Venetus auiſatus, montem prior occupat. Interim Robertus exercitum ſoluit apud Serauallem, & Germanum inauiſatum obruere tentans, equite & pedite non pauco. Germanus cum paucis equitibus C. & L. ac octingentis peditibus latentibus in inſidiis, nec præſentibus Venetum adoritur. Vi maxima inſultans, conjecta velut cerua ſagitta, fundit extremos

* *Hor. 4. od. 4.*

Roſoredi obſidio.

p. 217

tremos metendo, ſolus absque pedite milite deliteſcente, qui longe adhuc aberat. Audiens vero conflictum maturat, crudeli ardente prælio, Petrus Galbau. Paduan. In ore gladii cadit Antonius Maria, alacri & imperterrito vultu in Germanum inſultans, capiuntur & reliqui. Venetus terga vertit. Profugus fugit Robertus, à filio pater. A Germano Italo cohors, cohorte anguſta, in anguſto arcetur loco, per ſaxa & ſcopulos, in gurgite Atheſis mergitur ingenti numero. Nobilis ex Germano mortem obit vnus, & ſtationarii milites pauci. Interea audientes armorum fragorem milites deliteſcentes, ex inſidiarum loco proſiliunt, & ad finem conflictus vſque perveniunt. Venetum fugientem, vnum veluti Thyrſis & Coridon paſtores gregem compulerant ouium in ouile ad ſuas compulerant arcas. In quo certamine Robertus, quem præmiſerat continuo miles, vix mortis contagium dicitur euaſiſſe, cæteris occiſis & ſubmerſis. Et tamen de primo prælio, in quo Germanus impar Italo extitit, triumphabat ſpolia legendo. Poſt hæc Gaudentius Roſoredo in fidem recepto arce & oppido, milite pauco cuſtode relicto, pontem trans Atheſim factum demoliri iubet. Exercitum qui vltra 12. millia nunquam (quem Iacobe 24. millium exiſtimas) extitit, emittit. Caſtra diſſoluit ap. vrbem Tridentinam. Dominum capitaneum & virum inſignem Fridericum de capella militem cum CCC. equitibus & certo milite pedeſtri reliquit pro vrbis ac terræ cuſtodia ſola. Ad vallem Aufugii, Burgum Delphani dominum, Theodoricum de Blumega ſtrenuum virum cum pauco pedeſtri milite capitaneum locat. Diſgregato exercitu Germano, & in Germaniam vltra montes profecto, ſubito aliæ gentes armiferæ ad Meraniam ſe conferunt peregrinæ, ex terra montana Curiæ Rhætenſis concitæ, præmaturantibus totidem ex ora Rheni fluminis ad Insbrucas. Venetus non quieſcens, cui ex clade de proximo accepta feruebat ſanguis & ira, cogitat qua alia, dum hac non ſucceſſit, via Germanum profligare, & terras ſuas occupare poſſit. Fabricat machinas, rates & pontes, ſpeculatores mittit, infirmiora terræ perluſtrare facit, quo facile hoſtis ſuperari valeat, flumina & arces viſendo. Interea cis citraque montem Durani, in valle Indicaria hoſtem Venetum aggreditur ſtrenuus miles Nicolaus de Firmiano & in ore gladii centum cadunt viri, reliqui in fugam verſi domus ſuæ in prædam dantur. Dum res ſic agerentur, & eſſentiam nondum principis, ſed totius terræ negotia & ſtatus diſturbata, ab hoſteque amaricato per omnia in deſenſa terra, & ingruente nouo hoſte magis in ſecura terræ natiuæ; natu & ptudentia maiores muſſitant, quo tes ea pertingere velit, olfacientes quaſdam terras ardere, & tamen aliud ageretur, & aliud prætenderetur ex diutina oppiduli obſidione, & tam facili derelictione & gentium abdicatione. Captata hinc conjectura, vna rati ſereniſſimum principem conuenire, inuitatur princeps oppidum ad Metaniam: iſtac ſe confert, comparent prouinciales. Inter quos habita concione, & myſterio conſilii inter terræ Proceres communicato & bene digeſto, Principi pro audientia ſedenti, communi omnium ex ore profari iubent, quo coram captata beneuolentia, Orator ſic orditur. *Optime Princeps, res dura, & terra nouitas, nos talia moliri eogunt, areentque, & late cuſtode fines tueri. Inprimis rogamus, proteſtamurque gentes has peregrinas, ex Meranía, quo ingenio cœcitas neſcitur, abigere velis. Nec non eas, quæ de prope maturant à Rheno, gentes auertere, ſine more diſpendio eura tibi ſit. Item Capitaneum Tridenti ampliori ſufficere milite propter Venetum molientem, ne tardes. Tibique & ſtatui tuo vt conſulatur, dietam ad Oeni vallis oppidum Hallis illico inſtituas. Majores natu proceres, & terra incolas acciri, in animo tuo ſit. Ad ea nos tui & patriæ dulcis amor compellunt, veniam petamus*, exceſſum ſi foret. Sereniſſimus Princeps intelligens in rem ſuam agi, aſſentit, milites peregrinos, multo ære conductos, ære dato remittit. Ventum eſt ad Hallis, examinato negocio, conperitur aliud actum, aliud prætenſum. Quæ ipſe ſcribere prætermitto, hæc parce ſcire congruit. Nec fas eſt omnia ſcribere præter vnum, quo minus dixerim,

Bellum ſecundum.

rim, & alterum, quibus vltra vnum non addam, ſed ponam digitum ori meo. Magnificus Senatuſconſultus Venetorum, concione habita in magna Prægrada, concludit Germanum magna & tumultuaria vi adoriri. Pontem & ratem nauticam vltra Atheſim trajectat, illam ſune ad littora pendet, verſus Calianum, in planitiem. Inter eum & riuulum Aquæ viuæ caſtra locat, non longe à caſtro Petræ, ſubter Biſenum collem eminentem, cuſtode & ſpeculatore munit. Signum hoſte ſuperante dare præcipit, tripudiando & gtaſſando. Interea Germanus ante cuſtodes & ſcrutatores incolas, quod veluti tyrones, nec ferite nec mori didicerant, juxta & prope Calianum locat. Et ex Biſeno ſpeculatotem, pariter ordinat ſignum, ſi hoſtes traiicere exercitum tentat, auiſet ſcrutatores de auiſamento ex Biſeno. Fidentes, ſiti & famâ noctiſque vigiliis confecti dormierunt, in quos miles Venetus irruit, necans ad internecionem vſque hujuſce præſumptæ proditionis ſigno neglecto, teus capitur, earceri mancipatur cæco, pœnas luit; conſcius nec ne ſit, parum mihi conſtat. Venetus graſſatur prædæ gratia, circum uagantur alii, ſtatiuas milites aurati fabricant, con-
p.218 tinuo gentes traiiciendo. Nuncius capitaneo Friderico illico datur: æſtuans labore, ſparſus puluere, inquiens, Venetum cum 10. millibus vltra Atheſim venturum hoſtem, & iam fere mediam totius exercitus partem traiectam. Et quod magis, necatis cuſtodibus totis diſceſſerant campis, prædæ gratia furentes, & bacchantes. Nondum finito verbo, venit vir armorum validus Michaletus ex Durano valle Indicaria, datus ſuper trecentis jure militari robuſtis viris, quem Fridericus ante miſerat tribunus. Interim Fridericus cum milite in arma ſe parat ſuo poſt Michaletum maturando. Optimi eiues Tridentini non tardantes, ſe mox in arma pariter parant, capitaneum ſubſequuntur: Michaletus non expectato capitaneo, cohortem aggreditur hoſtilem, necatut, perdit in ore gladii viros CC. circiter. Adeſt confeſtim cum ſuo autato milite, & ſtationariis paucis capitaneus, de tanto aduerſus eum gregato & ferrato equitum & peditum 4. millium agmine. Ipſe vero cum omni aggregata cohorte præter ciues Tridentinos, qui nondum venerant abundabat mille viris. Territus, obrigeſcens quid faceret, premit altum eotde dolorem. Spei reique prorſus dubius hortatur milites: *O vos ſocii maiora paſſi aduerſus ducem Belgarum Carolum, quem vice terna ad internitionem vſque proſtrauimus, terras ſuas in ditionem Germani redegimus, immemores ante malorum incumbite armis quisque ſuis. Hic non eſt locus refugii, aſylum nullum. Si terga vertimus, hoſtis dorſo hæret. Quanquam Venetus ſit in multitudine contra nos grævi, nos vero pauci, facile eſt concludere multos manibus paucorum.* Sunt equidem per Illyricum Superique maris ſinum gentes pretio conductæ, cis & citra Eridani, alias Padi fluenta, ex Æmilia, Liguria, Ciſalpina Gallia collectæ, mala pœna ſub dira ſeruitute conſtrictæ, quæ non ſolent pro dulci patria, ſuisque dominis ſe præcipitare, corpora obiicere, nec pulchra petere per vulnera mortem, altiſona voce ſubiungens, *In Dei nomine petite hoſtem, nec ipſi parcite ab homine vſque ad pecus.* Vix ſermone finito, miſcentur equites, milites procaces in certamina rurſus concedunt, vibrantur gladii, haſtæ rumpuntur, Criſtatæ Italorum Galeæ labant, crudeſcit prælium, vociferantur hominum & beſtiarum animæ morituræ. Et erat hora diei apud nos poſt meridiem prima quaſi, tabeſcunt præliantes labore nimio. Subducit dux belli laſſos, quietos & inſaucios in locum ſufficere ſtudet. Fit mox ingens prælium, laſſa & ſatiſcentia hinc inde quieſcunt corpora, facta non poſt multa mora, ingruit alius horribilis conflictus. Germanus impar, virtute in equos lanceas torquet, perfodit. Equi torti, conſoſſi ſpieulis, frendunt ſpumantia frena mandentes, corruunt ſub onere, quæ geſtant. Et alia mortis contagio, iactant pectore crura, humeſcit terra cruore ſuo dehiſcens. Fit graue aliud, labot cruentus & ſuper humanus bellatores extenuat ſpiritu, quidam animas exhalant, absque vulnere & callo. Extrema corporis membra, attritione la-

boris natura iuuare refugit. Agminibus hinc inde, ad horam fere 3. poſt meridiem vel prope, grauitet afflictis & attritis, requieſcere poſcunt. Qua paululum facta pauſa, ſpiritu reſumpto, Germanus anguſtus, profugare non valens, neque præſumens, ſpuens in manus, ferro præcucuſo, iterum foro ſe parat, quos dux belli, cuius cura & ſollicitudo mentem extenuat ſic affatur: *O viros ineffabiles, ô inclytos bellatores, quorum haſta nunquam eſt auerſa, nec clypeus abiit retro, incumbite nunc armis. Suppetiæ Tridentinorum maturant ſuccurrere nobis. Afflictis conſulite rebus quisque ſuis, ne Venetorum dominio & ſeruituti (quod nec meas rerum, nec tempora ceſſura ſuo imperio ponit) ſubiiciamur.* Eo ſermone conſummato, impius labor omnia vincens adeſt. Statim conſeruntur manus, fit atrox bellum, & tale, quod armorum fragore & colliſione ſyluæ remurmurant, reſonatque ex æthere Echo, clamantibus in cœlum animabus moriturîs. Extemplo de propetat æſtuans, eurſu puluerulenta, Tridentina militum cohors, arma mouet, ſpicula mittit, laneeas in hoſtem & cuſpides procuſos dirigit. Nec caſſo vulnere fallit equites Italos, Germanum nimia multitudine ſuperantes, Tridentinus propulſat ad mortem vſque, ad ſepultum ſe reddit. Collidunt ſe mutuo bellantes, & erat circitet horam prope ſextam. Sol ab hora prima certaminis, totam per mediam diem grandi ineanduit æſtu. Speculator deſuper ſuperante Germano aduentatu nouorum recentium bellatorum, pro ſanguine & vita certantium, declinare verſus pontem partem exercitus Veneti videns, ſignum dat. Incipit Italus circumſpieere, retroſpieere proſpicere ad omnes otbis plagas. Et quia per loca, quæ hoſtis occuparat, naturaque muniuit disfugere nequiens, verſus pontem, quem longe ante dux belli Germanus non improuide ſoluit, hærentem fune fugit mœſtus exercitus. Quem Germanus perſequitur manu forti, ruunt ferratæ equitum & peditum cohortes, qualis vndas exercet Auſter indomitas, Pleiadum ſcindente choro nubes. Germanus equos frementes mittit ſonipedes, medios per hoſtes. Cadit irreuocabile vulgus, quo quemque fert impetus. Sine ordine hærentia ſibi agmina prorumpunt, alter alterum ocyus in itinere verſus pontem præuenire nititur. Neſcientes pontem ruptum, ad fluminis littus contendunt, fugientes hoſtem à tergo, gurgiti ſe credunt, ventrem in flumine purgant. Hi vero qui ſcaphas, lintres ſeu phaſelos ſibi conſciuerant, ſaluis ad portum venere carinis, tabentes & tremulos artus in littore ponunt ſpem metumque inter dubii. Mane Germanus dulcia ſpolia legens, Itala cadauera ad ſubmerſos vna ſepelit, & ad raſtrum Veronæ in Atheſi prætenſum delegauit ſuos, in Calcina tumulando. Nunc vide Iacobe, ſi ſententia tua quadret qua aſſeris *Guidonem apud pontem Germanos trucidaſſe.* Quæ ſcribo, vera ſunt, tu vero profugus factus, ſcire non vales, quæ abs te acta ſunt in toto huiusmodi bello. Non interite (cuſtodibus & gentibus Michaleti imputatis) in agro præ- p. 219
dicto Germanorum quingenti viri, Italorum vero millia multa. Nolo redargui mendacii, & numerum deſignare certum. Tu Jacobe reſponde, cur non ſtetiſti cum mille & ducentis equis, cum milite aurato tuo, quo manente impat tibi Germanus cum ſuo exercitu, partim etiam ſaucio, & labore confecto, extitiſſet? Sed quid? Et mors fugacem ſequitur virum. Te morti deditum eum vulgo innumerabili in Caliano, terra firma, aquisque Atheſis profundis certum eſt, incertus vero numerus, quod miſſum facio. Veronenſibus qui Atheſim raſtro prætendunt, & ad quos corpora ptouoluta ſunt, dinumerare poterunt, facile committendum ducimus. Tridenti canitur, *te homines & equos perdidiſſe, & turpiter fugiſſe.* O crudele bellum, ô res inter Chriſtianos principes miſerandas, quibus interdum pro ouo certantibus interim plectuntur Achiui ſeditione, dolis, ſcelere atque libidine & ira. O mundi ſcelera, ô homines, tantorum cauſa malorum. O inclyte Roberte, qui (vt aiunt) poſt multam militiam actam, per tempora cupieras Germanam militiam in ſuo ordine etiam agnoſcere. Agnouiſti, & interiiſti à tuo milite mercenario deſertus,

ſertus, qui dexteram fefellerat tuam, quia mercenarii ſunt. O nobilis, & ſuperinclyta natio Germanica, quæ hodie ſublimium & potentum colla calcaſti milite pauco. Fide tamen, non metu ſeruili, ſed beneficio iuncto, qui pro te mori non recuſant, corpus ſuum motti obiectare, aduerſus hoſtes, minime expaueſcent. O felix nimium dies iſta; feliciores milites, qui ſanguine ſuo noſtram patriam ab hoſte ſaluam peperere. Quamobrem ſit tibi illa dies triumphi, æuo perpetuo, vt fauſta annotanda, Hunc Germane diem numera meliore lapillo, qui tibi lapſorumque apponit candidus annos. Quamquam Itale multa ambules pecunia, hoc tamen non mutat genus, penes quam alieno & peregrino milite certas. Num *vilius argentum eſt auro, virtutibus aurum?* Virtus tamen hoc æuo poſt nummos. *Hæc Janus ſummus ab imo perdocet, Hæc recinunt iuuenes dictata ſenesque.* Miles Germanus, fido milite beneficio iuncto, pauca Gaza hoſtem adoritur, illum penes ſe locat, alit, veſtit, virtute domat, non metu petcellit. Seeurus dominus eſt, fugam ne adornet, transfugaque fiat. Quod Satyricus laude effert imperium, ſtabilius eſſe, quod virtute, non vi metuque ſit. Hoc ſatis, & tantum de ſecundo bello, pone Calianum peracto, qua non maius exiſtimandum eſt, comparatione facta eum Catilina, parauit arſuras in tecta Romanorum faces. Hora diei peracti belli tarda, noctem verſus, triumphat belli dux ſuo cum milite, ſpolia legere iubet. Neceſſariora, planitiem Marci victi campi (vt aſſolet) tutari ab hoſte mandat. Ttidentum redit eruentus, ſaciſcens artub. nocte ille dulci ſopore quieſcit. Orto lucis ſidere, ex Tridento excidit cum milite, victam Tellurem, & campum Martium alias Certaminis circuit, exanimata corpora luſtrat. Spolia & eximios ad currus 9200. equos ſellatos in vrbem vectare iubet, campum ſanguine profuſum cadauere purgat. Quo facto, eum milite victorioſo Tridentum, cuſtode campi relicto redit, Pompeianis dignus, victo Oriente, triumphis, exultans tanta à DEO præſtita victoria, quæ non dum ope humana, ſed diuina, nec arte magiſtra proueniebat. Crateres læti ſtatuunt, & vina coronant, ſed Comicus infit omnibus in rebus. *Nequid nimis.* Enim veto, *Neſcia mens hominum, fati ſortisque futuræ, Et ſernare modum rebus ſublata ſecundis.* Si quem prima dies belli dedit hæc eadem verſa fortuna & aufert. Deinde ad corpus Ducis Roberti, quem abſtulit lethi atra dies, & funere merſit acetbo, inquirendum in gurgitem mittitur, quod prope caſtrum Petræ in abyſſo reperitur, extractum in vrbem Ttidentinam honorifice ſepulturæ traditur, cuius anima in Chriſto requieſcat. Hunc tu Jacobe fingis, *cæleſti nube adumbratam* more Græcorum, qui aſſerunt ex cerebro Jouis Mineruam prægnatam fuiſſe. Illum boni ducis officium geſſiſſe non ambigitur: miles ſuus ſi ſteriſſet, nec mots ſua ignominioſa dicenda eſſet. Magnificus Senatus Venetorum, de tam inſperata clade in ſuos facta, ſtatuit circa alia loca Germanum perſequi, & primum apud Scalas militem locat, Græculos, Araſios, ſtratiotas, armigeros milites emittit ad prædandum. Item ad Primerii diſtrictum, ad Cauarillas, Brixinenſis diœceſis fines, poſtremo ad Cadobrium villam, Ambetum (vulgaritet *Haiden)* in valle Anſugii Yuam caſtrum, pupillorum quondam Jacobi Trap. oppugnatur obſidione forti. Venit ſalſus nuncius, hoſpes Hoſpitalioli d. vallis, & pupillorum ſubditus aſſetens ſalſo caſtrum Petræ expugnatum, Biſenum non poſſe ſubſiſtere. Caſtellanus credulus ſe dedit, absque vi expulſiua ſie, non bellica, ſed proditione, in Venetotum ditionem peruenit: id tamen cui iure debeatur, ſub Papa iudice Mars eſt. Venetus fimbtias ſuas dilatare, & ſerpere pedetentim (vti ſolitus) molitur pro domino Delphani diſtrictus. Burgum vno mane, Theodorico Capitaneo de Blumegga tunc ap. Tridentum agente, adoritur, tota cum cohotte Burgum cingens, aggerem demoliti ac valla nixus valida manu. Incolæ inſomnes duxerant per omnia noctes, ſeruti-

Bellum tertium.

nio

nio didicere horam, qua Venetus Burgam obruere ſtatuit. Se patrios lares ab hoſte defendere coniurant, auxilio peditum paucorum freti, excipiunt militem irruentem, & aggerem disiicere conantem necant. Profligant ad internecionem usque Græculum & Italum paſſim ab agro, & Burgo nullo muro circumdato propellunt, cæde facta in Capitaneum & militem euocatum, ac p.220
quosdam notabiles equites, quos morti deditos pro viuis commutari Græculi & Latini deſiderabant. Abnuit Germanus, memorabile hoc retinendo ſe penes. Hoc eſt bellum tertium, quod per viam aggreſſionis Venetus inchoauit, profugus factus, amplius haud rediturus. Deinde in vallem primerii diſtrictus argenti plenam, quam Venetus ardebat, gentes mittit Germanus. In valle Cannalis, rupes penes fluuium eminentes, ne Italus prior occupet, intercipit, baſtigiam ſtruit, munit, gentes locat. Italus circumuallat, oppugnat, euincit. Quatuor iſtuc interimit Germanus, collectis viribus ex Primerio, adunata potentia intet ſe, & accommodato milite per Principem, pau corum numerum adoritur. Italum, eo in loco. Qui relicta baſtia, terga vertit, quos in terga perſequitur, occidit, trucidat C. minus 8. bellicos viros percutiendo ad mortem vsque. Profectus inde in vallem Egerden, fugato ex hinc omni populo, ſpoliat, incendit villas numero octo, nemine defendente. Id eſt bellum quartum, in quo Germanus prævaluit contra & aduerſus Italum, tropheo & triumpho potitus. Non poſt multo tempore Venetus ad Cauarillas Brixinenſis diœceſis, contra diſtrictum Andracii comitatus Eccleſiæ Brixinenſis, Allodium gentes locat, locum firmat aggere & vallo, bombardis, ſagittariis, cuſpigerulis duorum millium in multitudine fidens, ſuam illam villam venuſtam, & pro tempore Eccleſiæ hominibus infeſtam ſperans, contra hoſtem Germanum obtinere. Hi dum ignem mitterent in tecta Eccleſiæ Brixinenſis, aggregato milite M. & CC. incolis terræ ruſticis, pauco agente in rebus militaribus experto adiuncto, adoriuntur. Et ſtrage facta XL. virorum viriliter ſe intra ſepta villæ defendentium, reliquæ gentes terga vertunt, adeo fugientes, quod oculum elapſum præ formidine hoſtis ſubleuaſſet nemo. Germanus ſpolia legit, partitur. Partitione facta, villam incendit, vltra progreſſus, in ſyluis & ſaltibus, ſcrobibus & antris terræ condita bona quærit. Inuenit, abducit, lachrymantia commouet corda. Hoc non contentus, valles ingreditur, non vnam, ad miliaria Itala 15. vltra concremat, exurit omnia, quæ reperit, nemini parcendo. Hoc potitus triumpho, ad propria regreditur loca graſſans. Iſtud eſt bellum 5. quo Venetus cæſus, ſpoliatus, fugatusque exſtitit, Germano ſuperante. Sextum & vltimum bellum, quod Germanus libens euitaſſet, propter vicinitatem, vtrinque multo æuo obſeruatam in pace boná. Superſederat bacchari aduerſus villam Ambetet, quam in continuo præfatione treugarum, calide laborabant, & eo medio Græculos miſerunt in vallem Emenberg, milite exiſtente iuxta Andracium, qui ignem fulminant, quosdam capita truncant, in delubrium & ſcandalum, teſtes occiſorum in ſuperis ſuis geſtant ampullantes. Mox deſignatur Hainric. Horber militum Tribunus, & Capitaneus generalis. Is collectis gentibus & incolis Eccleſiæ Brixinenſis, & comitatus Taufers equitesque paulominus 70. qui hoſte ſciente & vidente, milliaria ad quinque Italica, per alpem ligno præciſam, graminiferam, planam incedit, luce meridiana ita & tali ordine, quod hoſtis 5. millium equitum & peditum ſtipatus, Germanum facile dinumerare poterat, inquitque Capitaneus Venetorum, viſa tam parua multitudine Germanici hoſtis, *O viri bellatores, omnium aduenientium ex hoc hoſtili & inermi corpora noſtra ſunt. Ecce 5. aduerſus vnum. Confortamini, ſinite neminem viuere. Inſiſtite armis, hunc pontem tranſire bombardis roboratum & munitum hoſtem neceſſe eſt.* Ibi profligabitur Germanus non ignauus, loco approprians bombardis, caute euitat gurgitem vadabilem. Verſus lævam vadit madeſcit, frigeſcit, ex

Bellum 4.

Bellum 5.

Bellum 6.

aduerſo

aduerſo hoſtis non reſiſtit, meatum præſtat. Quo vadato, in vnum Germanum ſe ſtipat, glomerat auidus & gelidus, quem ſtratiotæ equites à tergo continuo infeſtant, & perſequuntur robore magno. Tranſita ripa, neceſſe habuit per manus aſcendere collem arduum, verſus hoſtem lapſilem & congelatum. Qua villa in alto poſita eſt, dum aſcendere in manibus & pedibus ſerpendo, pedites molirentur, vallum & loci ſepta firma diſſipare, ex aduerſo emittunt tela ad inſtar grandinis. Germanus bellicus ante hac non inſuetus talia ferre, reſupine ſe tenet, ſic hoſtica caſſo vulnere tela volant. Et priusquam arcus diſtenderent Itali, baliſtarum Germani capitaneum ex Bliuio occidunt. Tremit exercitus, horripilans, totus neſcius mouere præ timore arma. Germanus acceſſit locum impetu, & robore ſorti diſſecat, vellit, lacerat, quos reperit, necat. Vulgus fugat, equites pariter euacuat. Totam inhabitantium villam deprædat, ſpolia legit, incendit, dolum dolo compenſat. Ignem & tædas antea in tecta Eccleſiæ immiſſos, in miſeram plebem pariter iactat. Armigeri & Græculi de prope tenentes luſtrant, vt viderent finem. O Venetia, vbi tua opulenta gaza, male merita milite tuo laſſo & profugo atque transſuga. Germanus tota nocte, per itinera aſpera, altasque alpes exercitum trahens, fame & labore deficiens, ſudans & algens, extra villam, ad pontem vltra ſe recepit, concrepante rogi immiſſi pyramide. Victu reuocat vires, quibus exempta fame, in bona quiete, bene refectis, cum ſpoliis, ſine cæde à tot millibus conceſſit. Hoc eſt ſextum & vltimum bellum cum Veneto initum, & per Germanum nusquam recuſatum, ſemper exceptum; in quo Venetus fugatus, enectus eſt, & exarſus à milite, & trecentis viris, paulo minus. De quibus ſingulis quatuor bellis nullam tu Jacobe mentionem facis, in quibus corpore & rebus, miſerabili ſtrage interiiſti, nullo vnquam triumpho trophæoque petitus, fugam crebrius adornando. Non igitur Senatus pertæſum ſe faciat, atque fuc-
p.221 cenſeat, ſæpius in dictis locis bello ſuccubuiſſe, & lethi pœnas ſoluiſſe. Suſtulit & Germanus, ſed triumphi potitor, diſcrimina mortis: ſed hæc ſine cæde fieri vix prælia poſſunt. Quotiens respub. Rom. profligata, & fere extincta in mari terraque extitit? Cuius nominis fama vsque ad Euphratem flumen, & Caucaſi montis iugum porrecta. Apud Cannas Apuliæ regnum, Treiaque in Tuſcia vicus, & ad Caudinas furcas loca teſtantur, & reliqua. *Omnia fert ætas animum quoque.*

Ad extrema bellorum omnium præſcriptorum tempora, ad execrandas huiusmodi lites, Rom. Epiſcopus, beatiſſimus dominus noſter, Papa Innocentius, poſt multam inſtantiam, vt à bellis deſiſteret, principi factam, tandem comminatus eſt, breuia aduerſus eum emittere. Sic Princeps conſentaneus factus, ſua ſanctitas Epiſcopum Teruiſinum Legatum deſignat. Imperialis maieſtas, quæ poſt Archiducem Auſtriæ proximus hæres extat, videns in rem ſuam non agi, Legatum Venetias mittit pariter ſuum, quibus coram electi viri, conterranei Atheſinæ prouinciæ comparent. Germani nec pacem precantur, vt tu Canicee in tua inuectiua depromis. Sed longa concertatione à partibus coram Legatis habita, cauſam belli vter vtri dediſſet, alterque in alterum plus æquo ſæuiſſet, diſcuſſa, & mature hinc inde propenſa, tandem arbitrati auerſa corda per decentia permollire, auiſata fuit, & eſt ad infra ſcripta deuentum media; per legatos ipſos. Qui ſcilicet ſuper actionibus & partium querelis, capitulis factis, & à partibus acceptis, inflammata hinc inde pectora, ardoremque litis extinguunt, ita & odio corda venenata defecant, in pacis & tranquillitatis vincula, amicitiamque veterem reducunt. Compenſatione hinc inde ſtragis, cædis, ſpolii, ignis & tædæ facta, ſaluis mercatorum bonis, per militem in tumultu ablatis, captiuis emiſſis, caſtris duobus, ad iudicium Marcæ ſuo dirimendis, ad manus beatiſſimi domini noſtri Papæ ſepoſitis, partes pace fruuntur, & potiuntur fœcunda, quam DEus æuo perpetuo conſeruare dignetur.

Quæ facile non diſſoluetur, ſi Lege agraria non neglecta, de terminis non mouendis, regundorumque finium rectum iudicium obſeruetur inter confinantes. Quo omiſſo, tantus eſt hodie hominum ardor & libido habendi, terræque habitabilis auida occupandi concertatio, vix pax huiusmodi eſt tempore duratura. Sæpenumero in culpa ſubditi ſunt, qui corda dominorum inflammant, falſas cauſas ſuggerentes, & eos prouocantes. Sunt denique ipſi Domini terrarum pari in cauſa, qui dum delirant, interim plectuntur Achiui ſeditione & ſcelere. Proinde precatur Vates Comicus, *Magne Pater diuum ſæuos punire præſides. Aut alia ratione velis. Cum dira libido mouerit ingenium, feruenti tincta veneno, Virtute inuideant, intabeſcantque relicta.* Sereniſſime Princeps, aurum & gemmæ non ſunt mihi, quod habeo à DEO, tibi do. Accipe à me obſequutore tuo, hanc aduerſus Italum calumniantem ſtatum tuum, quem hactenus illæſum conſeruaſti, Apologiam, meque amore & gratia proſequi non deſinas. Dixi. Anno Salutis milleſimo, quadringenteſimo, octuageſimo octauo, vltima Septembris.

ORA-

ORATIONES
VARIÆ
IN HONOREM
MAXIMILIANI.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Diuerſas Orationes hic exhibemus, quæ in Maximiliani I. honorem fuerunt ſcriptæ. Prima PALLANTIS SPANGELII eſt, Theologi Heidelbergenſis, * de qua ipſe Freherus alio loco ſic loquitur: *Maximilianus Rex Heidelbergam tranſiuit, Philippum inuiſens. Exceptus ibi Oratione Pallantis Spangeli Theologi, nomine Vniuerſitatis, quam recudendam curaui Tomo II. rerum Germanicarum.* Quantæ vero exiſtimationis hic Spangelius fuerit, teſtatur ipſius Epitaphium in Templo Spiritus Sancti Heidelbergenſi ** poſitum, in quo dicitur:

Conſilio pollens, largus rerum, ore diſertus
Doctor erat Pallas, hac tumulatus humo.

Additur: *Anno Domini 1512. Die vero IX. Menſis Julii † Magiſter Pallas Spangel de noua Ciuitate. Sacræ Theologiæ Profeſſor. huius Eccleſiæ Canonicus & Cuſtos. C. A. R. I. P.*

Altera eſt Oratio VDALRICI ZASII inſignis iſtius Jureconſulti Friburgenſis, quam eiusdem Academiæ nomine poſt reditum ex Italia, durante bello Veneto, quod anno 1509. factum coniicio, in honorem Maximiliani habuit, dum Friburgum tranſiret. Hac ipſum a victoriis, Belgica potiſſimum, Veneta, & Bohemica laudat. Adiecta iſta fuerat ipſius Tractatui feudali *Lugduni 1552. 8.* edito.

Tertia Oratio eſt JASONIS Mayni, inſignis olim Jureconſulti, quam nomine Ludouici Mariæ, Mediolanenſium Ducis, vtpote ipſius legatus in nuptiis Maximiliani cum Blanca Maria, Galeacii Mariæ filia anno 1494. Oeniponti celebratis, habuit. De hac ſic loquitur Gerhardus a Roo. *** *itaque Blanca Maria, cum ampliſſimo comitatu, Oenipontum deducta eſt, vbi poſtridie Idus Martias nuptiæ celebratæ ſunt. Eas luculenta oratione condecorauit Jaſon Mainus Eques Romanus, Jureconſultus ætatis ſuæ doctiſſimus.* Idem confirmat Nauclerus **** dicens: *eodem anno decimo ſexto die menſis Martii, Blanca Maria virgo illuſtriſſima,*

* *Chron. Heidelberg. quod Leodii Annalibus Palatinis eſt ſubnexum ad An. M. CCCC. LXXXIX.*
** Reperitur inter Monumenta Haidelbergenſia *pag. 14.*
*** *Hiſt. Auſtr. lib. X. pag. 527.* De eadem teſtatur Fugger *Speculo Honorum lib. VI. c. I. n. I.*
**** *Vol. II. Gen. L. p. 1111.*

ma, Galeatii quondam vice comitis & Mediolanenſium principis filia, ſereniſſimo inuictiſſimo Rom. regi Maximiliano iamdudum deſponſata, in oppidum Inſpruck ad tedas nuptiales traducitur, rituque Chriſtiano copulatur. Orationem habuit tum clariſſimam Jaſon Maimus eques Romanus, jurisconſultus toto orbe celebratus. Hæc autem Oratio tota eſt in laudibus Maximiliani & Blancæ Mariæ, qua etiam dotem definit Maximiliano conceſſam, quater centenarium millium aureorum nummorum. Quam beneuole autem hæc Oratio fuerit excepta teſtatur Raymundi, Cardinalis Garcenſis epiſtola, eidem ſubiecta.

Quarta eſt PANDULPHI COLLENUTII inſignis Piſaurenſium Jureconſulti de quo ſic loquitur Paulus Iouius: * *Pandulphus Collenucius Piſaurenſis, ingenio peracri, & ſtudiorum rerumque omnium erudita notitia perornato, nobiliſſimarum Italiæ vrbium præturas geſſit; functusque grauiſſimis legationum muneribus illuſtri facundia, & geſtu pernobili Latini Oratoris nomen impleuit: Cæterum tanto ingenio temperantia deerat, vt nulla in arte ſummum laudis faſtigium teneret: inſatiabili etenim cupiditate ſemper vagus in omnes diſciplinas ferebatur, cum eſſet ex profeſſo Jureconſultus: vt facile reliquarum facultatum Principes, diſputatione, ſcriptisque laceſſeret: quod nihil, niſi valde excellens probare eſſet ſolitus, & quæque mediocria faſtidiret. Indignatione ſiquidem ſuperba & oſtentatione præcipiti Plinium aduerſus calumniatorem Leonicenum diſertiſſime defendit. Scripſit & libellum de Vipera: ac item facetiſſimum capitis & pilei dialogum: poſtremo etiam Neapolitanorum Regum res geſtas Ethruſco quidem ſermone in gratiam Herculis Ateſtini, qui Latinas minime didicerat. Multa autem lectu iucunda, elegantèr inchoata abſoluere nequiuit, quum apud Joannem Sfortiam Piſaurenſium Tyrannum, quem deprehenſis literis offenderat, ſupra veterum officiorum memoriam, diſſimulata recentis odii libido valuiſſet: vir enim incaute Tyranno fidens, ea nece indignus, in carcere ſtrangulatus interiit.* Teſtatur etiam de eo Inſcriptio ipſius Hiſtoriæ Neapolitanæ ** tali modo præfixa: *Pandulphus Collenutius Piſaurenſis: peracri ingenio, & ſtudiorum rerumque omnium notitia perornatus: Græcis Latinisque literis (quod eius ſcripta teſtantur) pereruditus: qui nobiliſſimarum Italiæ Vrbium præturas geſſit: ob grauiſſimarum Legationum munera, quibus illuſtri facundia, & geſtu peruobili functus eſt, Latinus Orator nuncupatus, præter alias lucubrationes, variis de rebus perſcriptas, hiſtoria Neapolitani Regni in primis clarus: a Johanne Sfortia Patriæ Tyranno, quem deprehenſis literis offenderat, veterum oblito Officiorum, in carcere ſtrangulatus interiit.* Hæc ipſa autem Oratio, prout in fine videtur, Oeniponti coram Cæſare fuit habita, & quidem, prout ex ipſa Oratione patet, ſtatim poſt mortem Friderici III. qui nuper cœlo redditus dicitur. Hinc coniectari licet, anno 1494. hoc factum, dum ibidem hæreret Maximilianus. Miſſus autem fuerat ab Hercule Eſtenſe, Duce Ferrarienſi, qui fidem Maximiliano promitteret, quod ex hiſce verbis facile patet: *hæc cum ita eſſe intelligat, religioſiſſime Cæſar, deuotiſſimus tibi Dux tuus Eſtenſis Hercules, qui te iampridem (ſicuti ſcis) multos abhinc annos, prius etiam quam regni nomen & faſtigium imperiale conſcenderas, obſeruauit, coluit: (quippe non noua ſunt auſtralis familiæ decora, non noua virtutis ac magnitudinis tuæ gloria) verum te principem, verum omnium moderatorem, verum Cæſarem, verum Imperatorem agnoſcit, ſalutat, veneratur, adorat. Et non eam fidem modo obedientiamque præſtiturum ſe recipit, quam tibi per Ducatus dignitatem ab imperiali benignitate profectam, per vrbes*

* *Elogiis doctorum virorum num. XXXVI.*

** *Ed. Dordracena* 1618. 8.

bes ab Auguſta maieſtate ſuſceptus debere per ſcriptam legem profitetur; verum etiam illam, quæ tibi ab omni Romano orbe, gentibus nationibusque omnibus, diuino pariter & humano iure debetur.

Quinto loco ſubſequitur HENRICI GLAREANI *Panegyricus*, ligato ſermone ſcriptus in Maximilianum. Henricus hic Loritus, Glareanus a patria dictus, eo quod Glaronam, Heluetiæ pagum natale ſolum haberet. De hoc, eiusdemque* Panegyrico ſic loquitur Melchior Adami *Henricus Loritus Glareanus in pago Heluetiæ Glarona parentibus honeſtis natus eſt, anno Chriſti octuageſimo octauo, ſupra mille quadringentos. Primis literarum fundamentis in patria feliciter iactis, ad publica Germaniæ Gymnaſia ſeſe contulit: inprimis autem Coloniæ Agrippinæ compluſculos hæſit annos, ibique in Gymnaſio Montano acceſſiones ad eruditionem non vulgares fecit; teſtimonium philoſophicorum profectuum publicum virtute & doctrina ſua promeruit. Maximilianus item primus Imperator Caroli quinti auus, princeps æterna memoria dignus, fautorque literarum & literatorum ſummus, eundem Glareanum, honeſtorum virorum commendatione complexus, laurea poëtices inſigni Coloniæ coronauit & annulo eximio donauit. Ea in coronatione, quæ facta eſt anno Chriſti duodecimo, ſupra mille quingentos, carmen Heroicum & panegyricum audiente ampliſſimo Principum Germaniæ conſeſſu coram ipſo Auguſto, non ſine gloria multorumque admiratione, ad Doricintinum modulatus eſt: quod deinde Joanni Cæſario, philoſopho & medico, præceptori quondam ſuo cum annotationibus breuibus dedicauit. Reperitur id in tomo primo ſcriptorum Germanicorum a D. Schardio editorum.* Sequitur ipſum Martinus Hanckius,** qui Glareanum etiam inter Romanarum Rerum Scriptores refert. Hic autem eſt ille ipſe, quem exhibemus, Panegyricus, cui ex Schardii Tomo primo*** præfationem ad Jo. Cæſarium & breues adnotationes adiecimus Mortem huius Glareani ad annum 1561. refert Thuanus, dicens: *hic quidem fuminus olim D. Erasmi amicus, & Muſices ſcientia clarus Friburgi Brisgoiæ; ubi profitebatur, cum rem literariam diu voce & ſcriptis, quantum ea tempora ferebant, iuuiſſet, annum agens ſeptuageſimum quintum animam Deo reddidit.*

Hunc Panegyricum excipit Sexta NICOLAI ROSENBERGERI, Jo. Alberti, Poloniarum Regis legati, *Oratio ad Maximilianum Imp.* in Principum Conuentu Friburgenſi Sabbatho ante Margatethæ diem 1498. habita, pro auxilio contra Turcas petendo, una cum ipſius fidei litteris. Anſam dabat, quod Turcæ, a Walachorum Waiwoda, Stephano, adiuti, Poloniam Ruſſiamque inuadentes, omnia ferro igneque vaſtarent, multa hominum millia in captiuitatem ducerent, prout Rerum Polonicarum Scriptores**** latius exponunt. De Comitiis vero Freyburgenſibus Julio & Auguſto menſe celebratis, egit Fuggerus.***** Integrum Comitiorum Receſſum exhibuit Dattius,****** in quo etiam huius legationis Polonicæ fit mentio.

Septimum locum occupat MAXIMILIANI I. *Priuilegium ſuper conſtitutione Collegii Poëtarum in Academia Vindobonenſi*, de quo etiam Wolffgangus Latzius teſtatur.******* Idem Diploma ſub titulo: *de honore*

---

* *Vitis Philoſophorum p.* 109. 110. *ex libro III. Proſopographiæ Pancaleonis.*

** *Lib. I. cap. LV.*

*** *Pag.* 335.

**** Mart. Cromerus *Rer. Polon. Lib. XXX. pag.* 820. Matth. de Michovia *Chron. Polon. Lib. III. cap. LII.*

***** *Speculo Honorum lib. VI. cap. II. pag.* 1106.

****** *De pace publica lib. V. cap. X. p.* 913.

******* *Chron. Vienn. Lib. II. cap. VII.*

nore & Priuilegiis Poëtarum reperitur apud Goldaſtum. * Ex eodem vero conſtat, Conradum Celtem primum ex Germanis fuiſſe poëtam coronatum, de quo etiam teſtatur Lambecius. **

Idem hoc Collegium concernit VINCENTII LONGINI a patria Freyſtadt in Sileſia, dicti Eleutherii, *Panegyricus ad Maximilianum* dictus Calendis Februarii 1502. Huius laudes tali modo prædicantur in Nicolai Henelii Sileſiographia renouata. *** *Eleutherius inter Sileſios Muſarum laude celebres nomen quoque ſuum in æde Camœnarum poſuit, artium quippe & Philoſophiæ Doctor, Poëtaque lauru coronatus Parnaſſide ab ipſomet Max. I. Aug. qui in Germania ſuo ſeculo ingenia mirifice excitauit, ac munifice iuuit, audire ſemper doctos, aut percunctari, imo ipſe legere, ſcribere, & commentari ſolitus. Teſtis eius rei Archiducalis Academia Viennenſis, in qua quidem cum nouum Poëtarum, ac Mathematicorum Collegium glorioſiſſ. memor. Princeps erexiſſet, hoc inter alia priuilegio, vt primus Collegii Rector Conr. Celtes, eiusque in illo munere Succeſſores, Palatini, vt vocant, Comitis poteſtate exornarent, ſi quos præuio examine dignos ſtudiorum præmiis putauerint: Longinus noſter tunc Panegyricum illi ſcripſit,* (dixitque) *quem legere licet Tom. 2. ſcript. Germ. a Nobiliſſ. Viro Marq. Frehero Collectorum. Edidit & carmina alia complura, in quibus ut eruditio ipſius, & facilis atque elegans vena ſatis clare elucent; niſi quod verba alicubi requiras commodiora, ſed quod non tam vitio ipſi vertendum quam æuo haud dum ſatis exculto. Floruit circa initium ſeculi XV. atque adeo ſub crepuſculum quaſi litterarum per Germaniam paſſim ex tenebrarum abyſſo emergentium, quibus aduerſus craſſam barbariem, eiusque ſatellites & περομάχους Sophiſtas aſſerendis egregiam & ipſe operam ſuo loco pro virili nauauit: ob id Xenophonti illi Germano Bilib. Pirckhaimero laudatus, cuius ad hunc noſtrum elegantiſſima exſtat epiſtola: initium illius eſt. Miraris forſan cur ad Te, Finini, Me penitus iam tuum effectum.*

---

* *Conſtit. Imper. Tomo III. p.* 482.
** *Comment. de Bibl. Cæſar. Vindol. Tom. I. p.* 32. Vid. Gundling. *Obſ. ſelect. Tom. I. Obſ. I.*
*** *Cap. VII. p.* 133.



I.

ORATIO EXTEMPORALIS HABITA AD MAXIMILIANUM ROMANORUM REGEM INVICTISS. à PALLANTE SPANGEL, THEOLOGO HEIDELBERGENSI, NOMINE EIUSDEM UNIVERSITATIS. ANNO M. CCCC. LXXXIX.

MAXIMIS hodie, Rex inuictiſſime, gaudiis tua Majeſtas Heidelbergenſe ſtudium affecit, dum dignatus es nos inuiſere, & noſtri defenſoris illuſtris Philippi Ducis lares ingredi, qui te colit, te veneratur, admiratur, ac ſincero proſequitur affectu. Gratulamur protectori noſtro Principi Palatino, quem tuus aduentus (vtinam fauſtus ac paciſer) maximopere lætificauit, cui fortuna nunquam parem hoſpitem dignitate, genere, virture, opibus ac ingenuis moribus in has ædes induxerit. Iuuat intueri Regiam tuam ſerenitatem, quam fama præclara admirandis præconiis effert ad aſtra, diceris enim magnanimus, laborum patiens, contemptor tempeſtatum, ſub dio & papilionibus; prædicaris intrepidus ad ardua, terribilia, immo lethifera, vbi tenui filo vix mors à vita diſtinguitur. Te autem bellicoſum, victorioſum, quem non terreant malorum factiones, nec dejecit perfidia. Quas ob res dulce nobis viſum eſt in te lumina conuertere, de te, maxime rex, ſpes eſt, ſi quando ſatis præſtantibus Monarchiam Romanam dirigere conceſſum tibi fuerit, tua potentia Chriſtianos ad pacis vinculum cogere, rebelles & inquietos domare, frangere, contundere, exterminare bella ciuilia, inteſtina, domeſtica; vt fideles conciliaros exerceas, hoſtes Chriſti elidas, Turcorum immanitatem compeſcas, Mahometiſtas voluptati deditos conteras, Tartarorum, ac Barbaricarum nationum crudelitatem frangas, ac tandem in Ouile Chriſti ouiculas errantes perducas. Has ad res, potentiſſime Rex (cum tuæ Maieſtatis venia loquar) vna ſola via & breui gradiens, ſecundante fortuna peruenies, quæ eſt mandatorum diuinorum obſeruantia. Siquidem præcepta Dei ſeruaueris, polliectur tibi Moyſes Prophetarum facile primus, quod te faciet Dominus Deus tuus exeelſiorem cunctis gentibus, venientque ſuper te vniuerſæ benedictiones iſtæ & apprehendent te. Benedictus tu in ciuitate, benedictus tu in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, benedicta horrea tua, benedictæ reliquiæ tuæ, benedictus eris ingrediens, & egrediens, Dabit Dominus inimicos tuos qui conſurgent aduerſum te, corruentes in conſpectu tuo, per vnam viam venient contra te, & per ſeptem fugient à facie tua, conſtituet te dominus Deus tuus in caput & non in caudam, & eris ſemper ſupra & non ſubter, ſi tamen audieris vocem Domini Dei tui. Breuis eſt iſta Moyſis concluſio; quam ſi ſeruaueris, ſeruabit te. Hæc miſſa facio. Mu-

nera pauca Maieſtati tuæ (Rex inuictiſſime) rector & Vniuerſitas Heydelbergenſis offert, quæ cum ex affectione dulciſſima prodeant, pro tua benignitate (quæ ſumma eſt) non ingrate ſuſcipito. Et per immortalem Deum tuam Serenitatem obteſtor, vt ducem noſtrum ac ipſius ſoboles, quæ olim tuæ curiæ præſtabunt ornamentum, ac vniuerſitatem ipſam fauoribus ac regali gratia proſequaris. Dixi.

II.

AD INVICTISSIMUM PRINCIPEM DIVUMQUE MAXIMILIANUM CÆSAREM OPT. MAX. ORATIO, HABITA UNIVERSITATIS FRIBURGENSIS NOMINE, ZASIO DICENTE.

QUanquam Illuſtriſſime, inuictiſſime & Generoſiſſime Princeps, Imperator Auguſte, nos qui ad tuam ſereniſſimam Maieſtatem excipiendam, à tuæ Maieſtatis gymnaſio Friburgenſi miſſi ſumus, planè fateamur noſtrarum non eſſe nec virium, nec ingenii, id muneris apud tanti numinis fulgorem verbis quamlibet politis conſequi: Quæ enim humana mens ex æquo veneretur Principem immortalibus præconiorum titulis decorandum? Principem cuius imperium Oceano, cuius fama aſtris terminatur? Verum enim verò quod noſtræ ſuper eſt exiguitati, tuam auguſtam maieſtatem, quanta maxima veneratione, quanta obedientiſſima ſubiectione poſſumus, excipimus, & in genua, ut addecet, humillimè adpronati conſalutamus: felicem fortunatumque hunc diem arbitrati, quo poſt tot annorum curricula, poſt tot bellicos ſudores, tuam Maieſtatem ſanam iterum & incolumem videre licuit. Utinam vel Ciceronis nobis vel Demoſthenis ſupperetet facundia, quo illos ardentiſſimos in te, deſideratiſſime Princeps, noſtrorum animorum affectus, paratiſſima propenſiſſimaque vota, ſtudia, obligamina, ex debito explicaremus. Quippe qui à tua Maieſtate eiusque illuſtriſſimis progenitoribus, origine, priuilegiis, prouentibus fundati, decorati, prouiſi, ſola ea tam honeſta tantorumque Principum digna liberalitate alimur & propagamur. Quòd ſi nulla huiusmodi munificentia impelleremur, tuorum tamen eminentiſſimorum natalium, rerumque præclariſſimè geſtarum admirabilem ſplendorem, quo totus propè orbis in prædicationem tui rapitur, memoria repetentes, in maximarum laudum coagmenta iure optimo prouocaremur. De clariſſimis tuis natalibus, quos tamen nonnulli ab Hercule, alii à Priamis deduxerunt, ideò in præſentia non dicimus, quòd ea res & non ſit noſtri inſtituti, & ab idoneis authoribus ampliſſimè pertractetur. Cæterum, quod in te maius & eminentius fuerit, propria tu virtute, rerumque geſtarum gloria, MAXIMILIANE, ita celebraris, ut in multa præconiorum quæ nobis offertur ſylua, ſicut ſe principium ultro exhibet, ita finem inuenire difficillimum ſit. Quum enim & paci & bello ſua ſint tempora, & præclaros principes pace liberalitas deceat & clementia, bello laborum tolerantia & fortitudo, utrobique tua Maieſtas, MAXIMILIANE, ita excellit, ut in ambiguo ſit, alterutrum ſit præſtantius. Clementiam ingens tua proteſtatur benignitas, qui benefacere omnibus, parcere delinquentibus conſueuiſti. Natiua hæc domus Auſtriæ virtus eſt, ut eius Principes humanitate potius mites & placidi, quàm ſeueritudinis rigore auſteri videantur: quod cum in aliis tuis maioribus conſpicuum fuit, tum in te ita egregiè pollet, ut quicunque familiarius tuæ Maieſtati conſueuere, etiam ſi minoris notæ homines fuerint, patrem te quàm dominum potius experiantur. At verò liberalitas vel exuberans in te ſpectatur: nam & nemo unquam honeſtus tuæ Maieſtatis curiam ſecutus, non opulentiſſimis eſt muneribus ditatus. Quot enim militares, quot nobiles tua liberalitate confouentur? Quot denique ſi cæteros taceam, literati viri tua ſunt bene-

beneficentia ſuſtentati & prouidentur ? Teſtis noſtra Uniuerſitas, teſtis Vienna, quæ ambo gymnaſia in tua unius munificentia conquieſcunt. Teſtes innumeri & Oratores & Poëtæ, qui tua ſunt liberaliſſima erogatione decorati. Et in ſumma, tua hæc inſignis liberalitas, ex hoſtibus amicos, ex alienis tuos, ex infidis fidos facit, omnesque paſſim & peregrinos & domeſticos ad te amandum allicit & inuitat. Mittimus, quòd in te literarum expeditiſſima eruditio, & quod in aliis Principibus deſideratur, variarum doctrinarum profundiſſima inueſtigatio reluceat in pace illa. Bello verò tanta inſigniris claritudine, ut quicquid vel maximum de te prædicauerimus, minus illud à laude tua eſſe cenſeatur. Non enarramus hîc quo inuicto labore primos tuæ iuuentæ annos militari puluere exercueris : frigora, æſtus, cæteraque incommoda, quanta animi perſeuerantia pertuleris : non ſomnum, non quietem, non cibum non, potum tibi indulſeris, dum optimi ducis numeros vel omnes expleres. Non enarramus quanto animo tot periculoſa, tot horrida bella inter primos non ſolùm adieris, ſed & vexilla anteieris, potentiſſimos inferioris Germaniæ populos iam tum rebelles ſubdideris & ſubiugaueris : non inquam plurima id genus ſpectatiſſima facinora referimus, quando multa præterire neceſſitas cogit. Hoc dicimus, in oculis omnium verſari, quot nouiſſimè tua ſereniſſima Maieſtas memorabiles deſudauerit victorias. Inuictam tuam vim nonnulli inter primos Germaniæ Principes, quos non nominamus, ſuperioribus annis ſenſere, quorum potentia cum iam uſque ad formidinem latè pateret, tua ſunt manu in ordinem redacti. Senſere & ferociſſimi Bohemi, quorum vel ſola nomina quum priſca ætate tanto eſſent terrori, ut copioſiſſimi exercitus ab ipſis nec dum conſpectis in fugam verterentur : tu tamen ſimulatque eos aduentantes accepiſti, tuo exercitu non expectato, parua accepta militum manu, in quibus & nonnulli Principes, Comitesque & nobiles interfuiſſe traduntur : ipſos inopinatos & nihil tale verentes, animo maximo aggreſſus es, & cohortaris ad pugnam, ad res fortiter agendas militibus, in prima acie verſatus, fortiſſima tua manu, tuo illo victorioſiſſimo enſe ita in hoſtes ferebaris, ut quamuis reſiſtere primo animoſiſſimè viderentur, tuo tamen intolerabili impetu pars cæſi, pars in fugam verſi, adeò ſunt profligati, ut in verba tua truculentiſſimi iſti hoſtes univerſi, quotquot à bello ſupererant, iurare cogerentur. Et niſi tuo pientiſſimo clementiſſimoque animo aliud ſediſſet, ſub iugum velut coronata & iam venalia mancipia mitti potuiſſent. Ut meritò id, quod C. Julium cum Pharnacem fugaſſet, dixiſſe legimus, tua de ſe Maieſtas uſurpaſſet, Veni, Vidi, Vici. De Venetis denique hoſtibus quid dixerimus ? qui dum ſe dominos terra marique iamdiu iactitarent, & quos poſt Fridericum primum nullus vel Imperatorum vel Principum ne attentauit quidem, tua eos Maieſtas breui tempore ita contudit & fregit, ut ſi modò perſeueraretur, non magno negotio in ordinem redigi ſperemus. Hæc tanta, tam præſtantia, aliaque plurima clariſſima tua facinora, tuæ denique divinæ virtutes, quæ in te velut concentu quodam relucent, & quas mirum eſt humanam naturam capere potuiſſe, toti te orbi iam planè admirabilem effecerunt, atque ita effecerunt, ut Chriſtiani paſſim orbis reges & principes in fœdus, amicitiamque tuam coniungi deſiderent, & iungantur : neque id iniuria, ſiquidem cùm vix alii unquam principi tot excellentes tum animi, tum naturæ dotes contigiſſe credantur, tantò in te celebratiora, tantò magis conſpicua ſunt, quo rariora illa in caeteris apparuere. Et ut uno verbo dicamus, Romani orbis Imperium tibi ſatis debere non poteſt, quod cum habeat Principem, quem priſcis vel maximis imperatoribus rerum magnitudine, vel anteferre, nedum comparare poſſit. Sed quorſum hæc ? Neque enim vel muneris noſtri, vel præſentis eſt conditionis, in tuis laudibus, quod maximè deſideraremus, latius immorari : nec etiam immenſiſſima iſthæc noſtra ſufferret exiguitas : unde finem facimus : &, quod ad noſtram rem attinet, tuæ ſereniſſimæ Maieſtati nos eiusque ſubiectiſſimam Academiam, totius Uniuerſitatis nomine obedientiſſimè commendamus, atque ſub tua velut diuini numinis umbracula confugimus, & ſubmitti-

A victoria in Bohemos.

A Venetis repreſſis.

Epilogus.

Obedientiam defert nomine omnium.

mittimur : obnixiſſimè & humillimè petentes, tua Maieſtas, Dive Cæſar, ſolita nos gratiæ benignitate defendat, ab hoſtilibus ineurſibus, quibus tamdiu nihil tale meriti affligimur & atterimur, ſubleuet, liberet, & tueatur, ut qui in tua unius gratioſiſſima protectione quieſcamus & foueamur. Tandem inuictiſſime Maximiliane Prineeps omnium deſideratiſſime Deum Opt. Max. rogamus, ut tuus auguſtiſſimus ſplendor pro reipublicæ Chriſtianæ ineremento in ultimam usque ſenectam felix viuat, in dies magis ac magis fortuentur ae floreat.

DIXI.

III.

IASONIS MAYNI IURECONSULTI, EQUITIS ROMANI, CÆSAREI ET DUCALIS SENATORIS, AC DUCALEM LEGATUM IN GERMANIA GERENTIS, AD SERENISSIMUM MAXIMILIANUM INVICTISSIMUM ROMANORUM REGEM, IN AUSPICATISSIMIS EIUS ET AUGUSTÆ BLANCHÆ MARIÆ NUPTIIS, EPITHALAMION.

CREDIMUS, ſereniſſime Rex, & inuictiſſime Cæſar, feliei aliquo ſydere proceſſiſſe, vt nos qui anno ſupetiore pro inelytiſſimis Mediolanenſium ptincipibus gratulatoriam Romæ orationem habuimus ad Alexandrum ſextum Romanum pontificem : nune etiam eorundem legati ad te Romanorum regem maximum haud imparem ſimus orationem habituri. Vos eſtis duo mundi luminaria magna : Paſtoralis auctoritas, & Cæſarea poteſtas, prima & ſumma Chriſtiani orbis capita, & præcipua uniuerſæ terræ fundamenta. Æquum fuit & conſentaneum nos qui diuorum Principum noſtrorum iuſſu eum qui ſpiritualibus præeſt, ſalutauimus, anno nunc reuoluto te, qui temporibus præeſſes, ſalutare. Detulimus principum noſtrorum mandato (ſieuti catholicos decebat) Pontificiæ beatitudini & Apoſtolico throno perpetuæ obedientiæ & ſinceræ deuotionis cultum. Eorum nomine Cæſareæ nune Maieſtati inuiolabilis fidei & immortalis obſeruantiæ pignus deferimus. Nos etiam (ſicut par eſt) ſperamus vt quemadmodum à beatiſſimo ſacrorum omnium antiſtite, & reuerendiſſimis Eccleſiæ militantis Cardinalibus, voces noſtræ clementer admiſſæ fuerunt : ita nunc à ſeteniſſimo Romanorum Cæſare, & illuſtriſſimis Germaniæ prineipibus verba noſtra benignis auribus excipiantur. Nec tam inculti ſermonis noſtri exiguitas eſt attendenda, quam mittentium pronus ad omnia animus, præcipua fides, & ſingularis obſeruantia conſideranda. Gratiora quoque quæcunque à nobis in præſens proferentur, fore confidimus, quod inter Cæſareum culmen & exeelſos Mediolanenſium prineipes neceſſitudinis & affinitatis vineula ſunt contracta. Per has ſanctas maritales tædas, & hunc felieem hymenæum, ut cuilibet vel tenui eorum nuncio non paruæ gratiæ locum ſperare lieeat.

QUICUNQUE Rex eminentiſſime, egregia & ſumma auguſtiſſimarum laudum tuarum præconia, vel orando vel ſcribendo celebrare voluerint, vel potius celebrata & toties decantata eontemplari, aut rectius eontemplando admitari, & ſecum obſtupeſcere, facile intelligent, nihil tibi vlla ex parte deeſſe, quod vel à natura, vel virtute, vel à fortuna ſit expetendum : quin ea omnia ſis cumulatiſſime conſecutus, quæ ad aſſequeudam omnem præſentis ſeculi ſœlicitatem ſpectant. Nec tuas maximas & immortales laudes ab vno aliquo riuulo ſcaturire inuenient, ſed ex variis & vberrimis ſontibus abunde manare. p. 223

Natus

Natus es gente Auſtriâ : domo inclyta & celebratiſſima : quæ tot Regum & Imperatorum mater, ſæpe etiam Pannoniæ, ſæpe Bœmiæ, quandoque Poloniæ reges dedit. Ex Gente Auſtria vndequaque occurrunt Rodulphi, Herneſti, Leopoldi, Henrici, Othones, Alberti, Sigismundi, Friderici, fœliees & candidiſſimæ animæ huius exeelſæ familiæ : quarum virtutem, illuſtria geſta, eelebreſque victorias admirari magis quam recenſere æquum eſt, & veneratione potius quam commendatione complecti. Rodulphus Auſtrius Romanorum imperator Bononiam ampliſſimam Italiæ ciuitatem & totam Flaminiam Eccleſiæ Romanæ dono dedit : & Ottocharum robuſtiſſimum Boëmiæ regem, qui Auſtriam & Stiriam Romano imperio ademerat, tandem vatio & ancipiti bello victum interemit. Albertus Auſtrius tertius Pannoniæ, & ſextus Romanorum rex, tibi patruus magnus : quum in humanis ageret, Martis filius & belli ſulmen ſerebatur. Præter cætera præclara facinora Huſſitas ferociſſimos Bœmiæ populos Eccleſiæ Catholicæ non minus impias & hæreticas ſectas, quam ſæua & horrenda bella mouentes, non modo ſuperauit, ſed quaſi malleus quidam omnino contriuit. Fridericus Auſtrius tertius huius nominis Imperator, genitor tuus pientiſſimus, in omni probitatis & gloriæ genere etiam priſcis quibuscunque conferendus, Heleonoram Heduardi Luſitaniæ regis filiam & Alphonſi Hiſpaniarum præclariſſimi regis neptem, coniugem duxit nobiliſſimam, Auguſtamque ſereniſſimam : vnde ſibi omnes Luſitaniæ & Hiſpaniæ potentiſſimos reges affinitate deuinxit. Ex ea te Maximilianum filium ſuſcepit : quem ſemper (vt par eſt) chariſſimum habuit : non tam ex eo quod vnicum haberet, quam quod vnicæ ſpei, ac vnicæ & miræ fores expectationis : & vnicus vt paternarum laudum, ita paterni imperii futurus indubitatus ſucceſſor.

Illud atteſtatur ſpecu in tit. de reſcripti præſcnta. §. ſi. ver. Et ſunt hæc in argumen. lo. de Imol. in rubrica ff. de ver. ob in 7. col.

Tibi nomen Maximiliano parens indidit, non ſine quodam divino inſtinctu, vt Plato atteſtatur : quod duo ſignificat Maximum & Æmilianum. Ambo Romani militatium copiarum præſtantiſſimi duces ac triumphales viti. Maximus enim Fabius Romanum imperium pene deſolatum aduerſus Hannibalem Pœnum cunctando reſtituit : Æmilianus vero Scipio Hannibale tandem deuicto Carthaginenſium triumphum egit. Vtriuſque tibi nomen copulatum eſt : vt quamuis alterum æquaſſe fuiſſet glorioſum, tamen utrumque nomine teſerre, & utriuſque præſtantiam ſuperare eſſet tibi multo glorioſius. Illi Romanum imperium aduerſus gentes barbaras defenderunt, & de hoſtibus profligatis eelebrem triumphum egerunt. Tu quoque Romanorum rex ſupremus, non ſolum Romanum imperium cui merito præes, ſed & vniuerſum populum Chriſtianum aduerſus Turchanicam barbariem, quæ diutius graſſata eſt, proteges : & proſtratis deletiſque funditus nequiſſimis orthodoxæ fidei hoſtibus, & Chriſtiana dignitate ac fide eatholica in priſtinum decus reſtituta, non ſolum terreſtre tropheum reportabis, ſed etiam eœleſtem triumphum cum immortali gloria & ſempiterna ſalute conſequeris. Hæc ſunt generoſa ſemina & illuſtres radices, quibus tam fœlieiter in lueem editus es, natione Germanica omnium vt ampliſſima, ſic & nobiliſſima : quæ non immerito Alamannia quaſi ala magna nuncupatur : gente Auſtria non modo vetere & heroica, verumetiam regia & imperiali : patre imperatore glorioſiſſimo : matre ex regia prole & auguſtiſſima.

Maximus Æmilianus.

Tanta eſt tuæ ſublimiſſimæ originis amplitudo, vt iam nihil tibi amplius poſſe honoris addere imperium videatur : quod etiam naſcendo meruiſti, quum ex imperio ita prodieris, vt ad illud aſſumptus, non tam inſtitui quam in eo perſiſtere credaris. Quos de te ſucceſſus tam fortunatiſſimi partus ſtirpis adeo egregie præſtolari iure optimo mortales poterant, longe ſemper exeellentiores præſtitiſti. Parum enim fuiſſet præclaris naſci parentibus, niſi illorum ſplendor augeretur. Et quanto eſt maiorum vita præclarior, tanto poſteriorum ſocordia flagitioſior. Quum Alexandro Macedoni ſodales ſæpius dieerent, tot & tanta tibi relinquet pater. *Quid prodeſt* (inquit) *ſi multa relinquantur nobis, quum ipſi agamus nihil?* Philippum Macedonum regem Alexandri patrem Theo-

phraſtus & Plutarchus tradunt non ſolum genere & dignitate regia, ſed etiam virtute & moribus maiorem cæteris regibus moderatioremque extitiſſe. Fuit tibi ſemper præcipuæ curiæ: vt non minus imperio, quam patre Imperatore dignus reddereris. Vera iſta, ſed rara fœlicitas eſt, fœlicitate, ad quam quis genitus ſit, P. 224
ſe quoque meritis & propriis virtutibus dignum efficere. Tecum ſedulo cogitabas qualem te euadere oporteret, ut maximæ parentum gloriæ reſponderes: & ſemper clarior euaſiſti quam opinione conciperes. Cœperunt prælucere in te adhuc iuuene virtutes ſingulæ imperatoriæ, clementia, liberalitas, continentia, modeſtia, iuſtitia, prudentia, fortitudo, magnanimitas: & tales quidem quales vix vnquam etiam longo ſenio confecti nanciſcuntur. Viſus es honorem regium virtute prius quam ætate præueniſſe. Viſus es æuo immaturus, prius meritis ad imperium, quam annis maturuiſſe. Vix dum puer fœlicia omnia quæ tibi obueniebant, ad Dei benignitatem referens: cœpiſti pro Chriſtiana republica eſſe ſollicitus. Concepiſti tacitus animo à teneris vſque vnguiculis futuram expeditionem aduerſus ſæuiſſimam & truculentiſſimam Turcarum inſolentiam: non minus teipſo quam Chriſtiano principe dignam: & eo quidem principe, qui cæteris Chriſtianis principibus præeſſe procul dubio ſperaretur. Inter creſcentem ætatis tuæ adoleſcentiam, quaſi inter virtutis & fortitudinis tuæ rudimenta Francos, Eburones, Sicambros, Batauos, Morinos, non minus ſapienter, quam fortiter profligaſti. Reportaſti ſub viridi iuuenta varias celebreſque victorias: quas longo etiam æuo obtinuiſſe fuiſſet glorioſum. Taceo quæ nimium omnibus nota ac trita ſunt: quanta ſit tibi rei militaris diſciplina, quanta diſponendis militum copiis ratio, quanta caſtrenſium laborum patientia, quanta vigilantia, quanta ſolertia, quanta ductandi exercitus peritia, quanto animi ardore, quanto corporis robore res bellicas tractes. Præterea actas ſub pellibus hyemes, æſtates inter bella ſudatas: quotiens excubias egeris, ſpeculatum ſis egreſſus, caſtrametatus: & omnium caſtrenſium munerum numeros obieris: ac vniuerſa optimi militarium ordinum imperatoris officia compleueris. Neque vero te caſtrenſia negotia aut bellicæ artes à literarum commerciis abduxerunt: quibus impenſe incubuiſti, quum intelligeres literas eſſe virtutum omnium magiſtras, & compertum haberes Cæſaream maieſtatem non minus literis quam armis præſtare opportere. Neminem decet plura ſcire quam principem: qui ſicuti plurimis præeſt, ita plurimos debet prudentia antecellere. Demetrius Phalereus Ptolemeum regem monebat, ut legendis libris ſedulo vacaret. Quæ enim amici non audent reges non monere, librorum lectione eruditur. Fortunatas eſſe reſpublicas Socrates & Plato atteſtantur, quarum principes ſapientiæ ſtudiis vacant. Prudentia cæterarum virtutum dux eſt: qua aurigante imperii habenæ conſultiſſime moderantur. Hac duce nihil temere, nihil inſipienter agitur. Carolus quartus eius nominis Romanorum Imperator, dum conſtitutiones de regum & Imperatorum creatione ederet, illud præcipuum ſtatuit: *vt qui ad Cæſaream dignitatem aſpirat, etiam variarum linguarum peritiam teneat, præſertim Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Liburnicæ, & Germanicæ.* Tu has omnes adeo calles, vt quæcunque loquaris tibi ſic domeſtica reddatur, quam ſi eam inter teneros nutricum amplexus imbiberis. Mithridates rex Ponti vel ex eo apud veteres non parum commendatur, quod variarum linguarum quibus præerat, meminiſſet: & ſingulis ſine interprete reſponderet. Accedit totius corporis dignitas & elegantia, quæ plurimum de cœlo traxiſſe creditur: & virtutibus gratiam vel (vt Pacatus inquit) ſuffragium addit. Valida membrorum internodia, lacertorum robur, lati pectoris firmitas, maieſtas vultus, regium ſupercilium, quidam imperatorius oculorum vigor: vt appareat naturam heroicum totius corporis decorem indulſiſſe, qui te imperio dignum oſtentaret. Hic generis tui imperatorius ſplendor, hæc tam præclara adoleſcentiæ tuæ facinora, peculiares animi & corporis dotes, raræ admodum ac propterea admirabiles, Carolum Burgundiorum ducem ac Belgarum regem

regem fortiſſimum facile adduxerunt, vt ei aſſentiretur quod poſt obitum per diuam eius conſortem & primates effectui eſt demandatum, vt Mariam filiam vnicam multarum gentium & nationum futuram hæredem tibi vix pubeſcenti matrimonio copularet: ex qua priuſquam immaturo letho occumberet, Philippum & Margaritam cœleſtes liberos ſuſcepiſti. Hæc ingentia merita mouerunt Germanos principes ſacri Imperii electores, vt vnanimi conſenſu omniumque ſuffragiis te in Romanorum regem mox futurum Imperatorem legerent & ſalutarent, inter admirabiles populorum acclamationes, congratulationesque publicas. Magna tua laus eſt, ſed maius meritum tam ſincerum & integrum tot præſtantiſſimorum electorum iudicium reportaſſe. Nec multo inferior eorum laus eſt, quin optimi cenſeri debeant, quum de optimo principe proſpexerint: ſed præſtat benemeriti quam in benemeritum conferre dignitatem. Alterum enim ſolidæ virtutis eſt: alterum iudicii quamuis cum prudentia coniuncti. Interea cœpiſti animum denuo ad rem Martialem flectere, quum
p. 225 meminiſſes quod matrimonium eſt venerabile fidei & honeſtatis templum, ſuauiſſimum vitæ condimentum, conſenſio quædam cæleſtis, conſortiumque diuinum: humanos affectus & ſenſuales appetitus intra legitimam connubii copulam maritali lege coercens: & intra diuinos ſanctiſſimi coniugii limites cohibens: ne ſoluti & infrenes ferarum ritu in varias cupiditatum illecebras euagentur, & in quæcunque voluptatum præcipitia debachentur. Deus rerum omnium conditor & fabricator hominem veluti ſimulacrum ſuum formauit: & (quod erat maximum diuini opificii) ei ſoli ſapientiæ gratiam inſpirauit. Solus homo rationis capax, mente & prudentia præditus, linguæ & ſermonis copia dotatus: ſolus etiam non vt cætera animantia in humum proſtratus, ſed erecto corpore & ſublimi facie formatus eſt: & quaſi terrenis neglectis ad ſupernarum rerum ſpeculationem eſt effictus. Quum autem homini Deus rationis & intellectus lumen infudiſſet, quo longe cæteris animantibus præſtat: & ſentiendi atque eloquendi virtutem conceſſiſſet, qua carent cætera animantia quæ muta ſunt & ratione carentia: ſtatuens humani generis conſeruationi & propagationi conſulere, etiam ſalutarem modum adinuenit, quo à feris diſtaret. Non enim per promiſcuos & indiſcretos concubitus ferino ritu humanæ generationi ſtudendum eſſe voluit: ſed per ſanctum genialis thori matrimonium. Deus ergo marem & fœminam in matrimonium, hoc eſt, in corpus unum indiſſolubili vinculo coniunxit: vt eſſent humanæ diuinæque vitæ perpetuo ſocii. Divina prouidentia per hoc ſacrum legitimi coniugii fœdus & cœleſte matrimonii Sacramentum vniuerſo humano generi proſpexit, ne cuius dignitatem ineuitabilis conditio inſtantis mortalitatis extingueret. Qui igitur extra religionum clauſtra & extra cælibatum in ſæculo viuere proponunt, ſuperna lege, duce ratione, & ſicuti hominem decet, caſtiſſimum ſanctiſſimi coniugii Sacramentum obſeruent. Qui ſecus faciunt, à recto rationis calle, & bono hominis ſenſu alieni, vitam pecudum ſub humana ſpecie viuere creduntur. Non ab re Dido Virgiliana Troiano Æneæ exprobrabat: *Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam degere more fera.* Cœpiſti ergo, ſacer Rex, vt reliqua omnia conſultiſſime de matrimonio cogitare: ſicuti Chriſtianum regem diuinæ legis memorem decebat. Sic enim tuo generi, tuæ familiæ ac poſteritati, regno & imperio conſultum eſſe voluiſti: & per dulciſſima pignora tam generis claritatem quam nominis memoriam in poſteros longius propagare. Offerebantur tibi non ſolum à Germanis principibus, ſed ex vniuerſo pene terrarum orbe à Regibus quibuscunque maritales tædæ. Nemo enim eſt tam alto ſolio conſtitutus, qui non exiſtimet ſe ex tua affinitate altius multo ſubleuari. Sed tu animum adiecisti ad Blancam Mariam Vicecomitem Auguſtam: in qua virginalis pudor cum matronali grauitate coniunctus, omnium voluntates quam facillime promeretur. Incertum tamen videri poſſet, an diuino conſilio, an tua prudentia proceſſerit: niſi quod ad Deum optimum maximum bona omnia ſunt referenda. Agitur nunc annus octauus

&

& vigeſimus ſupra centeſimum, quo Leopoldus dux ſeptimus Auſtriæ, proauus tuus illuſtrem dominam Viridem primogenitam inclyti Bernabouis Vicecomitis Mediolani domini vxorem duxit, ex qua quinque liberos ſuperſtites reliquit. Inter reliquos ſuſcepit Diuum Herneſtum ducem Auſtrium patrem ſereniſſimi imperatoris Friderici genitoris tui. Hinc liquet inter Auſtrios & vicecomites renouatam nunc eſſe & non inſtitutam affinitatem: & neceſſitudinis vincula inſtaurata potius quam contracta. Quum de hoc fauſto fœlicique matrimonio verba ad te Maximiliane referenda ſunt, oportet tuam admirari prudentiam: quum vero ad Blancam Auguſtam, fœlicitatem. Neque enim illa excelſiorem virum in toto orbe aut præſtantiorem nedum ſperare, ſed nec deſiderare poterat: neque tu meliorem aut moratiorem virginem reperire. Blanca re & nomine non ſolum membris, ſed & moribus & vita, naturæ & corporis muneribus, fortunæ & animi bonis prædita eſt: his præſertim quæ in virgine præcipua habenda ſunt: pudicitia, probitate, venuſtate, & ingenii acumine: Quamuis illuſtris ſanguine paterno & materno genita, & Chriſtianiſſimi Francorum regis conſobrina, tamen in tela, in acu, in phrygiis operibus, & in omni mundo muliebri inſtructa: & tanquam à Pallade edocta, priſcam Lydarum & Cariarum mulierum gloriam excellit. Gratia oris eximia: forma totius corporis procera & eleganti: & his lineamentis à quibus Zeuſis pictor cantatiſſimus facile omnem pingendi venuſtatem, vt à virginibus Crotoniatibus, poſſet exeerpere. Propter has eximias dotes à variis principibus & regibus in matrimonium vndequaque depoſcebatur. Maximam enim in eo fœlicitatem nobiliſſimus quiſque reponebat, ſi hanc in coniugem aſſequeretur. Primum Philiberto Sabatenſium ducis filio deſponſata eſt: ſed ille æuo immaturus in rapida fata conceſſit. Tres ſubinde regum nup- p. 226
tiales tædæ oblatæ ſunt: Matthias Pannoniarum rex glorioſiſſimus eam Ioanni Coruino vnico filio deſponderi curauit; ſed Matthia vita functo, multa quæ animo conceperat de futura filii in regnum ſucceſſione, in irritum ceſſere, quæ faces hymeneas prohibuerunt. Iacobus Stuert Scotienſis primæ iuuentæ adoleſcens, qui inſulæ Britanniæ imperat: qua parte in ſeptentrionem vergit, hanc in conſortem & thori ſociam expetiuit. Vladislaus Boemiæ imperitans, qui pannonico regno ſucceſſit, haud impar Matthiæ gloria futurus, per crebros internuncios in vxorem diutius ſollicitauit. Sed eras his omnibus longe ſuperior Maximiliane, inter Chriſtianos reges Cæſaream maieſtatem obtinens: cui vt genere & poteſtate, ita virtute & probitate par in toto terrarum orbe reperiri non poſſet. Tibi ab æterno deſtinata eſt non ſolum vna in carne pro diuino præcepto, ſed etiam vna mente futura. Tibi eſt indiſſolubili ſacri coniugii vinculo copulata: quod vt fœlix & fauſtum eſt, ita in annos Neſtoreos & vltra Pyliam feneſtutem vtrinque producatur. Tecum fœliciter omnem vitæ ſuæ curſum tranſiget, æque laborum & curarum atque honorum futura ſocia: nec tam potentiam tuam quam ipſum te perpetuo reuerebitur. In dotem conſtituta ſunt ad quater centena millia aurei nummi. Inſuper in paraphema aducta eſt ſumma aureorum ſexaginta millium, pro iocalibus, veſtimentis, pretioſa ſupellectili, & reliquo mundo muliebri. Viſa eſt tamen natura rerum omnium parens ex induſtria illam Principum & regum contentionem in Auguſta virgine ambienda, ac certatim depoſcenda inſtituiſſe: nec confeſtim tui thalami ſocia conſtitueretur, ſed quaſi per aureos Principum & rerum gradus altius aſcendens, tandem ad ſuprema tuæ Cæſariæ aulæ faſtigia deduceretur, qua nihil in humanis excelſius reperitur. Huic tanto matrimonio etiam numina & ſydera applauſiſſe liquet. Nam (quod vix alias niſi diuinitus factum credi poſſet) ſereniſſima regina & comitibus media hyeme longum iter ad Maieſtatem tuam facientibus, nullæ vnquam pluuiæ, nullæ è cœlo niues deciderunt: non frigora, non obduratæ glacies quaſi rigoribus contractis obſtiterunt. Quin etiam pleriſque itineribus pulueres quaſi æſtiui affuerunt: Solis radii diuina auguſtæ ſpecie delectati, & montanis & campeſtribus locis quotidie circumfulſerunt: & vltra rationem

tionem hyberni temporis incaluerunt. Rheticæ alpes cœlo vicinæ, quæ Germaniam ab Italia diſterminant, aſperrimæ & quaſi inuiæ in Auguſtæ tranſitu ſubſediſſe, & quaſi ſe inclinaſſe viſæ ſunt. Poſteris hæc fortaſſe mira & incredibilia videbuntur: & tamen ſunt re ipſa veriſſima. Nam terrarum dominæ terras quaſcunque obſequi congruum fuit: & æquum cœleſti formæ cœlitus iſta indulgeri. Excitauit te non parum, Rex ſacratiſſime, ad has ſanctiſſimas nuptiales tædas facesque diuinas ſapientiſſimi Principis Ludouici Mariæ Sphortiæ Vicecomitis Reginæ patrui ratio: quem magnis ex cauſis tibi maiori beneuolentia & arctiori affinitate iungere deſiderabas. Lucius Sylla cognomento Felix inter maximas ſuas fœlicitates Pii Metelli amicitiam deducebat. Repetis memoria ciuitates, populos ac nationes quæ ab imperio præſertim pet Italiam deſecerunt. Non ignoras quam altiſſima ſit Diuus Ludouicus prudentia, quam immenſa ſapientia, quo diuino ingenii acumine excellat, quanta animi magnitudine præſtet, quantam rei militaris ſcientiam teneat, quanta auctoritate polleat, quantum gratia. Non ignoras quod non ſolum Mediolanenſe imperium moderatur, verum etiam cæterorum Italiæ principum & regum vota pro arbitrio diſponit. Non ignoras Diuum Ludouicum eſſe rerum Italicarum arbitrum. Quod in eius manu ſit pacis aut belli, Iani aut Martis poſtes reſerare. Non eſt tibi obſcurum, quanto vſui & emolumento Diuus Ludouicus eſſe poſſit Cæſariæ Maieſtati pro imperio redintegrando & amplificando. Stimulat te non parum deſiderata diutius in Turcas expeditio. Sed recolis retroactis ſæpe temporibus tam piam expeditionem propter Italicas ſeditiones varioſque tumultus ſuiſſe impeditam: qui etiam Romanos Pontifices & ſacros Cardinales tetardarunt. Diuus Ludouicus Italicæ pacis non ſolum auctor, verum etiam conſeruator quascunque huius ſanctiſſimi voti tui occupationes ex Italia facile diſſoluet: & quæcunque obſtantia amouebit. Non ſolent Planetæ (niſi geminentur) magnum aliquid moliri: ſed vbi coniunguntur, vt Saturno Iupiter, aut Sol Mercurio, magnos in terris effectus portendunt. Per Blancam auguſtam vipera aquilæ tonantis aliti colligatur: & Ludouicus tanquam Mercurius Ioui, hoc eſt, Maximiliano terrarum domino coniunctus eſt. Sicque ſapientiæ & potentiæ influxus ſunt conglutinati, vt mirabiles & fortunatiſſimos maximarum terum euentus non incerta ſpei ratione liceat expectare. Occurrebat & aliud animo tuo, velut ex alta ſpecula longius proſpicienti: quod quamuis Cæſarea poteſtas ſit in orbe luminare magnum, eget tamen ſæpenumero altero magno luminari, ſcilicet pontificia poteſtate. Huic indigentiæ ſuccurret Reuerendiſſimus ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis Aſcanius Maria Sphortia Vicecomes, alius reginæ noſtræ patruus.
p.227 Qui quantum apud Apoſtolicam ſedem, & ſacrum Cardineum ſenatum prudentia, auctoritate & gratia valeat ac excellat: vt ipſe taceam, omnibus etiam extra Romanam curiam exploratiſſimum eſt. Ut primum Diuus Ludouicus de hoc tanto connubio regium nuncium accepit, tanquam graui ſomno excitus, cœpit magis ſtupidus quam lætus eſſe. Multum ac diu ſecum cogitans & animo tacitus volutans: tandem non aliunde quam à Deo maximo bonorum omnium largitore tantum munus acceptum habuit: & maximas omnipotenti Deo ſupplicationes & gratias egit. Dum hæc aguntur, & iam Fridericus genitor tuus colendiſſimus longo ſenio confectus naturæ conceſſiſſet: Turcarum menſe proximo Octobris multa millia in Croaciam deſcenderunt: non paruam ſtragem ferro & igne cum ingenti præda Chriſtianis intulerunt: decem ferme millibus partim cæſis, partim pecorum ritu abactis: ſed Croacij propriæ culpæ pœnas luerunt: eo quod auxiliares Germanorum copias præſtolari neglexerunt: ea clade tu ſollicitatus, mira celeritate quindecim millium equitum ac peditum exercitum contraxiſti, propoſita omni alia cura quamuis admodum graui. Tanta trepidatione tuum celebratiſſimum nomen Turcas effecit, ut quamprimum eorum auribus etiam ex longinquo intonuit, turpem fugam arripuerint. Alij quicunque exercituum duces hoſtium fuga exultaſſent: ſed vo-

tis tuis fuit contraria & inimica. Nam quum manum cum perfidis hoſtibus aperto Marte conſerere quam maxime deſiderares : & nihil magis timeres quam ne nimium timereris : illis ante tuum acceleratum aduentum, in præcipitem fugam verſis, tibi celebrioris victoriæ materiam ereptam indoluiſti. Tecum tamen fœliciter Rex generoſiſſime actum eſt, quod eodem tempore & ad imperium vocatus & ad Turcarum arduam expeditionem es accitus. Quam ſpecioſum eſt ad publicam diſciplinam accomodatum, per aduerſa & obſtantia adres ſecundas euehi ? In rebus aſperis virtus exagitata perficitur, & perfecta vndique cognoſcitur, & cognita ſplendorem & gloriam longe lateque diffundit. In ipſo imperij tui limine nactus es pulcherrimam occaſionem oſtentandæ virtutis tuæ, vt per difficillima bella clarior indies & celebrior reddaris : & tuis generoſis operibus te tanto ſceptro digniſſimum oſtenderes. Quam illud tibi glorioſum eſt, quod eo tempore imperij poteſtas ad te peruenerit, quo præcipuum Imperatoris munus præſtare poſſis : & lautas opes ac magnitudinem imperij non ad priuata, ſed publica commoda, publicamque ſalutem conuertere. Alius fortaſſe calamitoſis temporibus ſe imperij faſces ſuſcepiſſe grauaretur. Tibi maxime cedit voluptati, quod in ipſis imperij primordiis ſimul incipias, & imperij habenas ſuſcipere, & in rerum diſcriminibus exerceri. Generoſi & ſtrenui animi eſt malle in caſtris & aſſiduis periculis eſſe, quam in delitiis verſari. Quod ſi apud gentiles philoſophos, & apud Ciceronem eloquentiæ principem creditum eſt ; *omnibus qui rempublicam auxerint, iuuerint, defenderint, certum eſſe in cælo definitum locum, in quo beati ſempiterno æuo fruantur :* tibi quum vniuerſam rempublicam Chriſtianam iuueris, & è faucibus ſpurciſſimi & truculentiſſimi hoſtis eripueris, quas non Hyſias beatorum ſedes, quæ non cœleſtia loca parata credemus ? Scio Rex inuictiſſime, multos tibi deberi titulos : ſed nullum illuſtriorem ac diuturniorem expectare potes, quam ſi fœdam & impiam Turcarum gentem barbaram & peſtiferam ex Chriſtianorum ceruicibus excuſſeris ; eamque exterminaueris, funditusque deleueris. Quæ hactenus geſſiſti, etſi præclara ſint, & illuſtria : talia tamen ſunt vt humana aliqua excelſa virtute confici potuiſſe credantur. Sed quod nunc infracto animo aduerſus barbaras nationes es adorſus, à nemine hactenus perfici potuit. Expectatur vt à te ſolo diuinis auſpiciis conficiatur. Aut tu ille es, aut præterea mortalium nemo, quo duce, quo Imperatore Chriſtiana plebs, ex diris & efferatis Turcarum faucibus eripietur. Animo tuo auguſtiſſimo ad recta tendenti, & grauiſſimum bellum in Turcas ſuſcipere inſtituenti, non quidem pro imperij amplitudine, ſed pro diuini & Chriſtiani cultus propagatione, omnia proſpere fœliciterque ſuccedent : & ſancta deſideria diuina pietas comitabitur ac proteget. Fauorabile & glorioſum & apud omnes, præſertim Germanos proceres Maximiliani nomen : eo quod maximas res polliceatur. Tuum eſt eniri & ingenuam operam dare, vt hanc præcipuam inter mortales gloriam conſequaris, vt etiam quæ ſupra hominem ſint, tibi ſoli non impoſſibilia credantur. Cæterum glorioſiſſime Rex ne longius quam fas eſt tua benigna audiendi facilitate, & ſacri tui numinis reuerentia abuti videamur, vela contrahemus : & grandi negocio breuem finem imponemus. Illuſtriſſimus & ſapientiſſimus princeps Ludovicus, quum nos legatos ad Cæſareum Maieſtatis tuæ culmen mitteret, admodum ſollicitus fuit, ne parum p.228
tibi exprimere, gratum eius animum ſciremus : neue incredibilem deuotionem erga te & Auguſtam maieſtatem minus quam ſit teſtatam redderemus : & læticiam inæſtimabilem, ac gaudium incomparabile noſtra oratione parum conſequeremur. Sed tuæ prudentiæ fuerit, ex paucis multa, & quaſi infinita colligere : & potius varia aſſequi coniectura, quam ex verbis noſtris percipere. Vtinam eius animum poſſes linceis oculis introſpicere : profecto multo plura quam referantur, ſpectares. Agit imprimis Deo bonorum omnium largitori dehinc ſublimitati tuæ gratias, quas maximas poteſt, quum diuina opera & tua benignitate tam deſideratum coniugium ſit ſubſecutum. Deinde quum ex tuis regiis

legatis,

legatis, & ipſis rerum ſucceſſibus plane, dilucideque perſpexerit ſummam benevolentiam & dilectionem, qua erga eum tua ſacra Maieſtas afficitur, & quam de eo optimam opinionem conceperit, & quod eius præcipuo intuitu regia celſitudo ad hoc ſacrum connubium condeſcenderit: ſeſe omnibus obligationum nexibus erga Serenitatem tuam deuinctum profitetur, ac perpetuo obnoxium affirmat. Opes itaque, facultates, copias, vires: ſeipſum ac liberos, conſtantiſſima fide, pro tuo arbitrio etiam abſoluto, ac pro imperij vſu & incremento deuouet ac dedicat. Tuum omne mandatum omni æuo immortalis beneficij loco ducet. Quinimo ad tuum omnem vel minimum nutum, ſempet non erit minus te & opere, quam verbis aut ſermone, animo celeri, prompto & expedito. Ad quamcunque tuam expeditionem, præſertim in Barbaras & Turcas nationes, idem diuus Ludouicus ſeſe paratiſſimum exhubet: non tam ex eo quod Chriſtianus ſit, & intelligat quid Chriſtianum principem deceat, quam quod Maximiliani victricia ſigna, fulgentesque aquilas, quocunque vertantur, & in quemcunque rerum euentum inſequi propoſuit. Blancha vero conſors tua & Auguſta, vt omnibus admiranda, ita à te Cæſare quam maxime amanda, in te vnum omnes charitatis & affectus habenas relaxauit. A te ſolo pendere inſtituit: vt nihil unquam illi graue, aut moleſtum futurum ſit, quod diuina maieſtas tua imperauerit: non minorem tuæ incolumitatis quam vitæ propriæ rationem habitura. Actum Inſprug, die XVI. Martij. Anno à natali Chriſtiano milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto.

RAYMUNDUS CARDINALIS CURCENSIS, CONSUMMATISSIMO IURECONSULTO, ET ORATORI FACUNDISSIMO DOMINO IASONI MAYNO NOSTRO PRÆCIPUO.

NOn poſſumus non ſummopere extollere, Iuriſconſulte & Orator præclariſſime, orationem quam ad Sereniſſimum Romanorum regem pleniori ventorum flatu inſufflaſti. Tanto enim Latini ſermonis ornatu, tantoque verborum ſale condita videbatur: vt non ſolum noſipſi omnium minimi, verumetiam omnis multitudinis corona publico & vno conſenſu te oratorem in Italia longe caterorum principem decerneremus. Eam medius fidius iam perorato ſermone à te (ſicut ſcis) petiuimus. Quippe quam publice ſine oratoris diſcrimine legi, & publicari poſſe credebamus. Mirum in modum eloquio tuo mollito accenſi, ipſam orationem apud nos eſſe cupiebamus. Sed voto noſtro eo tempore ſubuenienti locus tibi non eſt datus. Siquidem (ſi recte meminimus) orationem te dumtaxat memoriæ mandaſſe, & non totam ſcripſiſſe affirmabas: pollicitus eam, vbi omni diligentia exſcripta fuiſſet, ex Mediolano conſtanter nobis eſſe donaturum. Proinde quum eam ornatiſſimam orationem habere magis magisque accendamur: & ex memoria in ſcriptis translatam eſſe arbitremur: deſiderii noſtri partis eſſe duximus, ſi orationem ipſam per literas noſtras efflagitaremus. Eia igitur te valde oramus, vt huic noſtro Tabellario ad nos dare velis: pollicitisque tuis occurrere contendas: id quod ex humanitate tua effecturum te confidimus. Vale cum ſalute. Ex prætorio Veronæ, octauo Aprilis, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo quarto.

IV.

PANDULPHI COLLENUTII IURISCONSULTI ET EQUITIS, ILLUSTRSSIMI FERRARIENSIUM DUCIS LEGATI, ORATIO AD AUGUSTISSIMUM PRINCIPEM, MAXIMILIANUM CÆSAREM ROMANUM REGEM.

ADVENTUS ad te noſtri ſumma, Rex inclyte, ſed & fortiſſime Cæſar, imo iam vero glorioſiſſime Imperator, hæc eſt, vt quod Eſtenſis Hercules, patriæ noſtræ pater ac princeps, deuotiſſimus tibi dux tuus, per publicas occupationes & ætatis indulgentiam facere prohibetur, ſed maxime tamen cupit, te præſens numen videlicet, non alio cultu quam Romanæ vrbis rectorem deceat, venetari; nos eius verbis quam maxime fieri poteſt, impleamus. Grande onus profecto, noſtrisque omnino viribus impar, ſiue nos illius voluntatem, ſiue magnitudinem cogitamus. Quocirca dabis veniam (quæ p.229
tua eſt indulgentia) mitiſſime Cæſar, & quam nos ingenue culpam fatemur, tu pro incredibili tua clementia condonabis. Nam ſi ſalutandus adorandusque es tantum adepte culmen, in quantum ſe terum humanarum tollit imperium; quis hoc vnquam, rogo, ſatis digne pollicebitur? Sed lætandum gratulandumque eſt. Quis hoc officii genus abſolutum vndique ſuisque numeris circumſcriptum dabit? Neque enim aur ſoli tibi de imperio, aut nobis de Imperatore ſimplex eſt referenda lætitia: ſed Illyrico, ſed Germaniæ, ſed Italiæ, imo vero Chriſtiano orbi, qui latiſſime patet, gratulandum eſt. Si virtutes tuæ (quod eſſe in legationis officio, atque in ſalutandis principibus primum ſolet) explicandæ ſunt, quæ vox tam felix, quod ingenium tam fæcundum, quæ tam larga dicendi copia ſuppeditabit? Multa quidem (vt verum fatear) clementiſſime Cæſar, ſeſe dicenda quaſi certatim nobis obiiciunt, quæ videlicet ardentiſſimus erga te noſtri Principis iuſſit affectus; & quæ tu vtinam, ſereniſſime Rex, oculis tuis immortalibus videre potuiſſes, quo vultu, quibus verbis, quo ardore mandabantur? ſed Maieſtatis tuæ fulgore ſuperamur, opprimimur gloria; & auguſtior longe, quam de te nobis fama pollicebatur, conſpectus iſte tuus exterret. Sparſim igitur ac nullo ordine mandata digeremus, & (quantum inter colligendum perculſas animi vires memoria ſuppetet) quæ nobis ille iuſſit, exequemur. Verum nihil prius aut antiquius duxit Hercules tuus, quam vt ab eo maxime auſpicaremur, à quo tanti muneris incrementa ſuſcepimus. Agendasque immortali DEO laudes ac gratias ſempiternas primum cenſuit, quod cum terris ptincipem dedit, qualem bono generis humani ſperare quidem potuimus, inuenire vero non niſi ipſe rerum omnium ſator potuit, à quo Princeps terrarum gubernaculis imponitur, in cuius manu Regum omnium fortuna verſatur, qui feſſas tes humanas pro ſapientiæ ſuæ luce bonos interdum Principes indulgendo, ſubleuat, erigit, ſolatur, fouet. Sic Octauium, qui primus Auguſtus cognominatus eſt, poſt ciuilium bellorum lachrymas dedit. Sic Veſpaſianum poſt Nerones, poſt Domitiani crudelitatem Traianum, Antonios: poſt Commodi furores Seuerum, poſt Heliogabali væſaniam Alexandrum. Et ne ſingulatim vniuerſos proſequar (quos enumetare longum eſt) ſic poſteriori tempore Flauium Conſtantinum, ſic Theodoſium, ſic Juſtinianum: ſic Magnum Carolum, ſic Othones, Henricum ſecundum, pluresque alios, quaſi diſtinguendis malorum Principum ordinibus, ſecundisque Reip. fluctibus moderatores dedit: donec in Auſtralem familiam tuam, à condito æuo nobiliſſimam, & ipſam triumphis grauidam, & imperiis genitam, Romana tes omnis certa iam ferme ſucceſſione teſedit, tibique orbis

Boni Principes per intervalla.

Auſtralis familia.

bis impetium tradidit gubernandum. Quare & illi immenſas, & tibi quantas maxime poſſumus gratias agimus, quod illud animo magno regendum ſuſcepiſti. Gratulamur vero & virtuti tuæ, & bonis omnibus, & militari gloriæ, quam tu in antiquum ſtatum redacturus es; & literarum ſtudiis, quæ per te priſcum decus & dignitatem recuperatura eſſe videntur. Gratulamur & ætati noſtræ, & horum temporum felicitati, prouinciis omnibus, & Chriſtianæ Reipublicæ; atque imprimis ſibi ipſi Hercules Princeps noſter gratulatur, & ob ampliſſimam quam de te ſpem expectationemque concepit, ob egregia multa & magnifica diui patris tui beneficia, & ob ingenuum quidem ac peruetuſtum Eſtenſis familiæ in Auſtralis gentis Principes amorem pariter ac reuerentiam. Quod ſi tibi de ſuſcepto imperio gratias agimus, ſi lætitiæ noſtræ magnitudinem (dum nobis ipſi plaudimus) ferre non poſſumus: nullus prudens rerum æſtimator mirabitur, ſi quæ imperii partes ſunt, quæ officia, quæ curæ, qui labores, quæ pericula, metiatur. Populis tanquam fluctibus huc atque illuc æſtuantibus, & armatis exercituum cupiditatibus, immortalis pater imperii frena conſtituit. Quare non ſecus eſſe populis ſapientes, ſapientium quidam putauerunt, quam in ædibus contignationes lignorumque compages, quæ vniuerſi ædificii molem pondusque contineant. Alii non aliud eſſe Regis officium atque Imperatoris munus arbitrati ſunt, quam quod ſentimus cordis eſſe, viſcerum omnium præſtantiſſimi in humano corpore. Quidam altius ac verius cogitantes, idem eſſe Imperatoris opus dixerunt, quod Solis in mundo, vnde rerum omnium motus ac vita, vnde operum omnium initia, progreſſus finesque deriuantur. Quare eum cui populorum gubernacula tribuantur Platonis ſententia, tanto priuatos omnes antecellere oportet, quanto homines à Diis immortalibus ſuperantur. Arduum certe opus atque omnino difficillimum, ſupra hominem ſeſe attollere, belli pacisque, ac gentium omnium iura moderari, vnum eſſe cuius ad exemplum totus componitur orbis, ocii populorum ac ſubiectorum quietis rationem omnem curamque ſuſcipere, propriæ vero nullam. Diuus Julius (vn-
p.230 de primum felix illud æternitatique dicatum Cæſaris nomen, Maximiliane, defluxit) nihil aliud eſſe dicebat Imperium, quam *curam alienæ ſalutis.* Juſtinianus vero noſter idcirco voluntarios labores ſuſcepiſſe ſe dicit, vt quietem ſubditis parare poſſet. Aurelianus Auguſtus ad populum Romanum ſcribens: *Ego*, inquit, *efficiam ne ſit aliqua ſollicitudo Romanis. Vacate ludis, vacate Circenſibus: nos publicæ neceſſitates tenent, vos ocupent voluptates.* Vnde principatum conſtat nequaquam ſegnem rem eſſe, ſed laboriosam; non ocio & animi remiſſione, ſed curis ac laboribus abundantem. Hoc magnus ille quondam Armeniorum Rex Tigranes expertus cum eſſet, oblatum ſibi venetabilem illum pannum, quo regius vertex coronari ſolet, manu diu verſatum aſpiciens; *O nobilem magis quam felicem* (dixit) *pannum; quem ſi quis penitus agnoſcat, quam multis laboribus ac periculis ſit refertus, ne humi quidem iacentem velit attollere.* Adhortantes ſe ad imperium ſuſcipiendum amicos Tiberius Cæſar ignorate dicebat *quanta bellua eſſet imperium.* Arrius bis conſul, vir bonus & grauis, Cocceium Neruam nepotem ſuum cum imperium accepiſſet, miſeratus eſt. Expauit ad imperii nomen, quod vltro ſibi offerebatur, M. Aurelius Cæſar. Diocletianum quoque dicere ſolitum legimus, *Nihil difficilius eſſe, quam bene imperare.* Sed & diuus Auguſtus imperii pacisque fotmator, cui plura Dii (vt quidam ſcribit) quam vlli vnquam homini dederunt, imperandi, hoc eſt laborandi vacationem à Senatu efflagitare nunquam deſtitit. Hoc & bonorum Principum raritas indicat, hoc imperialium coronarum inſignia illa pondera non ſine ratione ſignificare videntur. Hoc nobilem illum expreſſit maximi imperatoris gemitum, quem ſæpius ſuſpirantem dixiſſe accepimus: *O te felicem Damocles, qui non longius vno prandio regni neceſſitatem toleraſti.* Damoclem illum referens, qui à Syracuſano rege Dionyſio ad menſam vocatus, ſub ancipitis gladii periculo, qui de tenuiſſimo filo penderet, pauidus ſemper tremebundusque diſcubuit. Jure igitur

Princeps quid in re publica.

Laboriosa res principatus.

igitur pro ſuſcepta à te imperii mole (quod rerum humanarum omnium maximum eſſe clamabat Iſocrates) pro grauiſſimo iſto Chriſtianæ Reip. tuendæ amplificandæque munere, quod libenter amplexus es, & gratias agimus, & voluptate efferimur, & feſtis acclamationibus ſalutantes; *Cæſar vere Cæſar, veriſſime Auguſte*, dicimus; fauſtasque illas voces omnes, quas publicæ lætitiæ feruor ſoler effundere. Quod ſi non illuſtriſſimi modo electores tui, ſed & ipſa Roma, & Italia, & Gallia, & ex prouinciis viritim omnes in ſuffragium iſſent; ſi vniuerſum Chriſtianum nomen vno in loco de Imperatore deligendo comitia habuiſſet; nulli magis quam tibi tantæ rei pondus impoſiturum fuiſſe videtur. Adeo omnia in te vnum diuina quadam ſorte cum naturæ tum fortunæ munera conuenerunt, quæ in Imperatore deſideranda veteres prodiderunt; vt etiam vel negatum Imperium (ſi petiiſſes) iure tuo tamen vindicare potueris. Patere (obſecro) patere nobiliſſime Cæſar, nos & lætitiæ noſtræ frena relaxare, & Herculis tui, quantum per nos licet, affectus exprimere; dum quæ geſtiens ipſe mandata dedit, tametſi elingues explicamus. Modeſtiam tuam in audiendis laudationibus nouimus, ac viuentis adhuc & præſentis adeo Principis laudes non ſine dicentis reprehenſione dici, non ignoramus. Sed non ideo diuina munera prædicari non debent, quod ea qui audiunt, per modeſtiam forte recuſent. Potuiſſes (inquam) vel negatum imperium (vt de his humano quodam vſu loquar) ſi petiſſes tuo iure vindicare. Qui de imperatoria ſcripſerunt, genus, ætatem, formam, rei militaris ſcientiam, vſum, auctoritatem, fortunam, virtutem in Imperatore eligendo ſpectari oportere cenſuerunt. Sed in quem obſecro (ſi verum fateri volumus, præfatâ gentium omnium veniâ) tanta iſta bona cœleſti prouidentia ceciderunt? Si genus quærimus, paternum tibi genus Auſtria. At qualis Auſtria? Fortiſſimorum ducum domicilium, Principum ſedes, Imperatorum ſeminarium. Nonne hinc ex atauis tuis (vt cæteros tranſeam) Rudolphus Imperator prodiit, qui Romanam Eccleſiam fœcundiſſima Italiæ parte Flaminia donauit? qui Primislao quinto Rege, memorabili illo prælio (quod in campis Auſtriæ geſtum eſt) ſuperato obtruncatoque Bohemicam potentiam domuit. Nonne ex maioribus tuis Albertus primus ob bellicam gloriam à Romano pontifice deſignatus eſt vltro, qui læſam Eccleſiæ maieſtatem vindicaret? Nonne & Albertus ſecundus magnus tibi patruus, pietatis eximiæ Princeps? quem ideo rebus humanis (cum biennio tantum imperaſſet) ereptum gentium omnium conſenſus dixit, quod indigni eſſent eo principe illius temporis mores, atque ideo illum Deus hominibus ademerit, quia ſecum eſſe maluerit. Hunc diuæ memoriæ Federicus pater ſubſecutus eſt, nuper cœlo redditus, Imperatorum omnium innocentiſſimus, pacatiſſimus: cuius illud proprium fuit, quod omnes ante ſe Principes à Diuo Iulio, & vitæ & imperii diuturnitate ſuperauit. Nemo diutius vixit, nemo ſolus diutius imperauit, nemo innocentius regnauit. Quod ſi maternum tuum genus repetendum eſt, quis neſcit à validiſſimis Gothorum Ducibus, quatuor atque octuaginta coronatos Reges perpetua ſucceſſione Hiſpanias ad hæc vſque tempora tenuiſſe, unde ſanctiſſimæ parentis tuæ deriuatur origo. Uxorum tuarum ſtirpem ſi quærimus, illæ magnorum Ducum filiæ. Si quos (non tam Romano quam uſu trito vocabulo) ſororios dicimus; & ij quoque ampliſſimi Duces, atque in ijs ſplendidiſſimus Alphonſus noſter Herculis tui filius, miræ ſpei adoleſcens, futurus Dux, filium ſuſtulit, & is Ducum longe potentiſſimus eſt. Ut iam non imperatoria ſolum ſtirpe natus, ſed totus ex Ducibus, totus ex Regibus, totus ex Imperatoribus, quaſi ſeminario quodam generoſiore virtutum concretus factuſque videaris Imperator: vt intelligant populi, ſciant nationes, virtutem tuam non tam adſcitam adoptiuamque eſſe, quam genuinam, & ab ipſa natura ad Romani orbis imperium traditam, atque ideo auguſtiorem longe venerabilioremque eſſe. Quæ ſi quis prorſus amens non intelligat, atque in re perſpicua (vt eſt interdum contumax ignorantia) dubitet; is ſpeciem iſtam tuam maieſtatemque contemplet-

Maximiliani genus, Auſtria.

Federicus III. Imp.

p. 431

Gothi Hiſpaniæ reges.

Digna imperio forma.

tur.

tur. Pulcherrimum te esse domicilium fateatur oportet, in quo se imperium ipsum prorsus penitusque componat. Felices illæ animæ, quæ nobiles curas suas naturalibus arcanis intulerunt, quo abditarum in ipsa natura causarum secreta rimarentur, augustissimam quamque hominis speciem plurimum de cœlo trahere prodiderunt. Siue enim mundi ipse æternus rector nobilissimum animum missurus in corpus, speciosum prius atque illo dignum metatur hospitium: siue animus ipse cum venerit, diuinitatis suæ conscius, pro habitu suo sibi fingat & ornet habitaculum; certum est alterum alterius officio crescere, & cum se mutuo quasi fœdere iunxerunt, vtraque maiora consurgere: vt eos qui tali naturæ sint habitu, iam non natos, sed à Deo ipso factos formatosque esse scribat Cicero. Æthiopum populos, qui Gymnosophistarum sapientia gubernantur, non ex iis qui fortissimi, quiue opulentissimi habeantur, nec qualescumque sibi Reges facere scribit Aristoteles; sed eos tantum qui forma pulcherrima præstantissimaque sint: quippe qui animorum effigiem ex corporis specie intueri se posse verissime arbitrentur. Nam & apud Iureconsultos relatum est, * sapientis quoque iudicis esse, ex ipsa vultus corporisque figura mentis bonitatem speculari atque coniicere. Sicut enim (auctore Aristotele) ad felicitatem habilis deformis homo non est; fierique non potest (vt Aspacius inquit) vt qui omnino deformis sit, bonus sit: Sic eum qui formosissimus sit, impossibile prorsus est vt non idem optimus sit. Quid enim aliud nobis pollicetur tua illa sereniſſimæ frontis maiestas? decora illa Cæsaries? ille oculorum sidereus vigor? illud os probum? ille totius corporis honestissimus status? illa dignitas? illa proceritas? Virtus illa splendidissima Cæsaris (quod negari non potest) meretur imperium: sed virtuti, quæ in pulchro corpore gratior venire solet, augusta illa tua forma suffragatur. Age quod ea ætate * imperium susceperis, quam cœlestium consiliorum mysteria scrutantes Philosophi, hebdomaticorum annorum quintum locum stationemque esse dixerunt: in quo robur ac virtus maxime vigeant, quamque sapientiam quidem quintum progredientis animi tum actum, tum virtutem appellant, quinti septennii climacterium terminum designantes; in quo nec senis imbecillitas contemptui esse possit, nec adolescentis formidanda temeritas: sed in quo labor in negotiis, fortitudo in periculis, consilium in prouidendo, industria in agendo, celeritas in conficiendo, ceteræque illæ imperatoriæ virtutes, quasi vertice quodam vitæ constitutæ, firmiores conspectioresque reddantur. Verum ætas ista tua, quæque illam præcessit, non in otio, nec in languore, non in vmbra traducta est; nec naturalibus contenta muneribus, sine ullo rerum vsu, per segnitiem situm quendam cariemve duxit: imo vero in ipsis pene cunabulis, Imperator antequam miles, arma tractasti, bella gessisti, victorias cumulasti, proditionum pericula, incertos pugnarum casus, obsidionum ærumnas, oppugnationum damna, insidiarum perfidiam pertulisti: sudorem, puluerem, sanguinemque castrorum incredibili labore, ingenti animo, mira constantia toleraſti. Quid est in bellicis rebus à te non tentatum? quid inausum? quid inexpertum? quæ te militiæ pars latet? quæ tibi militaris disciplinæ forma non perspecta? quis hac ætate tot rerum momenta, tantarum rerum varietatem, tantum periculorum, quantum tu ab ineunte pueritia expertus? Qui maiore etiam parte mortis in corpus quandoque recepta, nec illud quidem, quòd à summa tantum die intelligere mortales solent, ignorâsti, vere imperiose vir; quem neque pau-
p.232 peries, neque mors, neque vulnera terrent. Quid est quod nescias? qui semper cum fortuna ipsa (inuitus dicam, sed & illâ quoque inuitâ dicenda) pugnasse visus, inimicioremque illam fere habuisse, quam hostes: ita tamen aduersus illam pugnasti, vt omnem sortis euentum docueris posse à virtute superari, sessamque illam in tua iura compuleris; magna admiratione mortalium, qui te tandem post tot exhaustos labores, post tot periculorum circumfusam molem, rebus omnibus pro arbitrio compositis, Imperatorem vident, nulla virtutis opinione fraudatum, non æstimatione commotum, non auctoritate minorem, sed firmis ami-

* *l.* 13. *D. de decurion. Cuiac. 20. obser. 6.*

* *annor.* 35.

Militaris experientia.

amicitiis auctum ſplendidiſſimo coniugio ornatum, fidiſſimis affinitatibus communitum, omnium Italiæ Principum beneuolentia ſeptum: etiam ſuperbis ac contumacibus terribilem, & immaniſſimis Turcis, ſanguinariisque illis noſtræ religionis hoſtibus formidandum; quos tu verus Chriſtiani nominis aſſertor, quandoque (quod ſperamus) debellabis & conteres. Hæc externa quanquam videantur, tua ſunt tamen, fortiſſime Cæſar; tua (inquam) ô noſtrum ſidus, & vnicum veræ probitatis exemplar, quia tua ea vi animi moderaris, & virtutum gloriâ (quas in te vnum tuo certo iudicio, atque ita eligens, atque ita vſu comparans cumulaſti) & maiora efficis, & conſilio maturiore diſpenſas, magnis animi dotibus & veræ ac ſolidæ gloriæ ardore ſuccenſus. Quid enim in te non mirabile, non conſpicuum, non triumphale videtur? Nihil eſt (vt leges * docent) *quod lumine clariore refulgeat, quam recta fides, in Principe, quam vera religio.* Maxime enim cultorem Dei eſſe Principem decet, quando ipſe à Deo maximum honorem conſecutus eſt. Cæteræ virtutes omnium omnino communes ſunt. Prudentia (vt Ariſtoteles ſcribit) imperantium ſola: Iuſtitia vero (Theodoſius Auguſtus ait) Regum, ſine qua nec ipſum quidem leuam dominari recte poſſe Poetæ quoque cecinerunt. Sed quid, obſecro, aut fide tua firmius, aut conſilio grauius: aut ſententia iuſtius? Harum in te virtutum exempla contexere, nec modeſtia tua, nec temporis ratio patiuntur, nec auditorum præſentia poſtulat: nec enim apud ignaros habetur oratio. Atque vt virgineum illum pudorem, cœleſtemque manſuetudinem tranſeam, vt inclytam illam conſtantis animi aduerſus voluptates omnes contumaciam, & indictum vitiis bellum, & ſumma ſemper petentis inuicti ſpiritus ſublimitatem; proprias certe peculiareſque tibi virtutes quonam piaculo præteribimus? liberalitatem dico, animi magnitudinem atque clementiam, quibus quidem virtutibus Reges omnes, (ſine inuidia dixerim) longe præcellis, eos qui virtute ſunt præditi.

Turcæ debellandi.

** L. inter claras. C. de ſum. trinit. Religio principis decus.*

Iuſtitia.

Nulli magis (vt Ariſtoteles ſcribit) quam liberales amantur. Magnitudo vero animi non modo virtus ipſa, ſed & virtutum cæterarum decus, momentumque: Ac clementiâ, quæ Principis dos prima eſt (Demoſthene, Iuſtinianoque * auctoribus) Deo maxime Imperatores æquantur. Hæ te Maximiliane Cæſar, vere maxime, Auguſtum faciunt; hæ omnium hominum tibi animos conciliant, hæ tibi vniuerſum mortalium cœtum deuinciunt: has in te omnes admirantur, venerantur, prædicant. Hæ magnum Alexandrum domitorem Aſiæ fecerunt, hæ Cæſarem Iulium Diuis adnumerarunt, Auguſtum conſecrarunt, Traianum, Antonios, Henricum, bonoſque omnes Principes cœleſtes plane viros effecerunt. Harum & tu virtutum auſpiciis (vtinamque hoc à vate ſit dictum) *Imperium terris, animos æquabis Olympo.* Iure igitur ſumma tibi delata poteſtas, iure tibi debetur imperium. Sed eodem quoque iure ipſum tibi debetur Imperium, per te ſcilicet decus priſcum recuperaturum: iure tibi humanarum rerum tradita ſunt gubernacula. Tua ſunt iura, tuæ ſunt leges, tua iudicia, penes te belli paciſque poteſtas omnis. Tu de omnium capite fortuniſque iudicas, tu viua lex, tu animatum ius, tu unus ex omni hominum numero es, cuius ſunt omnia. Tu vnus es vt Imperator tandem (quod & diui Pii ſententia, * & Iure conſultorum litteris proditum eſt) Mundi dominus: qui principatum non rapuiſti, ſed ornaſti; non ambiſti, ſed vindicaſti; non emiſti, ſed meruiſti.

Liberalitas.

Fortitudo. Clementia L. vlt. C. de teſtam.

Imperatoris poteſtas.

** L. 9. ad leg. Rhod.*

Omnis igitur iure tibi veneratio pariter reuerentia obedientiaque debetur. Hæc cum ita eſſe intelligat, religioſiſſime Cæſar, deuotiſſimus tibi Dux tuus Eſtenſis Hercules, qui te iam pridem (ſicuti ſcis) multos ab hinc annos, prius etiam quam regni nomen & faſtigium imperiale conſcenderas, obſeruauit, coluit: (quippe non noua ſunt auſtralis familiæ decora, non noua virtutis ac magnitudinis tuæ gloria) verum te principem, verum omnium moderatorem, verum Cæſarem, verum Imperatorem agnoſcit, ſalutat, veneratur, adorat. Et non eam fidem * modo obedientiamque præſtiturum ſe recipit, quam tibi per Duca-

** Homagii.*

Ducatus dignitatem ab imperiali benignitate profectam, per vrbes ab Augusta
p.233 maiestate susceptas debere per scriptam legem profitetur; verum etiam illam, quæ tibi ab omni Romano orbe, gentibus, nationibusque omnibus, diuino pariter & humano iure debetur. Idem semper animus in Estensi familia, omnium Italiæ longe clarissima vetustissimaque; eadem mens semper omnibus Herculis maioribus fuit: Romanos Imperatores magna semper fide, incredibili constantia, ingenti veneratione coluerunt; Ferrariamque ipsorum vrbem, quasi Imperatorum omnium pacatissimum diuersorium, Italiam ingressi Romani Cæsares habuerunt. Illam Henricus tertius quandoque inhabitauit, in illa Carolus quartus exceptus, in illam Sigismundus diuertit: illam postremo diuus Fridericus pater bis illustrauit. Sed & Ottho iste tertius olim, qui ob eximiam quidem virtutem Mundi Miraculum cognominatus, non modo illam, sed Hugonem quoque Estensem ex genitoribus Herculis tui, virum fortem, & bellicis artibus per ea tempora insignem, cui à virtute Magni cognomentum fuit, comitem sibi adsciuit: qui collecto Italico exercitu (neque enim pacatis locis erat iter futurum) Romam ipsum duxit, reducemque tandem patriæ restituit. Idem in te est Herculis tui, deuotissimi tui ducis animus: eadem tibi Ferraria, subiectæque omnes Herculi ciuitates, oppida, municipiaque semper patent, quæ tibi ille vniuersa iuxta secum promptissime offert, proque Imperii tui maiestate tuenda amplificandaque magno animo pollicetur. Quoniam certissimam spem de virtute tua, deque incredibili erga se amore tuo, studioque iam pridem concepit; tantumque sibi de animi tui diuinitate pollicetur, vt nihil sit quod à te non impetrare se facillime posse confidat. Eius fidem suscipias, qua soles benignitate, precatur: vtque ipsum, liberos, omnemque Estensem domum, iure meritoque, & quasi dedicatione tuos, sereniſſimo vultu respicias, enixe te rogat. Vale igitur, viue ac vince, glorioſissime Imperator, Augusto felicior, Traiano melior, Frederico patre viuacior. Immortalis vero Deus, cuius beneficio tantum Decus Romanus orbis accepit, cui tu (æternus vtinam) datus es rector,

Imperium Oceano, famam tibi terminet astris.

Dicta in Ispruchis, in auditorio Cæsaris.

IOHANNI CAESARIO IULIACENSI, PHYSICO, MATHEMATICO, ET MEDICINÆ DOCTORI, GRÆCÆ LATINÆQUE LINGUÆ APPRIME DOCTO.

Henricus Glareanus, Helveticus, Poëta Laureatus
S. D. P.

GAudere plurimum soleo, suauissime Præceptor, quoties in mentem venit (venit autem sæpe) tui memoria: cumque a te, à te inquam homine doctissimo, Græcarum literarum elementa cupidissime didicisse recordor, incredibile est, quantum triumphem, quantum lætor. Ut autem aliquam tibi gratiam, quemadmodum grato discipulo congruum erat, rependerem, volui tibi meum, de Cæsaris Max. Æmiliani laude, carmen, quod Agrippinæ in conspectu Principum Germaniæ, coramque Cæsarea Maiestate, non sine gloria (absit verbo inuidia) multorumque hominum admiratione ante biennium ad Dorium tonum demodulatus sum dedicare. Confiteor tamen ingenue me longe vinci à tali Principe, cuius ego ne umbram quidem consectari valeo scribendo, sed quæ potui feci, quid enim ultra, quam possum, facerem? Vale felix bonorum studiorum decus Basileæ Anno Domini M. D. XIV.

V.

AD MAXIMILIANUM ROM. IMPER. SEMPER AVG. HENRICHI GLAREANI HELVETII POETÆ LAUREATI.

PANEGYRICON.

INclyte Romulidum Cæſar, quem ſumma tonantis
Maieſtas mundo ſtatuit pietate ferendum,
Præfecitque vnum diuina potentiá rebus,
Qui cum ipſo placide ſpacioſum temperet orbem
Quod tua me pietas, & magnificentia ſceptri
Audiat (en cernis) rogito tua numina ſupplex.
Arſacas Arſacides, & Achemenas aſtra putabant
Aſtrologi Perſæ, Ptolomæos fama per orbem
Sparſit in extremam Nili ſeptemplicis vndam:
Laomedontea fortunatiſſimus vrbe
Infelix Priamus, Pelopeia ad arua volabat,
Nomineque & fama celebris, currenteque vatum
Materia, quid enim non audet Græcia, mendax?
Cecropis & Theſei quam clarum nomen Athenis.
Antiochique Syris nullo delebile ſæclo.
Proinde hæc vana abeant, ne tempora perdere dicat
Verborum longa ambage, exorſisque remotis.
Eia age, Pannoniæ celeberrima gloria gentis,
Rex Romane faue, cui longo ſeruiet æuo
Sol oriens, ſolque occidens, polus Auſter & Arctos.
Namque in hyperboreis, Tanais qua frigidus vndis.
In Mœotica abit vada, tu venerabilis oris,
Famaque nigrantes celeris tua contigit Indos,
Extremosque hominum ſeres, aut ſi quid ibi vltra
Priſcis ignotum, Solisque perambulat ortum.
Veſper vbi occidua roreſcit frigidus vmbra,
Gurges Atlantiacus, Tarteſiaque æquora Calpes,
Te celebrant, te commemorant, tua numina adorant.
Nec ſatis hac tellure, alius tibi quæritur orbis
Sub pedibus, pene Antipodes noua terra marino
Prenſa ſinu, cycloque ſub æquatore repoſta eſt.
Aſt vbi ab Arctoo Boreas volat horridus axe,
Orcadas inuadens, ſemotosque orbe Britannos,
Cimmeriasque vmbras, agitataque limina bello
Fruſtra Romulidis, vbi vaſto barbara gyro
Gotthia ſubiungit, cæcis abſtruſa tenebris,
Tartareas reſupina iacens procumbit in vmbras.
Nota tua eſt pietas, & nota verenda poteſtas,
Virtusque imperiumque, & Maximus Æmilianus,
Denique Marmaricis vbi murmurat auſter in oris,
Imbriferas cogens nubes Gœtulia, Pſylli,
Æthiopes, Elephantophagi, & Garamantica proles
Ambigua, & Numidæ, Maſſyli, & corniger Hammon.
Sæpe tuas laudes, ſæpe audiuere procellas.
Atque vt magna magis tua ſint præconia Cæſar,

Exten-

Extendit caudam Lybiæ, penitusque ſub aram
Tenſa caput cœli, neſcit quo ſiſtere detur.
Sed ſatis ambagum, tibi nunc Germania pugnax,
Et domini rerum, & melior famulabitur orbis.
Burgundosque, Morinosque tenes, Atheſisque fluenta,
Indomitum Rhenum, ſulcosque binominis Iſtri,
Illyricos, Vbios, fulgentique ære Tribocos,
Vangiones, hodieque feros in bella Batauos.
Idque vnum adiiciam, quo nil mihi gratius orbe,
Heluetia æterno Cæſar tibi fœdere iuncta eſt,
Gens aquilam, gens terribileis imitata leones.
Nec tibi dedecori Sueui, gens priſca Deorum,
Et dura & fortis, nulloque exhauſta labore.
Cætera ſubtieco longum cantanda per æuum
Quæ gentes, quæ regna tibi, quæ ſeruiet ætas,
Semper in Oenotriis ſenuiſti acerrimus armis.
Pallasque, vt ſceptrum, diuinas contulit artes,
Prudens eloquium, & linguæ venerabile donum,
Tot variisque ſonare modis, mihi lingua palato
Hæret; & albentes vix attigit arida dentes,
Cum nondum tibi geſtorum numerauero partem
Tantillam, quid enim præclaræ nomina ſtirpis,
Quid reliqua enumerem? citius quam copia deſunt
Tempora grandiloquo ſolum cantanda Maroni,
Nec niſi Smyrneo geſta enarranda cothurno
Illi Parnaſſi fontes, & Phocidis amnes
Hauſtibus exſorbent plenis, mihi gutta negatur,
Et cyathis verſis, ſitiens ego pocula lambo.
Da veniam (dare namque tuum) iuſtiſſime Cæſar,
Si tua facta minus, maieſtatemque verendam
Attigero. Quis enim tam paucis exprimet autor?
Semper in ore meo Regum veneranda poteſtas,
Tuque caput mundi, longos tibi det DEus annos,
Atque Sybillinam duplicata ætate ſenectam,
Cum quo perpetuum regis inuictiſſimus orbem.

Max. Æmilianus Imperator Friderici Imperatoris filius, Caroli Quinti avus, perpetua memoria digniſſimus Prineeps, maximus Chriſtianæ pietatis, vt vix alius cultor, plurimum bonis ac honeſtis diſcipliuis ſauens, Germaniam mire illuſtrem ſuo ſeculo feeit, ingenia excitauit, pauperes iuvit, occaſionem ad honeſta ſtudia eapeſſenda omnibus dedit. Idem Glareanum iuvenem Coloniæ Agrippinæ honeſtorum virorum Gymnaſii Montani eommendatione amplexus, laurea eoronauit, annulo eximio donauit. In qua eotonatione hoc carmen Poëta ad Dorium Modum intonauit. Pro cuius explanatione paueula hæc ſcholia ſubiecimus. *Arſacas Arſacides)* Laudum initium Regibus aliarum nationum factum ab ſua cuiusque natione inquit, At Max. Æmiliani Imperatotis nomen eeleberrimum declarat totius orbis eonſenſus. Lieenter autem Poëta Arſacas & Achemenas in quintam Græeorum deelinationem torſit, cum alii in prima inelinent. Unde qui accuſativus longus erat, hic corripitur. Sed in barbaris fortaſſis hoc lieet. Ordo igitur & ſenſus eſt: Arſacides, id eſt, Parthus Reges ſuos Arſacas, & Perſæ Aſtrologi ſuos item Reges Achemenas aſtra putabant. Ita Ægyptii ſuos Ptolemæos, Syri Antiochos celebrabant, Troiani Priamum, Athenienſes Theſea & Cecropem. *Theſei)* vel ſynæreſis eſt, vel creticus pro ſpondeo. *Exorſisque remotis*] Virgilius L. 2. Georg *Non hic te carmine ficto, Atque per ambages,*

& longa exorſa tenebo. Pannonia] Hungariæ enim Rex fuit, quæ olim Pannonia. *Namque in Hyberboriis*] Oriens deſcriptus. *Extremosque hominum Seres*] Alluſio ad illud 8. Æneid. *Extremique hominum Morini. Veſper ubi occidua*] Occidens deſcriptus cum Portugallenſium ac Caſtilienſium nauigatione ſub æquatore ad Indiæ extrema facta ſub hoc Imperatore, ac magis nunc ſub Carolo Quinto. *Aſt ubi ab Arctoo*] Septentrionis deſcriptio cum indicio terræ ſeptentrionalis Sueciæ (cuius pars eſt Gothia) Norwegiæ, Islandiæ. Quarum omnium nationum noſtra ætate eſt olai Magni, Epiſcopi Upſalienſis, excellentiſſimi Viri pulcherrima deſcriptio, Venetiis excuſa cum elegantiſſima expoſitione. Quæ nationes portentoſæ magnitudinis ac miraculis refertiſſimæ, maiore ex parte veteribus ignotæ fuerunt. *Denique Marmaricis*] Meridies deſcriptus iterum cum Portugallenſium nauigatione per totridam zonam, qua Africa ad Tropicum usque Capricorni extenta, hodie nauigatur, atque in Calecuticum nobile Indorum citra Gangem Emporium pervenitur. *Penitusque ſub Aram*] Ultimum ſydus in noſtro horizonte viſit cognitum, de quo Ptol. & Higinus. *Fulgentique ære Tribuchos*] Mirum eſt hoc nomen ita corrupte legi apud Autores, proxime ad veram denominationem accedit Strabo, qui Græce τριβόκχους vocat, Gallicæ linguæ eſt, **zum dreyen Büchen.** Et Poëta Elſatiam ac Brisgœam ſignificari vult. In Latinorum codicibus iam Triboces, iam Tribotes, nonnunquam Tribones, per tres inquam variatum literas c t & n. reperias. Ut taceam de quantitate mediæ Syllabæ pro cuiusque libidine variatæ. Reliqua vocabula paſſim apud Autores obuia, ut Ubiorum, Attauorum, Illyriorum lubentes transmittimus. *Heluetia æterno*] Loquitur de fœdere quod hodie Hæreditarium vocant, ictum inter domum Auſtriæ, ac Heluetios Conſtantiæ a Max. Æmiliano Cæſare, anno Domini 1508. quod adhuc per DEI clementiam durat magna utriusque populi felicitate, & ut porro in perpetuum duret, faxit idem DEUS in ſecula benedictus, Amen.

VI.

LITERÆ CREDENTIALES ET INSTRUCTIO AMBASIATORIS REGIS POLONIÆ, SUPER IRRUPTIONE TURCORUM IN SUUM DOMINIUM, AD CONVENTUM SACRI ROMANI IMPERII, SUB MAXIMILIANO REGE, IN FRIBURGO EXHIBITÆ ET PRÆSENTATÆ, SABBATHO ANTE MARGARETÆ ANNO DOMINI M. CCCC. XCVIII. p.235

IOANNES Albertus Dei gratia Rex Poloniæ, ſupremus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæque dominus & hæres, vniuerſis & ſingulis ſpiritualibus & ſecularibus dominis, prælatis, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, fratribus noſtris chariſſimis, amicis, & beneuolis ſincere & grate nobis dilectis, præſentibus requirendis, ſalutem, amicitiam, incrementum & regiem affectum.

Illuſtriſſimi præclari Principes, nec non reuerendiſſimi, ac reuerendi in Chriſto patres, magnificique ac ſpectabiles, ac generoſi fratres, amici beneuoli, ſincere & grate nobis dilecti. Reddet veſtris C. literas generoſus, & ſtrenuus Nicolaus Roſenberger, aulicus noſtet, quem ad V. C. in negotiis noſtris & Reipub. Chriſtianæ mittimus plene informatum, cui rogamus V. C. in omnibus nomine noſtro dicendis plenam velint habere fidem, non minus quamſi nos ipſi perſona-

ſonaliter loqueremur, cum V. C. Datum Cracouiæ in octaua Aſcenſionis Domini, Anno eiuſdem M. CCCC. XCVIII. regni noſtri VI.

ORATIO LEGATI.

POſtquam coniunctio ſanguinis eo beneuolentiæ vinculo ſacram Maieſtatem veſtram, & ſereniſſimum dominum meum Poloniæ Regem mutuo ſibi deuinctos efficiat, vt in quibuſuis neceſſitatibus, periculiſque obeundis, conſilio ſibi & auxilio Majeſtates veſtræ adeſſe jure debeant, quod ſemper per diuos Majeſtatum veſtrarum parentes, ſempiternæ gloriæ Principes, firmiter extitit obſeruatum, nec id quidem & pet Majeſtares veſtras intermiſſum: Veruntamen in præſentiarum mutuæ chariratis ſolidandæ, & intelligentiæ ineundæ habendæque maior ac urgentior cauſa eſt, commune videlicet periculum impendens Reipubl. Chriſtianæ: quæ indies ab immaniſſimo nominis Chriſtiani hoſte, Turcorum Imperatore laceratur, diripitur & occupatur: cui niſi in communibus Chriſtianorum conſilijs & opibus maturius ſuccurratur, ipſam procul dubio vniuerſitatem propediem, vel ruituram, vel vehementer declinaturam verendum eſt. Non incogniti ſunt, Rex glorioſiſſime, ſacræ Majeſt. V. acerrimi illius ac potentiſſimi hoſtis conatus, qui nil aliud magis cogitat & curat, nil ardentius ſitit, niſi vt rem Chriſtianam euertat, quo ſic & profanam ſectam ſuam, & imperium propagare poſſet. Utque id facilius aggrediatur, ingenijs & aſtu vtens; treugas, ſufferentiasque pacis, cum cæteris finirimis principibus ſibi conſtituit, vt imperum potentiæ ſuæ in vnum principem conuertendo, illum vaſtet, occupet, & pedetentim cæteros Chriſtianos principes facilius opprimat, & ditioni ſuæ ſubiiciat: prout hoc ingenio initio felicis aſſumptionis M. regiæ ad regnum vſus eſt, dum pro treugis conſtituendis atque firmandis, ad quodcunque tempus placuiſſet arbitrio ſuæ M. per oratorem ſuum plenarium habentem mandanim detulit. Cuius Maieſtati ex certis rationibus reſpectibus atque cauſis diuturnas facere non fuit viſum, ſed præcipue ne ea res regnis ac prineipatibus clariſſimorum germanorum ſuorum, cæterisque finitimis fierer incommoda. Tandemque temporum qualitate, in triennales pacis ſufferentias conſenſit, vt medio tempore ſeſe ad gerendum bellum eommodius compararet. Quæ quidem treugæ, tam per eapiraneos limitum Turcici imperii, quam etiam Tartaros, qui tunc in fœderibus adſcripti erant, non ſemel extitere violatæ. In quos quidem Tartaros Tauricam Cherſoneſum incolentes, poſt captas magni ponderis vrbes Capham & Theodoſiam, Turcus ditionem ſibi comparauit & imperium. Quod dum M. ſereniſſimi domini mei Regis cognouiſſet, quorſumque res tenderet, conſideraſſet, treugæ quoque ipſæ expiraſſent, juſtis ac neceſſarijs cauſis permota, nil cunctandum tata, ne incautam imparatamque hoſtis domi opprimeret, conſultius fore, exiſtimauit foris cum hoſte bellum gerere, quam domi ſibi illatum propulſare. Et maxime inſtigante ad hoc ipſum ac ſolicitante Moldauiæ Waiuoda ſubdito ſuo, cui ſe olim Sereniſſimus parens, æternæ memoriæ princeps, vrbes dudum per Turcos occupatas Albipolim & Lycoſcouiam (quæ alias Kilia dicitur) jure ſuſcepti ab eo feudi atque fœderum recuperaturum pollicitus & obligatus erat. Dumque id M. ſua validiſſimo inſtructiſſimo exercitu comparato perfieere curaret, idem ipſe Waiuoda Walachiæ, præſtitæ fidei immemor atque debiti, quo ſe antea jureiurando regno Poloniæ aſtrinxerat, ab obedientia ſuæ S. deſciſcens, rebellauit, ſiue timore magnitudinis potentiæ Turcorum percitus, ſiue ſolita
p.236 imbutus pro more gentis perfidia, & ita cœpta ſuæ M. impediens atque perturbans bellum demum neceſſario in ſe conuertit. In cuius belli proſecutione, qua fortuna vſa ſit Majeſtas ſua regia, & quorum quantæque auxiliares copiæ aduerſatæ ſunt cœptis ſuæ ſerenitatis, & quantum in ea re delatum ſit poſtulatis ac deſiderio fraternæ Majeſtatis ſereniſſimi domini Hungariæ Regis, quemque etiam in finem præfatus Moldauiæ Waiuoda perfidia vſus ſit in Majeſtatem Regiam,

giam, firmatis inducijs, atque fœderibus violatis, æſtimat ſacram Majeſtatem veſtram non latere. Sed neque ea perfidia illata contentus fuit, niſi maiorem multo periculoſioremque nuper adieciſſet, concitans ingentes Turcorum & Tartarorum copias, quibus etiam ſecurum tranſitum atque commeatum per ſuam prouinciam præbuit: qui quidem crudeliſſimi hoſtes incredibili celeritate vſi, quæ omnes alias gentes ſuperant, anni tempore ſibi ad bellandum inconſueto, quali nunquam alias exercitum educere ſolebant, inopinati ſuperuenientes in dominia ſuæ Majeſtatis irruperunt, hoc eſt in terras Ruſſiæ, nobiliſſimam regni portionem, multarumque vicinarum prouinciarum altricem, quam tanta clade afflixerunt, quanta nulla vnquam alia prouincia tam atrociter aut auditur aut legitur afflicta fuiſſe: Quoniam in omnem ætatem ſexus vtriuſque, in omnemque conditionem humanam, ſine delectu immaniſſime ſæuirum eſt, ſenes, & decrepiti, pueri atque infantes, matronæ grauidæ, ſacerdotes, & quicquid religionem Chriſti profitebatur, cæſi omnes crudeliterque obtruncati ſunt, reliqui quibus vires & ætas validior fuit, capti omnes, & in duram ac miſerandam ſeruitutem abrepti: Sæuitum etiam præter morem humanum in animantia bruta pecudum omnis generis, ex quibus nihil viui omnino relictum eſt, quodque ferrum abſumere non potuit, ignis conſumpſit. Vaſtata deinde pro magna eius parte nobiliſſima prouincia, onuſti rerum omnifaria præda, Walachiam feſtinantiſſime repetierunt, vnde redituri aucti majoribus copijs breui ſperabantur, prout de eo ſereniſſimus dominus Ungariæ & Bohemiæ Rex fraternæ Majeſtati literis ſuis in exitu meo de Polonia ſignificauit, quomodo gener Turcorum Imperatoris ſexaginta millibus bellatorum aſſociatus, ex Aſia ſeu Anatolia aduentans iam Danubium trajicere incepiſſet, Ruſſiam ingreſſurus, vrbesque & arces prouinciæ eiusdem & vtriusque Walachiæ Palatinorum auxilijs expugnaturus eſſet. Significauit etiam eodem tempore Illuſtriſſimus Princeps Alexander Magnus Dux Lituaniæ, germanus ſuæ Majeſtatis huic ſimile auditu minus gratum ac jucundum, quomodo inſtigante ac ſollicitante Turcorum Cæſare, duo vel fortaſſe tres Tartarorum Imperatores cum innumerabilibus copijs è ſedibus ſuis mouentes Ruſſiæ terris appropinquarent, iamque ad ripam Boriſthenis fluminis caſtra metari ſuiſſent, contra quos omni ſua ſuorumque potentia adunata, præfatus Illuſtriſſimus Lituaniæ Princeps ad reſiſtendum conſurrexit. His tantis ac tam periculoſis rumoribus Majeſtas ſereniſſimi domini mei permota, omni ſua ſuorumque potentia congregata contra eam hoſtilitatem campeſtraliter ad occurrendum profecta eſt in partes Ruſſiæ, commitens ſe Deo, expectans celerrima ac indubitata Majeſtatis fraternæ auxilia, quæ ex vtroque ſuo regno, & literis & oratoribus certis ſuæ Majeſtati mittere fraterne ac liberaliter pollicita eſt, per ſeque in armis paratam neceſſitatibus ſuæ Majeſtatis modis omnibus ſuccurrere. Cum igitur Majeſtas ſua tanti periculi cauſam, & quæ inde ſequi poſſent incommoda, ſecum diligentius reputaſſet, noſſetque dubios bellorum ſemper eſſe euentus; intelligens non vnius regni opum atque virium ſore ad ſuſtinendum diu tantum ac tam periculoſum bellum, dignum ac neceſſarium exiſtimauit cauſam communis impendentis periculi ad notitiam ſacræ Majeſtatis veſtræ, tanquam primarij Chriſtianæ Reip. Principis, ſimulque vniuerſorum ſacri Imperij ac Germaniæ Illuſtriſſimorum Principum, cuiuscunque ſtatus ac eminentiæ exiſtant, referre, conſilium & auxilium ſacræ Majeſtatis veſtræ atque vniuerſorum tantæ neceſſitati expoſcens, atque implorans, quo tantorum tamque validorum hoſtium conatus atque inſultus communibus Chriſtianorum opibus & auxilijs reprimi poſſent, ne hoc regnum quod ſemper ſingulare Chriſtianorum propugnaculum extitit, aſſiduo bello attritum, concidere quouis modo aut cuerti contingat. Quæ res quantum periculi vniuerſo Reipubl. Chriſtianæ afferre poſſet, facile eſt conſiderare. Non enim dubium eſt ſacram veſtram Majeſtatem minime latere, quomodo aliquando Gothi, Hunni, Tartari, cæteræque ignotæ Scythicæ gentes, non prius in Pannonias, Germaniam, & Italiam, ac deinceps in alias finitimas pro-

prouincias irrupere, nisi fractis & contritis regionibus Poloniæ regni, vt sic facilior illis aditus cæteras regiones inuadendi pateret. Quapropter Rex excellentissime, pro ratione & magnitudine periculorum experendum necessario est, & adhibendum moderamen, ac celeritas consiliorum, ne aut minora aut tardiora sint remedia, quam casus & vulnera, quæ sacræ vestræ Maiestati sanare maxime conuenit, necessitatique tantæ salutis publicæ Christianæ graram se arque vtilem exhibere, quæ ex ea potissimum pendere videtur, singulare eam præsidium sui & ornamentum recognoscens; ostendereque lumen animi, ingenii, consiliique sui, neque eam tantis attritam iacturis, & pene periclitantem
P.237 pro derelicta habere, vestigiis insistendo clarissimorum maiorum atque prædecessorum suorum, qui terrarum orbem late impleuerunt nominis sui gloria, & quibus virtus inrerfecit ad superos, atque in astra leuauit. Quorum tanta fuit virtus, animique magnitudo, vt Zelo religionis sanctæ permoti, optima spe pleni, glorioſum ac salutiferum laborem subire non dubitassent, quo non Turcorum solum potentiam ac principatum contererent, sed etiam Syriam vniuersam, regnumque Hierosolymitanum, cum sancta ciuitate, è manibus Saracenorum eriperent. Sic igitur oramus, sacra Majest. vestra, hæres clarissimorum maiorum suorum gloriæ, eorumque decoritæ desit. Subest enim causa ingens, & materia minus contemnenda: offert se denique opportunitas, qualis se nulli vnquam prædecessorum obtulit, exercendæ atque declarandæ virtutis animique magnitudinis, qua tam necessario & periculoso tempore illustrare maxime poterit hunc amplissimæ dignitatis principatum suum. Quoniam (gratia Dei opitulante) auctoritate, prudentia, & felicitate Serenitatis V. pacata esse videtur vniuersa Germania, nutum eius per omnia sequens atque respectans. Adsunt sereniſſimorum consanguineorum suorum Hungariæ & Poloniæ Regum ad causam alacres & promptæ voluntates, tantummodo incepto opus esse videtur, cætera rem perficere. Neque eo terreri debet sacra Majestas V. quoniam complures principes Christiani attentarunt aliquando gentem hanc pestiferam armis obruere, quorum (licet occulto nobis judicio Dei), irriti fuere conatus, quia forsitan rebus neque consilium debitum, neque recta ratio fuerat adhibita. Utcunque autem fuit, non tamen esse desperandum Deum nostrum subuenire misericordirer causæ suæ, dum eam sincero affectu, summaque deuotione, concordibus vnitisque animis atque viribus adgressuri sunt ii, quorum manibus summam rerum potestatem in tertis omnipotens committere voluit. Illustret obsecramus, Rex inuictissime, seculum nostrum; nomenque suum glorioſissimo ac vtiliſſ. hoc omnium facto, ex quo solo tum salus tum etiam Reip. Christianæ ingentia commoda dependere videntur: pro quo quidem multum ei debebit ætas nostra, plurimum etiam posteritas, maxime autem dum ipsam Remp. Christianam tantopere afflictam atque fluctuantem ex desperatione summa in spem firmiorem reuocabit, vt sic sacram V. M. optatæ tranquillitatis auctorem perpetuo se gratuletur habituram. Nihil enim in hac vita mortali neque sublimius neque magnificentius sacra V. M. aggredi atque efficere poterit, quam iuuare, prodesse, atque defendere, patriæque & vniuersalis Reip. Christianæ commoda procurare, reminiscens officij debitique sui. Quia in hoc primario & amplissimo principatu, tanquam in specula consulari collocata est, vt vacuum metu populum suum sua vigilia ac prouidentia redderet: meriti tanti eam à Deo mercedem immortali relatura, quam etiam Ethnici illi, veritatis consummatæ ignari pro virtutis merito sibi certam proponebant, credentes omnibus qui patriam auxerint, defenderint, conseruauerint; certum esse in cœlo definitum locum, vbi beati æuo fruantur sempiterno. Hæc sunt Rex sereniſſime quæ mihi vice & nomine sereniſſimi domini mei gratioſissimi, Poloniæ Regis, sacræ V. M. exponenda erant. Cuius Majestas iterum atque iterum rogat, quatenus vestra Serenitas & necessitudinis mutuæ, & communis periculi, quod iamiam imminet, rationem habere dignetur, ne Majestas sua præsidio Christianorum deserta, aliter

ter quam eius decori, dignitatiue conueniat, pacem ſibi regnoque ſuo procurate cogatur. Quin potius communicatis conſilijs cum illuſtriſſimis ſacri imperij principibus, tantis impendentibus periculis, clementer conſulere, matureque ac liberaliter auxiliari dignetur: vt ſic res Chriſtiana, & vniuerſa Germania ſalute huius regni Poloniæ conſeruata, etiam ſaluti ſuæ conſulat.

VII.

MAXIMILIANI IMP. PRIVILEGIUM ERECTIONIS COLLEGII POETARUM ET MATHEMATICORUM IN VIENNA.

MAXIMILIANUS diuina fauente elementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Auſtriæ: Dux Burgundiæ, Lottaringiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Charinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gelriæ: Landtgrauius Alſatiæ: Princeps Sueuiæ: Palatinus in Habſpurg, & Hannoniæ: Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goritiæ, Arthois, Holandiæ, Selandiæ, Ferretis, in Kiburg, Namurci & Zutphaniæ, Marchio Sacri Romani Imperij ad Anaſum, & Burgouiæ, Dominus Friſiæ, Marchio Sclauoniæ, Mechliniæ, Portus Naonis, & Salinarum, &c. ad perpetuam rei memoriam, notum facimus tenore præſentium vniuerſis. Cum poſt ſuſceptum diuino auſpicio Cæſareæ Majeſtatis titulum, officij noſtri in primis duxerimus, ad ea ſingula animum intendere, quæ & reipublicæ noſtræ decori & ornamento perpetuo fore arbitraremur: & nationem noſtram Germanicam ac p.238
domum Auſtriæ ex qua orti ſumus, quantis poſſemus honoribus, apud omnes gentes ad poſteritatem notas faceremus: id potiſſimum occurrit pro æternitate literarum neceſſarium in humanis rebus fore, ut populis & vrbibus noſtris Romanarum literarum gymnaſia, laudato ordine & Romano more ſtatuerimus, vnde publicarum rerum moderatores ac rectores vt plurimum excellentes prodire: qui veterum rerum geſtarum lectione facti prudentiores, bene & beate viuendi rationes multa etiam experientia poſteris ſcripſere.

Directis itaque à nobis in noſtro Viennenſi gymnaſio, cluilis iuris lectionibus; cum in Poetica & Oratoria arte nihil hactenus ibi inſtituerimus: decreuimus pro ipſius Vniuerſitatis noſtræ augmento collegium Poetarum ibidem priſcorum Imperatorum anteceſſorum noſtrorum more erigere, abolitamque priſci ſæculi eloquentiam reſtituere. Itaque de hac re prouehenda & imitanda duos in Poetica & Oratoria, duos vero in Mathematices diſciplinis eruditos, ad ipſum collegium deputamus: inter quos, eum quem pro tempore lectorem ordinarium in Poetica conſtituemus, volumus eidem collegio præeſſe, quem etiam præſentibus noſtris ipſius collegii & lectionum ſuperintendentem facimus & creamus. Quo autem præfatum collegium vberiori à nobis gratia & priuilegio decoretur, resque ipſa felici gradu debitum ſumat incrementum pro honore noſtro, & dignitate augendæ Viennenſis vniuerſitatis: Cæſarea noſtra auctoritate, ac motu proprio præfatum collegium hoc præſenti priuilegio ac prærogatiua decoramus: vt quicunque in præfata noſtra Vniuerſitate Viennenſi in Oratoria & Poetica ſtuduerit, laureamque concupiuerit; Is in prænominato Poetarum collegio diligenter examinatus, ſi idoneus ad id munus ſuſcipiendum habitus & inuentus fuerit, per honorabilem fidelem nobis dilectum Conradum Celtem, per genitorem noſtrum Fridericum tertium diuæ memoriæ primum inter Germanos laureatum poetam & modo in vniuerſitate noſtra Viennenſi poetices ac Oratoriæ lectorem ordinarium, ac deinde per ſucceſſores eius, qui pro tempore collegio præfuerint, laurea coronari poſſit. Sicque per eum

eum & ſucceſſores eius Laureatus Poeta ab omnibus habeatur & celebretur: omnibusque priuilegiis & inſignibus, quibus cæteri poetæ Laureati fruuntur, quomodolibet, conſuetudine, vel de iure, vti & gaudere poſſit: ac ſi manibus noſtris ea dignitate fuiſſet inſignitus. Cuius rei tenore præſentium damus, concedimus & impartimur noſtri Cæſarii iuris eidem legenti poetæ ordinario (vt prædictum eſt) omnimodam auctoritatem: non obſtantibus quibuscumque legibus, ſtatutis, conſuetudinibus, ordinationibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus: reſeruato tamen nobis nihilominus iure poetas coronandi, quos idoneos duxerimus. Poteſtati etenim noſtræ per hoc priuilegium nequaquam derogamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ conceſſionis & ordinationis paginam infringere: aut ei quouis auſu temerario contraire. Si quis vero id attentare præſumpſerit, pœnam indignationis noſtræ grauiſſimæ, ac quinquaginta marcarum auri puri irremiſſibiliter ſe nouerit incurſurum: quarum medietatem imperiali fiſco noſtro, ac reliquam partem præfato collegio decernimus applicandam. Harum teſtimonio litterarum, ſigilli noſtri conſueti appenſione munitarum. Datum in oppido noſtro Bozano, pridie Calendas Nouembr. Anno Domini, milleſimo quingenteſimo primo, Regnorum noſtrorum Romani ſexto decimo, Hungariæ vero duodecimo.

VIII.

[p.239] # VINCENTII LONGINI ELEVTHERII SILESITANI, ARTIVM ET PHILOSOPHIÆ DOCTORIS, POETÆQUE LAVREATI: AD DIVUM MAXIMILIANUM REGEM ROMANORUM PANEGYRICUS PRO INSTITUTO ET ERECTO COLLEGIO POETARUM, ET MATHEMATICORUM IN VIENNA PANNONIÆ.

Alta velut primi ſtupuerunt æquora nautæ,
Dum Pegaſea ratis liquiſſet Theſſala Pelei
Littora: ſic nos Arctois qui naſcimur oris,
Nitimur externas primum cognoſcere linguas,
Craſſaque barbarico formamus verba palato:
Quæ ſtillant veluti concretis ſtiria gemmis
Guttatim, donec liquidis exuberet vndis
Alueus eloquii, atque auſit ſe credere ponto.
Quamuis ingenii vis plusquam lingua probetur,
Hæc tamen Aonii fontis decorata liquore
Auget ſpirituum vires, animoque beato
Suggerit æternum poſt fata illuſtria nomen.
Hinc eſt quod petimus crinitum tempora lauro
Phœbum: quem noctesque dies Germania poſcit
Ingeminans: Vatumque orans hac voce parentem.
Phœbe veni noſtras placidiſſimus hoſpes in oras,
Nec pigeat gelido torpentia membra ſub axe
Viſere & Illuſtres radios infundere noſtris
Pectoribus: quum ſis priſcis à ſedibus olim
Pulſus ab ignaua Turcorum gente, vetuſto
Nomine, Teucrorum variato à tempore edaci.
Hinc tua ceſſarunt oracula: nec tua Delo
Templa pio fumant thure, aut Cynthoque Rhodoque,
Phocidis arua iacent, delubraque ditia Delphis.
Non iuga Parnaſſi reſonant: victricia ſerta

Lauro hederaque ligant nec vates tempora circum
Nec blandam, Cytharam ſequitur delecta ſororum
Turba repercuſſis reſonatque per aera neruis.
Namque Chelis moderator abeſt: & ſpretus Hiachus
A trucibus Turcis. Latios petiere penates
Muſæ, explorantes terras ſedesque quietas
Totius Europæ, vt tandem conſiſtere campo
Felici poſſent, & libera pectora nudo
Ore per æthereas depromere vocibus arces.
Admonuere deos Bacchum Phœbumque calentem
Vt poſt Chaldeos, Solymos, Græcos, Italosque
Ardua percelebres peterent veſtigia muros
Qua dat iter tutum ad Germanos Mantua campos.
Tum fluuios Atheſis primum peragrare ſorores
Cœpere, & montes mirari argentea dantes
Munera: debinc Cereris per latas horrea valles
Pergentes, ſinere alpes in duo brachia cernunt,
In medioque videt muſcoſis fontibus arua,
Prataque odorifero ſubluxuriantia flore,
Et fluuios dulces murenarumque fluenta.
Huc igitur ſedem locet, orant numen vtrumque
Lata vbi vitiferos circumſpicit Auſtria montes
Inter quos latis cum vitibus, vuifer omnes
Eſt ingens Cecius, plures vt nutriat oras
Cum Bauaris Boemos, vicinaque regna Polonis,
Et terras circum ſine Liberi honore iacentes.
Hic tua Thyrſigera celebrabunt Orgia Bacha,
Et curua reſonabunt montibus Enie Valles,
Siue illas teneat Rhenus, Necarusue, vel Albis
Aut Odera, aut Mœnus, Sala, vel Drauus, Cocerusque.
Cantantes venient ad Bachanalia ludos.
Nos quoque Pegaſides, quas iam viridantia prata
Et caua ſaxa tegunt liquidi ſub pumice fontis,
Et quartus retinet modo limes ab vrbe Vienna,
Debita ſoluemus madida tibi munera voce,
Nec tamen interea fugiet nos carminis auctor,
Cuius fatidicos ſemper comitamur ouantes
Greſſus: hinc nemora aerei cum fontibus Hæmi,
Meoniique ſenis celeberrima liquimus arua,
Vidimus vt nuper, Machumeti erumpere faces
Turcos in memoranda loca impia bella mouere
Et latices latos, Muſas, Cytharamque canoram
Spernere, & Argolicam ſophiam, vocemque Latinam,
Et quicquid diuino animo complectitur orbis.
Hos quoque nos decuit contemnere, nec ſinere omnes
Perdi quæſitam modo crebris vſibus artem:
Dixerat hæc ter trina cohors in Parthica regna.
Hinc non immerito in damnum illorumque pudorem
Maximus Auſtriaca dux illuſtriſſimus aula
Æmilianus honos regum, clarisque triumphi
Et decus & ſplendor, famæ & pars maxima vatum
Condita totius ſpectat modo conſilia orbis:
Et medio reſidens ſceptra Europea gubernat,
Sceptra quibus trepidant ſuperatis æquora terris,

p. 240

Magna-

Magnanimi & regis ſacratum numen adorant
Gallus & Hiſpanus, Latium, pictusque Britannus,
Pannonus, Auſtriacus, Stiriusque, Charinthius hinc &
Carnus, Goritius, Croatusque, & Dalmata, & acer
Burgundus, Brabanticus, Haimoniusque, Selandi,
Quique caua Hollandi nunc de tellure vocantur:
Naumurci, & quos à tenebris dixere Pelasgi,
Scoti: cum Flandris, Phriſii, audentesque Sueui
Burgouii, Artboi, Alſatii, Lymburgus, & alto
Sanguine quos reperimus Auentina arce creatos,
Habsburgi: Tyroli, Gebrenſes, quosue tenet fons
Aut Oeni, aut Araris, Lotrico quique vocantur,
Seu à luco & burgo: vel quos Sungaudia nutrit,
Flandri, Mechlini, Schlauus: portusque Naonis,
Atque Salinarum. Sed quid Germania regna
Commemorem, aut terras circum tua rura colentes?
Cum tua iam proles alio conſedit in orbe,
Cumque nepote tuo, Oceanum moderatur vtrumque.
Hæc dum miramur penſando Heroas auitos
Tecum, nil erit, & cedet tibi priſca vetuſtas.
Quæ ſi iam noſtro tam lato viueret æuo,
Diceret: hic maris & terræ diſcrimina nouit,
Hic ſuperat iuſto irritatus Marte ſuperbos
Reges atque duces? hic eſt & pacis amator,
Dum videt Heroas concordem ducere vitam:
Et rerum cauſas rimatur pace ſub ipſa,
Nec ſinit in turpi mentem torpeſcere luxu
Diuinam: cuius de ſumma eſt ſpiritus arce
p.241 *Miſſus ad incluſas animas velamine cæco:*
Quas vt ad æthereas poſſet reuocare regendo
Sedes, difficili conatu ſæpe laborat
Nec ſtudio ſatis eſt huic ter Germania quino:
Accerſit Græcos, Chaldæos, cumque Latinis
Hebræos, & habet doctos quos maximus orbis,
Siue illos teneat tellus qua Phoſphorus vndis
Occiduis condit ſe, aut qua ſe tollit in ortum.
Atque alio viuunt aduerſo pondere mundo
Sub Stygiis lacubus, verſa & veſtigia planta
Figant, hos omnes audit donisque remittit
Magnificis, nec non diuina munera mentis
Illis inſigit, ſtimulos ignemque miniſtrat
Virtutum. Quin & legum iurisque peritos
Et triplicis ſophiæ in natalia rura vocauit,
Quæ ſpectat templis munita Vienna patentes
Campos: & circum & leges, & iura miniſtrat.
Præterea vatum erexit collegium in æuo,
Centeno, atque Oratorum, qui pectora poſſunt
Flectere: & eſt quorum numero obſeruare Matthesin
Quicquid & Euclides, Vitruuius aut Ptolomeus
Metitur numero aut radio, terrámque polumque
Res memoranda, & inaudita, & ſub principe tanto
Digna: quod is poſt imperii tot ſecula gentis
Teutonicæ, primus mereretur amare Camenas.

Audiit vt nuper Lyricum resonare poema
Germani vatis, Phœbi præsente caterua;
Obtulit huic hilari mox regia munera vultu.
Munera quæ donare potest tantummodo Cæsar.
Nam potis est, lauro sacros decorare poetas
Celtis, in Austriaca memorandi principis aula,
Nunc igitur discat diuinas Teutonus artes,
Discat & humanas: mentem superumque hominumque
Hæc pius & iustus, doctrina maximus heros
Omnia Romulidum Rex instituitque dicauit.
Vt maiore fide maneat constantia maior
Inter Teutonicos Reges Regumque nepotes.
Idcirco hunc merito post tot felicia Regem
Gesta, triumphantem magno cunctatur honore
Italia horum genetrix, portusque Deorum
Quatuor ad partes terra tractusque marinos.
Hunc etiam expectat pontus septemplicis Histri
Qui nuper solito plus spumosa hostia cernens
Feruere Danubii, fluuiorum hunc agmine regem
Fluctiuago excepit, vasto cum murmure ponti
Et noua rorifluo laudabat nuncia vultu,
Dum Rheni fontemque Histri sub Cæsare tanto
Aspexit largas liquidasque effundere venas.
Concordesque per Oceanum perque hostia gentes
Reddere: & à Gallis pacato, currere lapsu:
Non Araris nympha fugiunt, non aurea Tagi
Flumina Maxmilianeum decus vber Hiberus.
Et Rhodanus supplex, vndarum molibus auctus,
Cum fluuiis aliis dominum veneratur aquarum,
Herculis hunc nota memori munimine Gades
Exoptant: vt & occasum conseruet & ortum.
Inde triumphator, velut alter cælifer Atlas
Quando fatigatos humeros ad pondus onustum
Sentiet, & superam latus remigrabit in arcem,
Fœlici soboli rerum committat habenas.

Dictus anno Domini M. D. & noui sæculi secundo.
Calendis Februarii.

JO.

JO. FRANCISCI PICI
MIRANDULANI
STAUROSTICHON.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

LLuſtre exeunte ſeculo decimo quinto, & ineunte ſexto, erat nomen Picorum. Nec enim, Jo. Picus ſolum Mirandulanus,* magnam nominis ſui famam fuit adeptus, ſed etiam hic Jo. Franciſcus Picus Mirandulanus, illius ex fratre Galeolto Pico nepos, licet ad Joannis patrui gloriam fruſtra adſpiraret. Sacra potiſſimum ſcripſit poëmata. Sed teſte Jouio, quum in omnibus ingenii operibus ſacras literas religioſe reſpiceret, contempſiſſe Latinæ facundiæ flores, atque inde gloriam tanquam inanem exiſtimari voluit; quanquam eius uniuerſa literarum ſtudia, tanquam illuſtri in homine, & in domo ſanctiſſimis moribus perornata, quum in minus ſeueros iudices facile inciderent, ſplendidiora viderentur: & hercle vir antiqua ſimplicitate, potius quam nouo aſtu æquiora iudicia redimebat: quum libros ipſos priuato impreſſos ſumptu, liberali largitione publicaret. Interfectus eſt cum Alberto filio, vir indignus adeo crudeli vitæ exitu, a Galeolto fratris filio, quum nocturnis inſidiis, capta arce, Mirandolæ dominatum, ex paterno iure inuadendum exiſtimaſſet. ** Jo. Pierio Valeriano *** dicitur: *Joan. Franc. Picus Mirandulæ comes, vir omni doctrinarum genere abſolutiſſimus:* Lilius vero Gregorius Gyraldus **** ſic de eodem: *Reliquit hic,* (Picus Mirandulanus) *certe amplam & tritam nepotibus viam, qua ad bonas artes facile ingredi poſſint, ad quam vtique Joan. Franc. Galeoti filius pleno, vt dicitur, gradu contendit. Hic poſt graues & ingentes labores ne ærumnas potius dicam Herculeas, poſt bella (quod dicere eſt ipſe ſolitus) plusquam ciuilia, quibus præter diuina & humana iura paterna & amita ditione bis iam eiectus eſt (auertat Deus ne & tertio, & una ne vita priuetur) poſt theologiæ ac philoſophiæ cæterarumque optimarum artium ſtudia, poſt infinita pene volumina, quæ ad hanc diem ſoluta oratione compoſuit, ſe manſuetioribus muſarum ſtudiis tamquam ad amœniſſ. fontes ſolitus eſt recipere, atque inde animum a grauioribus curis leuare: nam præter ſtauroſtichon de myſticis prodigiis paſſim in Germania cælitus delapſis, poſt votum*

---

* Extat Jo. Pici Mirandulani epiſtola ad eundem inter alias epiſtolas a Chriſtophoro Cellario editas *Epiſt. I.* Idem Jo. Franciſcus patrui ſui Jo. Pici vitam ſcripſit, ipſius Operibus præfixam.

** Verba ſunt Pauli Jouii *Elog. doct. vir. num. LXXVI.*

*** *In epiſtola de introitu Matthæi, Gurcenſis Epiſcopi Romam, quæ infra ſequitur.*

**** *De poëtis noſtri temp. dial. I. pag.* 383.

tum pro vxoris ſalute, heroicus quoque hymnus ad ſanctiſſ. trinitatem, ad Chriſtum, & ad matrem Virginem edidit vna cum commentariis a ſe conditis ad Picum filium. Inter poëmata ipſius hoc ipſum eſt Stauroſtichon prodigium quoddam de crucibus in hominum vel veſtitu vel corporibus an. 1509. adparens, exponit, de quo ita loquitur Trithemius * *anno prænotato Cruces apparuerunt in lineis veſtimentis hominum in camiſiis, in linteaminibus, in menſalibus, in peplis mulierum, in albis Sacerdotum, & Corporalibus non ſolum in his, quæ in quotidiano habebantur vſu, ſed etiam in illis, quæ abſcondita iacebant in ciſtis, ad quæ nullus poterat aëris penetrare influxus. Cœperunt autem inprimis apparere circa Rhenum, ac deinde per totam Germaniam, in Sueuia, in Francia Orientali, in Bauaria, in Auſtria, in Bohemia, in Saxonia, in Dacia, in Polonia, in Hollandia, in Brabantia, per Galliamque totam; non ſine timore & horrore magno mortalium: ſubito & inſperato apparuerunt, vt cadere quoddammodo putarentur de cœlo, ita quod aliquando cum Salue Regina cantaretur in Eccleſia, vel XL. vel L. homines inſigniti Crucibus ſubito viderentur, maxime in peplis mulieres. Erant autem Cruces paruulæ, confuſi & ſubrubri coloris, ac ſi pannus aliqua pinguedine mixti coloris fuiſſet intinctus. Non poterant aliqua lotione deleri, ſed poſt nonum diem vt plurimum per ſe euaneſcebant. In quibus etiam cum Crucibus magnis apparuerunt multæ Cruces paruulæ, characteres in modum græcarum litterarum, claui quoque, lancea, ſpinea corona, virgæ, flagella, & reliqua Dominicæ Paſſionis inſignia, eratque videre terribile miraculum. Aſtantibus enim in Eccleſia Canonicis apparuerunt in Rocchettis eorum, ſimul & in pallis Altarium, & præſertim in peplis mulierum, non omnium ſed quarundam, & ſolum in lineo. Magna mortalitas has Cruces ſecuta eſt.* Plenius hæc explicat Nauclerus, * dicens: *Anno ſalutis noſtræ 1501. miranda ſane, horrenda & inaudita oſtendit DEUS hominibus. Siquidem ut ſcribit regi Romanor Maximiliano Leodienſ. epiſcopus, a feſtis Paſchalibus ſingulis diebus in uno vel alio loco dioeceſis Leodienſis apparuit publice & inopinate aliquando in eccleſiis, aliquando in plateis, aliquando in domibus & in ipſis etiam cubiculis ſignum Dominicæ crucis perfectum, & fuit frequenter nigrum aut rubicundum, ità etiam, ut in aliquibus putaretur eſſe verus ſanguis cum medulla & ſanie effuſus: & fuerunt plerumque cruces ſimplices, aliquando tamen duplices, in forma ſigni ſepulcri Dominici. Apparent autem, inquit, ut plurimum ſuper capita mulierum & maxime puellarum, in earum peplis ſupremo vertice. Et refert idem, ſe deſuper inquiſitionem ſolertem feciſſe, ita quod nec dolus nec fraus interuenire potuerit. Scribit quoque de muliere quadam eiusdem dioeceſis XXII. annorum valde honeſta, quod die quodam compererit, admonita a matre, ſignum crucis magnum & amplum in peplo coloris aurei, atque ad ſingulos quatuor eius angulos interiores crucem unam paruam eiusdem coloris perinde atque arma ſunt Hieroſolymitani regis, inque medio maiorem crucem aliam ſanguinolentam. Territa inde mulier, cum reuerentia peplum illud ad locum mundum repoſuit, & aliud mundum capiti impoſuit, mox in eodem crux grandis apparuit. Accurrunt homines multi ex admiratione, in quorum conſpectu iterum & iterum pepla mutauerat, ita ut nouem diebus pepla tredecim cruce ſignata fuerint. Inſuper dum quadam vice quam plurimi cum ea de præmiſſis colloquerentur, viderunt adſtantes inter colloquendum exoriri in eius mento crucem, latitudinis unius digiti, coloris & ſaporis mellei, cuius ſtipes a gutture in inferius labrum, ad usque dentes exurgebat, per brachia vero protendebatur ex aduerſo inſtrumentum ipſius & labrum prædictum, quanta eſt oris amplitudo: quo cum ad adſtantium admonitionem leuare manum dextram conaretur, apparuit conſimilis crux in eadem: retracta ad ſinum manu, cum utraque ſigna duabus ferme horis perſtitiſſent demum prout ad-*

uene-

* *Chron. Hirſaug. ad an.* 1500. aſt reliqui referunt ad annum 1501.

** *Vol. II. Gen. LI. pag.* 1121.

uenerant, ita disparuerunt. Sed post hæc non solum signum crucis apparuit, quin & veluti hasta quadam, ac desuper nonnulli characteres, cruenta quidem omnia, concludebantur in circulo viridi totum contingente caput protulitque inde acumina ad modum spinarum. Apparuerunt & signa in camisiis mariti crucis sanguinolenta. Hortatus est mulierem curatus suus, ut cum Jubileus esset, in Traiecto superiori, ubi fuit episcopus, quod iret illo & confiteretur. Assensa iuit, & ad sanctum Seruatium confessa est magno Theologo, iussa post hæc iuit in chorum, & propter reliquias ducta est in sacristiam. allato ei peplo nitido, rogata est quod capiti imponeret, nec cum tanto horrore per plateas incederet. assumens ipsa nouum, quem capiti applicuit, mox erupit in ipsa pepli parte anteriori sanguinis tanta copia, ut confestim in extremam usque fimbriam ad unius digiti longitudinem & prope duorum latitudinem defluere, unde adeo conspicientes sunt attoniti, ut e canonicis unus protinus caderet. At illa inde discedente, publice visa est in ipso recenti peplo ad scapulam dextram magna vis sanguinis in figuram quasi crucis se porrigens atque amplificans. Cum quibus demum signis ipsa ad eundem episcopum ducta est, recenti & madido cruore, ut in præsentia sua, sicut scribit attrectatus, digito adhæreret, multis videntibus & admirantibus. Hæc scripsit idem Episcopus regi nostro Maximiliano 18. die mensis Maji anni currentis. An non sunt stupenda & mira hæc omnia? taceo tot monstra in sex annis retro edita, taceo scabiem elephantiæ non absimilem, inauditam, nec etiam medicis diu cognitam, quæ plaga ita inualuit ab anno salutis 1495. quod nonnullos extinxit, plerosque inutiles fecit, nec adhuc cessauit. Hæc tam horrenda præsagia nemo aduertit. latius terrent, quam emendant. Manifestum est autem, talia fieri per prouidentiam creatoris propter euidentem utilitatem, quæ ex ea prouenire deberet hominibus: & hoc siue fiat per naturam, siue per voluntatem creatoris, ut timeant & a malo resipiscant. Timor vero iste omnino bonus est, propter quem incutiendum inquit Guilielmus in lib. de uniuerso, Creator & stellas & cometas in cœlo & gladios igneos & dracones creat, & apparere facit in sublimi, similiter & portenta in terra & in mari, monstra in hominibus etiam nasci, ut infantulos multorum capitum, propter quod & monstra dicuntur, non solum quod propter admirationem nouitatis ea homines sibi monstrant imminere hominibus, quod DEus supplex oro, bene vertat. Jo. Faber in Oratione sua Parentali honori Maximiliani dicta, sic loquitur: *maiora enim atque plura sub hoc Cæsare signa miranda, quibus hæc sancta fides est roborata Dominus ostendit, quam sub ullo quouis Cæsare Cruces, atque singula pene passionis Christi insignia M. D. III. e cœlo in vestes ac hominum corpora visibiliter ac in prospectu cecidere.* De iisdem testatur Fuggerus, * licet etiam multas interueniſſe fraudes non deneget. Agit de eodem prodigio F. Cornelius Curtius, ** & potissimum Jacobus Gretserus *** qui etiam hæc simul addit: *exstat de his proprius libellus septem aut octo pagellarum, Norinbergæ tunc temporis editus, cum hac inscriptione.* Collectio Reuerendissimi Patris & Domini, Domini Liberti Episcopi Gericensis de crucibus. *Auctor in eo totus est, vt ostendat tales apparitiones augendæ pietati contingere, idque argumentum per quatuor documenta persequitur.* Longum esset ab omnibus seculis exempla repetere, quod Cruces in vestibus adparuerint, quod multo iam apparatu præstitit Gretserus, **** qui etiam ad hoc ipsum Poëma prouocat, ***** dicens: *vidi* easdem Crucium, aliorumque passionis Dominicæ instrumentorum apparitiones, accurate iam olim variis coloribus depictas, quas mihi Marcus Velserus Septemvir *Augustanus ostendit; de quibus Joannes Franciscus Picus Mirandulanus poëma bene longum heroicis versibus conscriptum publicauit, ad Maximilianum hoc nomine primum Imperatorem.* In hoc autem Stauroſticho Mirandulanus, postquam diuersa Noui fœderis exposuisset miracula, & Pontificiorum quosdam sanctos recensuisset Germaniam etiam breuiter descripsisset, de isto prodigio agit, quam varia de eodem hominum fuerint iudicia, exponit. demum Imp. ad expeditionem contra Turcas suscipiendam exhortatur. STAU-

* *Lib. VI. c. IV. n. 5.* Testatur de eodem Cruſius *Ann. Sueuic. lib. IX. P. III. c. XI.* & Linturius *app. ad Wern. de Rolewinck. ad an.* 1503.

** *Clauis Dominicis cap. XIV.*

*** *De sancta Cruce lib. III. cap. X.*

**** *De sancta Cruce lib. III. cap. III. V. VI. VII. IX. X.*

***** *Cap. X. pag. 547.*

STAUROSTICHON IOANNIS FRANCISCI PICI MIRANDULÆ DOMINI, ET CONCORDIÆ COMITIS, HEROICUM CARMEN DE MYSTERIIS DOMINICÆ CRUCIS NUPER IN GERMANIAM DELAPSIS: AD MAXIMILIANUM AUG. ROMANORUM REGEM.

Maximiliano Cæſari Auguſto inclyto; Joan. Franciſcus Picus felicitatem.

DEdiſti occaſionem mihi, Cæſar clementiſſime, vt ea ſtudia quibus olim oblectabar, nunc quodam quaſi poſtliminio repeterem, ab eis enim tum negorijs armorum diuerteram, tum grauioribus diſtentus ocijs literarum nuncium remiſeram. Monſtraſti, dum eſſem apud te in Germania, cruces clauas, lanceas & alia pleraque, cœleſti quadam nec viſibili pluuia corporibus delineata, & quæ hac de re tibi etiam literis ſignificata fuerant, qua es facilitate, dignatus es è Germanica in Latinam linguam interpretari. Vidi & ipſe quamquam à tua Majeſt. diſceſſi in Italiam rediturus, multa, quæ non modo fidem rei iam vulgatæ adſtruerent, ſed maiorem multo demirationem ineuterent, & vniuerſam pene Germaniam ad cœleſtia prodigia religionis ergo commouerent. Quo factum, vt rem tam celebrem, tam dignam poſteritatis memotia, literarum monumentis, heroiciſque potiſſimum verſibus in præſentia mandare deſtinauerim. Nil eas veritus calumnias, quas Philoſophaſtri funderent, ignari altiſſimos literarum locos à prima antiquitate metro concelebrari ſolitos, nec apud Platonem & Ariſtotelem ſatis diuerſati, quorum ab altero epigrammata, ab altero etiam poëmata excuſa ſunt, vt ipſius artis Poëticæ præcepta retieeam. Ipſi autem Theologi nec hymnos Eccleſiæ diſſimulent, nec neſciant Nazianzenum, Hieronymum, Sedulium, Paulinum, & alios carmina eeciniſſe. Nec eas præterierit, Moſen primum diuinas laudes carmine hexametro decantaſſe, & Hebræum calamum nonnullis diuinorum libris verſuum menſuras impreſſiſſe, quas equidem non ſolum licere, venim & expedire quoquo modo noſtra etiam tempeſtate putauetim, modo fabuloſa ne ſit, nec obſcœna materia, modo gentilium Deorum memores tie ſimus, præterquam forte dum eos explodimus, dum damnamus. Sume igitur libenti animo, Cæſar, noſtram hanc hiſtoriam altius repetitam, & carmine concinnatam. Cuius lectione (ſi erit ocium) addi animo ſtimulos optarim, vt Chriſti memotiam in Occidente minus reuerenter quamdoque habitam, in Oriente vero prin-

cipum deſidia iam pene abolitam, renouandam pro uiribus & illuſtrandam ſuſcipias, & impii Mahometis cultum penitus oblitteres. Et quoniam militiæ tuæ me iam pridem, nec ſine honore & e gregia quadam auctoritate, aſcripſiſti; iſtiuſmodi quidem comparandæ victoriæ debemus enſem, partæ autem & publicandæ ſtilum pollicemur. Vale.

STAUROSTICHOS.

GErmanæ nuper delapſa inſignia terræ
Principis ætherei canerem, ter maxime Cæſar,
Si me præcellens rerum mirandaque moles
Exiguo ſineret reſidem de pectore vocem
Promere: ſed vincet pietas, audacia vincet,
Abſcedat Bromius, ſpumoſo Cypria ponto
Diſpereat, procul hinc abſit Thymbræus Apollo,
Fabula Pieridum, procul hinc, procul eſte prophani.
Namque ſalutiferi canimus miracula regis,
Veſano figmenta Deum qui diſpulit orbe.
Chriſte fave cœptis, tuque ô ſanctiſſima virgo
Empyrei regina poli, genitrixque tonantis,
Dirige fluctiuagam ventoſa per æquora Cymbam.
Poſtquam flammifero præpes deſcendit ab axe
Summa Dei ſoboles, ſummi ſapientia patris,
Vt male contractas à primo ſemine labes
Purpurea eluerèt ſacrati ſanguinis vnda,
Mortales clauſo profugos vt ferret Olympo,
Sacra prophanato diffudit lumine mundo,
Tartareas pellens hominum de corde tenebras.
Inque vices varias diuerſa in tempora ſignis,
Quæ captum ſuperant humanæ mentis, adegit
Suaue ſerenata in præcordia vulnus amoris:
Illapſus primum præcelſæ virginis aluo,
Quæ mox concepit nullo de ſemine prolem,
Viliaque enixa eſt nono ad præſepia menſe.
Iam vix octauam lucem conſpexerat infans,
Jam vix aſſumptæ prima incunabula carnis
Attigerat, cultros pellis cum cæſa eruentos
Senſit, & hoſtiles aufugit principis iras
Herodis, ſupero matrem puerumque tueri
Afflatu iuſſus Ioſeph, Nilotica tecta
Perrexit: monitusque iterum ad Iudæa reuerti
Herode extincto, Galilæis adſtitit aruis.
Subditus interea peragit mandata parentum:
Præcellitque ſenes puer, & Salomonia templa
Ingreſſus monuit, legisque abſtruſa recluſit.
Mox docuit Sobymos præclaræ munia vitæ
*Præconis * tonitru, qui flumine mergier artus*
Suaſit, & indignum Chriſti qui lora relaxet
Se vocat, & nitidæ ſoluat ſandalia plantæ.
Hinc vaſtæ latebras Chriſtus perrexit eremi,
Multos paſſurus violenti Dæmonis æſtus.
Nanque quater denos iam roſcida lucra rotatus

* Joannis Baptiſtæ.

Egerat,

Egerat, & totidem magnum ſol aureus orbem.
Ambierat terras, ne dum jejunia Chriſtus
Solverat eſuriens, cum ſe tentator operta
Ingeſſit fraude, & lapides miteſcere duros
Præciperet blande ſtimulat, cui talia fatur:
Nonne ſacri referunt libri? Traducere vitam
Non datur in dapibus: ſed enim fœlicius illud,
Quod fluxit ſacro ſemel omnipotentis ab ore,
Perpetuam præſtat ventura in ſecula vitam.
Protinus hinc celſæ vehit ad faſtigia primæ
Spiritus, atque illi rurſus: Si dia propago es,
Te tuto poteris ſummo de culmine templi
0.244 *Mittere: namque extant de te mandata miniſtris,*
Ne forte ad lapidem offendas. Cui talia reddit
Legiferi ſcitum Moſis, Dominumque Deumque
Ne tentes. paucis pauefactus vocibus hiſce
Obriguit, veluti cum ſæuo mœnia bello
Impiger obſedit multo conamine miles,
Aclutum & chalybis percuſſus tempora glande,
Machina terrifico quam fulminat ænea bombo,
Sternitur, atque illi torpeſcunt frigore membra.
Crudeles iterum verſutus colligit iras,
Ac triſti obuerſat fallendi pectore curas.
Nubiferi ductum præcelſo in culmine montis
Collocat, & molli quondam regnata Dario
Monſtrat ſceptra, Pharon, Lybies porrecta ſub axem
Regna, Tagum fulvam populis qui voluit harenam,
Et quicquid latis rerum tractabat habenis
Roma potens, ſpondetque illi, ſi poplite flexo
Procumbat. Contraque refert diuina propago:
Perfide diſcedas, ſoli ſervire tonanti
Eſt opus, in tenues momento euanuit auras.
Poſt nucleum legis dirimens à cortice vulgo
Præbuit, æterna referans compendia vitæ,
Dogmataque expungens ſcribarum mentis auaræ
Semina, pontificum luxus, faſtoſaque ſeclì
Gaudia perſtringens, Phariſæa noxia turba
Cæpit fulcra, dolos retegit, prænuncia mortis
Spargit verba ſuæ, non indignatus ab umbris
Infernis animas excire ad munia vitæ,
Reddere cognatis nutu, quæ functa ſepulchris
Corpora, quæ triſtem dudum exhalare mephitim,* * Lacai
Diſiecta placuit rurſum connectere formæ.
Inuidia extemplo conflatur maxima, namque
Virtuti vitium bellat, diuina prophanis
Confligunt, pugnat tumido clementia faſtu.
Supplicium petitur iuſto de ſanguine, pœnæ
Poſcuntur, ſæua condunt ſpectacula plebi
Pontifices; tollit præſes Romanus in altum
Membra ſalutiferi transfixo ſtipite regis.
Funditur innocuus toto de corpore ſanguis
Vbertim celebris mixto fluit vnda cruore:
Qua ſcelus antiquum primæque ab origine mundi

Eluitur, patriæ primæua piacula noxæ,
Scilicet humani generis perculſus amore
Crudeles clauos, riſus, atque aſpera flagra,
Sputa, alapas, barbæ vulſus, diramque coronam
Sentibus horrentem ſubiit, mortemque fugare
Morte Crucis voluit. Quæ te clementia Chriſte
Ingratos nimium mortales, ferrea corda,
Vt morte eriperes, mortem perferre coegit?
Ne rogo, ne ſummi collati muneris vnquam
Inferni obrepant vaſana obliuia ſomni.
Dicite felices animæ, quæ lucida templa
Incolitis, quoties renouarit myſtica lethi
Signa ſui, poſtquam ſedes ferrugine nigras
Inuiſit, pulſisque æterna luce tenebris
Atque catenato reſolutis patribus hoſte
Sublimis ſuperas Chriſtus remeauit ad arces.
Principio auratis confixit corda ſagittis:
Apoſtolorum. *Corda * virum ſacri cœtus, quæ viuida virtus* p. 245
Ardentis linguæ in ſpeciem penetrarat, & almum
Spirabant calefacta nimis præcordia Chriſtum.
Quem puro quondam ſumebat turba fidelis
Pectore, ſacratæ celebrans conuiuia cœnæ.
Scilicet immites hinc debellare Tyrannos
Exarmata valent flammanti pectora lingua.
Hinc veteres fugitare DEI, trepidare Senatus.
Mirari attoniti Sophiæ de plebe magiſtri,
Mirari & vulgus cœpit, cum creſceret ardor
Stephanus. *Inſolitus, numerumque magis quo ſæuior iræ*
Redderet iunumerum tormentis percita cædes.
Laurentius. *Recludunt Stephano cœlum ſtridentia ſaxa,*
Vrentem moriens temnit Laurentius ignem:
Inmumera rigidam conſtanti pectore mortem
Imbelles obeunt (res non audita) puellæ:
Pollutas pueri læti obtruncantur ad aras,
Inter mille neces fidei rutilantior ignis
Egnatius. *Fulſit, Callaicis veluti in fornacibus aurum.*
Tum præſes Syriis feruens Egnatius agris.
Chriſtigenas paſcebat oues, Romanus abegit
Miles, crudeli ductturus funera circo.
Sacra viri nimium formidant membra leones
Tangere, ab innocuo cohibentes ora cruore.
Quem rigidi immitis Traiani exhauſerat enſis,
Protinus euulſo (nam dirus pectore lictor
Traxerat) inſcriptum cordi ſpectatur IESV
Nomen honoratum, quod triſtia tartara longe
Formidant, ſupera conſpecta inſignia dextra.
Tempore iam ex illo, multum cum viuidus ardor
Ferueret, inuidit dæmon tranſcendere cœlos
Stelligeros hominem, quibus ille expulſus Auerni
Horrendas ſubiit multa caligine ſedes,
Hinc ſatagit Chriſti vt marceſcant pectora luxu,
Craſſetur vilis tumidusque nomismatis ardor,

Deſpectent

Deſpectent humiles vano vt turgentia faſtu
Stemmata : ſed vicit Chriſtus ſuperoque calore
Diſpulit elatas Erebi de nocte tenebras
Hoſte triumphato, ruit ille in tartara præceps.
Sed magis infernus coluber cum ſibila preſſit,
Fallendi inſidias viroſo in corde volutat:
Cum velut à rabida, quam dira impellit edendi
Ingluuies, paſtor commiſſa armenta leana
Cuſtodit, magis illa furit, licet improba fraudes
Diſſimulet, renouatque latens in pectore bellum.
Secius haud coluber ſimulata pace venenum
Offundit. Sed quis ſummi omnipotentis aluumos
Fraudibus eripiat? placuit concire fideles
Sæpius, atque magis quo frixit inertia mundi.
Propterea Aſſyſius nimio calefactus amore
Rettulit effoſſis flammantia ſtigmata membris
Franciſcus, pauper terris, ditiſſimus aula — *Franciſcus.*
Principis ætherii, perrari ſignifer aqui.
Alter ab Empyreis defluxit ſedibus almæ
*Virtutis cuſtos, fidei ſeruator Iberus *.* — * *Dominicus.*
Vtrinque innumeræ variæ ſub veſte caterua
Conſcendere polos, fremuit perterritus Orcus:
*Nec non & Siculus * flammas emiſit, & ille* — * *Bernardinus.*
p. 246 *Conſpicuus ſignis * Picenæ gloria gentis* — * *Nicolaus.*
Olim fœminei Senus: & Tuſcus, & Vmber ** — * *Catharina Senenſis.*
Monſtrauere fidem, & geſtata inſignia, nec non — * *Clara.*
*Sulphurea * Nar albus aqua, priſcumque Reate.*
Quid referam ſanctos monitus, præconia crebra
Sacrorum vatum non exaudita prophanis?
Sed quæ inuiſa malis nuper demiſerit, audi,
Dum ſol obliquum biſſenis partibus orbem
Supra quindecies centum numeraſſet ab ortu
Virginei partus, primæ trieteridis annum
Poſtremum voluens, labuntur myſtica cælo. — 1501.
Res comperta mihi: vos aſperate canenti.
Eſt regio Europæ gelido ſubiecta Trioni: — *Germania.*
Bellaces habitant populi, quos Romula pubes
Vix domuit, toto quamuis dominarier orbe
Cæperit, & Latium iam formidaret Araxes
Armenius Tybrim, Pharium & pepuliſſet Anubim
Itala proiectos aluit, quæ bellua fratres.
Illinc miſſa vadis ingentia robora voluit,
Atque ſub æereis prælabitur alpibus Ænus. — *Ænus fl.*
Ænus Cæſareis ardentia ligna Caminis
Ducturus, vaſto populus dum Sbocius antro* — *vide Spiegel hic.*
Effoſum varios argentum promit in vſus.
Hac Rhenus liquidi deuoluit fluminis vndam: — *Rhenus. fl.*
Gallica Germanis qui ſeparat arua colonis,
Romani toties expertus militis arma,
Ingentes paruo Tybri ſupponere lymphas
Pertulit, & Latiam vectare per æquora puppim,
Oceani biſido percellens vortice fluctus.
Hinc & Danubius non magnas deuehit vndas, — *Danubius.*

Montibus Arbona vix fusus, plurima nondum
Flumina surripuit, nondumque binomius, ingens
Alluit Elysios, Arsosque & Pæonis oram,
Et Lygios, tandem rapto tumefactus aquarum
Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum,
Extremumque caput limosa perdit in vlua.
Hic demissa recens populi mysteria, mirum
Attoniti inspectant homines, ac inania passim
Passionis instrumenta & cruces vsæ. *Inscribunt puro delapsa insignia cœlo*
Sanguinolenta crucis: clari memoranda triumphi
Effigies late spectatur, spongia, flagra
Visuntur, tunica inconsutilis intima, claui
Cernuntur multo madefacti sanguine, telum
Quod sacram sæuo disereuerat impete costam
Pingitur, excubitor cristæ spectabilis ales,
Ter geminique micant tali, quos inclyta Christi
Fecerat innocui sortitus tegmina miles.
Non ignota cano, Cæsar monstrauit, & ipsi
Vidimus, innumeros prompsit Germania testes.
Qua Rhenus tenui Rætis ex alpibus orsu
** Arronica.* *Funditur, & maior suppositis influit aruis,*
*Compertum, vidistque lacus * qui mille pererrans*
Constantia. *Muros piscosæ subiectos perluit vrbis,*
Quos Constantini proles Oriente subacto
Occiduas repetens stellanti murice terras
Pici origo. *Condidit, & proprio signauit nomine, cuius*
Principis (vt perhibent) demissus sanguine Picus,
Pieus arenosa genitus prope flumina Sielæ.
Audiit & tumidi iam ditior accola Rheni: p.247
Quique lacu missus leni submurmurat vnda,
Mox alium præfertque lacum, quo denique fusus
Inde humilis tumidusque voraxque euoluitur, inde
Basilea. *Plenus & exiguus, rectus, sinuosus in orbem*
Labitur, hinc sumptis Basileam diuidit vrbem
Brisacum. *Fontibus, ac vasto defertur gurgite, & alti*
Vorticibus magnis contingit tecta Brisachi,
Norici. *Aduersam casa quæ nectunt abiete ripam.*
Sicambri. *Noricus inspexit, torti audiuere Sycambri:*
Cimbri. *Audiit & Mario domitus per vulnera Cymber:*
Senserunt amnes, senserunt æquora longe:
Ægnora torpenti glacie conereta sub axe
Vlma. *Arctoo, propius conspexit Danubii fons,*
Pforzheim. *Spectarunt fortes ipsis sub mœnibus Vlmæ*
Capnionis libro, de verbo mirifico. *Assueti contis fortes bellare Sueui:*
Et Phorcin Latiæ donatus lumine linguæ.
Bohemi. *Cui sæcrum triplici celebratum dogmate * nomen.*
Vangiones. *Inspectant populi, quorum confinia Cæsar.*
Vastauit late victor, cum fusa Bohemus.
Agmina colligeret, nuper dum prælia miscet
Confractis vires latura rebellibus. Illinc
Vangiones cernunt: latebrosa silentia silua
Hercinia norunt: nouit perterritus Osus,
Osi. *Osus Araniſco dubium deductus, an ille*

Hic

Hic genus antiquum referat, ſub iudice lis eſt.
Vindelicus, Rhetus miratur, & aſpera cade — *Vindelici Rheti.*
Romani tremuit quondam prouincia Vari.
Nec tam præcipiti formidine territus hauſit
Armorum ſonitum quondam Germanus arator.
Nec ſic expauit, ſubitis cum motibus alpes
Intremuere: minus bellacis tempore Othonis
Pertimuit, claro primum cum myſtica cœlo
Defluxere. Iuuat lachrymas effundere, multa
Implorant veniam ſcelerum cum patribus vrbes
Æni concutitur pons, illius accola nudis*
Incedit pedibus celebrans amburbia, tantum
Religio potuit, Minio color, & color atro — *Inſpruck.*
Nonnunquam ſimilis, ſacris mantilibus ipſi.
Sanguineis rutilans maculis inſigne triumphi
Vidimus, Actæo confuſum pene liquore.
Puniceo interdum fulgor certauerat oſtro:
Interdum fuſci nigrantem nube coloris,
Permixtamque erucem rubro ſpectauimus olim.
Nec morum diſcrimen erat: ſacer atque prophanus
Iam conſperſa ſibi geſtabant myſtica, patres
Conſcripti & pueri, conſcriptus ſexus vterque,
Et templa & veſtes, à ſumma Cæſaris aula
Ad tenues vicos, ad dura mapalia ruris,
Cernere erat liquido deductum ex æthere ſignum.
Purpurea exceptum tunica quod ferre ſenator
Formidat, leui & matrona perhorruit armo:
Quod ſtupuit trito poſitum centone colonus,
Pauperis ad lychnum nati dum cannabe pero
Conſuitur, teneras lacerent ne triſtia plantas
Conſtipata gelu, conſertaque vepribus arua.
Miraturque ſagi tenuato ſtamine miles
Inſculptum mortis vitalia fede trophæum.
1248 *Miraturque ſimulque pauet, qui vaſa ſacerdos*
Obnubit, celeri ſupra tectoria lapſu
Aduentare cruces, & lintea pingere pallet
Spectator, denſusque redit formidine ſanguis
Ad fontem è riuis, titubantque in pectore fibræ.
Nec non veloces ageret cum turbida lympha
Præcipitata molas ſummo de vertice montis,
Atque excepta rotis tereret frumenta, miniſter
Qui laſſata, vago ſtridore & pondere ſacci,
Pollineque inſperſus, placido dare membra ſopori
Decernit, rubro ſub tectis ſpargitur imbre.
Olli per pectus, per crus, per colla, per aluum
Sydera extemplo pingunt inſignia gutta.
Quam varii ſtrepitus, quam diſſona dogmata, quanti — *Iudicium hominum.*
Pro ſenſu capitum vario muſſare ſuſurri?
Crediderim dominum, celſa qui præſidet arci,
Olim longa ſui potantem obliuia mundum
Vidiſſe, & ſignis voluiſſe ſalubribus almæ
Sæpius (vtque alias) excire ad limina lucis:
Quandoquidem fontes inferno ſuſtulit antro

* Intelligit ſine dubio ſimile prodigium, quod imperante Otone M. accidiſſe dicitur, de quo Herm. Contractus ad a. 958. *Cruces in veſtibus quibusdam apparuerunt.* Idem confirmat Marianus Scotus.

Tartareus princeps furias, ſcelerumque cateruas
Immiſit Stigii reſerantes abdita fontis,
Cuius mortifero dudum tenebroſus hiatu
Aera tabificum fumus prætexuit, inde
Anguſta occulitur cæleſtis ſemita vitæ,
Inde crucis miſeros veſana obliuia tentant.
Hinc regina mali ſorte indignata ſiniſtris
In cades & bella ruit ſitibunda cruoris,
Præcurritque rotas ſciſſo diſcordia crine,
Succeſſus belli ſi forte arriſerit, illinc.
Ambitio erumpit rebus tumefacta ſecundis.
Tumque infernis amor lucri, tum lurida gliſcit
Inglurvies, ſtudioque omnes excerpta per artus
Spurca Venus, laſſis nimium qua viribus hauſta
Et parit ignauos animos, & torquet atroci
Inuidia, & partos diſperdit prodiga cenſus.
Sic ſeptemplicibus craſſatur perdita vinclis
Bellua multorum capitum, quibus impete ſæuo
Dejectam legimus quondam Babylona ſuperbam:
Quam nec crudeli populaſſet milite Cyrus,
Nec centum crebro nutaſſent ariete portæ,
Nec geneſis falſo luſiſſet dogmate mendax
Stellarum variis intentus curſibus augur;
Ni prius hoſtiles hauſiſſet perfida mores.
Quos noſter, pudet heu, iam dudum accerſit orbis,
Quosque recens Babylon hauſtos cumulatius ambit.
Sed nec tam tumidum victrix te Græcia quondam
Reddiderat cæſi Marathonis in æquore Perſæ:
Non deluſa Rhodo, tergo non ſulta Platonis,
Non Demoſthenea raptata volumine linguæ,
Neve Stagereo motu peruecta tonantis
Ad ſolium, tanto pereuntis ludicra famæ
Aut ſtudio aut plauſu quondam depoſcis inani.
Quam nunc imbelles laudum mentita trophæa
Oſtentant faſtu, quam plebs ignara tumeſcit.
Molliciem ſubde & luxus, quos priſca Tarenti
Fama reformidat, quos neſcit Apicius, odit
Atque Philoxenium guttur, quos reijcit ille
Qui ſceptro indignus tractauit Serica penſa, p. 249
Et Sybaris parca ſpernens obſonia menſa.
Sed quid Achemeniis quæſitam Regibus olim
Immanem Venerem (pudet heu memorare) prophanè
Nomine damnatur qui non admiſerit. Omnes
Quotquot collegit vitiorum Roma cloacas,
Aſſyrium Tyberi cum iam admiſiſſet Orontem,
Mox propriis opibus, propriis ruitura ſub armis,
Iam dudum excipiunt. inſultant Maurus, & Aſer,
Ægyptus, Libye ſubſannat, Thracia ridet.
Nec fidei monitis auſcultant, Vincimur, aiunt:
Colluvies ſcelerum, vitiorum fœtida nubes
Hinc illuc pridem migrauit, perfida turba
In Chriſtum laxant impune repagula, nobis

Non impune datum, ſi Chriſtum lingua laceſſat,
Virginis & nomen nobis non ſpernitur almæ:
Sed nec ſacra Dei nobis, nec templa, nec ara
Venduntur, dominis quo tandem cernimus vſque
Inſultare canes? purgemus noxia, rectum
Firmemus, noſtris opus eſt indicere bellum
Moribus in primis, mox bella inferre prophanis
Scilicet in caſſum patiemur myſtica cælo
Delabi, aut veteris tantum effudiſſe cruoris
Sacrata fidei proceres? aut denique Chriſti
Nil nobis predeſſe necem patiemur amaram?

Subjectos populos compeſcas, inclyte Ceſar,
A vitiis: neque enim tantas regnator Olympi
Virtutes & opes tibi contulit, vt tibi tantum
Prodeſſent, celſa rariſſima munera dextra.
Dona recognoſcas fortis cœleſtia Ceſar.
Sopitam turbis ſacrato pollice barbam
Vellere ne pigeat, tua ſunt hæc munia, Ceſar:
Stringere conſtantis fidei pro legibus enſem,
*Inſculptaque cruce * infidos Maometbis alumnos*
Pellere. Qua tibi ſunt iam tradita, deſine Ceſar
Alter vt inſumat. te contemnente, miniſtri
Chriſto non deſunt Reges; nec tempore deſunt,
Ut mores abigat Satana impellente neſaſtos,
Et crucis imperium longe lateque propaget.
Tu dudum lectus, nunc inuitatus, ad altas
Dirige (ne pigeat) fœlicia carbaſa portus.
Non deerunt equites, non inſtrumenta, fideles
Adſunt Italiæ populi, lectiſſima pubes.
Viribus indomitis inſtructas ecce phalanges,
Tormenta, & celeres præſtat Germania currus,
Et nervos belli, fauor ingens cœlitus, idem
Quo fretus iam pene puer certamine Gallos
Contundis Latio, nec dum diademate frontem
Contectus, multosque domas. Gens effera nuper
Rettulit Arctoas inflictum vulnus in axes:
Iam metuuntque Getha, metuit quoque Maurus, ut olim
Fugerat Eoas indignabundus in ortus:
Æmoniis equitum cuneus diſtinctus ab oris,
*Dum Carolus * bello iam Parthenopæa ſubiret*
Mœnia, magnanimis qui mox ſuccumberet orſis:
Cuius nec geſis Byzantia turba fariſſas
Duxiſſet contra, refluus quoque Boſphorus vdas
p250 *Velivolam claſſem Thracum excepiſſet in vlnas:*
Ter ſervum Nemphis iure indignata tyrannum
Ceſſiſſet Pharium velamina torta tiaram.
Nunc aquila expeditur, rutilum quæ inſigne triumphi
Per Tanaim, Nilum, calida per rura Sienes
Perque Arabum campos, ambuſtaque ſolibus arva
Vectet ad aurora populos, ad ditia regna.
Sed vereor, Ceſar, veteri ne quaſſa timore

Ad Ceſarem exhortatio.

* Paſſagio indicto.

* Rex Gallorum 8. vide Gegum.

Occiduum turbet ſubitis incurſibus orbem
Hoſtica gens fidei : veluti cum percita voce
Evigilant, nudo meditantur prælia dente
Turba canum, ſurdis ſi forte irritibus hoſtem
Nil arcent, nec barbatus effundere vanos
Contulit, inſultum expediunt, quo territus hoſtis
Horreat, inque illum poſſit formido referri.
Rumpe moras, Præſtan videat Gangeticus armis
Cæſaris excindi Perſas, non ſpernere Hydaſpem
Aut Hiſpanim, pontes patrios nec viſere ſaltus,
Donec odoratos alacer conſcenderit Indos.

HE

HENRICI BEBELII
CARMINA
IN MAXIMILIANUM IMP.

LUDOVICI HELIANI
ORATIO
IN
CONVENTU AUGUSTANO MAX. HABITA, IN VENETOS INVECTIVA.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

HEnricus Bebelius, Juſtingæ, quæ Sueuiæ pagus eſt,* prope monaſterium Vrſpringen, parentibus ruſticanis quidem, ſed honeſtis eſt prognatus. A puero omne ſtudium, omnemque laborem ad litterarum optimarum cognitionem contulit: iurique ciuili ſimul operam dedit. Cumque ad carmen fundendum venam nactus eſſet non infelicem; eamque uno alteroque ſpecimine probatum iuiſſet, laurea & inſignibus a Maximiliano Auguſto fuit donatus. Anno nonageſimo ſeptimo, ſupra mille quadringentos in Tubingenſem Academiam fuit accitus, vt politiorem ibi doceret litteraturam. Frequenti itaque auditorio, poëtas, oratores ac hiſtoricos explicuit.** De ſcriptis eius, ſic iudicat Hanckius: *** *ſequentia tempora, quibus ſuperſtes fuit, ex ſcriptis, quæ publicauit, cognoſcimus. Sæculi decimi ſexti anno primo ad dictum Imperatorem de Germaniæ laudibus orationem; quarto, de eiusdem Imperatoris contra Bohemos victoria Paræneticon; octauo, aduerſus Leonardum Juſtinianum Venetum, pro Imperatoribus Germanicis, apologiam; decimo, carmen, quod in Aſopum Pſeudoprophetam compoſuit, luci publicæ commiſit. Quos cum aliis eiusdem libellis, præclara Ictorum triga, Simon Schardius tomo I. antiquæ Germaniæ illuſtratæ; Marquardus Freherus tomo II. Scriptorum de rebus Germanicis; Melchior Goldaſtus parti X. & XVIII. politicorum imperialium inſeruit.* **** Hæc ipſa autem, quæ hic exhibentur poëmata, in opuſculis Bebelianis, *Argentorati 1514. 4.* coniunctim editis non reperiuntur: Prima eſt *ecloga Trium-*

---

* Quenſtedt de patr. illuſtr. vir. pag. *JUSTINGAM, qua pagus & arx Sueuiæ eſt, patriam nacti ſunt; JOHANNES STOEFLERUS, Mathematicus inſignis, qui Tubingæ docuit, auctor operis Ephemeridum. Vide Gesn. in Bibl. Et HENRICUS BEBELIUS, Germanus Poëta, iis adnumerandus, qui Romani eloquii vſum, temporum iniuria, pariterque hominum incuria neglectum reducere & genuino nitori reſtituere conati ſunt.*

** Melch. Adami *in vitis Philoſophorum pag.* 12. Mart. Cruſius *Ann. Sueuic. lib. IX. part. III. cap. X. pag.* 516. *& cap. XI. pag.* 518.

*** *De ſcriptor. Rer. Roman. part. I. cap. L.*

**** Plenius eiusdem ſcripta recenſet Conradus Gesnerus & in Pandectis Brandenburgicis Chriſtophorus Hendreich, *voce Bebelius.*

Triumphalis de victoria Cæſaris Maximiliani contra Bohemos, qua paſtores inter ſe de eadem inducit colloquentes, demum pacem hac victoria partam paſtoribus tam neceſſariam commendat. Hanc autem eclogam, in fine Blancæ Mariæ, quæ vxor erat Maximiliani, commendat. Iſta vero victoria in bello contra Rupertum Palatinum de Bohemis fuit parta, de qua Trithemius: * *ex Bobemis etiam non paruum exercitum mercede pugnatorum conductum Rupertus euocauerat, contra quos Rex Maximilianus non longe a Ratisbona perſonaliter properauit ad bellum, babens in Comitatu Fridericum Marchionem Brandenburgenſem, & Albertum Bauariæ Ducem cum aliis Comitibus atque Nobilibus multis. Facto igitur congreſſu bellum atrox committitur; & aliquandiu ambiguo Marte pugnatum Victoria tandem Regi ceſſit Maximiliano, & Bobemorum exercitus ab eo contritus eſt, e quibus in ore gladii ceciderunt mille ſexcenti viri, capti fuerant ſimiliter ſexcenti, reliqui fuga lapſi neceſſarium ſalutis perfugium quæſiuerunt. Rex autem Maximilianus obtenta contra Bobemos victoria milites plures creauit auratos, & partes boſtiles in eo conflictu valde infirmauit & contriuit.*

Alterum ſequitur *poëma de eadem victoria*, qua Germaniæ Principes cohortari conatur, vt pro antiqua virtute Germana, contra Bohemos, tanquam hæreticos, coniunctis viribus pugnent, pro terra illorum expugnanda quod prout in fine videtur, Tubingæ Kl. Octobris M D I V. fuit ſcriptum.

Hoc excipit *Elegia Hecatoſticha & querulosa ad Principes Germaniæ*, vt deſinant ab inteſtinis diſſidiis, & coniunctis viribus contra hoſtes Germaniæ agant.

Demum ſuccedit *Poëma ad Maximilianum & Germaniæ Principes*, pro Ducatu Mediolanenſi ex Francica ſeruitute ad Imperii libertatem vindicanda.

Hæc Bebeliana excipit LUDOVICI HELIANI ORATIO. Erat hic Vercellenſis Senator, Montisferratenſis Marchionatus eſt oppidum, & Gallorum Regi ad Germanos non ſolum ſed Vngaros etiam miſſus Orator. Teſtatur de eo Cuſpinianus** dicens: *Helianus item Ludouicus Francorum regis Orator, cum quo inter cæteros comes fuimus in Hungariam ad Vladislaum regem, Cæſaris Maximiliani & Ludouici Chriſtianiſſimi regis res acturi, cum Domino Achille de Craſſis, Pontificis ſummo legato.* Poſtulabat autem Cæſar per legatos a Ludouico XII. vt Rex mittat vnum Oratorem Jurisconſultum ad diætam Imperialem pro habenda Oratione & perſuadendis illis quæ peteret & proponet Cæſar.*** Hæc autem Oratio, in Comitiis Auguſtanis anno 1510. fuit dicta, qua in Venetos nimium invehitur, ipſorum ſuperbiam nimiam dominandi cupidinem inculpans, dicens de iisdem: *hi ſunt homines, qui aiunt apud ſe natam nobilitatem eſſe, qui ſoli diuites ac modeſti, ſoli ſapientes ſibi videntur eſſe in oculis ſuis. Ipſorum culpa vel dolo Hieroſolymam ab Ægyptiorum Saladino dicit fuiſſe recuperatam, Conſtantinopolim a Turcis captam. Principes igitur Ger-*

* *Chron. Hirſaug. ad an.* 1504. Sequitur Geth. a Roo. *lib. XI. pag.* 555.

** *In vita Maximiliani pag.* 412.

*** Prout Andreas Burgus Margarethæ Auſtriacæ narrat inter Litteras Ludouici XII. *Tom. II. pag.* 70.

maniæ cohortatur, ne pacem petentes Venetos audiant, pergant potius in iisdem debellandis. Eandem etiam Politicis Imperialibus inſeruit Goldaſtus.* Depromſerat iſtam Freherus ex Trithemii Chronico Hirſaugienſi, iſto tempore nondum edito. Verum dum Trithemius eandem mancam admodum ediderit, hanc ex editione Auguſtana plenius exhibemus, quo illo ipſo anno adhuc facta, prout ex fine patet: *Impreſſum Auguſtæ Vindelicorum per M. Joannem Othmar, apud Cenobium ſanctæ Vrſulæ, cis Lacum. Anno ſalutis humanæ M. D. X. die XII. Maji 4.* Factam autem hanc impreſſionem Cæſaris iuſſu, Jacobi Banniſii, qui Cæſari erat a ſecretis, præfatio præmiſſa nos docet, idque ideo, quia inſigni cum ad plauſſu fuerat excepta. Subnexum eſt editioni Auguſtanæ Eiusdem Poëma, quo Cæſarem cum ſociis tanquam Venatores, Venetos, tanquam feras perſequentes, inducit, eademque ratione Venetos perſtringit, in fine demum illos exhortatur, vt ipſi ſe ſuaque Fœderatis contra ipſos ſubiiciant.

---

* *Part. XXI. pag. 978.*

HENRI-

p.251

HENRICI BEBELLII EGLOGA TRIUMPHALIS DE VICTORIA CÆSARIS MAXIMILIANI CONTRA BOHEMOS.

INTERLOCUTORES.

Fauſtulus, Lycidas, Turba paſtorum.

Vnde venis Lycida, vel quo vis pergere latus? Fauſtulus.
Aut ſibi tam dulcis quid vult aſcaula referto?
Qua recinente canunt ſaltus rupesque profundæ?
Dum procul audieram, rebar duxiſſe choream
Monticulas Faunos, & ruris numina cuncta
Panaque contentum dulci modulamine diuis
Compoſuiſſe tamen ſtulte, quid fiſtula Panos.
Ad numeros faceret tantos? vel dulcis aedon?
Flebilis aut faceret moribundi cantus oloris?
Aut quæ cantando cœlum vibrantibus alis,
Ætheraque aſcendit toties dulciſſima alauda?
Tibicen Jouis es dignus, dignusque miniſter
Latificans montes, valles, cum gramine campos
Te recinente pecus gaudet, tacet atque hyciſca.
At dic, qui fueris mihi coniunctiſſimus olim, Lycidas.
Cur tuus effuſe tam animus lætetur amico?
Ah ſine, difficile eſt cuiquam mea gaudia dici Fauſtulus.
Quæ vix exprimeret cunctis de montibus Echo.
Fac tecum ſilua, montes, & notus amicus
Gaudeat ô Lycida, modicum eſt gaudere latenter,
Ni ſciat acceptus cui es, vel quem diligis ipſe. Lycidas.
Dicam: ſed liceat viridi conſidere in herba.
Cumque piris plenum lapidoſis ipſe caniſtrum
Caſeolosque hodie portarem Fauſtule in vrbem
Vendendos, Hiſter gelidis quam perluit vndis Ratispona.
Qua (quoniam ratibus fuit opportuna locandis) Deſcriptio.
Nomen habet, ratibus vel quod ſit pons ibi factus;
Ecce ruunt ciues effuſe in gaudia lata.
Tympana grandiſono penetrabant aera bombo,
Concordesque modos fundebat fiſtula dulcis,
Ludebantque choros, pueri, innuptaque puella:
Acceſſere ſenes vetula, nec ruga ſenilis
In gyrum erubuit volucri ſaltare bacillo.

Hic

Hic platea paſſim vulgi clamore reſultant :
Aſt alibi miles galea munitus & haſta
Armato occurrit pariter, fragor æthera pulſat :
Effractæque haſtæ volitabant fruſta per auras,
Inque foro flammæ lucentes nubila pellunt.
Quicquid odoriferum molles legere Sabei,
Incenſum fuit, & flores per ſtrata refuſi.
Nec ſuperum neglectus honos, altaria fumant
Munere ſacrifico, velatæ frondibus aræ.
Quærebam ſtupidus, quid nam hæc ſibi gaudia vellent.
Hic aliquis, cui multa fides prolixaque barba
Dixerat, I paſtor, cunctis paſtoribus ipſe
Protinus enarres, vt agatur feſta quotannis
Illa dies, peperit quæ nobis vna ſalutem,
Et pacem & requiem, & ſecuros præbuit agros. p.252
Non rapidi poſt hac prædas ex more leones;
Saltibus aut noſtris vulpes graſſabitur vltra :
Paſcua, rura, canes, agni, ſimæque capellæ,
Vobis parta ſalus, paſtores dicite laudes
Induperatori, dederat qui munera tanta.
Illius inque decus victoris gloriam, honores,
O patrium carmen, patrium pæanaque cunctis
In triuiis læti vos congeminate bubulci.
Paſtor ego ſimplex, hæc non intelligo, dixi :
Clarius oſtendas, precor, ò pater ipſe togate,
Et tibi ſi quando mecum diuerteris, adſit
Lac ouium dulce, & ſetoſi ſinciput apri,
Jamque nuces coryli, & querna ex arbore glandes
Ille refert, veſtras forſan peruenit ad aures
Bohemi hæretici & rebelles. *Quam Boiema cohors nullis obtemperet vnquam*
Vocibus Auguſti, nec quas Eccleſia leges
Tradidit obſeruet, vicinis prælia quanta
Mouerit, & contra diros foueatque latrones.
Aiebam, ſcio quod totus iam nouerat orbis.
(Proh dolor) in noſtra eſt multos graſſata per annos
Hæc plebs rura, caſas, paſtores, atque capellas.
Damna referre piget, quæ fecerit ipſe ſatelles
Jam pridem immiſſus : Sed plura edicere iuſſus
Incipit, hanc iuſtis Cæſar compeſcuit armis
Maximus, & retulit niueos ex hoſte triumphos.
Quo pacem nobis peperit, gentique Alemannæ :
Inque latere ſpecu demiſſa bellua cauda
Lycidas. *Cogitur, haud audens poſthac immittere vulpes.*
O felix Lycida, felices atque capellæ.
Illa dies felix, ô felicíſſime Cæſar.
Laus prior æterno eſt & gratia habenda tonanti,
Qui mare, qui terras moderatur, & omnia cœli.
Auſpicio cuius ceruix effracta ſuperbi eſt.
Sed quoniam Lycida capiunt non pectora noſtra
Lætitiam tantam, cito concedamus ad agmen
Fac age paſtorum, gratiſſima nuncia cunctis
Narrantes, dulci quia conſedere ſub vmbra
Glandifera fagi, qua non procerior arbos
Siluis, quæ patulas protendit & vndique frondes.

Atque

Atque pedes feſſos ibi feſſaque membra leuabis.
p. 253 *Fauſtule tu, quoniam fandi eſt tibi copia maior* *Fauſtulus.*
Dicito, ſi quicquam neglexeris ipſe, ſuſurro
Implebo tenui, pergas audita referre.
Vos modo paſtores, quicunque habitatis in arctis
Siluarum caſulis, quibus & ſunt paſcua curæ,
Plaudite lætantes, gaudete feriteque terram
Ambobus pedibus pueri, iuuenesque ſenesque.
Aurea falciferi redeunt iam ſecula diui.
Iurgia nunc ceſſant, lites, diſcordia, bella:
Nec lupus inſidias pecori, nec ouilibus vsquam
Inſtruet, aut vllas fraudes meditabitur vrſus.
Fulua leæna famem proprio de ſanguine poſt hac
Sedabit, trepidans exarmata atque latebras
Linquere formidans, nec furtim callida vulpes
Eripiet ſemper tantas ex more rapinas.
Plaudite lætantes, gaudete, vt ſupra
Ambobus pedibus, &c.
Dicite quæ veſtras mouerunt gaudia mentes?
Nec choreæ nobis agiles ceſſantibus, atque *Turba paſto-*
Defuerint cantus, modo dicite gaudia tanta *rum.*
Plaudite lætantes, vt ſupra. *Fauſtulus.*
Ambobus pedibus, &c.
Nam Leo Boiemus ſiluis rurique timendus
Hactenus, & toti nil formidabilis orbi
Per quem tot iam iam paſſi ſumus, atque miniſtros
Opprobria, & ſannas, tot damna, incommoda, cades,
Jam timide horreſcit proprias exire latebras,
Victus proſtratus, & multo vulnere cæſus,
Nunc ſecurus erit, paſtor, nemus, arua, colonus *Turba paſto-*
Plaudite lætantes, vt ſupra, *rum.*
Ambobus, &c.
Omnia ſors verſans auibus ſperare finiſtris,
Et docet haud rebus nimium tumuiſſe ſecundis.
Si crebro hoc cunctli, qui nunc moderantur habenas
Regnorum, repetant, erit haud iniuria mundo.
Dicite quam primum victoris nomen amici,
Illius & laudes vel compita nulla ſilebunt.
Princeps Romanus regum Rex Maxmilianus,
Magnanimus, fortis, victor clariſſimus armis *Fauſtulus.*
Magnificus, felix, regum iuſtiſſimus, vnus
Boiemos vicit felici & Marte cecidit,
Egreſſos patriis ſiluis, & iure triumphat.
Plaudite lætantes, vt ſupra. *Lycidas.*
Ambobus pedibus, &c.
Dicite io iuuenes, & io ter iubila dantes
Exoptata diu differtis gaudia quare?
Cur dulces choreæ ceſſant? aſcaula quieſcit?
Tibia det ſonitus digitis pulſata canentum.
Et quoniam maius viridantes pingitur herbas,
Omnia nunc rident, virides nunc vndique ſilua:
Tempora mox læti pexis redimite coronis,
Floribus & variis ſiluarum frondibus omnes
Sordeat haud fagus, nec duro robore quercus

Feriſtulus.

Propter aquæ riuum, nec populus alta pudori eſt,
Dicite io iuuenes, vt ſupra.
Cur dulces choreæ ceſſant? aſcaula quieſcit?
Dicite io iuuenes, & io ter dicite læti:
Et modulos faciat reſonans aſcaula ſuaues
Currite & in circum pariterque agitate lacertos,
Laudantes Regem de quo pax alba redundat.
Dicite io iuuenes, & io ter dicite læti:
Vnicus incipiat primum Rex Maxmiliane.
Diligat ex alto te ſummus rector Olympo.
Inde iterent alii quicquid cantauerit iſte:
Teutonicæ ſpecimen terræ Rex Maxmiliane,
Tu pater es patriæ, te te Germania fortis
Laudat & extollit, te nobilis ipſe Sueuus
Subditus agnoſcit, vel formidabilis vnus
Toti orbi quondam, atque hodie nec degener armis,
Teque triumphantem ſummo veneratur amore.
Tu decus es nemorum, tu ſpes paſtoribus vna
Te docti celebrant vates, te montibus altis
Agreſti calamo paſtor ſuper æthera tollit,
Concentuque pia volucres ſuper arbore laudant,
Mox faciat modulos reſonans aſcaula ſuaues,
Et facite in gyrum laſciua volumina ſaltu

Laudatio pacis.

Poſt modo laudantes pacem, Pax optima rerum:
Pace polus conſtat, nutrit concordia cœlum:
Pax hominum genitrix, pax altrix, hæc eadem pax
Seruatrix hominum, diræ pax mortis abactrix
Et male maturæ, vitæ cuſtodia dulcis.
Pace maritalis firmantur fœdera lecti,
Paceque ciuiles connubia læta frequentant
Pace domus, villa, ſeruantur & inclyta regna.
Pax alit agricolas, ſata læta, boumque labores.
Pax alit hærentes quocunque in ſtipite fructus,
Arboreumque genus, nutritur vinea pace
Pace bidens & marra vigent, & vomer aduncus.
Illa viatores nigra ſub nocte tuetur;
Illa facit tutos vaſto ſuper æquore nautas,
Pace nigros tute currit mercator ad Indos.
Paceque paſtores gaudent, ſegnesque ſubulci;
Pace nemus, ſilua, pecudes, & quicquid vbique eſt
Naturæ gaudet, iuſto moderamine creſcens
Vis, dolus, inſidiæ, ceſſant in pace rapinæ.
Pace latro ceſſat, ceſſat nocturnus abactor
Claſſica pace ſilent, in duros arma ligones
Incuruasque ſimul noſtrorum lancea falces
Vertuntur, framea conduntur arantis in vſum
O pax alma veni pomis, onerataque ſpicis
Hoc optant iuuenesque ſenes, facilesque puellæ.
Ante tuas aras ſtatuentes dona quotannis
Pinguia, paſtores rogitant hoc ſupplice voce:
Pax adſis, terras poſt hac nec defere noſtras.
Poſt optate modo multos feliciter annos
Atque dies lætos, ô diuo Maxmiliano,
Qui peperit nobis pacem poſt triſtia bella.

p. 254

ILLU-

p.255 ILLUSTRISSIMÆ ATQUE AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM REGINÆ BLANÇÆ MARIÆ, HENRICUS BEBELIUS.

SALVE fœminei ſexus, laus, gloria, ſplendor,
O regina orbis ſit tibi Blanca ſalus.
Ignoti carmen nec dedignere poëtæ,
Aut legere, aut doctis auribus accipere.
Hæc fore grata tibi rebar, quia magna mariti
Gloria narratur, laus, honor, atque decus.
Cumque tuo tibi me poſtremum Maximiliano
Commendo regi, qui fauet ingeniis.

DE VICTORIA CHRISTIANISSIMI AC INVICTISSIMI REGIS ROM. MAXIMILIANI HABITA CONTRA BOEMOS, AD CUNCTOS GERMANIÆ PRINCIPES, VT TOTIS VIRIBUS PRO ILLORUM TERRA EXPUGNANDA COADUNENTUR, PARÆNETICON HECATOSTICHON HEN. BEBELII JUSTINGENSIS, POETÆ LAUREATI.

NUNC properate duces Germani, martia proles,
Nunc properate precor, frameas nunc ſtringite veſtras.
Nunc tuba terribilis vocat, & nunc barbara buxus.
Nec vos priuatum ſtudium, triſtisque ſimultas
(Regnorum peſtes, atque inſtrumenta cadentis
Imperii noſtri, veluti quondam Æneadarum
Atque Macedonici ſceptri) tam religioſam
Militiamque piam, iuſtam, facilem atque fidelem
Impediat, datur ô vobis occaſio ſumma
Vincere Chriſti hoſtes, & duro Marte Boemos
Pellere Teutonicisque plagis, gentemque rebellem
Subdere vel Chriſto vel ferro excindere totam.
Sit pudor ô proceres, quia durus apoſtata ſanctæ
Contemptor fidei, quam ſancta Eccleſia firmat,
Teutonicæ in gremio ſimul intra viſcera terræ
Impune exultet, vel tot dominetur in annos
Latus, & ex omni ſibi parte trophæa reportet.
Terreat haud noſtros populus famatus vbique,
Barbarus atque ferox, audax & ſtrenuus armis,
Et quos maiores noſtri non vincere multis — Bohemi pugnatio.
Aduerſo augurio bellis valuere ſuperbos.
Nunc properate viri frameis, clypeoque coruſci.
Tempus adeſt rupiſſe moras, agite ô Alemanni
Jam cumulate decus, animosque aſſerte paternos.
Nunc DEus eſt præſens, curſu & fortuna benigno.
Belliger ante oculos vobis ſtat Maximilianus,
Militiæ ſpecimen, qui belli fulmen atrocis,
Qui decus eſt regum, virtutum gloria, ſplendor
Imperii, quo nil toto felicius orbe
Fortius atque ſimul, quem magnus Carolus actis
Admittit ſocium, & clariſſima nomina Othonum.

Hoc duce eædentur tota à radice Boemi,
Innumeras quorum turmas proſtrauit ad vnum
Forti animo nuper, nondum altera luna refulget
*Rex bonus & Mauors illi dum bella Roberti **
Enſe iuuare ſtudent, partemque fouere ſiniſtram.
Egreſſi ſiluas patrias populantur inique
Agreſtesque caſas, & pinea tecta fauillis
Commendant tepidis, longe lateque cremantes
Marchio quas iuſta villas ditione gubernat.
Non ſecus atque lupus campis cum vidit apertis
Balantes late pecudes, irrumpit & amens
Et ſtimulante fame, & prada dulcedine captus
Obuia quaque necat veſano corpora dente.
Nec rabies habet illa modum, dum ſtrata iacebunt
Corpora cuncta ouium, vel turba animoſa moloſſi
Acrius inſliterint in deuia tesquaque anhelum
Aut agitent, torue vel diſcerpſere minantem.
Haud aliter veſana phalanx, legio iſta profana
A puero conſueta malis & viuere rapto p.256
Omnia deuaſtat, cunctos populatur agellos,
Cæde furens hominum nullo diſcrimine ſtragem
Vndique committit matrum iuuenumque ſenumque
Mox querulæ voces, & verba miſerrima pubis
Afflictæ veniunt ſacrati Regis ad aures.
Diſpulit ille moras miſeris ſuccurrere, multa
Vndique conueniunt turmæ peditesque equitesque:
Inſtruiturque acies trepidabilis atque timenda.
Fecerat hanc miram ſolers prudentia Regis
Pugnantes inter primos Rex viſus vbique:
Affuit Albertus pariter dux Boius, atque
Marchio Fædricus, & nomina clara duorum
Gnatorum, Brunſuicenſis dux vulnera honeſta
Accipiens, aderat pugnax, comitumque caterua
Contra ſtat frendens, acies atque arma capeſſens.
Arduus hic collis fuerat, quo perfida turba
Confluxit, galeis clypeisque micantius ardens.
Claſſica iam reſonant, canor & vocat arma tubarum:
Attolluntque animos acies, clamoribus æther
Perſonat, & clarum nigreſcit puluere cœlum.
Protinus inuadunt noſtri, iam triſtis arundo
Jamque volant glandes primum, mox cominus haſtis
Bellum ingens oritur, ſtant firmo robore dudum
Perfidiæ famuli, multumque cruoris vtrinque
Funditur inque vicem: donec violentior illis
Et magis inſtructus veniens exercitus hoſtem
Vndique lethiferis noſter circumſtitit armis,
Jamque virum ſtrages, oriturque miſerrima cædes
Victa fugit legio, & latis proſternitur agris.
Jamque fuga cuncti trepidant, & vulnera verſo
Accipiunt tergo, pereunt ſine fine fugati.
Proterit hunc ſonipes, vibrata hunc lancea ſternit
Hic cadit ille humeris capulo tenus accipit enſem:
Hic iaculum; gemit hic, hic tendit ad æthera palmas:
Atque modis variis petitur victoria noſtris.

Poſtremo

Poſtremo captos facile haud numerabile vulgus
Deducens triſtes manibus poſt terga reuinctis,
Vrbis amœnæ adiit Rex mœnia lætus ouansque,
Quod bona ſit ratibus, qua nomina clara reſumpſit:
Et noſtro celebrat niueum de more triumphum.
Militiam auratam poſt debita præmia laudis
Contulit omnibus his, facinus quos grande decorat.
Nunc properate viri proceres, ô martia pubes.
Perfida gens penitus poterit nunc fortiter armis
Exſcindi, & noſtræ purgari infamia terræ.
Nunc vobis animos ſimul & victoria vires
Congeminant, victi hoſtes nil amplius auſi,
Seruilique metu, turpique pudore fatiſcent.
Vobis clara ducis virtus & vincere ſueta
Æternos pariet nunquam deuicta triumphos.

Ex Tubinga ſexto Calendas Octobr.
M. D. IIII.

p. 257

LAUS GERMANORUM

ELEGIA HECATOSTICHA ET QVERVLOSA GERMANIÆ AD PRINCIPES GERMANIÆ SIMULTATES INTESTINAS ATQUE CIVILIA BELLA DETESTANTIS.

HENRICUS BEBELIUS AUCTOR.

AN ne tuam gaudes ferro proſcindere matrem,
Germane ô princeps? cur lacerare ſtudes?
An ne meis meritis tam præmia dira rependis
Qua genui in lucem, teque aluique frequens?
Qua te fortuna in gremium cunctisque locaui
Exundantem opibus, corporeisque bonis
Vt contabeſcam quid non ſeruire rubeſcis
Igne, fame, ferro, dilanierque parens?
Pone truces gladios atque arma micantia condas,
Claſſica nunc ceſſent Martis & omne nephas.
Parce meis lachrymis, miſeræ miſerere parentis:
Parce pio generi Teutonicisque viris.
Qua ſi iura tuis prætendas congrua factis
Non opus eſt armis, non tibi militia.
Maximilianus adeſt iudex Aſtræa relinquens
Præſide quo cœlos gaudet adeſſe polo
Judicio cuius potuit diffidere nullus,
Ni foueat cauſam cui male fidat iners.
At placuit ſi filiolis ingentia regna
Quærere forti animo, Martigenaque manu,
Inque Getas conuerte manus, Turcasque profanos
Hæc tibi regna potes aſſerere inque fidem.
A patria abſtineas, cui ſi vel parcere neſcis,
Parce tuis natis, parce tuo populo.

Nam ſi bella moues, in bella laceſſere pergis
Induperatoris belligeramque manum:
O quanto patriam fœdabis ſanguine terram?
Quotque cadant dira fortia corda nece?
Cum quibus haud egre Inſubres mihi debita regna
Eriperem à Francis liligeroque duce.
Italiamque meam potuiſſem ſubdere noſtro
Imperio, Siculos, Romulidumque lares:
Quasque ſolet Venetus per ſummum callidus æſtum
Inuaſiſſe vrbes proditionis ope.
O quæ Germanas agitat diſcordia mentes,
Vertere vos tendat factio prana ducum.
Nam dum Germani fratrum tenuiſtis amorem,
Sanctaque vobiſcum publica iura dabam;
Victrix ipſa domos ſolis per vtrasque cucurri,
Per calidas Libyæ per Borezque plagas.
Inceſſi illuſtris totum regina per orbem
Submiſique meis faſcibus orbis opes.
Per medios Aſiæ campos mea ſigna volabant
Et Solymos tenui ſub ditione viros.
Atque leues domui Græcos, Afrosque bilingues,
Atque meas frameas ſenſit Iberus atrox.
Juris erant noſtri Tybris, & Padus, atque Timauus:
Cum Sarno Siculum Sardiniaque fretum,
Tunc tria Gallorum noſtra ditione regebam
Regna, quoque Hiſtrorum, Dalmatizque lares.
Tunc tributa libens mihi Sarmata paſtus equino p.258
Sanguine debebat, tuque Boeme fidem.
Heu quo Germanæ vires, quo decidit orbis
Imperium, heu quantum degeneraſtis auis?
Ambitio & diſcors ciuilis factio turbæ
Omnia regna ruens vertere, meque parat.
Proh dolor! imperium quæſitum ſanguine tanto
Atque ſeruatum robore & acri animo,
Hoc labefactauit rerum diſcordia peſtis,
Saluaque vix tandem viſcera noſtra gero.
Ergo tot fruſtra ſuſcepit vterque labores
Fredericus, tanto ſanguine regna parans:
Conradi, Henrici, & clariſſima nomina Othones
Maximus atque horum Carolus imperio.
Tot fruſtra terras domuerunt Marte ſecundo,
Totque ſacras leges impoſuere viris,
Et quæ vulneribus, quæ ſanguine parta meorum,
Quæ quoque ſunt olim ſubdita regna mihi,
Occupat iniuſte Gallus, Venetique doloſi,
Italicique viri, plurima Turca ferox.
At contenta forem, ſi non ingloria ſaltem
Teutonici videam limina tuta ſoli.
Quod ſi communi procerum pax candida vel nunc
Et ſtudio & voto Teutonicis dabitur.
Salua mihi fiunt non tantum Alemanica rura,
Inuictaque geram regia ſceptra manu:
Verumetiam quicquid mihi cruda tyrannis ademit,
Lauriferis ſignis iam reparare queo

Ibo

Ibo per extremam Scythiam feritate ſubacta
Caſpia ſceptrigeram littora meque colent.
At fili princeps, quid me ciuilibus armis
Impetis? & pacem frangere dirus aues?
Dum nec iura ſinant, nec lex ſanctiſſima tecum
Sentiat, aut veterum ſcita ſacranda patrum.
Parce tuo exitio ſubiectis parce popellis
Conſule Teutoniæ cum propriisque ſocis.
Namque videre mihi videor iam tecta domosque
Cum villis vrbes Mulcibero eſſe rubras.
Claſſica iam ſonitant, iam Mars furit arma reclamans;
Innumerique viri corpora dura cadunt.
Exhauſtis opibus tandem Germana fatiſcet
Virtus, & feſſis viribus ægra iacet.
Accola tunc Araris, Rhodani tunc potor in agram
Seuiet, hic terras diripietque meas:
Aut implacatus felici Marte Boemus,
Turca vel immitis, dii prohibete nefas.
Exemplum ſceleris, cunctis annalibus auctor
Seditionis erit hiſtoricisque meis
Subuerſor regni, & germani nominis hoſtis
Exitiumque ſuum prob patriæque ſuæ,

Dulcis amor fidei magnæ & conſtantia mentis
Nec fracta aduerſis nec ſuſtollenda ſecundis
Laudis amans altusque animusque & ſtrenuus armis
Prudentesque viros cunctis de rebus agendis
Conſulere & pulchrum iuſtumue vel vtile quid ſit
Quid deceat, quid non animo quæſiſſe ſagaci
Inclyta ſed virtus læto pubeſcere fructu
Incipit à teneris, & ſe cito germina produnt
p259 *Magnus Alexander teneris incepit ab annis*
Et premere imperio Græcos Aſiamque potentem
Dariumque ſimul inuicto ſubdere Marte
Talis erat Bacchus nigros dum vixerat Indos
Annosque ſeni puer haud adeunda gerebat
Cade gigantea Phœbus puerilibus annis
Arma cruenta tulit pugnans pro patre tuendo
Et puer Alcides geminos eolliſerat angues
Sic ergo dii faueant, ſummis pro viribus ipſe
Mente ſenex ætate puer pugnare laboro
Contra illos, mihi qui noctuque diuque parârunt
Damna, probra, inſidias, vim vique repellere tento.

AD

AD GERMANIAM ET SACRASISSIMUM IMPERATOREM MAXIMILIANUM ATQUE GERMANOS PRINCIPES QUERELA HECATOSTICHA DUCATUS MEDIOLANI VT A FRANCICA SERVITUTE AD IMPERII LIBERTATEM VINDICETUR.

BEBELIUS AUCTOR.

UNICA terrarum domina, ô Germania grandis
Et domitrix mundi, querulas nunc accipe voces
Insubris populi, tibi qui famulariter optat,
Jureque debetur, tua si repetisse labores,
Te DEus omnipotens, ô inuictissima tellus
Reginam statuit terræque marisque profundi,
Submistique tuis vel fascibus orbis habenas.
Cumque tuis populosa viris fortissima quondam
Vincere consueris, quicquid contra arma ferebat.
Quicquid & hostilis furor vnquam audebat, es vlta:
Concipe nunc solitos animos & pectore forti
At vigil incolumes populos tuearis & vrbes,
Quæ tibi subiectæ sunt & sceptris Alemanni.
Nonne vides quod regna ferox insederit hostis
(Insubres Italosque volo ditionis alumnos
Teutonicæ) solis deuota & debita vestris
Cæsaribus, sibi quæ seruire tyrannide Francus
Compulit ô populos vel solo Cæsare dignos.
Quam vestræ minuantur opes, nunc aspice mater,
Ni cito præuideas rebus patriisque periclis.
Ergo meis succurre malis, pacemque petitam
Et libertatem reddas, vt libera soli
Imperio famuler, ceu fas & iura reposcunt.
Maxmiliane dei rerum cui sceptra dederunt
Te simul appello, Rex ô iustissime legum
Vindex, iustitiæ firmissimus auctor & æqui
Ecce fidem legum simul imperialia iura
Inuoco, & imperii te qui moderaris habenas.
Da precor auxilium, si non indebita posco.
Insubrum gentis repetas Rex optime regna.
Debita iure tibi, en quæ nunc Francus violenter
In damnumque meum imperii clementia abusus
Inuasit, nec te nec fas nec iura secutus.
Res tua nunc agitur, nam si non legibus æquis p.260
Hostes paruerint, si non aliena reponant
Francigenæ, perit heu iuris reuerenda potestas,
Et status, & decor imperii subuersus abibit
In foueas, & conciliabula dira latronum.
Nullus honor regno, nulli venerabile nomen
Regis erit, dum sit confusum fasque nefasque.
Audiet & nemo leges à Cæsare latas
Surge ducum specimen tandem succurrere, inique
Oppressis veluti præscribunt munera regis:
Ostendasque precor iusti documenta rigoris,
Inque rebelles heu ceruicososque tyrannos.
Vos quoque primores, pars ô fidissima sacri

Imperii,

Imperii, proceres nullis ſuperabilis armis
Pubes, poſſitis victricia ferre per orbem
Signa, patrum ſueuit vt præſentiſſima virtus.
Ponite deſidiam ſegnem, luxumque nocentem
Concutite at clypeos, patriisque micate ſub armis.
Non volo ciuiles motus, ciuilia bella,
In foribus cum iam graſſetur Francicus enſis.
Sed ſocii Auguſti commune intendite bellum,
Liligero regi Gallo, nimiumque ſuperbo,
Qui nec reſpiciens diuos, nec ſcita ſacrarum
Legum vel ſemper maiorum more probata,
Eripuit per vim ſibi non debentia vobis
Germanisque viris Itala atque Inſubria regna.
O manifeſta loquar lachrymis ſuccurrite iuſtis,
O generoſa cohors Alemanni, nobile germen.
Quandoquidem ſi vos veſtris maioribus ortos
Et meminiſſe quidem, nec degenerare velitis,
Fertis opem oppreſſis, horum & miſereſcitis vltro,
Atque Patrocinium ius implorantis & æquum
More patrum nunquam vel ſuſcepiſſe negatis.
Ite ſimul cuncti ſociato fœdere fortes,
Gallorum populi vim propulſare malignam
Vſurpantis opes veſtras & iura nepotum.
Vobiscum DEus eſt, vobiscum militat æquum,
Vobis arma, viri ſunt, florentiſſima opes, &
Fulminis inſtar erunt tormenta ſonantia late.
Sunt & equi & galeæ, vel quicquid bellicus vſus
Poſtulat & quorum fortiſſima pectora gaudent
Profligare hoſtes & proculcare proteruos,
Quid dicam proceres tandem commune periclum
Effugitis per me, vobis defenditis ipſi
Oppida, rura, domos patriosque focosque laresque
Namque probe noſtis, quantum grauis incubet vsque
Finitimis, quantum intolerabilis atque moleſtus
Et fuerit regi, regis quoque fouerit hoſtes,
Et clandeſtinis ſtudiis adiutet iniquos.
Denique cuncta loquar, dominandi cæcus amore
Imperiumque agitans, fuerit ſi viribus auctus,
Et niſi mature fuerit violentia currens
Atque ferox animus, letis & ſtarc recuſans
Fortiter obtuſus, vel duro Marte repreſſus.
Informis veluti multum immanſuetus & vrſus
p.261 *Si quando inuenit nullo cuſtode vagantes*
Lanigeras pecudes, prædamque abduxit opimam
Succeſſu elatus, ſimul & dulcedine prædæ
Semper ouile ambit, nullo & diſcrimine vitæ
Abſtinet à raptu, non opilione minante
Territus, aut diro rabidi clamore moloſſi.
Sic ſemel incenſus, ſucceſſibus atque ſecundis
Hic ſemel afflatus, neſcit miteſcere cuiquam
Ipſe hoſtis veſter, precibus placabile nullis
Pectus amicitiæ ſacro neque fœdere tactum
Surgatis proceres vim vi pulſare, paternos.
Imperiique lares libertatemque tueri.

LUDOVICI HELIANI VERCELLENSIS CHRISTIANISSIMI FRANCORUM REGIS SENATORIS AC ORATORIS DE BELLO SUSCIPIENDO ADVERSUS VENETIANOS ET TURCAS ORATIO, MAXIMILIANO AUGUSTO, IN CONVENTU PRÆSULUM, PRINCIPUM, ELECTORUM ET CIVITATUM ROMANI IMPERII DICTA IN AUGUSTA VINDELICA IIII. IDUS APRILIS ANNO à PARTU VIRGINIS MILLESIMO QUINGENTESIMO DECIMO.

Jacobus Bannicius à Cæſareis Secretis Stephano Ponchierio Reverendiſſimo Epiſcopo Pariſienſi Salutem.

LUdouicus Helianus: qui à Chriſtianiſſimo Francorum Rege veſtro hic apud inuictiſſimum Cæſarem noſtrum oratorem agit, habuit Orationem de Cæſare, proceribus, Germanisque omnibus aduerſus Venetianos ac Turcas concitandis, deque factioſis quibusdam conſilium ac ſanctiſſimam principum confederationem interrumpere conantibus comprimendis, non memini audire neque legere orationem noſtra tempeſtate priſcorum oratorum facundia propius accedentem. Nam has nationes, maxime autem Cæſarem ipſum ad id iam bellum incumbentem non delectauit modo atque commouit, ſed etiam adfecit, & aduerſus illas gentes armorum ardore vehementer inflammauit, ac omnium conatus perfregit. Cæſar voluit ut impreſſoribus ederetur, ego ſicuti dicta eſt, quæ certe extemporanea eſt, pro ea quæ mihi tecum eſt gratia atque familiaritate eam ad te mitto, quem ſcio hoc dicendi genere delectari, & pollere, & plurimum poſſe. bene vale. Ex Auguſta vindelica. Cal. Maijs M.D.X.

BEne ac religioſe feciſſent Veneciani Maximiliane Auguſte, ſi poſt multas ciuitates ac regiones, quas aut Chriſtianis ademerunt, aut ipſi Turcis per pactiones tradiderunt, aut occupare permiſerunt, ſanctiſſimam expeditionem quatuor Chriſtianorum principum in excidium Turcæ gentis paratam excurrere paſſi fuiſſent. Hoc enim pacto & abolitionem veterum peccatorum a Deo promereri, & ſolidam gratiam à principibus chriſtianisque omnibus inire, & indelebiles victorias ex hoſte referre potuiſſent. Nunc autem quum chriſtianos exercitus in Turcas, ad terram ſanctam Jeruſalem progredientes armis impedire maluerint, digni viſi ſunt, qui à Deo, & ab hominibus, qui ferro & flamma, qui terra marique diſpergantur. Ego autem qui ad agendas gratias ob res feliciter geſtas, ad celebrandas veſtras victorias, veſtrosque triumphos me præparabam, qui multos defendere, lædere neminem conſueui, in has anguſtias deductus ſum, ut aut ab officio legationis mihi ſit recedendum, aut de improbitatibus, de dolis, de male meritis Venetorum neceſſatio, non ſine magno dolore mihi ſit dicendum. Quod ſi aliquorum aures offenduntur, debetis id neceſſitati temporis ac malignitati eorum, non meæ conſuetudini tribuere. Quamquam videor in propoſito defenſionis propemodum perſeuerare, nam quum Venetos accuſo, defendo infinitos mortales, Italiam totam, multasque alias Prouincias, à quorum faucibus in libertatem reuocandæ ſunt. Defendo chriſtianos orientales, quos ad manus Turcarum peruenire, ac in morem victimarum mactare permittunt. Deſendo eccle-

eccleſiam Romanam, ad quam ſubuertendam ut ipſi ſua deſideria conſequantur, vocare Turcas & quaſi manus porrigere videntur. Quare quum dico contra Venetos nolite me putare contra Venetos, ſed contra Turcas dicere, neque de bello Venetis inferendo, ſed de bello à Chriſtianis propulſando, neque de excidio Venetorum, ſed de ſalute Chriſtianorum verba facere. Sed quum maieſtate veſtri Cæſarei conſpectus & tanta Pontificum, Principum, Ducum, Procerum, ciuitatum frequentia ampliſſimi ordinis, celebritate loci, magnitudine cauſæ, ingenii ſi quid in me eſt imbecillitas maxime debilitatur, Clementiſſime Cæſar in veſtro vultu, in veſtris oculis, in veſtra humanitate atque benignitate totus acquieſco, recreor, refocillor. Multitudine igitur ac varietate rerum obrutus multa conſulto prætermittam, multa etiam ſunt, quæ quamquam omnibus nota ſunt â me tamen in dicendo prætereunda non ſunt, quæ omnia dum breuiter expono, quæſo benigniſſimas aures diligenter accommodate. Senatus igitur Venetianus, quum decreuiſſet omni ſcelere retinere, quod per ſummum nefas acquiſierat, & quum certo ſciret veſtram Cæſaream majeſtatem fœdus ac ſocietatem coniunxiſſe cum Chriſtianiſſimo noſtro Francorum Rege, ut bellum aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes Turcas gereretur, in qua quidem Societate Sanctiſſimus Dominus noſter Julius Pontifex Maximus & Aragonum Rex catholicus includi etiam voluerunt, conſcientia delictorum ac furijs agitatus exercitum quam maximum potuit comparauit, & Chriſtianiſſimo noſtro Francorum Regi cum ſociorum exercitibus ſe coniungere properanti in ripa fluminis Abduæ totum oppoſuerunt. Ibi fuſi ac profligati Venetiani Patauium urbem magno præſidio munierunt, quam vrbem veſtra Cæſarea majeſtas hieme inſtante non expugnauit. At illi ferociores facti multa ex his quæ amiſerant recuperauerunt, longe plura quam unquam habuerunt niſi prouideatur conſecuturi. Italiam ac omne occidentale imperium ſi iſtam tempeſtatem euaſerint, paulatim occupaturi. Quae omnia Chriſtianiſſimus Rex noſter longe proſpiciens ſimul & auertere cupiens, ſi veſtra Cæſarea majeſtas deliberat illos bello proſequi & tantos motus compeſcere, ne hanc patriam veſtram, has fertiliſſimas & bellicoſiſſimas regiones quas à maioribus veſtris liberas accepiſtis, poſteris veſtris in ſeruitute relinquatis, & pro imperij & Romanæ eccleſiæ ſalute & majeſtate tuenda atque augenda, pollicetur omne auxilium atque opem, quam amicus amico, & frater fratri præſtare tenetur, ſecundum Cameracenſem confederationem, inter veſtras Majeſtates factam, & quid pollicetur, immo iam magnæ eius equeſtres & pedeſtres copiæ cum maximo tormentorum apparatu hoſtilia mœnia circumtonant & manus cum hoſte conſerunt. Quod ut veſtra quoque Cæſarea Majeſtas & Vos, o Reverendiſſimi ac Illuſtriſſimi proceres & ciuitates Imperii Romani iisdem viribus atque eadem celeritate uti velitis, tria præcipue ſunt, quæ veſtros animos maxime mouere atque inflammare debent, primum ſpes Venetorum, deinde Tyrannis, poſtea eorum de religione & chriſtianis omnibus male merita, de quibus ſi mihi à vobis tribui concedique ſenriam breuiter dicturi ſumus. Non enim eſt difficile in illis tam nefariis, tamque fraudulentis vulpeculis, in tam audacibus tamque ſuperbis leonibus demonſtrare, magnam ſpem fuiſſe Italiæ primum, deinde Chriſtiani orbis ſubiugandi. Nam ea omnia, quæ ad id neceſſaria ſunt abunde illis ſuppetunt, potentia, doli ac cupiditas dominandi, & ut paucis abſoluam, nam eos qui ſuperiori æſtate quatuor potentiſſimos principes Chriſtianorum in patentibus campis expectare ſunt auſi, & collatis ſignis aperto marte dimicare, profecto potentiſſimos homines exiſtimare & iudicare debemus. Quare ſinatis eos aliquantulum creſcere. At ſunt victi? ſunt diminuti? ſunt quidem? ideoque ad extinguendum faciliores, quam ſi eſſent integri. Sed niſi veſtræ peregrinantur aures intelligere debetis quid iam recuperauerint, ut ſe iam refecerint. Quod ſi eos paululum reſpirare permiſeritis, ut hanc unam calamitatem evadant, vereor ne ſcabrones ut aiunt, irritaueritis. Poterat Hannibal ſi victoria uti voluiſſet, in Capitolio epulari, poterant Galli Senones, ſi paulum adniti voluiſſent, Capito-

pitolium cum Romano nomine ſimul extinguere. Vtrique irritando ac dimittendo Romanos, ſuos ac omnium rerum dominos effecerunt. Quod niſi huius venenoſiſſimæ ac reſurgentis viperæ, dum ad huc titubat, ceruices perfregeritis, prædico vobis, quod ſi non tam cito, at profecto quandoque, ſi non vos, certe veſtros ſucceſſores ſuo veneno inficiet, ac ſpiris circumligabit. Eſt præterea illis conſilium domi, & ars ſenatoria, deligunt ex callidiſſimis & verſutiſſimis ſenatoribus oratores, quos cum retibus, hamis & viſco peregre mittunt, non ad piſces aut anes irretiendas, aut ineſcandas, ſed ad fallendos atque decipiendos principum animos. Sanctus Antonius, aut ut alij volunt, Paulus primus heremita in ſpiritu raptus vidit laqueos, quos mali dæmones miſeris mortalibus tetenderant, & admiratus ſubtilitatem, & artificioſiſſimam diſpoſitionem & numerum laqueorum, ſi numerari potuiſſent, exclamauit: Ah clementiſſime Deus? quis unquam hos euitare poterit? tot & tales ſunt laquei Venetorum, quos miſeris principibus præparauerunt. Auctoritatem, pecuniam, urbes ac prouincias multas Veneti perdiderunt; ſuperbiam, dolos, vaframenta non amiſerunt. Ipſi homines crudeliſſimi omnibus cupiditatibus ſeruientes præponent vobis ante oculos commutationem fortunæ, inſtabilitatem rerum humanarum, ac rationibus philoſophicis, & Scipionis, Alexandri, Cæſaris ac aliorum exemplis conabuntur vobis clementiam perſuadere, animum vincere, iracundiam in victoria maxime cohibere, tunc Deum ac miſericordiam eius obteſtari, addent preces, addent pecuniam, vos memineritis, ſicut Ulyxes fecit, iſtos Syrenum cantus, iſtas meretricum cytharas ſurdis ac obturatis auribus præterire & uti exemplo Dei contra Antiochum, de quo legitur: orabat ſceleſtus Deum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus, quia ſunt illa dulcia Circes pocula, illa eſca omnium malorum, qua infelices principes deliniti in maximos errores primum, deinde in maximos luctus præcipitantur. Age vero pro deſiderio & cupiditate dominandi, ſi iuſtitiæ aut honori ſuo, ſi ulli hominum, aut Deo ipſi unquam pepercerunt. Teſtis eſt Jacobus Rex Cypri, quem accepta prius in Uxorem filia ſancti Marci, ah amara filia, & infauſtum matrimonium una cum filio, clam veneno ſuſtulerunt, ut Cypri regno, ut inſula novem quondam regnorum capace potirentur. Teſtes ſunt Franciſcus Comes Carmignola & Bartholomæus Bergomates cognomento Colco, eorum copiarum Duces, duo tunc in re militari præſtantiſſimi, quorum alteri propter facetum aut cauilloſum dictum, in media curia reorum more ſeeuri caput amputauere. Bartholomeum autem propter ingentes opes, bellica virtute quæſitas, etiam veneno clam necandum curauerunt. Teſtis eſt Patriarcha Aquileienſis quem Hiſtria & dimmidia parte Venetiæ priuauerunt. Teſtes ſunt iterum duodecim Canonici Aquileienſes; quos parum fuit multis opulentis caſtellis & oppidis quæ poſſidebant cum vita ſimul ſpoliauiſſe, niſi in memoriam tanti ſacrilegij duodecim porcos pingues abraſo collo die Jovis ante quadrageſimam ſingulis annis in harena populo ſpectante gladiatoribus conficiendos obijciant. * Teſtis eſt ſereniſſimus Rex Ungarorum, cuius prope tre-

* Hanc hiſtoriam optime explicat M. Ant. Sabellicus Hiſt. Venetus dec. I. lib. II. p. 55. ſcribens: *fuerat Vlricus ante ab Alexandro pontifice hæreſis nomine damnatus: is quia agre credo ferret Gradenſem eccleſiam ſua Aquileienſi prælatam, ſubito bello inſula antiſtitem cum auxiliari Carnorum manu eſt adortus: ad quem præſenti bello leuandum Veneta claſſis miſſa eſt: quæ quum hoſtem in pugnam traxiſſet, paruo negotio ſudit fugauitque, capto Vlrico cum nobilibus non paucis. Caterum fuſam multitudinem Venetus victor in continentem ſecutus, omnem litoralem Carnorum oram, quam nunc Forum iulium vocant, ferro & igne vaſtauit: oppida quoque aliqua ſubito incurſu oppreſſa. Quidam poſt pugnam locorum ignari per Caprulanas paludes errantes, in victorum manus incidere. Venetis ad conciliandam benignitatis famam Vlricum cum reliquis Captiuis miſſum fecere: verum his conditionibus, vt quotannis ſeruato victoriæ die Venetias mitterent porcos duodecim, ac totidem panes vnius ſextarij, qui adhibito tauro frequenti ſpectaculo necarentur. Caterum caſtella quædam lignea ferratis haſtis diſiiciuntur: qua omnia, illis ipſis diebus quibus pugnatum eſt, magnifico apparatu quaſi annus ludi pro foro hoc quoque tempore celebrantur.* Incidit autem hæc victoria in annum 1162. prout Jo. Bapt. Verus *rer. Venet. lib. I. p.* 60. nos docet.

trecentas inſulas, decem ciuitates epiſcopales, duas prouincias Dalmatiam ac Liburniam, tot portus, quingenta circiter milia paſſuum maritimi littoris occupauerunt. Teſtis eſt Imperator Conſtantinopolitanus & eius proceres & finitimi Itali Cartarienſes, Scalenſes, Mantuani, Ferrarienſes & Mediolanenſes Duces, quorum alios magnis urbibus inſulis ac prouincijs, alios dimidia parte, alios omnibus bonis, alios etiam vita mulctauerunt. Teſtes ſunt anteceſſores veſtri Imperatores Romani, quos Patauio, Vincentia, Verona deciecerunt. Et Duces Auſtriæ & Veſtram Cæſaream majeſtatem quam Taruiſio, Feltro, Concordia, Utino, Tergeſte, Coricia & omni poſſeſſione Italiæ penitus expulerunt & conantem ad Imperatoriam coronam Romam proficiſci iam XXIV. annos armis retinuerunt. Teſtis eſt denique ſummus Pontifex & S. Petrus ipſe, cui ne ſe quoque ceteris vicinis pulchriorem putaret Forum Liuiuni, Forum Cornelium, Fauentiam, Ariminum, Rauennam abſtulerunt. Et ut regno Siciliæ potirentur, quinque urbes in Apulis ac Salentinis in laboribus Regum Neapolitanorum interceperunt, inter quas Hydruntem & Brunduſium portus celeberrimus. Et qua arte Piſam uſurpauerunt, ut per eam alterum Italiæ latus inferi maris affligerent, Florentiam paulatim attererent, Genuam ad primos motus ingrederentur, Siciliam, Corſicam, Sardiniam, Baleares, Narbonenſem Prouinciam, omnia littora Hiſpaniæ ad Herculeum fretum usque claſſibus percurretent, fatigarent, infeſtarent, affligerent. Proh Deus immortalis! quæ Carybdis, qui Oceanus tam vorax unquam fuit, qui tot & tanta tam paruo tempore demergere ac deglutire potuerit. Vix bene ſunt centum anni, quibus è ſuis paludibus in continentem egreſſi ſunt & longe plura ſuis præſtigiis & ſyccophantiis circumſcripſerunt, quam Romani ducentis annis armis debellauerunt, capta autem Italia putatis illos quieturos? num ereditis illos animo atque ſuperba mente, iam diu agitaſſe, quemadmodum Alpes transcenderent? ut Danubium, Rhenum, Sequanam, Rhodanum, Thagum, hyberorum pontibus iungerent, & has in prouincias redactas exercitibus firmarent? neſcit paterfamilias dies intra modeſtiæ ſe terminos continere. Gens igitur in domicilio ſuperbiæ nata, quæ omnifariam rerum copia ſuperabundat, & multitudine Tyrannorum tota ſcatet, homines è colluvione & fæce gentium in Veneticis paludibus congregati, piſcatu primum viventes, deinde ex piſcatoribus inſtitores, atque nauiculatores, ex his mercatores, ex mercatoribus per latrocinia, per cædes & uenena, per nefandiſſima ſcelera pulcherrimarum rerum domini facti, ſe continebunt? certe nullo modo, ſed ſi eos ita exacerbatos dimiſeritis, ſi paululum ſe collegerint, ac vires ſuas reaſſumpſerint, progredientur, excurrent, longius efferentur. Satis multa verba feciſſe videor de ſpe Venetorum, nunc de eorum Tyranide quædam ſunt dicenda. Mare, quod omnibus gentibus commune eſſe debet, ſuum eſſe dicunt. Et ſiue mariti Thetydis ſint, ſiue uxores Neptuni ſingulis annis, illud deſponſauere annulo iniecto. Arrogantiam inauditam elementa deſponſare. Legimus Tyrios & Carthaginenſes, Rhodios & Athenienſes, Romanos & noſtra tempeſtate Genuenſes, tum Xerxem illum in rebus maritimis exercitatiſſimos, peritiſſimos ac potentiſſimos fuiſſe, nemo tamen tam leuis græcus, aut tam temerarius barbarus inventus eſt, qui mare deſponſaret. Et recte quidem? nam ex hoc matrimonio nati ſunt Venetis liberi ab auidiſſimis & crudeliſſimis parentibus non degenetantes, inſaciabiles Balenæ, immanes Leſtrygones, infandi Cyclopes, & Polyphemi, qui ita mare obſident, atque infeſtant, ut nulla monſtra maris, nulli ſcopuli, aut tempeſtates, nulli prædones aut Pyrrhatæ vehementius. Bene ſciunt hoc Rhaguſani, qui in limitibus Turcarum Ariſtocratiam tenent munitiſſimam, quos vexando & claſſibus opprimendo ad tantam inopiam atque deſperationem adduxerunt, ut ad Turcas confugere & illis Tributum pendere coëgerint. Duo littora Adriatici Maris Italicum & Illyricum ita inter ſe connexa, ut alterum absque altero vix viuere poſſit, usque adeo disiunxerunt ſuis peſtilentiſſimis edictis & pyrratis, ut in ſyrtibus, in freto Siculo aut in ma-

xima tempeſtate quicunque deprehendi maluerint, quam adriaticum nauigare. Itali in libertate & ad mare nati, mare ſpectare potius, quam uti ſrui nauigareque poſſint. Quot naues illi prædones expugnauerunt? ditipuerunt? publicauerunt? quot diuites mercatores decoquere, ac eedere bonis coëgerunt? quot nobiles familias & opulentas ciuitates euerterunt? Quid in Alexandria? in Syria? Aſia? Græcia? Aphryca? denique in omnibus maribus infidelium faciant, quum neminem præter ſe nanigare vellent, quantas turbas, quantas moleſtias Chriſtianis negociatoribus inferant longum eſſet enarrare. Quid in terra? longe peius graſſantur. Hic ſubditos ad ædificandas moles, ut iumenta materiam ferre cogunt, onera militiæ ſuſtinere, littorales taurinis neruis ad temos ſubigunt, ingentes & cottidianas exactiones & tributa exigunt. Prætores & gubernatores non Patauii aut Pariſii, ſed Tuente aut ad Tanaim a puetis nutriti periti ſunt non legum, non philoſophiæ, aut noſtræ religionis, ſed pecuniarum extorquendarum, ſed morum immanium barbarorum ac rituum Magmetidarum, miſerimum eſt habere unum aut duos tales dominos, quanto eſt miſerius habete mille aut prope innumerabiles. Hi ius dicunt, hi urbes ac prouincias regunt, vel potius expilant exhauriuntque & tamen neminem honore, neminem ſacerdotio, neminem nobilitate eorum dignantur. Putarent magiſtratus & præfecturas etiam minimas pollui ſi quispiam præter Tyrannos quos nobiles & magnificos appellare oportet contingeret. Non ingenijs, non fortunæ, non virtuti ad dignitates locus ac uia patet. Saluete O Romani diuum genus in veſtra ciuitate virtuti locus nunquam defuit, vos integras ciuitates Romana ciuitate donauiſtis, vos ad Senatum ac Conſulatum, ad regnum, ad imperium, ex Tuſculis, ex Volſcis, è Sabinis, ex Gallia, Pannonia, Aphrica, Hiſpania ex Arabia usque ex toto orbe terrarum viros idoneos conquiſiuiſtis. Veneti faſtidiunt probos & Hermolaum Barbarum & ſimiles ſuos, nedum alienos? quam ob rem, quia ſtuduerunt pecuniæ non militiæ, mercaturæ non litteraturæ, Magmedo non Chriſto. Ita ſunt inſtituti, ut iam apud eos ſit nefas confiteri ac pœnitentiam agere, de criminibus quæ pro republica contra diuinam Majeſtatem commiſerunt. Romani homines ſapientiſſimi tres ciuitates ita potentes, quæ pondus imperij ſuſtinere potuiſſent, propter tria maxima vitia deletas eſſe voluerunt. Carthaginem propter perfidiam; Capuam propter ſuperbiam; Corynthum propter auaritiam, quæ crimina qualia in Venetianis ſint, diligenter attendite, ut hæc & multa alia, quæ vix in ſingulis reperiantur, huic uni ciuitati propria vitia ſint & peculiaria. ſartores ſartoresque ſcelerum, inuentoresque ac artifices nouarum machinarum, quorum cellæ ac meatus corporis nihil aliud ſunt, quam ſpiramenta proditionum. nemo cum eis commereatur, quem ad extremum ad lachrymas non cogant, nullum bellum a multis ſæculis inter Chriſtianos geſtum eſt, cuius ipſi auctores non extiterint. nemo Venetias diuertit, ſit acutus, ſit circumſpectus, ſit ſapiens, qui non decipiatur, aut aliqua fucata merce, aut aliqua falſa gemma circumuenitur, aut à Publicanis ſyngrapham non acceepit, aut exploratorum numero eſt, denique eſt ſemper aliqua mala crux, quæ deprehenſos miſeros torqueat ac excruciet. & quæ poteſt oratio eorum ſuperbiæ par inueniri? hi ſunt homines, qui aiunt apud ſe natam nobilitatem eſſe, qui ſoli diuites ac modeſti, ſoli ſapientes ſibi videntur eſſe. nos autem qui non ut Draconeſ tecto pectore & elata ceruice purpurati non incedimus, qui multa millia in arca non cuſtodimus, ſermonem in digitis non conſtituimus, argentea ſurcula non comedimus, barbati ſumus, intemperantes, ebrij, dementes, ac ueſani, principes autem omnes uno vocabulo Tyranni, hominum mendicabula, nos odere, nos contemnunt, ſumus illis materia ad ridendum uberrima. nos Galli multum, ſed certe vos Alemani non longe minus. nam quæ nuptiæ, quæ comœdia aut ſabula Venetijs unquam acta fuit, in qua primarum partium Alemanus homo non fuerit introductus. Veſtri mores, ſermo, victus, habitus, ineeſſus per mimmos ac hyſtriones repreſentatus tidete & gaudete Venetias ſaeit,

cit, exultare, triumphare geſtire. tanta eſt eorum ſuperbia. tantus Alemanorum contemptus ac irriſio. de Auaritia eorum profundiſſima melius eſt tacere, quam parum loqui. hoc tamen unum non ſilebo quod quum Germania liberam ſe eſſe putet, ſicut & eſſe debet, quum armis adhuc non potuerint aſtutiſſimi ſophiſtæ, bene inuenerunt artem qua ſibi tributariam fecerunt. Locant enim mercatoribus veſtris domum (*Iofundico de Todeſchi*) triginta ſupra centum ducatis in ſingulos dies, non dico ſingulis annis, quod quidem ſatis eſſet, dico ſingulis diebus. quæ quidem ſumma ad quadraginta aut quinquaginta milia ducatorum annua aſcendit. hoc tributum quotannis Venetis pendetis. de gula immenſa, de luxuria non attinet ad me dicere, quam qui ſcire velit, recenſeat greges. quid greges ? imo exercitus lenonum, meretricum ac exoletorum. non ſanguini, non religioni, non ætati, non ſexui honor ullus adhibetur, venus promiſcua, venus indifferens, venus ſine lege. tranſeo crudelitatem, habent Venetiani ſua macella humana carne reſerta, habent ſuas latomias, ſuos tauros, ut quondam inmaniſſimi tyranni habuiſſe memorantur, in his excarnificant ſubditos, qui aut propter eximias ac ſingulares aliquas virtutes aut propter ingentes opes Tyrannis formidoloſi, ac ſuſpecti ſunt. duo anni ſunt, quum exercitum veſtrum alpinis ſaltibus dolo intercluſum non militari more ſpoliauerunt, non ſub iugum miſerunt, non captivum Turcarum ritu vendiderunt, aut redimendi poteſtatem fecerunt. quid ergo ? ferro trucidauerunt. rubent Alpes ſanguine, albicant iuga montium oſſibus veſtrorum ciuium. Patauinus Senatus qui vobis ſtuduiſſet ac primarius unusquisque furcis aut infelicibus lignis pependit. Quæ quum ita ſint, audent tamen lugubri veſte, torto collo, flebilibus oculis, ſummiſſa voce pacem poſcere, & ſuperioribus diebus deprehenſi ſunt cum ſcalis & exercitu magno ſub mœnibus Veronenſibus, ut urbem, ſub noctem inuaderent & præſidia veſtra iugularent & audent dicere : Vultis o principes Venetias alterum Italiæ oculum effodere ac delere. non eſt tam clementium principum illos ingenioſos artifices, illos honeſtos mercatores, illas ædes admirandas velle ſubvertere, quae quanquam ex ruinis ac trophæis Romanorum ac Græcorum ac multarum urbium vetuſtate conſtent, tamen quoniam ſenſu carent, nec quicquam commiſerunt, non ſunt dignæ tantorum principum ira. Quid igitur volunt ? volunt ædificijs parcere, ſed delere Tyrannidem cum Tyrannis, volunt : quod Venetiæ ſint mercatrices non dominatrices, volunt mare liberum, terras liberas, dacia gabellas, portoria dejicere, libertatem reducere, nam ſicuti non decet principes mercari, ita etiam non conuenit mercatoribus imperare ac regnare. nunc autem dicitis : quid fecimus ? quid commeruimus ? quid commeruiſtis ? at non ita dicebatis iam ſunt duo anni, quando Alpes transgreſſi Danubium & Viennam infeſtis ſignis petebatis, Bononiam & Urbinum & Mediolanum ſuperiore anno ante finem Menſis Maij in veſtra poteſtate futuras eſſe iactabatis, quando pontificem maximum parvum Capellanum & minimum altaris miniſtrum facturos prædicabatis & Chriſtianiſſimum Regem Francorum Venetias catenatum trahere minabamini. Et Cæſarem Auguſtum, veſtram Cæſaream Majeſtatem deformiſſimis picturis atque inhoneſtiſſimis comœdijs ac ſpectaculis ignominioſiſſime referebatis cum titulo & cauſa, hic eſt Maximilianus auguſtus Imperator Romanorum. Viri non eſtis o Germani, cæſareo animo veſtro ſolito amplius non eſtis Cæſar, ſi poteſtis tolerare has rapaces harpyias, has venenoſiſſimas aſpides, tam varias, tamque verſipelles linces, tam ſanguinarias Tygrides ſanctiſſimæ Imperatoriæ Majeſtatis veſtræ calumniatrices, nomini germano infenſiſſimas amplius dominari ? Hæc de eorum Tyrannide ſint dicta. Super eſt ut de his, quæ contra Chriſtianos, contra religionem, ac Deum ipſum commiſerunt, pauca ſubjiciamus. quod ſi hoc tam inſolito vobis tamque inuſitato genere dicendi veſtra humanitate diutius abutor, ſperate vos à Deo non minora præmia conſecuturos, quam ſi ſacerdote recitante Evangelium ſacratiſſimum audiretis. Utinam Romane Imperator, & vos qui adeſtis, utinam Venetiani, aut

veri

veri Chriſtiani aut veri Turci fuiſſent. nam ſi veri chriſtiani fuiſſent, & Jeroſolymas & Conſtantinopolim & totum Orientem ut quondam Chriſtiani poſſiderent quum validis claſſibus, quibus plurimum pollent ad defenſionem non ad euerſionem chriſtianorum uti voluiſſent. & ſi veri Turci fuiſſent, nunquam paſſi fuiſſemus tam malas herbas omni Aconito peſtilentiores, in noſtris penetralibus, in noſtris viſceribus ac inteſtinis tam alte radices ponere, quin eos funditus extirpatos facto agmine ultra portas Caucaſeas reiecíſſemus. nunc autem quum mali Turcæ, peiores Chriſtiani ſint, modo quum ambobus bella gerant, modo cum utroque ſocietatem ſimulent, nunc harum nunc illarum partium, nemini fidi ſint, religionem chriſtianam ad paruas Europæ anguſtias, & pene deſtructam, mancam ac debilem concluſerunt. ipſi ſunt tanquam unum repagulum & propugnaculum, unum antemurale, quod niſi perfractum ſit nunquam hæ duæ diverſarum legum & repugnantium religionum gentes Chriſtianæ atque Turcæ inter ſe concurrere, ac manus conſerere poterunt. ſed hinc Veneti, illinc Turcæ ſingulis annis aliquid de finibus Chriſtianorum, ſicut fluvius de ripis abradent, perſtringent, amputabunt, donec facto impetu inuerſa confundent. ipſi ſunt tertia ſecta, ſiue Marrani ſint, ſiue illi dubii, ac ancipites angeli inter bonos & malos, qui neque cœlum neque inferos tenent, ſed ſunt lemures & mali genij, qui nocturnis incurſionibus domos percurſitant, & diurnis grandinibus ac tempeſtatibus mare nauigantibus, & terras miſeris aratoribus infeſtas reddunt, & ingreſſi corpora humana torquent, qui in aëre ſuſpenſi malo propoſito remanſerunt, nam quicquid habent alienis calamitatibus adepti ſunt, & credunt & vera credunt, quod Chriſtiani adverſus Turcas progreſſuri per eorum prouincias iter facturi fuiſſent, & unusquisque ſuum repetere mallet prius, quam aliena deſtruere. quod autem vero dico, quoties cruciata coniuratio ac deuotio Chriſtianorum in Turcas temptata eſt, & toties à Venetis interrupta, præcipue Pio Pont. Max. qui quum omnia præparata eſſent, ubi ſenſit ſanctiſſimam expeditionem artibus Veneticis diſſoluram, vir acris ingenij, ac religionis amantiſſimus dolore interiit. Rhodus terra marique periculoſiſſima obſidione à Turcis premebatur, quam cimbam, aut ſcapham in auxilium miſerunt? quod niſi religioſorum virtute, ac auxilio Genuenſium defenſa fuiſſet: ſicut Conſtantinopolis in Turcarum poteſtatem deuenire neceſſe fuiſſet. Venetiani primum auri, poſtea Conſtantinopolis potiundi cupidiſſimi, modo commeatus atque arma Turcis magna claſſe comportabant, modo exercitum eorum ex Aſia in Traciam per Poſphorum transfretabant, nihil omittebant, quod regiam urbem affligere poſſet, ut interdum ea potirentur. Conſtantinopolis terra marique duriſſime oppugnari cœpta eſt. Conſtantinus imperator per clamdeſtinos nuncios lachrymabiles deprecationes præfecto Veneticæ claſſis mittebat, cum obſecrans per Deum, qui ſedem Patriarchalem illic conſtituerat, per virginem deiparam, cuius numini ciuitas conſecrata fuiſſet & condita, ut Imperatori Romano & Regiæ orientali miſereretur, ex tanta claſſe duas tantum naues ſubſidio mitteret. ad hæc præfectus Veneticus reſpondit: non eſſe moris Venetorum aliena defendere, perinde ſi ſe ac urbem dederent cum tota claſſe inituraturum ac obſidionem ſoluturum. Se commiſerari duram Chriſtianorum ſortem, ſed ab ſenatu tale mandatum habere, quod non ſine capitis periculo transgredi auderet. Interim Conſtantinopolis capitur & crudeliſſime diripitur, ſi unquam civitas direpta fuit, ita ut gemitus cadentum & mulierum eiulatus è Veneta claſſe exaudirentur. At Venetiani ſpe potiundæ urbis amiſſa ſpolia urbis ac prædam à Turcis cöemerunt, & plenis nauibus Venetias remigrauerunt, reliquias Imperij Romani Venetias ſecum deportantes. nolite mirari Venetiani, ſi nemo vobis auxilium præbet, quia vos auxilium præbere voluiſtis nemini, ne ciuitati quidem ſacratiſſimæ virgini matri dedicatæ, neſcitis omnium rerum viciſſitudinem eſſe, remanſiſtis cum nullis amicis, & cum pauca pecunia. neceſſe eſt vos inter ferales anguſtias perire omnibus inſpectantibus, ſicuti Conſtantinopolim vobis inſpectantibus, interire paſſi fuiſtis. Quod præterea

terea proceres ac ciuitates Traciæ, Macedoniæ, Græciæ, Illyridis, fidei Veneticæ ac ſi dicerem perfidiæ punicæ ſe tradiderunt, quos omnes, aut præcipitauerunt, aut Turcis vendiderunt. clamabant illi miſeri, quum Turcis dederentur: Ah Venetiani chriſtiani ſanguinis mercatores? Ah Chriſtianæ religionis deſertores & proditores. & quo ſermone? quibus verbis o Jheroſolyme, o ſanctiſſima terra vos deflebo? nolo amplius mihi credi. res eſt iam annalibus memoranda. credatis Blondo hiſtorico ab omnibus approbato. fama erat Saladinum Ægyptiorum regem Jheroſolymas obſidere, nunquam noſtra religio caruit defenſoribus, quanquam nunc, ita principes delicati ſunt, ut ſi ad limites regni ſui, quamuis exigui usque peruenerint expeditionem ſe Orientalem confeciſſe arbitrentur. ad hanc famam multi proceres Venetias cum copijs, conuenere, animati pro ſanctiſſima terra mori, petierunt in Syriam nauibus transportari, Venetiani accepta mercede aduerſos ventos ſimulantes eos in Dalmatia expoſuerunt, & eorum opera uſi ſunt ad Iadram ac alias ciuitates quæ rebellauerant à Venetis recipiendas. Interim Jheroſolymæ capiuntur, non quidem Chriſtianorum negligentia, ut plerique arbitrantur, ſed dolo ac proditione Venetorum. Quis hic non vociferaret, excandeſceret, ingemiſceret. Piſani quamdiu floruerunt, Genuenſes omni tempore chriſtianis in Oriente laborantibus ſuis claſſibus ſubuenerunt; At Venetiani ſemper infidi ac fraudulenti, ſemper crudeles extiterunt. Hic multa prætereo de Sophi Perſarum Rege, qui maximum cum Turcis bellum gerit, cuius Oratores ad Chriſtianos Principes venientes, Venetiani retrocedere coëgerunt. omitto longe plura de Emanuele Rege Luſitanorum & Portugallenſium, qui, quom à tergo Lybiæ in mare rubrum claſſes multas iam miſerit & Ægyti, Arabiæ, Perſidis, Caramaniæ, Indiæ, Taprobanæ fines populatus fuerit, à Venetis magno odio habitus eſt, quod eos in ſocietatem illius commertij recipere noluit, ob eamque cauſam, fabros, materiam, arma Saldano Ægyptiorum Tyranno miſerunt, ut ædificata ac inſtructa claſſe, Portugallenſes à tantis inceptis ſummoueret. tranſeo quæ in Cypro, in Creta, in Ponto, in Pelloponneſo, in omnibus Cycladibus contra Chriſtianos patrauerunt, ne veſtras patientiſſimas aures eorum ſceleribus ulterius obtundam. unum tantum dicam, & finis erit. Hydrons ciuitas eſt Salentinorum, in extremis oris Italiæ. Hanc urbem Turcæ terra marique obſidere adorti ſunt, Illa Italiæ regio, quæ certe magna ac fertiliſſima eſt ad Garganos usque montes tota Turcarum flammis exurebatur. & iam non regno Siciliæ tantum, ſed Romæ ſanctuario Dei ſed Italiæ ac toti Chriſtianitati timebamus. Quis tum chriſtianorum non ingemuit? quis opem non tulit? quom ab Ungaris, ab extremo ſeptentrione atque occidente undique auxilia conueniſſent, & non principes ac ciuitates ſolum, ſed familiæ fratrum mendicantium quoque ſubſidia præſtarent. ſoli Venetiani, qui tum claſſem paratiſſimam ac inſtructiſſimam in anchoris Corcyræ tenebant, qui ſoli obſidionem ſoluere potuiſſent, ſoli ſpectatores, non auxiliatores eſſe maluerunt. quid auxiliatores? immo proditores extiterunt. quom ſimultates gererent cum Ferdinando Rege Neapolitanorum propter Alphonſum filium, qui tunc Hetruriam bello quatiebat timentes, ne maior fieret, quom ipſi non poſſent, per Turcas ſuas iniurias vlciſci maluerunt, atque ita Turcas in Italiam à ſuis ceruicibus reiecerunt, recordamini temporis illius, quum ab omnibus fere Chriſtianis laboratum eſt, & morte Turci Regis ægre obtinuimus, ut deditionem Hydruntis facerent. quot millia Chriſtianorum, tunc turcicis manibus trucidata ſunt? quantum Chriſtiani ſanguinis exhauſtum eſt, quot nobiliſſimæ matronæ, quot virgines, quot pueri, in miſeram ſeruitutem rapti ſunt, quorum alij adhuc Turcis abnegata fide ſeruiunt, alios ego vidi, qui quom jure poſtliminij reuerſi, me ius dicente, vix à parentibus recognoſcerentur, totum forum lachrymis compleuere. non memini Chriſtianos maiorem cladem pertuliſſe, o Venetiani, quam vobis auctoribus perpeſſi ſumus. ſed ſi homines obliti ſunt, non tamen deus tantæ proditionis ultor oblitterauit. ſanguis illorum clamat ſuper vos, & ſuper filios veſtros, ante magni Dei tribunal. Vos,

vos non Turcæ illum cruorem effudiſtis. tempus erit, quo vos illorum cædes, atque utinam non cum veſtris Venetijs veſtro ſanguine rependetis. nam quid ego in tanto facinore deplorem, quis non omni odio, omni pœna, omni ſupplicio Venetos dignos putaret. hic non me rudi aut ſimplici narratore opus eſſet, ſed forti aliquo atque vehementi oratore, aut acri prædicatore ex his qui pleni ſpiritu ſancto ad populum concionari ſolent. quantas lachrymas, quantam inuidiam, quantas indignationes excitaret, ſuperbia, potentia, corruptelæ, furta, rapinæ, oppreſſiones, ſacrilegia, proditiones, immanitates, impietates Venetorum, qui jam ita indomabiles facti ſunt, ut cum quatuor Chriſtianorum potentiſſimis principibus de ſumma rerum decertare audeant, & ne victi quidem quieſcere poſſunt. qui expirando, ſubornando, corradendo magnum ex vicinorum urbibus imperium ſibi conflauere, qui omne aurum, argentum, gemmas, vaſa, ſigna, tabulas, denique quicquid pulchri, quicquid pretioſi in toto terrarum orbe reperiri potuit, id totum malis artibus Venetias comportauerunt & congeſſerunt. qui mare ac terras intercludentes, mercatores cum mercibus interci, pientes, nauarchos cum nauibus demergentes, venenando, necando, excrucian, do, omnia cruore, omnia lachrymis & funeribus compleuere, omnia Gabellis & dacijs & portorijs tyrannica ſeruitute fœdauere, ſacro ſanctos ſacerdotes torquendo, bona eccleſiæ conſecrata prophanando, ſummum Pontificem contemnendo per vulnera noſtra & per commoda eorum proprtia ſua religionem chriſtianam ad has exiguas Europæ anguſtias ac latebras deductam pene ſubuerterunt, ut cum Turcarum Rege tacite conſpiraſſe ac partiti eſſe videantur, ut ſcilicet ille Orientali, ipſi Occidentali imperio contenti ſint. inimici nobilitatis, contemptores principum, dirreptores ac incendiarij urbium, ſpoliatores prouinciarum, hoſtes ſacrorum, depeculatores reipublicæ chriſtianæ, labes & pernicies humani generis? Siccine dormitis o Germani. expectate parumper, nam dum vos conſultationibus vacatis, illi nocturnis ſcalis Veronam aggrediuntur. Vos armis inclyti eas ignominias contra morem maiorum veſtrorum toleratis, quas vix ignaui ac umbratiles, vix mulierculæ medius fidius tolerare poſſent. oh ſi nunc viverent illi Cimbri ac Theutones, qui cum C. Mario de imperio orbis dimicauerunt & illi, qui cum C. Julio Cæſare, Traiano, Antonio, Fuluio, Seuero, Conſtantio & cum alijs pluribus Imperatoribus tot bella gefferunt, & qui Quintilium Varum Romanum Conſulem cum tot legionibus trucidauerunt, Et illi qui Britanniam, Angliam, partem Hiſpaniæ vandaliciam, partem Italiæ Longobardiam à ſe devictis gentibus, de ſuis nominibus nuncupauere. Ubi nunc ſunt illi Uſipites & Tenchteri, illi Sueui, illi Saxones & Marcomanni Quadi, Catti, Sicambri, Heruli, Vandali, Goti, quorum milites boni duces erant, & duces ipſi magni heroes. & illi qui cum Henricis, Ottonibus, Corradis, Fedricis Imperatoribus ſuis ſanctiſſimam Jeroſolymorum terram ſuorum corporum oppoſitione toties defenſarunt, quorum trophea memorabilia adhuc pendere cernuntur. Vos igitur, qui eſtis eorum indubitati filij, indubitati ſucceſſores virtutis, honoris & gloriæ, velitis etiam eſſe veri imitatores in exercendis illis hæreditarijs virtutibus, quas ſcio in vobis eſſe quam maximas & quam plurimas. nolite per Deum immortalem, nolite pati tot injurias primum Vobis, deinde ceteris Chriſtianis, poſtea Deo redemptori noſtro à Venetis atque à Turcis illaras, amplius inultas ac impunitas eſſe, qui in expugnatione Orientis, ut cetera nefandiſſima præteream in omnibus templis aut meretrices proſtituerunt, aut equos ſtabulauerunt, aut templa ipſa demoliti ſunt, aut Maguneto homini impuriſſimo ac nefandiſſimo, quem pro Deo colunt, dedicauerunt. Oſſa ſanctorum, reliquias ſanctiſſimas canibus ac porcis obiecerunt, imagines crucifixi Domini noſtri JEſu Chriſti, heu pietas, heu priſca fides, imagines crucifixi ad caudas equorum deligaras extra ciuitates in caſtra ad ſonum tympanorum raptantes, ſputo cænoque fœdantes in altiſſimam crucem iterum ſuſtulerunt & lapides ac ſagittas eiaculantes exclamauerunt: hic eſt DEus Chriſtianorum. Ludibrium

Chriſtia-

Chriſtianæ gentis, ſed maxime Germanorum, penes quos imperium eſt, cui igitur vos non prætitis, cur non præfertis victrices aquilas, & reliqui Chriſtiani vos ſequentur, aduerſus Venetos primum, qui ſunt ſeges ac materia tantorum malorum, deinde aduerſus ipſos immaniſſimos Chriſtiani nominis hoſtes Turcas, nam iſta veſtra odia ac bella inter vos inteſtina, iſtas uenationes, conuiuia, ſtructuras, delicias veſtras, liberos, uxores, hanc vitam veſtram, una parua arua, una parua febricula omnia commutabit, omnia corrumpet, & paulo poſt nihil erunt, at vero, quæ pro redemptore & creatore DEO noſtro facietis, ea vobis perpetua manebunt, & dum viuetis, & dum ad feliciorem vitam demigrabitis, ſemper vos comitabuntur, floreſcentque cotidie magis magisque, æterna fient, nam in aliis cauſis & ea quæ habetis paruo momento dilabentur, & quæ perdetis, nunquam recuperabitis, at uero in hac ſanctiſſima expeditione, & quæ habetis, nunquam amittetis, & quæ perdetis in cœleſtibus Theſauris omni tempore condita reperietis. Ergo perfringite illud obſtaculum, adæquate & obſtruite hanc peſtilentiſſimam mephitim ac ſentinam, hanc voraginem & præcipitium omnium vitiorum. Vendicate & vos & Chriſtianum orbem in libertatem, ſoluite vos à tanto metu. Eradicate genus poteſtis eſſe tuti, ſi relinquitis eos quibus Venetiæ, Hiſtria, Liburnia, Dalmatia, Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, ſimul Creta ac Cyprus adhuc ſuperſint? pateſacite iſtas execrabiles ac diras portas Venetianas, quæ tamdiu Chriſtianos aduerſus infideles progredi elaborantes continuerunt, poſtea DEO auctore aperto marte, majoribus auſpiciis Turcas aggreſſuri. Et ea pietate, qua ſanctiſſimum Dominum noſtrum Julium Pont. Max. qua Chriſtianiſſimum noſtrum Francorum Regem & Catholicum Regem Aragonum principes ſapientiſſimos exactæ ætatis & conſummatiſſimæ uitæ, tres columnas chriſtianam religionem ſuis humeris ſuſtentantes eſſe videtis, eodem & vos o Maximiliane Auguſte, o proceres: & ciuitates Imperii Romani, qui prima ſuſtinendæ libertatis ac religionis columna & animo & pietate eſſe debetis. nam niſi illi vidiſſent excidium ac ruinas a Venetis & a Turcis Chriſtianis imminere, certiſſimamque victoriam ſperarent, nunquam profecto tamque iuſta ac pia tam ſancta aduerſus eos arma ſumpſiſſent. dixi o Romane Imperator, o glorioſiſſime ac exuberantiſſime DEus redemptor dixi, & ſi quid profeci, gaudeo dixiſſe. quod ſi etiam nihil profeci, tamen gaudeo me tuæ humanitati ac diuinitati morem geſſiſſe, tibique, ſi huic tuæ expeditioni ſanctiſſimæ hanc vitam meam conducere arbitrabor, eam devoueo, ac quibuscunque cruciatibus exhibeo, quia tu pro meis ac aliorum peccatis tuam miris tormentorum exemplis excarnificandam tradidiſti.

EJUSDEM LODOVICI HELIANI VENATIO LEONUM.

Pontifex Maximus, Cæſar Auguſtus, Rex Francorum, Rex Aragonum Venatores.

VEnatum canimus Regum: & fera bella Leonum
Maxima, quæ inſani funera martis opus.
Alme faue armorum & nemorum Tritonia præſes,
Et qui bella colunt & iuga ſumma DEI.
Dicite vos Muſæ dulces, quis crederet unquam
Æquora fuluicomas incoluiſſe feras?
Aut terram Auſoniam alligeros aluiſſe leones
Quamquam Cyclopas ſicilis ora tulit
Non hic æthola dicetur cuſpide fixus
Cerua, nec herculeo robore captus aper.

Dicam monſtra hominum & quis commutauerit illa
Et ſcelera & pugnas, accipite incipio :
Quod mare, quod tellus iam iam captiua iacetet
Non fuit hæc Ditis, nec fuit ira Iouis.
Omnis erat piceis Aquilonibus obruta claſſis
Reſtabat toto nulla carina mari.
Tunc primum timuere homines ſulcare profundum,
Nec qui ſe ventis credere vellet erat
Nullus honorabat tumidi pia numina Ponti
Votaque ſoluebat, nemoque thura dabat
Tum grauiter frendens vitrearum rector aquarum
Humanum voluit mergere ſæpe genus
Deucalioneas iam ter concuſſerat undas
Perdere, ſed voluit nos grauiore malo.
Eſt locus Adriaci Venetas dixere paludes
Nunc mare, nunc terra eſt tot rotat unda uices.
Illyrici, Albenſes, & iuncto Dalmata Sclauo
Quique colunt Pontum, Cicladas & Cilices
Cercaſſi, Æthiopes, Mamalucchi, Jannizarique
Omnia purgauit littora prodigiis
Hique venenatas liquerunt Phaſidos undas
Illi Hiliaeos deſeruere ſinus
Non abſunt Lydi, Strophades, non Syrus Orontes
Nec gens plena odiis punica, fraude dolis.
Pyrratæ, profugi, damnati ſacrilegique
Mendici, mimini, turba nefanda maris.
Denique criminibus eunctis patefecit Aſyllum
Hæc ſtagna, hos æſtus, has petiere caſas.
Colluviem & fæces hominum collegit in unum
Et quot erant homines tot dedit eſſe feras
Et digitos teretes rigidos euruauit in ungues
Ut poſſent rapere & rapta tenere diu.
Gutturis ingenti baratrum patefecit hiatu
Ingluuiem poſſet quod ſaciare nihil
Neue propinquaret, neu quis ſupereſſet amicus
Spirantem grauiter iuſſit olere animam.
Non ſatis alipedes humetis quoque nexuit alas
Ut pelagus, montes, ut ſuper aſtra volent.
Iratos fecit vultus, toruosque Leones.
Horribiles viſu, terribilesque ſono.
His furiis, his tormentis iam mille per annos
Nos DEus & noſtros excruciauit auos
Fallitur hoc, qui me maledicere carmine credit
Reddo laeſſitus damnaque reddo vices
Læſerunt alios me diripuere ſed ultor
Carmine bella gero, Rex meus enſe gerit.
Juta dabant ignem ex facie rabiemque uomentes
Hic infamis etas Barthole ſancte aliis.
Quicquid erat pulchri ſubiecta per oppida ad usque
Verrebant auida uilia ſaxa manu
Quod reliquum fuerat catuli fœtæque leænæ
Verrebant famulæque & niger ore Charon.
Damnabant ciues aliqua ſub criminis umbra
Sed proceres ſolo hoc nomine crimen erant.

Torre-

Torrebant oleo miſeros ferroue calenti
Iſte manum, hic oculos, perdidit ille caput
Stridebant populi, & taciti ſua damna gemebant
Ut ſtrident Stygiæ ſub Rhadamanto animæ.
Appellas læſus rigidum ſanctumque ſenatum
Herodes, Cayphas, Anna, Pilatus erant.
Turpis & in Venerem ġens proiectiſſima plusquam
Aut Sybaris, Capua aut Pythagorea Croto.
Deformes iuuenes & cana ſenecta vacabant
Sardanapalineis ſollicitudinibus.
Quid referam illicitos cœtus & quæ ipſa trahebat
In noctem, longum ſtella diurna merum?
Cæſareasque dapes miſerorum ſanguine partas
Ad rem damnoſos, & fera bella canes.
Cætera prætereo. nam cum ueſtalibus ipſis
Fas erat in ſacro concubuiſſe thoro
Italiam, Italiam, Italiam, plenò ore ſalutant
Conſeruatores ſcilicet Italiæ
Immo euerſores, ergaſtula dura, Nerones
Eſtis, & immanis barbara barbaries.
Eſt doctus fortisque nihil, ſi proditor, illi
Præmia magna cito proditionis erant.
Vos Linguam horretis Latiam, moresque latinos,
Veſtra ſonant totam guttura Dalmatiam
Æquabant tumidi ſe, & præ ſua geſta ferebant
Oh ſcelus, inuictis Martia Roma tuis.
Noctua ſic aquilam, timidum ſic damma leonem
Prouocat, & paruus ſic elephanta, culex.
Bellorum cauſas, armorum ſemina docti
Spargete, & artifici nigra venena manu.
Ut ſolet horribilis gaudens ſpectare ruinas
Quas prius allecto texuit arte ſua.
Sed iſti armabant Reges, multoque cruore
Noſtra triumphabant ſi tepuiſſet humus
Non maris aut terræ ſat erat turbare quietem
Tentarunt interponere bella Deos.
Ante triumphantis Genuenſia feſta Georgi
Semileo celebrant te pie Marce diem
Petrus & Ambroſius elari duo lumina cœli
A Venetis grauiter læſus uterque fuit.
Huic ſunt conati trifidum extorquere flagellum
Et Mediolanum dirripere ante oculos
Illius aggreſſi laceram expugnare carinam
Paſtorem turbarent, paſcere gramen oues.
Ter quater omnipotens Venetos iuber ante citari
Ter quater actores non voluere pati.
Dicentes Veneti, ſi ſcandent culmina cœli
Cœlicolum inficient angelicosque choros.
Ambibunt ſuperos & erunt etiam altera rurſus
Dira cathenati prælia Luciferi
Præterea lata eſt dudum ſententia adeſtque
Patronus, Marcus dicere iuſſus ait:
Dum Veneti contrá Mahumetidas arma gerebant,
Dumque mali minus, his ipſe Patronus eram.

Aſt poſtquam placuere illis furialia bella
Furta, latrocinia, toxica, adulteria
Quod nunquam tantumque nefas ſecere Gigantes
Iſta Gigantæa noxa luenda nece eſt.
Erubui ſemper tales habuiſſe clientes
Deſero eos ſemper, quod meruerunt habeant.
Talibus æternam pacem, rigidumque Tribunal
Quærebant placidos ſollicitare Deos.
Non bellum contra Turcas dominantibus iſtis
Spes inter noſtros, nulla quietis erat.
Omnia turbabant, auro comitante veneno
Hæc duo cœleſti propoſuere DEO.
Et velut effugiens hoſti loligo ſequenti
Nubem atramenti proiicit ante oculos.
Sic iſti ſi forte aliquid fecere timendum
Ambiguas tenebras regibus injiciunt.
Non ſatis a Cypro fuerat quicquid iacet usque
Qua Phaerontæas Abdua rumpit aquas.
Et non contenti totum ſpoliaſſe profundum
Duraque captiuo ſubdere vincla mari.
Sacra fames auri, & dominandi cœca libido
Per ſcelus immodicas creſcere ſuaſit opes.
Per ſcelus omne duces raſerunt regna, Thetrarchas
Ingreſſi ſummi viſcera pontificis.
Gaudebant niueas vexilla inferre per Alpes
Ante oculos ibant Hiſter, Arar, Rhodanus.
De Roma & tota Italia iam actum eſſe putabant
Orbis anhellabant Imperium occidui
Non pudor ullus erat, nec erat reuerentia diuum
Prodere, mentiri, polluere, opprimere.
Et ſe immortales iactabant, deinde timeri
Non aliterque coli, quam voluere DEI.
Sicut aues alias bubo, & cornicula fallax,
Ludit regales improba vulturios
Ridebant ipſos nullo diſcrimine reges
Ipſum cum magno Cæſare, Pontificem.
Ungare magne potens, & te inuictiſſime Cæſar,
Jactabant ſoldis Vos meruiſſe ſuis.
Namque minabantur (ſunt teſtes) præſulis almi
Pulſatas mitra cedere velle nates.
Et te clericulum & paruum ad pia ſacra miniſtrum,
Facturos o lux maxima ſancte Pater.
Rupturosque tua inuicta Rex France corona
Perſractum (oh ſacinus) terque quaterque caput.
O fæces hominum, porcorum ſemina, non vos
Talia de tanto dicere Rege puder?
Hoc caput eſt, quod Chriſticulum pius orbis adorat
Quod Babylon, quod tu maxime Turca tremis.
Non tulit Arctoi moderator maximus orbis
Cæſar, qui triplici cingit honore caput.
Nec valet ulterius tantas tolerare querelas
Hortatur proceres & ſua regna ſuos.
Hortatur ſocios ſceleratam excindere gentem
Pontificem inprimis maxima Roma tuum.

Conti.

Continuo Reges Gallus, Romanus, Hiberus
Cæſare cum magno fœdera ſancta ligant.
Retia rara parant, & acuto ſpicula ferro,
Fertur Marmarica lancea torta manu.
Murorum in ſtragem atque hominum quæ inuenit Erynnis
Sicut ab irato fulmina miſſa Joue.
Non deſunt laquei, pedica ancipitesque ſecures,
Non eques armato conſpiciendus equo.
Primus ab Herculeis deſcendens Alpibus heros
Gallicus, hic centum traxit in arma Duces,
Quingentos duxit proceres, & mille phalanges,
Innumorabilium millia plura canum.
Rex Lodouicus equo & fulgentibus acer in armis
Suſcitat in rabidas arma cruenta feras.
Nec minus expediunt alia ſe in parte leones,
Prudentes aliquis crederet eſſe viros
Unguibus effodiunt terras & caſtra coronant
Et tecti ferro pectora fida gerunt.
Signa ſequi, parere duci, ſeruare Tubarum
Claſſica, conſpiceres ordine ſtare ſuo.
Erumpunt portis rabido feruore duabus
Partiti in turmas ſic abiere ſuas.
Exacuunt iras caudaque & dentibus uncis
Inferumque graui murmure proſiliunt.
Vos quibus Aonidum eſt, ſtudiumque & ſpiritus ingens
Dicite quot ſtrages ediderint Veneti,
Me leges, & cura fori ingratique labores
Impediunt elego carmine tanta loqui,
Id referam, dubio hærebat victoria Marte
Ni Regis præſens dextra tuliſſet opem.
Ille aciem totam, in Venetos dirrexit & illos
Disgregat & penetrans agmina denſa ſecat.
Virtutis memores illi, memoresque ſalutis
Pulchrius eſſe putant in fera bella mori.
Ergo inter cædes gaudent & tela virosque
Obitia perfringunt, dillacerant, laniant.
Intrepidique ubi denſa vident venabula currunt
Dant alternantes accipiuntque neces.
Pugnauere diu, ſed ne morerentur inulti
Fortia ſtrauerunt corpora multa hominum.
Tum vero audires ictus fremitusque cadentum
Rheticus hinc, valles hinc tremuere Padi.
Donec Celta cohors, Italumque exercitus omnis
Undantem hoſtili ſtrage cruentat humum.
Corpora magna boum veluti proſtrata videres
Totaque inſolito prata cruore natant.
Aut capti, aut cæſi innumeri periere Leones
Se dedit infami cætera turba fugæ.
O Carmignolæ & clari Coleonis in armis
Gaudete o manes impiger ultor adeſt.
O Rhaguſæi & Ligures ſuper æquora cæſi
In bellis Venetis, veſter hic ultor adeſt.
O cruce ſignati, qui ſancta videre ſepulchra
Vultis ac in Solymas iam patefacta via eſt.
Hic finis Veneti Imperii, cecidere tyranni
Innumeri, nunc eſt libera terra, mare.



De te magne leo Regum Rex maximus albis
Quattuor in lauri fronde triumphat equis
Nec vero Te ſancte pater, te maxime Juli
Altera belli huius gloria præteream
Tu pepuliſti armis Venetos ex urbe Rauenna
Atque Fauentina, Flamminiaque tua
Tu tem Romanam magnis legionibus auges
Clauigeri attollis dirruta templa Petri.
Quondam fracta mouet ſub te tua Roma lacertos
Et veterum meminit fortia facta Ducum.
Et ſtupet inſolitos non in Jouis ire triumphos
Ad Vaticani, ſed pia templa DEI.
Nec vero iam te Cæſar memorande ſilebo
Qui Rhenum in Venetos, Dannubiumque trahis
Cuius in Euganeos Patauina ad mœnia campos
Alpinis fluvitant omnibus arma iugis.
Nec tarteſiacis ducens regnator ab oris
Vsque a Cantabrico carbaſa mille ſinu.
Nec veteres hoſtes Ligures, nec Gallica vela
Omnia turritis puppibus alta fremunt.
Sed vos o Procetes, qui iam yiciſſe putatis
(Ingentes vrit parua fauilla domos)
Ite triumphales infenſa ad mœnia Reges
Vincere laus prima eſt: altera ſcire frui.
Si Venetum vultis bellum neſcire ſecundum
Infeſtum ex ima vellite ſtirpe genus
Diſtulit & poterat Capitolia vertere Pœnus
Et Graias Hector, ſi voluiſſet opes.
Viuere priuatus neſcit, qui publica texit
Sæpe rebellabant, ſæpeque tela ferent
Prævalidæ vires, immenſa pecunia in urbe eſt
Regna ſubornabunt ambitione, dolis.
Conſtantinæ Vrbis veterum monimenta Quiritum
Hic ſunt & Cypri (fœnora) regis opes
Diripuere omnes, nemo illos, hic latet aurum
Occiduæ hic latitant, hic Orientis opes
Per pontes in equis Venetam ſi intratis in urbem
Nullæ iam Baiæ, nullaque Abydos erunt
Plus maris hic quanto eſt, quam Seſtus diſtet Abido
Veſtra quidem tanto gloria maior erit.
Non tamen o Veneti deerunt ſolatia vobis
Ne deſperetis gaudia veſtra manent.
Sunt caſſes, hami, naſſeque tridensque paluſtres
Sunt & quas arcu deiiciatis aues.
Non deſunt Gobi, Rumbi, Muli cocleæque
Cumque ſaginatis oſtrea mugilibus
Sunt fora, ſunt merces & auita pecunia terris
Abdita, ſunt totidem carbaſa mille rates.
Dedite Principibus, veniamque oretis ab ipſis
Prætorem mittent, qui fora veſtra reget
Vrbanis vacui curis ex æquore toto
Vndique contractas puppe vehetis opes.
Fortunam quicunque nequit tolerare ſecundam
Aduerſam nolit, ſeu velit, ille feret.
Vos ergo ad proprias artes redeatis auorum
Armaque & imperium linquite principibus.

MICH.

537

MICH. COCCINII
DE
BELLO MAXIMILIANI CUM VENETIS
LIBER.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Ubingenſis patria erat Michael Coccinius, vulgo Köchlin dictus, poſt in Italiam delatus, Vitique de Furſt, Gubernatoris & Vicarii Imperialis ducatus Mutinenſis factus fuit Cancellarius. Licet poſtea valetudinis cauſſa, prout huius libri præfatio docet, relicta Italia, Tubingam iterum ſeceſſerit. Hic quatuor libris integrum Maximiliani I. bellum cum Venetis ſcripſerat, qui, cum ipſe interfuerit, lucem adferre poſſent multam Italicæ hiſtoriæ, maxime, quod, vti ipſe ait, Galli & Itali in laudes ſuas profuſi, Germanorum res in obſcuro relinquant. Ex his vero inſtinctu potiſſimum Henrici Bebelii, quartum ſaltim librum publicauit, trium priorum editione in aliud tempus reſeruata. Comprehendit in eodem res vnius anni, quæ ab initio Maji 1511. ad Cal. Maji 1512. vsque in bello Italico acciderunt. Orditur igitur hiſtoriam ſuam à legatione Matthæi Langii Auguſtenſis, Epiſcopi Gurcenſis ad Julium Pontificem maximum, inde ad defectionem Bononienſium ad Bentiuolos; fugam Papalis exercitus ante Bononiam progreditur. Hinc pergit ad indictionem concilii Piſani, & quod Papa ipſi contrarium indixerat Lateranenſe, noui fœderis percuſſionem inter Julium Pontificem, Ferdinandum, Arragoniæ regem & Venetos. Intermiſcet etiam bellum Maximiliani Helueticum & prolixius paullo ab initio Gallorum ingreſſum in Italiam repetit. His miſſis, pergit in Bononiæ obſidione per Hiſpanos facta; Brixiæ occupatione per Venetos: & rurſus eiusdem expugnatione per Gallos. Peruenit tandem ad atrociſſimum illud prœlium ante Rauennam geſtum. Demum, facta comparatione quale olim extiterit Germanorum Imperium, & quale nunc ſit, Germaniæ Principes monet, vt ſe ſuaque Maximiliano Imp. ſubmittant, ipſiusque iuſſis obtemperent, alias deteſtari ſe Germanorum diſcordiam ignauiamque, qui Gallos iam XVI. annos in Italia verſari & Germanorum robore atque milite ſibi Italiæ dominium quærere permittant. In fine ſubiicitur Henrici Bebelii Querela Germaniæ, ad vniuerſos Germaniæ principes, quod bellum Maximiliani contra Venetos non iuuent, aliaque in ſimili cauſſa cohortatio Germaniæ. Prima huius Hiſtoriæ editio litteris adhuc monachalibus fuit exarata ſine loco & anno impreſſionis, forma maiori. Alia cum Coriolani Cepionis Dalmatææ de Petri Mocenici Imperatoris geſtis prodiit *Baſileæ 1544. 8.*

MICHA-

MICHAELIS COCCINII TUBINGENSIS, DE BELLO MAXIMILIANI IMP. CUM VENETIS GESTO, ANNO M. D. XI.

LIBER VNVS.

REVERENDO AC CLARISSIMO VIRO, D. IACOBO DE BANNISIIS, CÆSAREÆ MAIESTATIS SECRETARIO AC CANCELLARIO MICHAEL KOCHLIN, ALIAS COCCINIUS S. P. D.

CVM bis diebus exactis, Vir clariſſime, aeris mutandi gratia, Italiam liquiſſem, meque ad Tubingam, natale ſolum, pro meliore valetudine conſequenda contuliſſem, ad Italiæ nouitates promulgandas ſum à ſodalibus & amicis meis in ipſo gymnaſio rogatus, & in primis ab Henrico Bebelio Iuſtingenſi, cuius literis compluribus antea dum in Italia eſſem, ad res Italicas ſcribendas ſum prouocatus. Ego vero quoniam ipſorum voluntati omnino repugnare nequiui, quocirca, vt voto & deſiderio eorundem quatenus licuit ſatisfacerem, deſtinaui quartum librum commentariorum, quos in Italia de bello Maximiliani cum Venetis geſto *lucubraui, ſub tuo nomine publicare, maxime quod Galli & Itali in laudes ſuas profuſi, res noſtras in obſcuro relinquunt. Equidem tres primos libros hoc tempore haudquaquam publicandos putaui, quorumque editionem conſulto in aliud tempus reſeruo. Quartum autem librum auſpicatus ſum à legatione ſeu profectione reuerendiſſimi D. Matthæi Epiſcopi Gurcenſis ad Iulium Pontificem, in quo omnia hoc anno in Italia geſta ſaltem relatu digna commemoro. Nam annus iam tranſactus meo iudicio omnium maxime memorabilis viſus eſt & defectione Bononienſium, fuga exercitus Eccleſiaſtici, indictione concilii Piſani, noui fœderis percuſſione inter Iulium Pontificem, Ferdinandum Regem Arragoniæ, & Venetos, item Bononia obſidione per Hiſpanos, occupatione Brixiæ per Venetos, & rurſum eiusdem expugnatione per Gallos. Et nouiſſime pugna illa aſperrima ante Rauennam geſta. Nec preteris narrare Maximiliani imperatoris contra Venetos geſta. Addidi preterea dictis non incongruam digreſſionem de Gallorum in Italiam ingreſſu, & quid ipſi ſedecim nunc annos in Italia geſſerint. quæ ſane omnia curaui, pro viribus breuiter & luculenter perſtringere. Et quoniam non ſum neſcius plurimos fore, qui, huiusmodi lucubrationes meas taxare impugnareque conabuntur. Quocirca te rogo, obſecroque, quod ſolitum tuum patrocinium (quod tamen in rebus meis omnibus, nullis quidem meis de te meritis, ſed ſola humanitate & beneuolentia in me tua ſingulari impartiri conſueuiſti) in præſens pro me, contra illos oſores & blatterones, ſuſcipere digneris, ac opus tibi dicatum & clientem tibi dedi-*

deditiſſimum tueri defendere ſtudeas. Te namque patrono & defenſore, omnes aduerſarios naucifacio. Quod ſi in ſcriptionibus meis quippiam lectitaueris menda dignum, id corrigas, & caſtiges, tuum quippe iudicium mihi inſtar omnium eſt. nec pudebit me erratum emendare, de quo me admonueris. Vale, ex Tubinga Kalendis Iunii, Anno Domini M. D. XII.

HENRICUS BEBELIUS JUSTINGENSIS AD MICHAELEM COCCINIUM TUBINGENSEM, NUNC APUD LONGOBARDOS DEGENTEM, VITIQUE DE FURST GUBERNATORIS ET VICARII DUCATUS MUTINENSIS CANCELLARIUM.

Coceini, conſtans vetus & ſodalis,
Quem fides, virtus, ſapiens Minerua,
Integri mores, probitas decorant
Alite fauſto.
Scribe res geſtas Latiis in oris
Temporis noſtri, precor atque bella
Cæſaris contra Venetos doloſos
Maxmiliani.
Siue nam Gallos, Italoſue rerum
Sumis auctores, tibi falſa produnt,
Atque Germanos merita laborant
Fallere fraude.
Ipſe ſed præſens mihi veritatem,
Quo vales multum, calamo fideli
Pingito, dulcis patriæ nec vnquam
Immemor eſto.

CARMEN SEBASTIANI KEUFFER PHILOSOPHI, IN LAUDEM COCCINII, ALIQUANDO PRÆCEPTORIS SUI. p. 268

GRammatiſtarum numeroſa claſſis
Caſuum tractans generumque vires
Voce ſtridenti repetens ſit an h
Littera nec ne
Dormiat iam fugiensque cedat,
Nam graues terſo calamo notauit
Res, quibus falſi nihil eſt amicum
Codicis author.
Cum ſuis cedant fugiantque rauci
Deliramentis modo, ſed legamus
Coccini gratum nouitate librum
Hiſtoriarum.

MICHAE-

MICHAELIS COCCINII TUBINGENSIS, DE PRINCIPVM AVSTRIÆ, CÆTERORUMQUE ET VENETORUM BELLIS, IN ITALIA GESTIS, LIBER.

CUm Matthæus Lang Auguſtenſis, Epiſcopus Gurcenſis apud Regem Chriſtianiſſimum legationis munere fungeretur, Pontifex Iulius plurimum apud Maximilianum Cæſarem ſolicitabat, vt ipſe Gurcenſem ad ſe legaret, quod medio eiusdem multa pro gloria, incremento amplitudineque Germanicæ nationis, ac ſuæ maieſtatis decernere ac conſtituere deliberauerit. Cæſar ne paci ac tranquillitati Italiæ in aliquo deſuiſſe videretur, ſtatuit Pontifici morem gerere, atque ad eum Mirandulæ conſtitutum Ioannem Collam Mediolanenſem deſtinauit, per quem ſe Gurcenſem cum pleno mandato componendæ pacis inter ſe & Venetos abſoluiſſe ſignificauit. Ideo reliquum eſſet, quo beatitudo ſua curaret, vt honorificam pacem à Venetis conſequi valeat. Et quoniam Curcenſis Vito de Furſt Oratori Cæſareo ſcripſerat ſe ad ſanctiſſimum nolle proficiſci, niſi cognitis antea oblationibus quas Veneti Cæſari offerant, eum deſideret ſuam ad pontificem legationem, aliquem bonum effectum parere, vt quod ſi minus ipſa vniuerſalem pacem ptoducere poſſit, ſit contentus quod ſaltem particularem operetur pacem. Orator itaque anxius & ſolicitus apud pontificem pro eliciendis Venetorum oblationibus inſiſtebat, quas & ſuperiori libro memorauimus. Ut igitur Gurcenſis per Collam eas intellexit, circa lacum Benacum in oppido Reiffo ex itinere ſubſiſtit, indeque eundem Collam ad pontificem remiſit, & pro ſaluo conductu (quod Latini olim dixiſſent, *pro literis tuti itineris, & publicæ fidei*) & pto induciis inter beatitudinem ſuam & Regem Chriſtianiſs. ad ducem Ferrariæ, item & pro amplioribus Venetorum oblationibus. Ad hæc & oratori Regis Catholici Hieronymo Feych exponi fecit, cum Pontifex ipſum literis compluribus in Italiam vocauerit, Rex item Catholicus ſæpius fuerit cohortatus, vt nomine Cæſaris Italiam peteret, tum pro incremento & gloria Cæſaris, tum ſua ipſius propria, videatur ſibi, quod cum magno dedecore Germaniam repetiturus ſit, vbi paeem ipſe procuraſſet, in qua Venetis Padua relinqueretur, neque etiam ea pax grata Cæſari eſſet futura. Præterea & id ipſum eſſet contra decreta, inter Cæſarem & Regem Chriſtianiſs. inita. Proinde niſi ſanctiſſimus vna cum Rege Catholico Venetos vrgeat ad maiores oblationes, non ſit inſtitutum ſuum vltra Mantuam progredi. Pontifex his auditis, nullis induciis aſſentire voluit, neque aliquam concordiam cum Rege Franciæ & duce Ferrariæ ſe inturum affirmauit, niſi habita Ferraria. At Venetos ſe in præſens ad ampliora aſtringere non po-
p. 269 tuiſſe aſſeruit, cum nemo ex parte Cæſaris cum pleno mandato adſit, qui huiuſmodi oblationes nomine eiusdem acceptet. *Adueniente autem* (inquit) *Gurcenſi (cui contra conſuetudinem noſtram plenum ſaluum conductum dedimus) facere curabimus omnia, quo is cum honore proprio & incremento, gloriaque Cæſaris in Germaniam redeat.*

Poſt hæc Gurcenſis lacum Benacum relinquens, ad Mantuam proficiſcitur, quo in loco oratores principum confœderatorum conuenerant. Aderat illic Stephanus Epiſcopus Pariſienſis nomine Regis Chriſtianiſſimi, Gurcenſis quidem ſecum illuc duxerat Epiſcopum Cathilinienſem, oratorem Regis Catholici apud Cæſarem degentem, breuique poſt eum venerat Hieronymus Feych, nomine Regis Catholici apud Pontificem oratorem ſe gerens, & Archidiaconus Mantuanus nomine Pontificis. Gurcenſis Mantuæ multum diuque de ſua vlteriori profectione hæſitabat, quoniam maiora promiſſa ſuperioribus à Venetis non erant oblata: tandem tamen adhortatione Hieronymi Feych, eiusque pollicitatione ad vlteriorem profectionem fuit adductus. Pontifex qui per id tempus Rauennæ erat, vbi intellexit Gurcenſem ad ſe venturum, Bononiam redire ſtatuit, quod

maior Hoſpitiorum commoditas & aer ſalubrior Bononiæ, quam Rauennæ, eſſet. Gurcenſis priuſquam Padum tranſiiſſet, terræ motus Mutinæ & Bononiæ eſt auditus, de quo neſcio quid præſagiuerint. Pado igitur tranſito, eodem ipſe die Mutinam venit, & inibi à ciuibus & Vicario, vel (vt cum vulgo loquar) Locumtenente, Vito de Furſt oratore quam honorificentiſſime eſt exceptus. Deinde Mutinæ certos comoratus dies, auctoritate imperiali qua fungebatur, exemptiones & ptiuilegia toti territorio eſt elargitus. Poſt hæc Mutinam linquens, Bononiamque petiturus, à Pontifice (qui eodem etiam die Bononiam ingreſſus, omnia illic inordinata offenderat) iuſſus fuit extra ciuitatem, in poſterum diem ſubſiſtere. Sub noctis tamen crepuſculo per Franciſcum Allodiſium legatum in ciuitatem ſecreto fuit introductus, & ad ſanctiſſimi oris oſculum & ſecretum colloquium remotis arbitris admiſſus. Poſtridie publice Bononiam ingrediens honeſtiſſima comitiua virorum & curiæ & ciuium comitatus eſt exceptus, qui paucis poſt diebus à pontifice ad exponenda mandata accerſitus in hunc ferme modum orationem habuit. *Beatiſſime pater, ſcripſit alias Beatitudo tua ad inuictiſſimum Cæſarem, quod ipſe me huc ad ſe legaret, pro tractandis, componendis & concludendis negotiis, quæ pro honore & incremento ſua Maieſtatis deſeruire viſa fuerint. Cæſar itaque quo deſiderio tuo obtemperaret, me huc deſtinauit, prius tamen quam ex itinere arrepto me huc contuliſſem, Beatitudo tua me monuit & adhortata eſt, vt cum omni celeritate maturare conarer, quippe quæ curare velit, quo cum gloria honoreque & Cæſaris & meo ipſius proprio in Germaniam repedarem & maxime in re Veneta efficere velit, quod Veneti omnibus, quæ in Italia continenti poſſident cedant, dempto Teruiſio & Padua, quæ ſane loca in feudum ab imperio recognoſcere habeant; certam quotannis pecuniam Cæſari pro eiſdem penſuri. Et quandoquidem Cæſari nequaquam honorificum foret, Venetis Paduam & Teruiſium relinquere, nec aliquod habeo mandatum pacem conficiendi, niſi illis locis reſtitutis, quocirca ſacratiſſimus Cæſar rogat atque obſecrat, vt Beatitudo tua (ſi Veneti obſtinate ea loca tenere nitantur) dignetur eoſdem deſerere, ſimulque ea omnia facere, quæ bonum confœderatum iuxta conditiones fœderis Cameracenſis oportet & conſentaneum eſt.* Pontifex facta & audita huiuſcemodi mandati expoſitione tempus deliberandi ſumpſit, interim deputauit tres Cardinales, Raphaelem Epiſcopum Oſtienſem, Camerarium ſancti Georgii, Petrum Eccleſiæ ſancti Quiriaci Reginum, & Ioannem ſanctæ Mariæ in Dominica de Medicis. per eosdem Pontifex conditiones pacis declarauit aſſeruitque, quod paratus ſit efficere apud Venetos, vt hi Veronam & Vincentiam Cæſari relinquant. Item quod Tetuiſium & Paduam in feudum ab Imperio recognoſcant, certam penſionem Imperatori quotannis pro eiſdem locis contributuri. Item quod forum Iulium & reliqua, quæ in continenti Italiæ tenent, Patriarchæ Aquileienſi cedant, qui vaſallus ſit Imperii iuxta antiquum tempus.

Et vbi pax illa ſubſequeretur, ac Cæſar iſtiuſmodi pacis conditionibus aſſenſum accommodaret, polliceatur, ſe effecturum & curaturum, quod Gurcenſis nanciſcatur patriarchatum Aquileienſem, Cardinalatum, & quam plurimas dignitates Eccleſiaſticas, vnde pro annuis reditibus & vectigalibus colligere poſſit centum millia ducatorum.

At Gurcenſis nullis promiſſis, nullis item muneribus ſeu donis, quibus quotidie quam magnificentiſſime proſequebatur, nec aliqua alia te ſibi propoſita, adduci ſeu flecti potuit, quo mandatum ſibi iniunctum transgrederetur. Iuxta quod cum negocia expedire non liceret, veniam abeundi à Pontifice efflagitauit, qua ſane impetrata, Bononia quartodecima die ſimul ac illuc venerat, di- p.270
ſceſſit. Poſt cuius quidem abitionem Fabritius cum ſua gente à rege Catholico fuit auocatus, & Bononiæ magna inter curiales trepidatio ſuborta. Gurcenſis deinde Murinam petiit, ac paucos inibi dies commoratus, ſubinde cum Epiſcopo Pariſienſi Parmam profectus eſt, de communibus rebus ibi colloquuturi.

Qui-

Quibus illic conſtitutis Pontifex per oratorem Regis Scotiæ ad id munus deſtinatum declarari ſeu exponi iuſſit, quod per eum non ſteterit, nec hodierno adhuc die ſtet, quo minus Italia pacem conſequatur plurimis ad id rationibus allegatis. At illi excuſantes Principes ſuos, certa propoſuerunt pacis media, rationi ſatis conſentanea, quæ ſi Pontifex acceptare voluiſſet, Italia pacem & tranquillitatem aſſecuta fuiſſet. Interim Vitus de Furſt orator & Locumtenens Mutinæ Cæſareus, nonnulla ordinauit repagula Bononiam verſus. Admiſit etiam intra ciuitatem iuſſu Domini Gurcenſis ducentos pedites Italos ſub Gallis militantes. Ex agro item Mutinenſi commeatus exercitui Gallorum importari permiſit. quibus de rebus Pontifex acriter contra Vitum mouebatur, de eo expoſtulans, petinde ac ſi conuenta ſecum inita minus ſeruare curaret; tametſi Vitus ad nulla eſſet aſtrictus, niſi ut ciuitatem Mutinæ tempore belli Ferrarienſis, neque Gallis neque duci Ferratiæ traderet. Sed de his hactenus.

Reuertamur igitur ad exercituum geſta. Gallorum exercitus Mutinenſibus ſecuritate data, ad Padi ripas ſe contulit, aliquantiſperque ibi commoratus, dein copiis Ducis Ferrariæ circa fluuium Panorum è regione Bondeni (quo in loco ampliot pars exercitus Eccleſiaſtici conſederat) ſeſe iungere cœpit, pontibus duobus ſuper Pado conſtructis. Ambo quidem exercitus, quo tempore Gurcenſis cum pontifice in tractatu verſabatur, circa dictum fluuium pene otioſi ſedebant. Ut vero Gurcenſis Bononia re infecta diſceſſit, & Galli & Eccleſiaſtici ſeſe loco mouerunt, non multum à præfato fluuio digredientes. Iacobus Triuultius Gallorum Imperator, ſeu (vt nunc loquimur) capitaneus generalis, in itinere Concordiam expugnabat, quam plurimis in ea trucidatis, & in foſſis caſtelli ſubmerſis, Mirandulæ vero expugnationem in aliud tempus oportunum differens. Pontifex autem ad prouidendum rebus exercitus ſui Bononia abiens, ad oppidum Cento ibat, militibus ſtipendia penſurus. Deinde Bononiam reuerſus, ſenatoribus accitis, eisdem de ſuo diſceſſu declarauit, quos & exhortatus eſt vt in fide erga ſe conſtantes firmique perſeueratent.

At illi optima quæque polliciti togarunt, vt Beatitudo ſua & ciuitatis & portarum curam ſibi permitteret, facturi vti fideles & optimi ſubditi. quorum verbis & pollicitationibus Pontifex ductus, voluit vt certi deligerentur ciues præfecti, & (vt cum vulgo loquar) capitanei, qui cum militibus portarum & mœnium cuſtodiam ſuſciperent, ordinatis ad id pecuniis. Bononiæ igitur rebus ſic diſpoſitis Pontifex Rauennam ſe recepit. Per id temporis Galli circa memoratum fluuium Panorum, ad locum qui dicitur Bonport, progreſſi, inibi cum exercitu traiicere conati: è regione vero Eccleſiaſtici milites & bombardarum miſſilibus, cæterisque telis repugnare, Gallosque à traiectu arcere. Cum vtrique diutius inibi, quam par eſſet, tempus contriuiſſent, tandem Triuultio conſultum fuit, quod verſus fluuii originem exercitum duceret, vbi offenſurus ſit in fluuii vado locum pedibus tranſmeabilem. Ad quem quidem locum vt Galli peruenere, agminatim fluuium tranſierunt. Primum equites transgreſſi, dein Germani conglobati, poſthac Vaſcones, & vltimo reliqua exercitus pars, cum tormentis muralibus, & inſtrumentis bellicis. At Eccleſiaſtici milites interea temporis circa caſtellum Francum caſtrametati ſunt, expectaturi Gallorum impetum: quinimo ferebatur eoſdem ſua ſponte Gallos adoriri velle, manumque cum eis conferre. quam opinionem Triuultius veriſimilem faciebat, exercitum ſuum ab ipſis Eccleſiaſticis longiotis ſpatii interuallo collocando. Pontificis exercitus dicebatur vigintiquinque millibus & peditum & equitum conſtare; Gallicus vero duntaxat duodeuiginti millibus conſtabat. Paucis poſt diebus Triuultius caſtra verſus montana mouit, tanquam ab illis locis Bononiam obſeſſurus. Cui rei vt Eccleſiaſtici occurrerent, incontinenti caſtra reliquerunt, loca intra Pontem Rheni & ciuitatem præoccupaturi. Galli poſthac recta via contra hoſtes progredi ſategerunt, & in loco ad tertium vix lapidem ab Eccleſiaſticis diſtante caſtra poſuerunt.

Et

Et vt certos deinde dies ambo exercitus ex oppoſito conſtitiſſent, ſuperue-
* De hoc in vita Georgii Fronsbergii p. 14. nit nobilis vir Georgius de Fruonſchberg * cum mille peditibus Germanicis à Verona ad Gallos pro ſuppetiis miſſus, Antea etiam Cæſar miſerat Dieboldum de Stein in ſubſidium Gallorum, cum octingentis peditibus. Habebat & Iacobus de Emps idem & Sueuus & nobilis, vti alij duo, ſtipendio regis Franciæ ſupra bis mille & ducentos pedites. Galli, quo caſtris maior accederet exiſtima- p. 271
tio & pondus, ac ciues Bononienſes clarius cognoſcerent Maximilianum Cæſarem conatibus ſuis conſenſum præſtare, Locumtenentem Mutinæ accerſiri fecerunt. Et quoniam Locumtenens prædictus verſabatur in practica (vt ita loquar) & ſecretiori conſilio cum nonnullis ciuibus ſuper deditione ciuitatis Cæſari offerenda: idcirco non inuitus ad Gallorum caſtra conceſſit, quibus dictam ſuam practicam communicauit, ne res à ſe inconſultis ipſis agi videretur. Eandem practicam Galli approbantes aſſeruerunt ſibi gratum fore, quod Bononienſes ſe Cæſari dedant. Accidit autem altera nocte ſequente circa tertiam fere noctis vigiliam, quod in ciuitate Bononiæ magnus ſubotiretur tumultus, ac plerique proditionis conſcii proclamarent, *Populo, populo.* Quo ſane tumultu capitanei, quibus portarum cura commiſſa fuit, per vim portas aperientes, Bentiuolos ex domo eorum (quam in Gallorum caſtris habebant, in loco unde proximum erat itet de caſtris Bononiam verſus) euocarunt, qui mox ſe de loco mouentes, in ciuitatem ſe receperunt. Eramus tunc in caſtris & in prædicta domo. Introductis ergo in ciuitatem Bentiuolis, Franciſcus Allodiſius legatus, ſuppellectile ſua relicta, cum paucis vix aufugit. Capitanei vero Eccleſiaſtici, vt cognoverunt ciuitatem proditam, è veſtigio ſe ad fugam expedire cœperunt. At Venetos auxiliatos, qui vltimo de proditione accepetant, populus Bononienſis ciuitatem egreſſus adortus eſt, multos ex eis occidendo, multos capiendo, bona item eorum diripiendo, quo quidem tempore Veneti in primis male mulctati ſunt circa
Anno 1511. Bononiam, in diem ſequentem, qui erat vigeſimus ſecundus Maii, anni vndecimi ſupra milleſimum quingenteſimum. Galli reliquias exercitus Eccleſiaſtici perſequebantur, quo itidem de Bononia ſine ſanguine & ſine aliqua vi ad Bentiuolorum ditionem redacta eſt. Bononiæ autem arx erat totius fere Italiæ munitiſſima ampliſſimaque, Iulii Pontificis ſumptibus conſtructa, eam nomine pontificis Georgius Vadiſius tenebat. Is quia bombardarum iactibus ciuibus magna inferebat damna, nec ipſe arcem dedere volebat, quocirca Galli & Bentiuoli inſenſi, eandem vi expugnare ſtatuerunt. Sed erant nonnulli ciues intra Bononiam, quibus Bentiuolorum dominatus diſplicebat, hi apud Locumtenentem Mutinæ egerunt, vti clam arcem intraret, eamque nomine Cæſaris acciperet. Locumtenens, quo res Domini ſui ampliores redderet, confeſtim Bononiam petens ſe in arcem prædictam recepit, comitatus tum à me & alio famulo dumtaxat, facta itaque ſibi nomine Cæſaris arcis conſignatione, & alio in locum ſuum ſubrogato, poſtridie mane ad Bentiuolos proficiſcitur, ad denunciandum eiſdem arcem ſibi nomine Cæſaris traditam. At Bentiuoli Locumtenenti infenſi indignabundique eundem intra cameram pallatii detinuerunt, me vero ad capitaneum Gallorum (qui circa arcem cuſtodiæ cauſa incubabat) ire compulerunt, tandem tamen eodem die paulo ante noctem libere dimiſſi ſumus. Galli deinceps & Bentiuoli omnia inſtruere & parare pro arcis expugnatione cœperunt. Verum quia nulli in arce commeatus erant, collocati illic præſidii gratia obſidionem diutius tolerare non potuere, ac paucis poſt diebus arx dicta fuit tradita, & à populo Bononienſi funditus diruta. Sic excelſa & magnifica in mundo ruere ſolent. Per eoſdem dies Franciſcus Maria Urbini dux, Rauennæ Franciſcum Allodiſium Legatum pontificis cutiam egredientem, multis vulneribus confoſſum, in publica platea interemit. Qui duas ferme horas poſt vulnera accepta vixit, nulla emittendo verba niſi illa, *O mea peccata hæc merentur.* Et ita præfatus legatus (quem Papienſem nominare ſolebant) ſine ſacramentis pro more Chriſtiano interiit, vir verſutus, callidus, audax, crudelis, & ſanguineus. Cuius me-

moriæ

moriæ pontifex ſubinde Romæ maledixit, quem tamen antea & honotibus & dignitate ſubleuauerat. Eo autem tempore quo Gallicus exercitus perſequebatur reliquias Eccleſiaſtici exercitus, Joannes Franciſcus Picus comes Mirandulæ rebus ſuis diffidens, Locumtenentem Mutinæ accerſiri fecit, ad faciendam eidem nomine Cæſaris Mirandulæ conſignationem. Ea ſane re Locumtenens adductus, Mirandulam contendit, qui ſimul atque à præfato comite per clauium ciuitatis & arcis traditionem & iuramentum Mirandulæ poſſeſſionem nactus, eius adminiſtrationem Gerardo comiti de Arch commiſit, ducentos eidem pedites Germanos aſſignans, quos Georgius de Fruonſperg Veronam rediens ſibi miſerat, deinde ad Mutinam rediens. Abiens vero Joanni Pico ſuaſerat, vt quam primum ad Cæſarem ſe conferat. Res illa poſtquam ad Jacobum Triuultium perlata eſt, magno eum dolore & mœſtitia affecit. Quandoquidem cupiditas ſe vlciſcendi aduerſus Pontificem & comitem Franciſcum
p. 272 primaria extiterat cauſa, propter quam capitaneum totius exercitus ſuſceperat, idcirco ad dictum Locumtenentem familiarem ſuum mittebat conquerendo, quod ſine mandato Cæſaris Mirandulam ad manus ſuas ſuſceperit, & quod potius ſibi quam Franciſco fauere debuerit: cum filia ſua ex poſſeſſione à Pontifice per vim fuerit exturbata; & præfatus Franciſcus Pontifici ſe vt feudatarium in præiudicium Cæſaris ſubmiſerit. Et proinde non obſtante illa conſignatione, velit cum vniuerſo exercitu ad obſidionem Mirandulæ proficiſci, quod ſane cum magna feſtinatione facere ſtuduit. Is itaque vt cum exercitu Mirandulam acceſſit, priusquam bombardæ & inſtrumenta bellica collocarentur ad quatiendos muros, certi inter Triuultium & Locumtenentem Mutinæ habiti ſuere tractatus. Tandem Mirandula promiſſa eſt ſub conditionibus Triuultio, inter quas vna erat, *quod ſi Cæſar intra menſem mandaret, vt cederet de loco, quod huic mandato velit eſſe obediens.* Et ad eandem conditionem ſe aſtringebant reliqui Capitanei, & in primis Locumtenens regis Franciæ, Goſthus dux Nemurſi. Alia quoque conditio erat, quod comes Franciſcus poſſit libere exire, qui illis diebus intra cameram mulieris delituerat. Sic Triuultius accepit poſſeſſionem Mirandulæ, & comes Franciſcus eam exiens, Mutinam peruenit cum locumtenente, qui poſtquam quatuor dies Mutinæ degerat, profectus eſt Florentiam, vt inſtituto patrui ſui illic philoſopharetur. Vxor vero cum libris ſe Mutinæ continuit, imprudenter vero egerat dictus comes. Nam quo tempore Gurcenſis (qui Cæſaris erat legatus & Locumtenens generalis in Italia) Mantuæ eſſet, ipſe admonebatur ac ei conſulebatur, vt Mirandulam ad manus Gurcenſis conſignaret, quod id ſine præiudicio iuris ſeu proprietatis facturus eſſet. Huiusmodi ipſe conſilio obtemperare noluit, nimium Pontificis viribus confidens. Sed quando vidit fractas Pontificis vires, tum primum recurrit ad id medium, ſed ſero ſapiunt Phryges. Nam Triuultius in continenti miſerat oratorem ad Cæſarem pro confirmatione poſſeſſionis, & obtinuerat vt Cæſar tutelam, quam poſt mortem Ludouici comitis conceſſerat filiæ ſuæ, approbauerit & confirmauerit. Voluitque Cæſar, ne Locumtenens aliqua in futurum loca nomine ſuo acciperet, niſi cum expreſſo ſuo mandato. Per id vero temporis quo Galli milites Eccleſiaſtici exercitus perſequebantur nomine Cardinalium; qui Florentiæ ſeceſſerant, nomine item Cæſaris & Regis Chriſtianiſſimi, Concilium generale ad Calendas Septembris Piſis celebrandum indicebatur. Ad quod quidem vocarunt Julium Pontificem, publicantur literæ indictionis Parmæ, Regii, Mutinæ, Bononiæ, & etiam Rauennæ, vbi erat Pontifex. Itaque Pontifex rebellione ſeu defectione Bononienſium, fuga exercitus, & indictione concilii perculſus, Romam redire ſtatuit, quo & vigeſimoſeptimo die menſis Junii peruenit, relinquens Cardinalem Petrum tunc ſancti Quiriaci, vulgariter Regium nuncupatum, Legatum Bononiæ & Romandiolæ. Qui ſane Legatus collectis ſex millibus peditum, & trecentis equitibus leuis armaturæ, & totidem grauis armaturæ Bononiam recuperare inſtituit, fretus fauore aliquotum ciuium, qui

Concilium Piſan.

Bentiuolorum dominatum deteſtabantur. Idipſum Galli audientes, ſtatim in ſuccurſum Bononienſium aduolarunt cum quadringentis equitibus grauis armaturæ. Quorum auxilio Bentiuoli eum ciuibus Eccleſiaſtieis in fugam verterunt, ac dein in ciues factionis Pontificiæ magnam exercuerunt crudelitatem, eorum bona publicando, ac nonnullos trucidando. Interea autem Germani & Galli coadunati, contra Venetos proficiſcebantur, qui poſteaquam oppidum Suaue per vim expugnarunt, Venetiani ſe receperunt ad Paduam & Teruiſium, relinquentes Vineentiam, & alia quædam loca Cæſarianis. Cæſar vero per idem tempus in valle Aſuſiorum arcem illam, Schalam dictam, & locum Kobel nuncupatum ad deditionem compulit. Deinde ad Bruneccum ſe contulit, inde prouectus eſt eum duobus millibus peditum, ingentique tormentorum muralium vi ad expugnationem areis Codobriæ, quam Beitelſtein vocant, quam poſtea multo labore ad deditionem, Italis in ea prædii gratia conſtitutis abire permiſſis, Germanis autem transfugis ad vnum trucidatis. Germani vero & Galli, vt venerunt in agrum Taruiſanum ad fluuium Blauum, qui antiquitus Silis eſt nuncupatus, Chriſtopherus Epiſcopus Labacenſis, item Chriſtopherus de Rogendorff Auſtralis, Georgius de Liechtenſtein, & alii capitanei & præfecti Germanorum, decreuerunt profieiſci in forum Julium, à Gallis contendentes, vt interea circa dictum fluuium morarentur, ad Venetorum impetus & incurſiones arcendas. Quæ res primum diſplicebat Gallis, qui noluerunt à Germanis ſeiungi: tandem tamen contentio quieuit, & Galli Germanorum ſecuti ſunt conſilium, ac circa præfatum fluuium perſeuerarunt, quousque Germani vniuerſum forum Julium ad deditionem Cæſaris redegiſſent. Morati tamen aliquantiſper circa caſtellum Gradiſcam, quod vi ad deditionem compulere. Quo quidem tempore Cæſaris exercitus contra Vene- p.273
tos proficiſcebatur, Alphonſus dux Ferrariæ cum populo Regienſi & auxiliaribus copiis Gallorum ex Bononia redeuntium, oppidum Carpi obſedit, murisque bombardarum iactibus quaſſatis, Albertum de Piis compulit ſe ad mediam oppidi partem admittere. Nam anno ſuperiori, vt Galli eiecto Pontificis præſidio oppidum Carpi duci Ferrariæ & dicto Alberto reſtituiſſent, ipſe dux ſuam vendiderat partem Alberto, pro viginti ſex millibus ducatorum, & Albertus dederat ei in numerata pecunia viginti duo millia ducatorum. Quum autem reſiduam pecuniam Alberti commiſſarii ad conſtitutum tempus reddere vellent, eam Alphonſus aeceptare noluit. Et quoniam eo tempore Albertus Mediolani Gallorum captiuitate detinebatur, quocirca eius commiſſarii verentes id quod poſtea euenit, Cæſarem adierunt, & literas ad Alphonſum impetrarunt, quibus eidem Cæſar ſub pœna priuationis Feudorum inhibebat, ne per vim occuparet Carpi, ſed ſi quid iuris prætenderet, illud iure ac iudicio experiretur. Illæ literæ ad Locumtenentem Mutinæ mittebantur, præſentandæ ab eo Alphonſo. Dux vero Alphonſus diſſimulans ſe literas Cæſareas accepiſſe, in propoſito ſuo perſeuerans, Carpi per vim occupabat. Dum Alphonſus in obſidione Carpi verſaretur, mittebar ego à Vicario populoque Mutinenſi ad Gallorum Capitaneos, vt denunciando eisdem Cæſareæ Maieſtatis ſententiam & voluntatem, eos à propoſito auocarem. Sed ipſi allegantes iuſſu & mandato Boſthi generalis Locumtenentis ſe Ducis copiis coniunxiſſe, nihil efficere potui. Allegabant præterea reſcriptum Cæſaris emanaſſe, quo tempore Albertus captiuus fuerit, & in eum caſum Cæſarem Alberto prouidere voluiſſe, iam vero Albertus emancipatus domum redierit: & ita re infecta diſceſſi. Albertus dein ad Cæſarem ſe contulit de Duce expoſtulaturus, qui impetrauerat à Cæſare literas, & ad commiſſarios Ducis in oppido Carpi exiſtentes, & ad ipſum ducem, in quibus Cæſar ſub pœnis prioribus Alphonſo iniungebat, vt Carpi Alberto reſtitueret, & commiſſarios ex oppido abire faciat. Sed dux mandatis Cæſareis ſe inobedientem exhibuit, qui & in multis aliis Cæſaris mandata contemnere videbatur: nam crebras habebat contentiones cum Locumtenente Mutinæ, quem impediebat,

Scala Kobel. Bruneck. Codobria.

pediebat, quo minus obedientiam à montanis Mutinenſium conſequeretur. Præterea & ſaluum conductum Locumtenenti prædicto dare recuſabat, quo ſal Mutinam deduceretur per terras ſuas, atque frumentum in terris ſuis emptum Mutinam deuehi non patiebatur. Quare Cæſar commotus, accito oratore Ducis, qui ſuam curiam ſequebatur, eidem per conſiliarios ſuos denunciari iuſſit, vt ipſe cum Domino ſuo ageret, quod à memoratis ſe rebus contineat, alioquin ad vindictam vltionemque irritetur.

At Julius Pontifex vt Romam aduenit, haud longe poſt in febrem incidit, & vsque adeo male ſe habere cœpit, quod per totam increbuerit Vrbem, Pontificem intetiiſſe, Omnes namque tabernæ, omnes item officinæ claudebantur. Vrſini præterea & Columnenſes in armis ſtabant, quæ quidem fama obitus Pontificis allata eſt ad Cardinales Mediolani conſtitutos, item ad Cæſarem, item ad Regem Franciæ eius obitus tam certus exploratusque habebatur, quod legatus Romandiolæ iter verſus Romam arripuerit, & Cardinales Mediolani exeuntes hoſpitia Ferrariæ, & aliis in locis diſpoſuetint, Cæſar quoque voluerit vt Gurcenſis* cum Cardinale Adriano Romam proficiſceretur, ad nouam Pontificis creationem. Non longe poſt certior ſuperuenit veritas de vita Pontificis. Qua autem nocte Pontifex exiſtimabatur mortuus, Franciſcus Cardinalis Eccleſiæ Sancti Clementis mortem obiit; & Cardinalis Reginus ex itinere arrepto Arimini ſubſtitit, ac inibi diem clauſit extremum, maxima pecuniarum ſumma apud eum reperta, cui in officio legationis ſubſtitutus fuit Joannes tunc ſanctæ Mariæ in Dominica Cardinalis de Medicis. Pontifex vt à febribus conualuit, animum ad turbandum concilium Piſanum intendit, & eodem ſub anathemate prohibito, indixit aliud Concilium œconomicum ſiue generale, Romæ celebrandum in palatio Lateranenſi ad feſtum Paſchæ anni duodecimi ſupra milleſimum quingenteſimum, quam concilii indictionem publicauerat vigeſima prima menſis Julii. Poſtea Cardinales Mediolani conſtitutos monuit, vt ad obedientiam reuerterentut, quos tanquam benignus pater & clementer ſuſcipere, & eis gratiam miſericorditer impertiri velit. At Cardinales monitis Pontificis nequaquam auſcultantes, in menſe Octobri Piſas profecti ſunt, ad auſpicandum concilium in menſe Maio indictum. Inibi igitur conſtituti poſtquam ſupplicationes diuinas ex more fecerunt, Seſſionem habuerunt, in qua Bernatdinum Epiſcopum Sabinenſem, tunc ſanctæ Crucis Cardinalem, & patriarcham Hieroſolymitanum Concilii præſidentem conſtituerunt. Deinde nomine Concilii decem delegerunt ciuitates, quas Julio Pontifici obtulerunt, quo
p.274 pro œconomico ſeu generali concilio agendo aliquam ex eis eligeret, & quod ſi ei nulla ex eisdem placet, vt ipſe viciſſim decem deligat ciuitates, & electionem offerat. Ciuitates autem quæ pontifici fuere oblatæ, erant Conſtantia, Thurinum, Biſantina ciuitas, Gebenna, Metenſis ciuitas, Caſſale, Verzelle, Auinionum, Lugdunum, & Verona. Pontifex intellecta oblatione nomine Concilii Piſani facta, tantum abfuit, quod illi conſenſum accommodaret, vt mox Cardinales ipſos & omnibus honoribus dignitatibusque priuaret. Quod ſimul ac Cardinales cognouere, duabus dein ſeſſionibus habitis, concilium transtulerunt Mediolanum, quartam illic ſeſſionem vigeſimo ſecundo die menſis Decembris celebraturi. Maximilianus Cæſar ſtatuerat Epiſcopum Brixienſem ad Concilium Piſanum mittere, qui tamen certis ex cauſis quas allegauerat, ab huiusmodi onere leuatus eſt, poſthac ordinauit, ac cum pleno mandato abſoluit, Felicem comitem de Werdenberg, Hietonymum comitem de Tyrol Veronenſem, & Doctorem Faellam Vicentinum, qui Tridenti ſubſiſtentes, vlterius hactenus progreſſi non ſunt, neque ad quartam concilii ſeſſionem, quæ ex cauſis emergentibus in quartum diem Januarii prorogata fuit, peruenerunt. Cui quidem ſeſſioni priores Cardinales qui Florentiæ ſeceſſum fecerant, interfuerunt, præter Conſentinum, qui in Regio è viuis exceſſerat. Adetant item ex Eccleſia Gallicana quinque archiepiſcopi, item viginti Epiſcopi, item viginti

* *Quæ ad huius loci explicationem facunt, reperiuntur in ſubſequenti præfatione ad Petri Valerii-ni epiſtolam de Gurcenſis Epiſcopi introitu Romano.*

viginti quatuor abbates, ex quibus Abbas Clarævallis populum publica concione alloquens, inuehebatur contra Julium pontificem, mores totius Eccleſiæ Chriſtianæ peſſimos reprehendebat, item ex Pariſienſibus Doctoribus quatuor Theologi, item plærique procuratores ex capitulis Cathedralium Eccleſiarum. Julius autem pontifex quam primum concilium Piſanum erat indictum, verebatur, ne illud ſi viribus ſubſiſteret, quippiam in ſui deſtitutionem agere conaretur. Quocirca ad turbandum illud, & ſimul ad res Eccleſiæ Romanæ recuperandas, Ferdinandum Regem Catholicum ſolicitare cœpit, vt confecta cum Sarracenis pace, ac ſecum fœdere inito, exercitum in Italiam contra Gallos trajicere velit. Rex quippe Catholicus, in ipſa ætate, maximas copias equitum & peditum, cum non mediocri apparatu bellico Africam transmiſerat, ad domandam gentem infidelem. Vbi vero accepit exercitum Pontificis fractum, & Concilium Piſanum indictum, veritus Gallorum potentiam in Italia creſcere, facile adducebatur ad obſequendum voto & deſiderio Pontificis, atque pace cum Sarracenis conſtituta, exercitum in duas diuiſit partes. Vnam remiſit in Hiſpaniam, alteram cum ſeptuaginta tribus nauibus magnis, & quindecim triremibus retinuit, quam & Neapolim adnauigare iuſſit, ad coniungendam ſe cum copiis illic coadunatis. Et ne videar Hiſpanos ex induſtria velle debita defraudare laude, obiter explanabo, quæ ab his tum geſta fuere. Nam & ſi ipſi armorum vi nihil eo tempore attentarint, attamen belli oſtentatione id tum aſſecuti ſunt, quod rex Numidarum, qui nunc Rex Tunnicenſis nuncupatur, ſeſe ſubditum & tributarium regi Catholico conſtituerit. Is nempe Rex accipiens belli apparatum, quem Hiſpani contra Africam inſtruxiſſent, miſſis Oratoribus ad Regem catholicum ſuppliciter ab eo petiuit, quo ſe in protectionem & amicitiam perpetuam accipere dignaretur, pro qua ſane re paratus ipſe ſit facere donationem firmam & ratam de omnibus ciuitatibus & caſtellis in littore maris ſitis & ab eo tentis. *Item quod velit easdem terras vna cum Chriſtianis defendere, & omnia damna eisdem terris per Sarracenos euenientia perſoluere. Item quod ſingulis annis velit ei viginti millia ducatorum tributi loco pendere. Item quod Rex ipſe Catholicus cum exercitu pertranſeat ad expugnanda alia Africæ regna, quod & ipſe vna cum eo ad quorumcunque populorum expugnationem proficiſci velit; quod ſi ipſemet non tranſeat, ſed exercitum mittat, obligat ſe ad præbendum commeatus, equos & mulos ad portandum omnia neceſſaria ad exercitum.* His conditionibus Rex Catholicus aſſenſum præſtitit, ac ipſum Regem Numidarum in protectionem & amicitiam recepit, magnis & firmis cautionibus acceptis. Quærebat autem dictus Rex Numidæ pacem perpetuam, ſed eam non niſi ad quinquennium aſſequi potuit, poſt pacem hanc cum Sarracenis firmatam, Rex Catholicus miſit Neapolim decem millia peditum Hiſpanorum, mille ducentos equites grauis armaturæ. Dein ligam ſeu fœdus commune cum Julio Pontifice & Venetis iniit pro mutuo quidem auxilio, & in primis pro recuperandis ac tuendis rebus Eccleſiæ Romanæ, pro ſalario vero Hiſpanorum in ſingulos menſes à Venetis viginti millibus ducatorum conſtitutis, & totidem à Pontifice. Memorata confœderatio Romæ in templo quod vocant Mariæ de populo Calendis Octobris publicata exiſtit, & dux de Thermis capitaneus ligæ ſeu fœderis generalis deſignatus.

Per id autem temporis Germani, vniuerſo Foro Julio, quæ regio inter Sontium & Liquentium amnes ſita eſt, ad ditionem Cæſaris Maximiliani reda- p. 275
cto, redierunt ad Gallos, qui (vt ſupra narrauimus) circa Planum fluuium per agrum Teruiſianum ex valle Codobria fluentem morati ſunt, quibus cum ad obſidionem Teruiſii proficiſcebantur. Germani multo propius quam Galli ad Teruiſium caſtra metabantur, ac quotidianis cum hoſtibus certaminibus vtebantur. Ex Teruiſio quidem frequentia tela ſeu miſſilia ex bombardis in caſtra ia- *Teruiſium.*
ciebantur, à Cæſareanis autem militibus nullæ contra Teruiſium oppugnationes attentatæ, nec aliqua tormenta muralia ad quatiendos muros ſeu hoſtium agge-

ros

res admota fuere. Teruiſium antea haudquaquam munita erat, ſed hoſtes opere & induſtria munitiſſimum effecerant, nam ſuperioribus mœnium partibus circumcirca demolitis, ingentem eleuarunt aggerem, poſt muros foſſam fecerunt & altam & latam, poſtquam & aliam parauere foſſam, ſed occultam, & multis ſtimulis ferreis & puluere ſulphureo repletam, quæ ingredientibus ſi non mortem, ſaltem maximum attuliſſent damnum. Vbi vero exercitus decem fere dies circa Teruiſium moratus fuiſſet, iuſſu Cæſatis eſt diſſolutus. Et præſidio ciuitatibus & oppidis Fori Julii ex Germanis impoſito, Galli petiuerunt hiberna. Molardus Vaſconum capitaneus ſe contulit ad oppidum Carpi. Jacobus de Emps profectus eſt Veronam. Mille vero & quingenti pedites quos de Griſeo fœdere * appellirant, & Rex Franciæ tum mercede conduxerat, Brixiam ſe receperunt, inibi ſoluto ſtipendio dimiſſi fuere. Equites Gallici ſe contulerunt Parmam & Rhegium. Ex Burgundionibus capitaneus Dominus de Reis profecturus ad hiberna, dum nimis incaute progreditur, à Venetis captus eſt cum aliis nonnullis equitibus.

* Grabunder.

Interim Julius Pontifex apud Cæſarem vehementer inſtitit, vt Gurcenſem ad ſe deſtinare dignaretur, pro conficienda concordia inter ipſum & Venetos. Cuius rei gratia Veneti certas naues ſigno Aquilæ inſignitas ordinauerunt, quibus Gurcenſis de Venetiis Anconam deferretur. Cæſar pro ſaluo ducto Gurcenſis quatuor petebat ciues obſides, inter quos vnus eſſet patritius, atque ipſe tum in Auſtria verſabatur, quocirca Veneti vt viderunt eum longius ab Italia abeſſe, paruaque præſidia pro cuſtodia fori Julii impoſita, obſides denegarunt, & comparato collectoque exercitu, Vincentiam vendicarunt & deinde ad Forum Julium progreſſi, & eiectis præſidiis, breui vniuerſum Forum Julium recuperarunt, præter caſtellum Cremons, & oppidum Gradiſcam, quod quidem circa medium Nouembris obſidere cœperunt & cum nonnullas oppugnationes fruſtra tentaſſent, Chriſtophorus Frangipan Comes Croatinus cum ſexcentis militibus Goritia exiens, ex vna parte Sontii amnis, qui Goritiam alluit, & Gradiſcam præterlabitur, profectus eſt contra hoſtes ad faciendum impetum in eos. Et dum dictus Chriſtophorus Venetos adortus eſſet, interea quidam Germanus, Joannes Grubler de Veltkircha cum trecentis delectiſſimis militibus ex altera Sontii parte ſubſidii gratia ingreſſus eſt Gradiſcam. Collocauerat autem Cæſar antea pro præſidio Gradiſcæ Germanos & Bohemos bombardis optime inſtructos. Veneti poſteaquam cognouere ſuos conatus circa Gradiſcam irritos eſſe, cum non mediocri damno diſceſſere, & profecti ſunt ad vallem Codobriam; vbi vniuerſa fere recuperarunt, præter arcem Codobriam, lingua Germanica *Beitelſtein* appellatam. Germani pedites poſtquam per exploratores accepere, Venetos in valle Codobria verſari, & circa Caſtellum dictum Pleyff, conſediſſe, ſubito illic hoſtes aggreſſi, plures quam ſexcentos equites & pedites trucidarunt, reliquis fuſis & fugatis, ac memorato caſtello concremato, ad tutiora loca reuerſi ſunt. Jodocus vero de Fucaris illud clauſtrum Italiæ, quod in via Torminii verſus Noricum eſt ſitum, nomine Cæſaris tenens, cum videret id ipſum ex Italiæ locis nequaquam munitum ad reſiſtendum, nec poſſe defendi, puluere ſulphureo in locis obſcuris poſito ac diſpoſito, vt interiecto certo temporis interuallo ſimul atque diſceſſiſſet, ignem conciperet, conſumptum eſt flamma, plurimis ex hoſtibus vita ſublatis. Hiſpani interea per agrum Picenum iter facientes petiuerunt Vmbricum & Æmiliam, quorum Capitanei erant Fabricius de Columna, Marcus Antonius de Columna, Petrus de Nauarra, qui anno ſuperiore Tripolim expugnauerat, & nonnulli alii Capitanei. Capitaneus vero generalis erat Raymundus de Cardone Vicarius ſeu prorex, vel (vt cum vulgo loquar) Vicerex Neapolitanus, quoniam Dux de Thermis paulo ante mortem obierat. At Goſthus dux Neumurſi Regis Franciæ (vti diximus) Locumtenens in Italia, cognito Hiſpanorum aduentu, certis equitibus & peditibus Bononiam præmiſſis, ipſe cum equitatu Rhegium vsque ſubſecutus eſt, & poſt-

Pleyff.

quam ibi pauliſper ſubſtitiſſet, atque allatum eſſet Heluetios contra Longobardiam incurſiones machinari, mox Rhegio relicto Mediolanum ſe contulit. Anno quippe ſuperiore Locumtenens regis Franciæ Carolus de Ambogia quen-
Schwyz. dam tabellarium ex pago Heluetiorum, qui appellatur Schwiyz, ad Pontificem p. 276
profecturum interceperat, eundemque vltimo affecerat ſupplicio, id ipſum populus dicti pagi vindicare cupiens, iam tum bellum Regi Franciæ indicabat, tam pro ſe, quam pro ſuis ſociis, atque aliorum pagorum accitis confœderatis cum duodecim millibus poſtularunt ſatisfactionem illius iniuriæ, quæ anno exacto Heluetiorum genti per memorari tabellarii obitum ac cruciatum illata ſit. Dictis Dux obtulit viginti millia ſcutorum pro ſatisfactione, vt illis acceptis ad propria redirent. Cumque vtrinque in multis verſarentur tractatibus, interea ex Bernenſibus tria millia aduolauere. Heluetii itaque ex vniuerſis pagis coadunati, audita Locumtenentis oblatione, ex oratoribus reuerſis coacto concilio, deliberarunt denuo oratores ad dictum Ducem mittere, qui pro ſatisfactione poſtularent duo caſtella agri Sebuſiani ſeu Bullicenſis, Lucan & Lucarine dicta, item ducenta millia ſcutorum, item & tranſitum ad Julium Pontificem, ſeu ad terras Eccleſiæ Romanæ. His quidem mandatis expoſitis, princeps Neumurſi offerre cœpit viginti quatuor millia ſcutorum, nam maiora illis eodem tempore ipſe offerre nequeat. Quo reſponſo ad Heluetos relato, ipſi mox ſe de loco mouerunt, ac hoſtili animo terras ducatus Mediolani deuaſtare cœperunt, & itinere continuato vsque ad ſecundum lapidem à Mediolano, cum vniuerſis copiis progreſſi fuere, omnia circum circa ferro & igne depopulantes. Ex quorum ſane aduentu Mediolanenſes mirum in modum deterreri, officinas claudere, foſſas aquis replere, in magnoque proditionis diſcrimine verſari. Quapropter dictus Dux Gallorum copias vndecunque conuocare, Heluetios equitatu circumſiſtere, & ſi qui paulum à caſtris, aut frumentatum aut lignatum ſeceſſerant, ſtatim eos intercipere. Ad hæc Molardus cum Vaſconibus, & Jacobus de Emps cum peditibus Germanicis aduolare. His de rebus Heluetii adducti, cum præda ad agrum Sebuſianum redire ſtatuerunt, minitabundi ſeſe
1496. aliquando futuros auctores egreſſus Gallorum ex Italia, quemadmodum auctores extiterint ingreſſus.

Libet nunc parum à materia propoſita digredi, & Gallorum in Italiam deſcenſum ingreſſumque altius repetere. Anno nonageſimo ſexto ſupra milleſimum quadringenteſimum Alexander Pontifex ſextus indignatus Alphonſo Apuliæ Regi ſuccenſensque, quod is Julianum Cardinalem Oſtienſem Epiſcopum, Julium ſecundum poſtea vocatum, contra ſe foueret, nec debitam obedientiam præſtaret, contra Alphonſum accerſebat Carolum Francorum Regem octavum. Cuius itidem ingreſſum, & Ludouicus Sphortia Mediolani dux ingenti pecuniarum ſumma promiſſa ſolicitabat, quod is præfato Alphonſo multum eſſet inſenſus. Poſtquam autem Alphonſus animaduertit Carolum Franciæ Regem magnum facere bellicum apparatum, ſe Alexandro Pontifici ſubmiſit, eique & fidelitatem obedientiamque debitam exhibuit, quo quidem facto, Pontifex Carolo denuntiauit, quo cœptis deſiſteret, quoniam Alphonſus ſibi reconciliatus eſſet. Carolus vero magnos tum fecerat ſumptus, Heluetiorum ad decem millia conduxerat, aliaque inſtruxerat paraueratque. Idcirco Pontificis mandato auſcultare noluit, ac quam celerrime cum copiis equitum & peditum, quorum ſupra viginti millia fuiſſe conſtat, Italiam ingrediebatur, & per Longobardiam iter faciens à præfato duce Ludouico & pecunia & re frumentaria adiuuabatur. Poſthæc Ethruriam ingreſſus à Florentinis quam honorificentiſſime eſt exceptus, Florentiæ certos commoratus dies, Romam proficiſcebatur. Alexander autem eius aduentu deterritus ad caſtellum Sancti angeli confugit, quem & Carolus obſedit, tandem tamen quorundam Cardinalium interuentu, diſcordiæ inter Pontificem & Carolum compoſitæ fuere, Regi à Pontifice in ob-
* Borgia. ſidem dato Cardinale Cæſare Borrea * filio ſuo, quem Alexander ſequentibus

tempo-

temporibus capitaneum Eccleſiæ conſtituerat, ac Valentinum Ducem nuncupari fecerat. Carolo nonnullos dies Romæ agente, & pro arbitrio omnia diſponente, cum exercitu Apuliam ingrediebatur, & menſe haud exacto à die introitus, vniuerſum regnum ditioni ſuæ ſubmiſit, Alphonſo in Siciliam profugiente. Et quo tempore Carolus in Apulia hæc ageret, interea Ludouicus Aureliani dux cum magnis ſubſequitur copiis, tanquam ſuppetias Carolo allaturus, poſteaquam is in Longobardiam venit, Ludouico Sforciæ bellum mouit, eundem ducatu Mediolani deturbaturus, fretus auxilio copiarum ex Apulia redeuntium. Maximilianus quidem Cæſar, Ferdinandus Rex Hiſpaniæ, Veneti & Pontifex Alexander, vt viderunt Caroli conatus, mutuam inter ſe confœderationem inierunt pro ferendo auxilio duci Ludouico Sforciæ, & pro extruſione Gallorum ab Italia. Agebat Maximilianus per id tempus conuentum Germaniæ Wormatiæ, in quo ipſe adhortabatur Principes Germaniæ pro ſuccurſu impe-
p. 277 rii, & reipublicæ Chriſtianæ, ac certa millia peditum Germanorum cum quadringentis equitibus Ludouico in auxilium mittebat. Carolus autem, vt primum intellexit Germanorum aduentum in Italiam, atque dictam confœderationem contra ſe initam, Italiam egredi maturabat, ne iter ſibi ab hoſtibus intercluderetur. Veneti & Dux Mediolani mox copiis maximis contractis vltra fluuium Thaurum ſupra Parmam labentem, in eo loco per quem Carolus iter facturus erat, caſtrametati ſunt. Carolus vero circa Thaurum aliquantiſper commoratus, fame & deſperatione adductus, ferro ſibi iter aperiundum cenſebat. Inſtructo igitur exercitu flumen ingrediebatur, quod propter ſaxa & celerem aquæ curſum cum maxima difficultate erat transmeabile, Italis è regione Gallos repellere arcereque conantibus, vtrique ad pugnam peruentum eſt, fitque maximus conflictus in flumine. Poſtremo Carolus victor ſuperiorque eo prælio euaſit, plurimis interfectis. In eo quidem bello ſuccubuit Rudolphus Gonzaga patruus Franciſci Marchionis Mantuæ, & plerique alii viri famatiſſimi. Carolus dein victoria potitus in Galliam properabat; nam cum ſciuiſſet ſuppetias Germanorum aduentare, malebat fortunæ periculum cum Italis ſolis, quam cum eisdem in ſimul congregatis experiri, tametſi Italorum exercitus triplo pene maior fuiſſet, quam Gallorum. Carolus itaque vbi Italiam exiuit, regnum Apuliæ ab eo defecit. Ludouicus autem Aureliani Dux Nauarra ad deditionem compulſa, ipſe in ea ab Italia & Germanis auxiliaribus fuit obſeſſus, & ad maximam neceſſitatem anguſtiamque deductus. Tandem ob certas ſeditiones inter Germanos & Venetianos millites ſubortas, dux Sphortia cum Ludouico Aureliani Duce pacem conſtituit. Sic Galli ea ætate, cum maximos motus in Italia concitaſſent, iamque formidabiles Turcis & Sarracenis facti eſſent, breui temporis ſpacio cum dedecore domum repedare fuere coacti. Et quoniam Carolus inſtigatione (vti dicebatur) Petri de Medicis, Piſas auulſerat à Florentinorum ſubiectione, quamobrem Piſani vt ſuam tuerentur libertatem, contra Florentinos Venetias acceſſerunt, ſolicitantes ſenatuique ſupplicantes, vt ſe in protectionem ſuſcipere dignarentur. Veneti precibus ipſorum moti, auxiliares eis copias miſerunt. Ludouicus autem dux timens, ne Veneti ſub colore tuendorum Piſanorum Piſas occuparent, apud Cæſarem Maximilianum ſolicitabat pro eius in Italiam ingreſſu: qui & anno poſtea VII. inſciis Germanis principibus Longobardiam ingrediebatur, deinde Piſas ſe recipiebat, partiendo copias militum, quas ſecum adduxerat interim Liburnum obſidere, arque conuocatis confœderatis, his fere verbis affatus eſt. *Haud ſane*, inquit, *neſcii ſumus, quin Galli animum habeant redeundi in Italiam, proinde quo ipſi intra limites regni ſui ſe contineant, decreuimus eosdem in propriis ſedibus vsque adeo vrgere & premere, vt tandem deponant animum ad dominium Italiæ aſpirandi. Et quoniam anno ſuperiore tanquam confœderatus bonus pro expulſione Gallorum noſtras deſtinauimus ſuppetias, cupimus itaque intelligere, quantum quisque confœderatorum nobis in id bellum auxilii polliceri velit.* At confœderati habita deliberatione reſponderunt, *ſeſe*

non

non exiſtimare Gallos propter iacturam, quam paſſi ſint Italiam repetituros, neque ad hanc rem opus eſſe aliquo auxilio. Maximilianus vt hoc reſponſum à confœderatis accepit, atque vt caueret inſidias Venetorum, quas ſibi Piſis ſtruxerant, celeriter Italiam reliquit, Germaniam petiturus. Carolusque cum aliam expeditionem meditaretur, febre correptus interiit, & in locum ſui ſurrogatus fuit à regno Ludouicus Aureliani Dux, quem quidem regem Maximilianus non ignorabat habere animum inuadendi ducatum Mediolani. Idcirco anno octauo poſtquam Friburgi in Brisgauia conuentum aliquorum principum egiſſet, cum certis copiis equitum & peditum per Sequanos proficiſcebatur contra terras regis Franciæ, & cum nonnullas excurſiones leuiaque prælia contra Gallos confeciſſet, nec quicquam auxilii à confœderatis ſibi offerretur, pacem cum rege Franciæ Ludouico conſtituit, ad id quidem faciendum inducebatur propter bellum, quod dux Geldriæ contra terras Philippi filii ſui mouerat. Ludouicus autem rex Franciæ alta mente reuoluens ignominiam expulſionis ſuæ ab Italia, quam Caroli tempore perpeſſus erat, anxius ſolicitusque meditabatur, quo pacto ſe contra Mediolani Ducem vindicaret. Itaque inſtigatis ac ſolicitatis Heluetiis contra Sueuos ſibi conterminos, ac inita cum Venetis ſocietate, ipſe, & Veneti vno eodemque tempore bellum contra Ludouicum Sphortiam Mediolani Ducem ſuſceperunt. At is acceptis liberis ſuis & theſauro, in Germaniam ad terras Maximiliani confugit. Sic rex Ludouicus anno nonageſimo nono ſu-
1499. pra milleſimum quadringenteſimum, Ducatum Mediolani, ſine aliqua vi aut repugnatione obtinuit: & Veneti occuparunt Cremonam & terram quæ dicitur Clara Abduæ, & terram quandam circa lacum Benacum. At Heluetii interim contra Sueuos & terras Cæſaris hæreditarias incurſiones agentes, eas ferro & igne deuaſtare. Cæſar vero bello, (vt antea memoraui) Sicambrico implici- p. 278
tus eſſe, nec poſſe tam celeriter pro ſuccurſu Germaniam ſuperiorem repetere.
Sueuorum clades. Et Sueui, cum eorum deeſſet caput & ductor, confundi, palantiumque inſtar vagari, & temeritate ac ignauia capitaneorum certas profligationes & ſtrages accipere, quarum tres memorabiles extitere. Vna in agro Rauricorum, id eſt Baſilienſium, facta eſt, apud caſtellum Dornack, vbi forte nouem millia equitum & peditum conuenerant, ductu Henrici Comitis de Furſtenberg. Heluetii ſimul ac de eorum aduentu certiores facti, ſubito eos adoriri & obruere ſtatuerunt. Cum autem Baſilienſes comitem Henricum, & capitaneos ſub ipſo conſtitutos de Heluetiorum acceſſu admonuiſſent, atque exhortati eſſent, quo ſe ad loca tutiora conferrent, aut ad repugnandum inſtruerent, comes prælatus temeritate quadam fidem Baſilienſibus dare noluit, & capitaneos præterea inferiores hujuscemodi admonitionem & conſilium approbantes exprobrando obiurgauit: *Si quis* (ait) *ſibi timeat, induat loricam.* Breui deinde poſt Heluetii inopinato aduolauere, ac prædictas copias ſine ordine offendentes obruerunt, ac magnam in eas ſtragem edidere: quo quidem in prælio Comes Henricus occiſus, temeritatis ſuæ pœnas luit, interfectis cum ipſo & Comite Simone Weckaro De Bitſch, & Barone De Caſtelwart, item plerisque equitibus Burgundionum, item & plerisque ciuibus Argentinenſibus & Brisgaudiis. Altera etiam ſtrages apud Conſtantiam facta fuit, nam cum certo die ſupra ſeptem millia equitum & peditum Conſtantiam ſuiſſent egreſſa, & nonnullas incurſiones depopulationesque in terris Heluetiorum edidiſſent, in reditu ipſorum pauci Hel-
Suaderloch. uetii ex loco obſcuro, quem Germani & accolæ loci appellitant Suaderloch, egreſſi contra Sueuos proficiſcebantur, & repente ipſos territos fuderunt ac fugarunt, plerisque nobilibus vitiliter repugnantibus interfectis, inter quos ſuccubuerunt duo equites aurati & nobiles De Randeck, Burckardus & Henricus, item & Joannes De Neuneck, & quidam alii nobiles. Nam equitibus ſeſe opponentibus, pedites interim nemine inſequente fugerunt. Tertia clades fa-
Bregem. cta eſt circa Bregantium oppidum, quod ad initium lacus Batauici ſeu Conſtantienſis ſitum eſt, vbi circiter mille & quadringenti ex Sueuis deſiderati ſunt,

tam

tam hoſtili tamque crudeli animo inter ſe Heluetii & Sueui debachabantur, quod nulli parceretur, nec aliqui reciperentur captiui, ſed omnes trucidarentur. Hæc dum fierent, interim Maximilianus Cæſar ex Geldria aſcendere cœpit, ac principibus & ciuitatibus Germaniæ auxiliares copias indixit. Aderant ex Nurenbergenſibus nongenti pedites, Marchio Brandenburgenſis Fredericus cum ſeptingentis equitibus. Rupertus, filius Philippi comitis Palatini de Heydelberga cum ducentis equitibus. Epiſcopus vero Herbipolenſis circiter centum miſerat equites. Sed dux Wirtenbergenſis ad quatuor millia peditum bene inſtructorum habebat. Poſtquam igitur Cæſar ad Uberlingam peruenit, relictis præſidiis locorum, repente ad comitatum Tirolis proficiſcebatur. Nam Heluetii illos Alpinos de Griſeo fœdere dictos & quos ſibi etiam confœderatos habent, contra hoſtes Cæſaris ire iuſſerunt, auxiliis eisdem ad hanc rem faciendam miſſis, qui ſimul atque multa loca deprædati fuiſſent, tandem ſubditos Cæſaris circa originem Atheſis in loco Mals appellato adorti, eos maxima cla- *Mals.*
de affecerunt. Qua re Cæſar commotus ad vlciſcendum ſe de illis proficiſci maturabat, & terras dictorum ingrediens ferro & igne deuaſtabat. Interim Heluetii cum magnis copiis militum, quorum ſupra ſedecim millia fuerunt in planum deſcendentes, ad cuiusdam caſtelli obſidionem (quod Stocka vocant) *Stocka.*
acceſſerunt, quod cum certis diebus obſediſſent, vt expugnare potuiſſent, obſidionem ſoluerunt, & ad tutiora loca ſe receperunt, moti potiſſimum quod ex omnibus locis præſidia confluerent, vt vnitis viribus cum eis manum conſererent. Poſt hæc Cæſar vt ſe vltus eſſet de populo griſei fœderis, Conſtantiam rediit, confeſtimque ex locis propinquis militibus accitis, ſtatuit Heluetios ſubito aggredi. Ex ciuitatibus quidem Sueuiæ mox aderant quatuor millia peditum, totidem mittebat Dux Wirtenbergenſis, & ſexaginta equites bene inſtructos. Habebat item Cæſar circa ſe bis mille equites, præfatæ itaque copiæ poſtquam Conſtantiæ coadunatæ fuiſſent, decreuit Cæſar Heluetios adoriri, ac dictas copias cohortabatur, *quo eo die ſibi obſequerentur, ac forti animo ſe contra Heluetios ſequerentur, quod ipſe primus eſſe velit in aggrediendis hoſtibus*, ac erigi curauit vexillum magnum, in quo aquila erat depicta. Cum autem coniuncti conuenerant, dicto Cæſaris ſe audientes fore pollicerentur, copiarum Ducis Wirtenbergenſis ductores, cauſabantur fame & itineris labore fatigatos nihil eo die efficere poſſe. Præterea cum dux Wirtenbergenſis ampliores teneat copias auxiliares, quam vniuerſum fere Imperium, ſeu totum fœdus Sueuicum, ipſe noluit populum periculo exponere, quousque ſinguli confœderati ſua deputata miſiſſent
p. 279 auxilia. Quamobrem Cæſar eo die nihil agere potuit, præter votum & deſiderium ſuum, quia non ignorabat in rebus bellicis occaſionem non negligendam, interdumque feſtinationem maximos producere euentus ac rerum mutationes, ideo properabat contra Heluetios, priusquam admonerentur, aut maioribus ſe viribus firmarent. Ita cum bellum eſſet protractum vsque ad æſtatem, tandem interuentu aliquorum pax inter Cæſarem & Heluetios interucnit, quam dux Ludouicus Sphortia multum ſolicitauit. in eo bello ex vtraque parte plurimi deſiderati, ſed multo plures ex Sueuis quam Heluetiis, quoniam Cæſar ab initio belli erat abſens, bello (vti ſcripſimus) Sicambrico implicitus: & Sueui quodammodo conſuſi erant & ſine ordine palantes, tametſi Heluetii eo bello nonnihil confuſionis reportauerint. Nam certum eſt eos obſidionem oppidi Stocka timore reliquiſſe. Præterea cum ipſi ad Hegaugiam profecti eſſent, *Hegau.*
ab ipſis equitibus in fugam verſi ſunt, non ſine parua cæde ipſorum, & Itel Fredericus de Zolern cum tribus nauibus ex Lindou traiiciens ad Raſtog, ipſos Heluetios repugnantes repulit, pletisque ex ipſis interfectis, & bombardis aſportatis. Prætetea ex pago Nuders ditionis Cæſaris ad octo millia ipſorum fugati *Nuders.*
ſunt à ſubditis Cæſaris. Vtcunque tamen ſit, Heluetii eo bello multo maiorem cladem intulerunt Sueuis, quam Sueui contra, tum Sueuorum temeritate, tum capitaneorum ipſorum ignauia. Adhæc Heluetii ad id bellum erant præmeditati,

tati, & communi consilio (vti solent) rem gerebant, quam ob causam actiones ipsorum prosperiores sortiebantur successus. Accedebat his, quod populus Sueuiæ, & potissimum ciuitates imperiales Heluetiorum libertati plurimum fauebant, nobilitatemque detestabantur. Et etiam in annalibus reperitur Heluetios semper bellicosos fuisse. Scribit enim Julius Cæsar, *Heluetios reliquos Gallos virtute præcedere, quod fere quotidianis bellis præliisque cum Germanis contendant, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt.* Bello itaque inter Heluetios & Sueuos pacato, Ludouicus Sphortia Mediolani Dux à suis pro reditu solicitatus, à Cæsare petiit vt consensu eius conducere possit pedites, tum ex Heluetiis tum ex Sueuis. Cui Cæsar, *Volo*, inquit, *conuocare principes & ciuitates Germaniæ, quorum auxilio te in ducatum restituere conabor.* At ille ait, *Nollem opportunitatem negligere, jam cum à meis accersor, paruis copiis vniuersa assequi potero.* Tum Cæsar, *Si*, inquit, *huic meo consilio obsequi nolueris, tibi secundo loco consulo, ne te Heluetiorum fidei committas, sed duntaxat Sueuos mercede asciscas, tutior namque eris, quod Sueui & Heluetii haud facile conueniant.* Sed neque illi consilio dux obtemperare voluit, qui nouem millibus Heluetiorum & Sueuorum ad stipendia sua accitis, ac liberis apud Cæsarem relictis Italiam ingrediebatur, ac breui vniuersa perdita recuperabat, eiectis præsidiis Gallorum. Anno dein millesimo quingentesimo Dominicæ natiuitatis, Ludouicus Gallorum rex magna equitum & peditum stipatus caterua in Mediolanum descendit, ducens secum ad sex millia Heluetiorum, & vt ambo exercitus ex aduerso constitissent, ac iam de mutuo conflictu expectaretur, Heluetii quibus dux largiter stipendia dederat, & Fratres in concione appellitauerat, noluerunt aduersus Gallos & reliquos Heluetios arma mouere, ac Ducem ipsum gregali indutum habitu ne agnosceretur, deseruerunt, sicut Volateranus prosa, & Petrus Crinitus carmine scripserunt, quo quidem tempore & Sphortia captus est, & pedites Sueui armis & bonis exuti, Heluetii vero honoribus & præmiis decorati, quibus de rebus Heluetii non incongrue iactitant, *sese esse auctores ingressus Gallorum in Italiam.* Anno præterea secundo supra millesimum quingentesimum, Ludouicus Gallorum Rex maximas copias equitum & peditum destinauit contra Fredericum regem Apuliæ: quem & breui expulit, vniuerso regno in suam ditionem redacto. At Ferdinandus Rex Catholicus, & vxor eius Elisabetha prætendentes ius ad regnum Neapolitanum, non mediocribus copiis contractis, Gallos Apulia extrudere statuerunt, quibus & Maximilianus ex portu Tergestino mille noningentos pedites Germanos pro suppetiis auxiliaribus misit, inter quas plurimi ex nobilibus Sueuiæ progeniti erant, habuerantque Hispani ante prædictorum aduentum trecentos fere pedites Germanos. Capitaneus igitur Regis Catholici Germanorum peditum accessu non mediocriter exhilaratus, non dubitauit postea, cum Gallis & Heluetiis congredi ter circa oppidum Canosum, vbi olim Hannibal Romanos ad internicionem pene deleuit, cum eisdem manum conserens, ipsos ingenti clade affecit, Vicerege interempto. Post eam pugnam Galli exercitum circa Caietam restaurarunt, vbi circa fluuium Garlianum dictum, cum Hispanis congressi, superati victique fuere, plurimis ex eis interfectis & captis, & tormentis mirabilibus ac instrumentis bellicis amissis, quæ Heluetii turpiter fugientes deseruere, ac Hispanis reliquere. Gallis itaque ex regno Apuliæ expulsis, Hispani anno tertio supra millesimum quingentesimum illud ad suam ditionem redegere, & id hodierno adhuc die tenent ac possident. Vnde non immerito scripsit in triumpho suo Veneris Henricus Bebelius Justingensis, vnicus mihi amicus familiaris arctissimus, *Sæpeque tentatur fatalis Apulia Gallis.* Nec item obscure animaduerti potest humanarum rerum instabilitas ac mutatio. Apulia habuerat in octo annis sex reges. Carolus Gallorum Rex octauus Apuliam ingrediebatur anno sexto supra millesimum nonagesimum. Et expulit Alphonsum filium Ferdinandi, qui paulo

Heluetiorum virtus.

1500.

1502.

1503.

p. 280

paulo anteaquam Carolus Italiam intraret, mortem obierat. Poſt Carolum regnauit Ferdinandus Filius dicti Alphonſi, qui alias Ferandinus cognominabatur, & mortuus eſt rex. Succeſſitque ei Fredericus patruus, qui fuit expulſus à Ludouico Francorum rege, qui Ludouicus & ipſe regnauit & fuit expulſus à Rege Catholico, qui in præſentiarum regnat. Poſt eas quidem ſtrages quas in Apulia accepere, Janua metropolis Ligurum deficere cœpit; quamobrem Ludouicus maximo equitum & peditum exercitu coacto, anno ſexto ſupra milleſimum quingenteſimum ad Januæ oppugnationem acceſſit, quam vi obtinuit, miſericorditer tamen & clementer cum victis agens. De his hactenus, & ad proſequendam hiſtoriam reuertar.

Heluetii vt cum præda ad Sebuſianos redierunt, interea Hiſpani forum Cornelium, quam Imolam vocant, applicuerunt, exinde Petrus de Nauarra cum exercitus parte, ad oppugnationem loci, quem Allabaſtia nominant, acceſſit. Eundem pridie Calendas Januarii bis adoriens, expugnare non potuit, quadringentis ex militibus amiſſis, poſtridie dictum locum maiore aggrediens vi expugnauit, omnibus in eo trucidatis. Reliqua vero exercitus pars quamplurima caſtella ad comitatum Bononienſem ſpectantia occupauit, inter quæ erat caſtellum Budirium, in quo inuenta fuere viginti quinque millia corborum frumenti, quod quidem frumentum precii erat triginta millium ducatorum. Galli Heluetiis diſcedentibus, totis viribus contra Hiſpanos contenderunt, confeſtimque miſerunt Ferrariam Molardum cum duobus millibus Vaſconum, & quibusdam equitibus grauis armaturæ. Bononiam vero miſerunt Jacobum de Emps Sueuum, cum mille & quingentis peditibus Germanis. Statim poſt Hiſpani ad obſidionem Bononiæ acceſſerunt. Et quoniam terra ex eo loco vnde ciuitatem expugnare propoſuerunt, plana erat, & propter vehementem miſſilium proiectionem quæ in eos iaciebantur, diu maiores bombardas mœnibus admouere non potuere, ac minoribus duntaxat vtebantur. Interim Alphonſus Dux Ferrariæ, 14. die Januarii cum Vaſconibus & nonnullis Germanis, ad oppugnationem Allabaſtiæ profectus eſt, quam tribus horis ſimul ac adortus eſt, expugnauit, interfectis centum octoginta Hiſpanis, & octoginta Italis. Dux quidem Neumurſi cum reliquo exercitu Rhegium petiit. Inde Fredericum Gonzagam Mutinam miſit, ad ſignificandum Locumtenenti Cæſareo, quod iſtis tranſitum & ſtatiua pro exercitu habere velit. Cui gubernator reſpondit, *ſe Gallis tranſitum concedere non poſſe, quod Mutina ſibi à Pontifice nomine Cæſareæ maieſtatis conſignata fuerit, ita vt eandem neque Duci Ferrariæ traderet. Cæſar quoque voluerit Mutinam eſſe à bello immunem, & (vt ita dicam) neutralem ac neutri partium adhærentem, præterea & Galli anno ſuperiori Mutinenſibus cautionem ſecuritatemque contulerint de non offendendo diſtrictu Mutinenſi.* Præfatus igitur Dux his rationibus allegatis ductus, inſtitutum ſuum mutauit, & per alia loca Bononiam contendit. Hiſpani autem Bononiæ obſidionem continuantes, poſt longam tandem penſitationem 7. Calendis Februarii, cum veſpertinum foret crepuſculum, quamplurimi ex eis cum inſtrumentis, quos ſclopetos & arcubonſos appellant, circa foſſas apparuerunt intra portam vici ſancti Stephani & Barachinum, quem locum Malcontonem nominarunt, ibique crebris miſſilium ſeu globorum iactationibus propugnatores ciuitatis ex mœnibus propulſarunt, nec vnquam ceſſarunt, quoad murales machinæ in loco præfixo fuiſſent conſtitutæ, quas apud monaſterium diui Franciſci, vbi moniales habitare ſolebant, collocarunt. Poſtridie cœperunt concutere mœnia ciuitatis, quæ in quibusdam locis adeo debilia reperta ſunt, quod vnico globi iactu vtrinque perforata fuerint, quocirca Hiſpani certatim illud concurrere, Schlopetis aliisque inſtrumentis præſidia ciuitatis vulnerare & interficere: ac propterea alacriores facti ſcalas muris admouere, atque delubrum quoddam in mœnibus ſitum (quod beatæ Mariæ virginis de Barachino nuncupatur) conſcendere, illinc eos qui ciuitatem tuebantur, percutere quod vbi Germani pedites, & Gallorum equites cataphractarii animad-

uerterunt, mox mœnia audacter conſcendere, & Hiſpanos partim capere, & partim interficere, reliquos vero ad fugam vertere, quarto Calendis Februarii Hiſpani quatuor arcus mœnium muralibus tormentis deiecerunt, ac XL. pedites diſpoſuerunt, qui cuniculis ſubterraneis factis, murorum exciſioni incum- p.281
berent, id vbi Gabriel de Sulza Sueuus ſenſit, confeſtim cum ſuis commilitonibus, aduerſus eosdem cuniculos fodere cœpit, quo per cuniculos, intra muros ciuitatis à ſe factos, puluis ſulphureus igne conceptus ſine mœnium ruptura erumperet. Poſtero die circa quartam vigiliam noctis, populus Bononienſis campanarum ſono ad arma eſt citatus. Verebantur enim Bononienſes, ne Hiſpani in eo die, quoniam mœnia magna latitudine diruta latiorem viam parauerant, ciuitatem occupare niterentur, quod moris ſit Hiſpanorum, die Mercurii & Veneris libenter ciuitatum expugnationem attentare, ſed eo die mutua fide promiſſa, inducię factæ ſunt, & ex Hiſpanorum exercitu profecti ſunt Bononiam Joannes Vitellus; Joannes de Saxadello; & quidam capitaneus Hiſpanus, qui nomine Pontificis & totius exercitus perſuadere conati ſunt Marco Antonio de Fantutier agenti pro tota ciuitate, vt Bononiam traderet, nec Bononienſes patiatur totius ciuitatis diuitiarumque & honoris expectare excidium. Re autem infecta diſceſſum eſt, & capitaneus Molardus cum duobus millibus peditum, inter quos ſeptingenti erant Germani, quos nuper capitaneus Linſer ex Germania adduxerat, item & cum ducentis equitibus grauis armaturæ Bononienſibus præſidio aduolauit. Calendis vero Februariis, cum ob nimiam Bononiæ mœnium ruinam latiſſimus Hiſpanis pateret acceſſus, ita vt cum conſueto & toto ordine ingredi poſſent, decreuerunt ipſi ciuitatem expugnare, ac inſtructo agmine in expeditionem conſcenderunt, iamque non ſolum pedites, verum etiam equites ſuperatis foſſis, ſuperatoque loco vbi mœnia conſtiterant, munimenta & aggeres intra ciuitatem præparatos tentabant inuadere. Sed qua Bononienſes pridie in parte diruta murorum multos currus faſcium cum pice aliisque fomentis ignem facillime concipientibus appoſuerant, qui vt igne correpti ſunt, tantam & ignis & fumi denſiſſimi vehementiam ediderunt, quod Hiſpani illam pati nequientes retrocedere cogerentur.

Interea Goſthus princeps Neumurſi de Rhegio ſe mouit, & cum exercitu profectus eſt ad loca Final & Bundinum, ac dein 4. die Februarii Bononiam petiit, in cuius acceſſu & ingreſſu Bononienſes nullum fecere ſignum lætitiæ, non pulſando campanam, nec emittendo bombardas, poſtridie Galli intra ciuitatem ordinem inſtruxerunt; ad congrediendum cum Hiſpanis. Hiſpani vero prælium detrectantes ſe de loco mouerunt, & ad fluuium Idiſſum, qui ad quintum fere lapidem à Bononia diſtat, contulere, relinquentes in prædam panes & puluerem ſulphureum multum. At Gallis circa Bononiam occupatis, vbique per Italiam vulgatum extitit, *Maximilianum Cæſarem cum Venetis concordare.* Quam quidem famam Veneti confirmantes, & Brixienſes & populum circa lacum Benacum ad rebellionem ſolicitarunt, ac cum quibusdam ciuibus primariis ſuper Brixiæ traditione agere cœperunt, quoniam proditione ſeu factione freti, & equitum & peditum copiis coactis, die 25. Januarii, ſub nocte Brixiam adierunt, ſperantes Brixiam apertis portis occupare, ſicuti conſtituerunt. Sed quidam proditionis conſcius ante præmonuerat Gallos, qui rem clam & ſecreto tenentes, tempore acceſſus Venetorum, optimam obſeruabant cuſtodiam, diſpoſuerantque, vt aduolantibus Venetis, frequentes telorum ſeu miſſilium iactationes contra hoſtes agitarentur, ad arcendam eorum vim. Venetis autem recedentibus, & ſua ſpe fruſtratis, eodem die capti ſunt XXI. ciues, & inter quos erat filius comitis de Auagaris, hi omnes trucidati ſunt, & eorum bona publicata. Veneti breui poſt cum amplioribus copiis, quam antea reuerſi ſunt, & Gallis illic præſidio conſtitutis circa vnam partem ciuitatis viriliter repugnantibus, Ciues interim Venetos, ex aliis locis funibus ſuper muros in ciuitatem traxere. Id vt Galli accepere, è veſtigio in arcem profugerunt, multis

tis ex eis captis & occiſis. Accidit autem vt quidam eques Gallicus impeditus in arcem profugere non poſſet, is igitur ad ciuem familiarem ſe recipiens, eidem CCCC. obtulit ducatos (ſeu *aureos ducales* Latinius) quo ſibi auxilio ad euadendum eſſet. Ille quidem ciuis pecuniam oblatam accipiens, & auxilium promitteus, Gallum ruſticali habitu indutum domum exire iuſſit, ac tum mox ruſticis & ciuibus prodidit, qui captus per ciuitatem ductus eſt, cum ingenti ruſticorum vociferatione. Tandem ruſtici ventrem Gallo gladio aperuerunt, ac cor eiusdem exciderunt, quod in plurimas partes diſſectum, alius alii eiusdem partiunculam virga præbuit. Sed groſſiorem ventris partem recipientes, in os dicti Galli immiſerunt, cum hac exprobratione, *Tu te ex nobis ſaturaſti, craſſumque feciſti, iam illam pinguedinem manduca.* Adhæc ruſtici & ciues non contenti huiusmodi crudelitatem in viros exercuiſſe, qui & mulierem Gallicam inuentam occidentes, eiusdem pudenda ſeu cunnum in virga detulerunt. Sic Bri-
p.282 xienſes quoscunque Gallos aſſequebantur, miſerabiliter perire fecerunt. Breui dein terræmotus auditus, quo vniuerſa ciuitas contremuit. Veneti ea Brixiæ occupatione multum elati, ſpem conceperunt Veronam, Cremonam, & teliqna loca recuperandi. Et quoniam ſcripſi per Italiam fuiſſe famatum Cæſarem cum Venetis concordaſſe, volui latius explicare quo pacto huiusmodi rumor increbuerit. Thomas archiepiſcopus Strigonienſis Cardinalis ex Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Vladislao Hungariæ & Bohemiæ Rege Romam legatus erat, ad ſolicitandam concordiam inter Cæſarem & Venetos: præterea & Veneti in locum defuncti oratoris alium ſubrogauerant cum mandato concludendæ pacis. Is Romam ſecum adduxit X. ciues, & vnum patricium, offerens Cæſari pro ſecuritate Gurcenſis patricium & 4. ciues obſides deſtinare. Et à Pontifice iuſſus offerre pacis conditiones, cœpit primum offerre eos, quos Veneti anno ſuperiore Mirandulæ Vito de Furſt obtulerant. Pontifex perinde ac infenſus voluit, vt Veneti illis oblationibus relictis ea repeterent, quæ Bononiæ fuiſſent tractata. Et cum negotium ipſum inter dictum oratorem Venetum, & Joannem Collam commiſſarium Cæſareum multum diuque coram Pontifice agitatum eſſet, ac certæ pacis conditiones à Pontifice & oratore Regis Catholici præpoſitæ, reſtaretque modo vt concluderetur, orator Venetus aſſeruit, ſe non habere mandatum propoſitis conditionibus aſſentiendi. Quocirca Pontifex veluti indignans, vna cum Hieronymo Feych oratore Regis Catholici nonnullos concordiæ articulos excogitarunt. *Item quod Veneti relinquerent Cæſari Veronam & Vincentiam. Item quod in tribus annis proximis darent Cæſari ducenta quinquaginta millia ducatorum, & centum millia intra menſem poſt publicationem pacis Veronam mitterent, & reliquam pecuniam duobus proximis annis contribuerent. Item quod Veneti Paduam & Teruiſium retinerent, quæ à Cæſare Carolo nepote, & principibus Auſtriæ recognoſcerent in feudum, eisdem pro annuo tributo in tres vices anni 30. millia ducatorum dando, pro reliquis vero terris & controuerſiis Veneti & Cæſar compromitterent in Pontificem & Regem Catholicum qui intra annum negotium componere debeant.* Illos autem articulos ſuperiores Pontifex Venetias pet fidum hominem ad nuncios ſuos ibi agentes transmiſit, quibus & commiſſionem dedit, vt omni modo Venetos perſuadere conentur, quo eisdem articulis conſenſum accommodarent, alio qui proteſtarentur ſe eos derelicturum, ac ab inito fœdere excluſurum, præterea & Cæſari pro omnium rerum ſuarum recuperatione adhæſurum. Verum ex omnium rerum & Pontificis & Venetorum progreſſu ſemper mihi viſum eſt, eorum actionem ſe tendere ad ſtringendum Cæſarem à Rege Franciæ, antequam concordia inter Cæſarem & ipſos Venetos ſubſequetetur. At Cæſar præfatis pacis articulis aſſentire noluit. Redeundo autem eo vnde digreſſi ſumus, Goſthus Dux Neumurſi, poſtquam intellexit Brixiam à Venetis occupatam, 9. die Febr. Bononia diſceſſit, & contra Venetos feſtinabat, relictis Bononiæ præſidii gratia 4. millibus peditum, & CC. L. equitibus grauis armaturæ. Bononienſes vero, quoniam tuitionis ſuæ ſpem præcipue Germanos collocaue-

rant, quorumque fortitudinem in maximo perditionis diſcrimine experti fuerant, à præfato principe efflagitarunt, vt Jacobum de Emps cum peditibus Germanis præſidio relinqueret. Sed is Bononienſium preces exaudire noluit, cum & ipſe rei bene gerendæ ſpem in Germanos repoſuiſſet, atque Pado tranſito cum maxima feſtinatione aduerſus hoſtes contendebat. Deſtinauerant quippe per id temporis Veneti in Brixienſium ſuccurſum ac præſidium tercentum equites grauis armaturæ, quorum capitaneus erat Paulus Balianus, & ſupra tria millia peditum cum machinis & inſtrumenris bellicis, quorum aduentum cum Galli exploraſſent, eos celeriter aggredi inſtituerunt, quos XII. die Februarii Gallorum primæ cuſtodiæ equites, in rure nobiliſſimo circa locum *Iſula de Laſcala* dictum offendentes, adorti in fugam repulerunt, plurimis ex eis captis & occiſis, ac multis in Atheſi fluuio ſubmerſis, quos item Galli latius perſecuti fuiſſent, ſi noctu impediti non eſſent. Poſtridie Philippus de Friberg cum mille & octingentis peditibus Germanis Veronam egreſſus, hoſtes fugientes eorumque impedimenta perſequi cœpit, & hoſtium bombardis circa Suaue oppidum repertis, ex minoribus nonnullas aſportauit, maiores vero multo ſulphureo puluere immiſſo deſtruxit. Poſt hæc idem ſe cum copiis Gallorum, ad villam ſanctæ Euphemiæ, duobus millibus paſſuum à Brixia diſtantem coniunxit, de quo ſane loco Dux Neumurſi, omnibus mediis ciues Brixienſes perſuadere conatus, quo ſeſe dedant, nec ruinam & excidium ſui expectent, promittens Regem Franciæ iſtiusmodi iniuriam & rebellionem eis condonaturum, modo reſipiſcant, & in gratiam eiusdem concedant. Quod cum variis mediis ad ciuium notitiam deducere ſatageret, nec id populus ignoraret. Interea Fabricius de Columna cum mille quingentis equitibus & quinque millibus peditum, traiecto flumine Rheno, qui in territorio Bononienſi labitur, ad Padum proficiſci ſtatuit. Quod vt dictus princeps accepit, minime cunctandum ratus eſt, confeſtimque mittit Leonardum Ruch Sueuum cum mille peditibus Germanis ſub capitaneo Jacobo de Emps degenribus ad expugnandum monaſterium quoddam in monte poſt arcem Brixienſem ſitum, quod Veneti propugnaculis, aggeribus, & mille ruſticorum præſidio munierant, ne Gallis poſt arcis poſitum ingrediendi copia eſſet, id Germani ingenti vi adorti, ruſticos breui propugnaculis de- p. 283
pulere, ac intra clauſtra monaſterii ſeſe abdenres ferro & igne ad internecionem vsque trucidauere, poſt quod factum Dux Neumurſi cum vniuerſo exercitu arcem Brixienſem acceſſit, peditatum quidem arcem iuſſit ingredi, & ipſe poſt portam arcis cum equitatu remanſit, ſub noctemque ad portam ciuitatis ſancti Nazarii collocauit quingentos equites grauis armaturæ, qui hoſtes fugere contendentes intercipere niterentur. Poterant enim Veneti ſolum per illam portam effugere, quia reliquas & terra obſtruxerant, & foſſis circumdederant. 18. die Februarii dux Neumurſi, & acies inſtrui, & quemlibet vexillo ſuo aſtare iuſſit: ac tympano proclamare fecit, *ſi qui primam aciem ſeu ordinem anteſignanorum ſeu antecurrentium ingredi velint, ad portam arcis per quam iter ad ciuitatem eſt proficiſcerentur.* Iuerunt itaque eo trecenti pedites Germani, inter quos ex Sueuiæ nobilibus erat, Joannes Spet de Pflumer, Burckardus de Emps, Joannes Hardat, Wolffgangus de Ehingen, Georgius de Vſenloch, Joannes Sigismundus de Friberg. Ex Saxonibus autem erat Fabius de Schlabersdorff, Gothardus de End. Germanos quidem mox ſubſequebantur trecenti Vaſcones, inter quos erat Molardus, & capitaneus arcis Brixienſis. In prima autem linea anteſignanorum ſeu antecurrentium (vt Germani appellant) erat Molardus cum nobilibus Germaniæ. Poſt illam vero aciem inſtructi erant quingenti equires grauis armaturæ, qui pedeſtres eranr ingreſſuri ciuitatem, in quo ordine & ipſe Dux Neumurſi ſtabat. Poſtea ordinatus erat vniuerſus peditatus Germanicus & Gallicus. In eo agmine fuit Jacobus de Emps, & Philippus de Friberg cum tribus millibus, & octingentis peditibus Germanicis. Veneti qui Gallos arcem intraſſe reſcierant, ſub auroram diei prædicti ad arma conclamare, equites tubicine

bicine conuocare, ac populum campanarum pulſu ad arma concitare cœperunt. Intra Brixiam autem erant equites grauis armaturæ quadringenti, velites qui baliſtis pugnant mille, & ſtratiotæ octingenti. Item duo millia peditum bene inſtructorum, ruſticorum vero & ciuium qui ad arma concurrerant, ſupra ſex millia. Dux Neumurſi ſimul ac ad quartam diei horam ordines intra arcem continuiſſet, nec quicquam de deditione expectandum cognouiſſet, conſilio cuiusuis habito, decreuit vrbem vi aggredi: & accitis Philippo de Friberg, & Jacobo de Emps eis exponit, Brixiam omnino violenter expugnandam, & proinde milites adhortentur, quo ſtrenui ac conſtantes eſſe velint. Conuocatis igitur Germanis ad eos Philippus concionem habuit. *Vos* (inquit) *commilitones optimi, Galli ſtatuerunt oppugnare Brixiam, quam & viribus veſtris ſe expugnaturos ſperant, qua de re vos hortor atque moneo, vt priſtinæ gloriæ & virtutis Germanicæ memores, ſtrenui, firmi & conſtantis animi eſſe velitis. Dux nempe ipſe ac totius regni nobiliores deſtinarunt aut mori vobiſcum, aut victoria contra hoſtes potiri. Quocirca quicunque illius animi ac propoſiti ſint, id eleuato brachio oſtendant, reliqui vero aciem aggrediantur*, tunc ſubito Germani maximo animo eleuatoque brachio, *aut moriemur*, clamitant, *aut vrbe potiemur.* Dein Philippus eisdem ducis nomine exponit, *vt ipſi populo Citadellæ parcant, quod factionis ſit Gallorum, ſed ingreſſuri reliquas vrbis partes, omnia diripere & quoscunque offenderint, trucidare nitantur.* Arx Brixienſis in editiore vrbis parte montis ſatis accliui ſita eſt, ex ea vnum iter ad Citadellam. At Veneti circa portam Citadellæ, quæ vrbem reſpicit, nonnulla tormenta muralia ſeu bombardas collocauere, vnde frequentia tela ſeu globos in exeuntes portam arcis iecere, propterea exitus arcis admodum difficilis & periculoſus videbatur. Agmen anteſignanorum primum arcem ſenſim exire, & alter alterum vt periculum euaſere expectare, & dein agminatim ſecundum muros cliuum deſcendere, vbi vero ad monaſterium S. Floriani peruenere 600. inibi pedites noſtrorum impetum expectantes profligare, & quotquot fugientes aſſecuti ſunt occidere. Verum hi qui bombardarum cuſtodiæ deputati erant, vbi ſuos conſpexere fuſos, ipſi relictis bombardis fugæ ſeſe accingere, quos & Germani & Galli inſequentes, vna cum ipſis vtbem ingreſſi fuere. Ea quidem vrbis pars quam intrarunt, ſimul atque Citadellam exierant, Burletum appellatur, vbi ingredienti primum occurrit vicus ſtrictus, poſt hunc eſt locus amplus & ſpatioſus. In vico ſtricto mulieres è feneſtris lapides deiicientes, aliquos milites perdiderunt. Vt vero ad locum ſpatioſum acceſſere, inuenerunt plerosque equites grauis armaturæ & etiam leuis quos breui fudere, & ad interiorem vrbis partem repulere, ac repulſos vsque ad portam inſecuti fuere. Tanta ſane Venetorum fuga erat, quod & illam portam dimiſerant apertam, quam & milites tumultuarie ingreſſi fuiſſent, niſi à Moraldo cohibiti eſſent. Et quia Veneti ante eam, quod parum à foro diſtat, omnes fere vires ſuas continebant, quocirca Molardus & Germanici nobiles, ne ab hoſtibus damno afficerentur, ſubito cepere conſilium, ac dictam portam occludere, ac bombardam quam in Citadella conquiſierant, ad eam diſponere, quoad reliqui approximarent. In quorum quidem acceſſu eandem portam recludere, globum ex bombarda per portam iacere, hoſtes ruptis ordinibus hinc inde, quo quisque ſaluti ſuæ fuga conſuleret, diſcurrere. Milites autem primi agminis, vt per eam portam tranſierunt, ad forum perrexerunt, quos magnum agmen & Germanorum & Vaſconum ſubſequebatur, quingentis vero illis armatis ad vicum amplum, ad dextram introitus portæ extantem declinantibus. Germani itaque & Vaſcones in foro conſtituti, ordine facto cum hoſtibus, manum conſeruerunt, quos & breui fuderunt & profligarunt, atque illos qui fugerant & portam ſancti Nazarii aperuerant, relictis in foro tribus millibus Germanorum, perſequi cœperunt, quosque maxima clade affecere. Qui vero portam exierant à Gallis, qui ad ea collocati fuere, intercepti ſunt, inter quos & comes Aloiſius de Auagaris deprehenſus eſt. Germani deinceps

Brixiæ Clades.

Burletum.

P. 384

deinceps & Vaſcones per omnes vicos vrbis diſcurrere, quoscunque armatos reperiunt, necare, in domos ciuium irruere, bona ipſorum diripere, ciues pro indicio torquere, ac nihil intentatum relinquere, quæ irati victores exercere conſueuerunt. Capti tamen fuere in hoſpitiis ſuis, Andreas Critti, & Antonius Juſtinianus, qui prætorem ſe pro Venetis triduo geſſerat. Hæc Brixiæ ampliſſimæ ac ditiſſimæ ciuitatis expugnatio facta eſt 18. die menſis Februarii, Anno 12. Dominicæ natiuitatis ſupra milleſimum quingenteſimum, interfectorum numerus non eſt omnino certus. Galli primum ſcripſerunt ad Cæſarem, *interfectorum numerum fuiſſe ſupra* 11. *millia hominum.* Sed poſtea compertum eſt, occiſorum ſeu interfectarum perſonarum tam in plateis quam domibus in multo præfatum numerum exeedere. Cadauera mortuorum per vicos, plateas, fora frequentia iacuere. Ex Gallis vero & Germanis admodum pauci interiere. Poſtridie Goſthus dux Neumurſi edictum fieri iubet, *ne quis captiuos amplius interficiat, aut captiuos ſupra decimum quintum ætatis annum agentes ex vrbe educat.* Eo itidem die comes Aloiſius proditionis auctor obtruncabatur, eiusque corpus in quatuor partes diſſectum, ad portam ſancti Nazarii patibulo eſt appenſum.

An. 1512.

Julius vero Pontifex poſtquam audiuit miſerabilem Brixienſium cladem, non mediocri mœrore affectus eſt, atque Gallorum vires in ſe conualeſcere timens, omnibus mediis res ſuas firmare ac corroborare ſtuduit, propterea Marthæum Epiſcopum Sedunenſem tunc ſanctæ Potentianæ Cardinalem, totius confœderationis Legatum deputauit, per quem item obtinuit vt Heluetii ex conuentu Thuricenſi certos deligerent oratores, qui Venetias proficiſcerentur ad mutuam ſocietatem ineundam. Ad hæc Matthæum Lang Epiſcopum Gurcenſem Cardinalem nominauit, quo medio eiusdem Cæſarem ad confœderationis ſuæ partes alliceret. Præterea Epiſcopum Veſprunienſem Hungariæ Regis oratorem Venetias deſtinauit, vt illinc ad Cæſarem proficiſcatur ad procurandam conficiendamque inter ipſum Cæſarem & Venetos pacem. Cæſar tum Germaniam inferiorem petebat, comitatus à Ludouico Palatino Imperii electore de Heydelberga, & Vdalrico Wirtenbergenſium Duce, quoniam Dux Gelriæ maximas fecerat incurſiones, depopulationesque in Barauos, quos Hollandinos appellant, & Brabantinos, qui olim partim Aduatici dicti ſunt, partim Ambauariti. Adiutus ferebatur occultis auxiliis à Rege Franciæ, cuius conatibus Cæſar vt in tempore occurreret, & alia imperii & reipubl. Chriſtianæ vrgentia negotia tractarer, conuentum ſeu concilium Germanicum Treueris celebrauit. Interim Ferrarienſes ac Bononienſes autoritate concilii Mediolanenſis diuina celebrare cœperunt: & Fredericus tunc ſancti Theodori Cardinalis de ſancto Seuerino, Bononiæ & Romandiolæ Legatus à dicto concilio deputatus, Parmam profectus eſt, vbi ſubſtitit, oratoresque Bononiam miſit, pro tuitione ſua à Bononienſibus poſtulauit tres ciuitatis portas, item Palatium, item epiſcopatum, & alia quidem priuilegia & iurisdictiones, de quibus ſane Bononienſes plane nullam (vt ita loquar) complaeentiam habuere, & in primis Bentiuoli. Breui vero poſt Goſthus dux Neumurſi Parmam venit, & contractis copiis militaribus Bundinum ac Final petiit, adducens ſecum prædictum Cardinalem de ſancto Seuerino, vbi & Alphonſus dux Ferrariæ cum quatuor millibus peditum, & quingentis equitibus leuis armaturæ, & trecentis grauis armaturæ Gallorum exercitui ſe coniungebat.

Adduxerat Goſthus autem octingentos equites cataphractarios, quos *Lanceas ſeu equites grauis armaturæ appellant; quatuor item millia peditum Germanorum, quorum capitanei primarii erant, Philippus de Friberg, & Jacobus de Emps, quatuor itidem millia peditum Gallicorum. Superueniebant etiam ex Gallia ad duo millia Vaſconum & Picardorum, & Bononiæ præſidio conſtituta erant quatuor millia peditum, & ducenti quinquaginta equites grauis armaturæ. Adducebat præterea Burckardus de Emps mille pedites Germanos, qui nu per

** Lances.*

nupet poſt Brixiæ expugnationem primum in Italiam aduolauerant: & quotidie
p.285 ex Germanis peditibus exercitui Gallico acceſſio fiebat, vt alias quidem acceſſiones omittam. Ex Mutina accedebant centum, item & quadringenti, quos Vitus de Furſt Mutinæ Locumtenens per fratrem ſuum Erneſtum de Furſt de Verona acciuerat, ad cohercendos quosdam rebelles & inobedientes Apennini montis accolas, & ita ſummatim comperi Gallicum exercitum ex 22. millibus equitum & peditum conflatum, exceptis his, qui poſtea ex ciuibus Bononienſibus ſe exercitui iunxerant. Galli igitur, vnitis viribus ſuis, traiecerunt fluuium Panorum, agrum Mutinenſem à Bononienſi territotio diſterminantem, ac contra Hiſpanos proficiſci cœperunt. Hiſpani autem impedimenta ſua ad Forum Cornelium conferentes, Budirum oppidum agri Bononienſis fertiliſſimum reliquerunt, & ad Caſtellum ſancti Petri ſeſe receperunt. Caſtellum ſancti Petri per ſe quidem munitum aggeribus & foſſis ita circumdederant, vt per vnicam duntaxat portam patuerit acceſſus. Hiſpani ferebantur in exercitu habuiſſe 18. millia peditum, & duo millia equitum grauis armaturæ, & totidem leuis armaturæ, licet eorum numerus multo minor fuerit, primum agmen, quod *Anteguardiam* vocant, ducebat Fabricius de Columna, in eo erant octingenti equites grauis armaturæ, ſexcenti velites, & quatuor millia peditum, Robur exercitus ducebat vicerex Neapolitanus, & Petrus de Nauarra, vbi inter cæteros erant quatuor millia peditum, omnes albas induti armaturas quas *Corſaletos* vocant. Vltimo agmini, quod *Retroguardia* dicitur, præfectus erat Gomeus Romæus de populo Bononienſi vir intrepidus. Vicerex Neapolitanus, vniuerſo exercitu in concionem conuocato, pulcherrimam orationem habuiſſe dicitur, milites exhortando, *adepta gloria & nominis memores, Gallos hoſtes non expaueſcerent, quos aliter ſæpe domuerint.* Orationem Viceregis Petrum de Nauarra ſuſcepiſſe ferunt, eosdem milites exhortando, *quo intrepidi in hoſtile Gallorum agmen irrumpant, non ſecus ac contra Turcas pugnaturi; quod Galli ſint ſchismatici & bonorum Eccleſiæ occupatores, & qui Gallum occiderit, nullum incurrat pectatum, ſed diuinam promereatur gratiam, occiſus vero inter martyrum cateruas vitam aſſequatur æternam.* Galli relictis Hiſpanis ad caſtellum ſancti Petri profecti ſunt contra Sarſenam, quod oppidum Itali Ros vocant, oppidani mox Gallis deditionem offerunt, Galli impoſito præſidio petiuerunt Rauennam. At Sarſenates altera die ſequente ſub noctem introduxerunt Hiſpanos, qui Gallorum præſidium ad internecionem occiderunt. Galli ea ſuorum occiſione audita, confeſtim irati reuertebantur, & dicto oppido vi expugnato, vniuerſos vere oppidanos trucidarunt, nullius ætatis rationem habentes, poſtea ſe contulerunt ad obſidionem Rauennæ. Hiſpani autem Rauennatibus præſidio miſerunt Marcum Antonium de Columna cum mille octingentis peditibus, & centum equitibus grauis armaturæ. Galli quia ſemper quærebant occaſionem belli gerendi cum Hiſpanis, qua de re decreuerant Rauennam obſidione premere, vt Hiſpani tandem neceſſitate quadam ſuccurrendi ſuis inducerentur ad pugnam. Laborabant item penuria rei frumentariæ Galli, & admodum nuper Veneti tres naues commeatibus onuſtas in Pado eis abſtulerant. Die 8. Aprilis Rauenna à Gallis obſideri cœpit, quo itidem die & ipſi tormenta muralia muro admouerunt, magnamque mœnium partem dituerunt. Poſtridie Fredericus Gonzaga cum Italis primus Rauennam adoriebatur, ſed non ſine iactura & Italorum mœnibus deturbatus eſt. Poſtea quidam equites cataphractarii Germani, quos appellitabant *Arnbergiſchen*, hoc eſt Arnbergenſes, cum Picardis, & nonnullis Vaſconibus oppugnationem tentarunt. Vt autem equites mœnia conſcendiſſent, & ciuitatem viriliter ingreſſuri eſſent, pedites haud ſubſequebantur, relinquentes dictos equites Rauennatium occiſioni. Durante vero oppugnatione interim equites Gallici & pedites Germani ſtabant in otdine inſtructi, quia Hiſpani eo die ad duodecimum ferme lapidem caſtris relictis, cum exercitu approximabant, & ad quartum lapidem à Gallis caſtra locabant, inter ea duo flumina, in-

Ros.

Rauenne obſidio.

ter quæ Galli caſtra poſuerant. At die 10. Aprilis ambo exercitus aciebus inſtructis, totam diem in armis contriuerant, tandem ad caſtra reuertebantur, nihilque die actum fuit, niſi quod Rauenna à Gallis fruſtra oppugnabatur, nocte ſequente Galli omnino deliberarunt eum Hiſpanis manus conſerere, ſed Hiſpani cocuntes deliberabundi conſultabant, quid facto opus eſſet. Joannes quidem Cardinalis de Medicis, & legatus cenſebat caſtra vltra Pignetam fluuium mouenda, & è regione Gallorum collocanda. Fabricius de Columna iudicabat caſtra inter Adriaticum & Rauennam ponenda. Petrus autem de Nauarra exiſtimabat, caſtra quidem vltra Pignetam mouenda, parum tamen remotius locanda ad locum, quem Galli non ſine mediocri damno & præiudicio petituri forent. Huic conſilio Hiſpani obtemperarunt, ac ſub noctis crepuſculo tranſito fluuio memorato, caſtrametati ſunt in loco plusquam ad vnum lapidem à p.286
Gallis diſtante, poſtridie miſit Raymundus de Cardone ad Goſthum ducem tubicinem, vt ad flumen Pignetam colloquendi gratia accederet. Goſthus poſtquam ad Raymundum peruenit, *Domine*, inquit, *quid placet.* Cui vicerex, *quid tibi placet.* At ille: *Ego vocatus huc veni, quid tibi cordi ſit, ediſſere.* Cui vicerex, *Nonne hodie pugnabimus?* Ille vero, *Perplacet*, inquit, *eſt ne id decretum apud vos?* Cui vicerex, *Etiam* ait, moxque confractis albis, quos ſecialium tempore in manibus geſtabant, bacillis, vtrinque diſceſſum eſt. Aſt Goſthus petebat Jacobum de Emps & Philippum de Friberg, vt milites animarent ad certamen, qui peditibus in concionem vocatis, in hanc ferme ſententiam ſermonem habuerunt: *Strenui fratres & comilitones optimi, preſens dies deſtinatus eſt pro mutua pugna Gallorum & Hiſpanorum. Et quoniam Galli rei bene gerendæ ſpem & ſucceſſum in robore & virtute veſtra ponunt, proinde vos memores priſtinæ virtutis & gloriæ Germanici nominis, ſtrenue, fortiter agere debetis hoc die, ne à maiorum gloria degenerare videamini, ac noſtris ſimus dedecori, nec ſalutem aut rei bene gerendæ ſucceſſum in manus aliorum reponite, ſed proinde agite ac ſi ſoli pro vita & gloria veſtra pugnetis, hoc certiſſimum vobis ſit, niſi manibus veſtris peperitis victoriam ac hoſtes profligaueritis, ruſticorum manus minime euadetis, quocirca in pugna firmi & conſtantes perſeuerare velitis expectaturi aut victoriam aut mortem. Et quo DEus omnipotens nobis elargiri dignetur victoriam, promittamus votumque faciamus ſinguli, quod in proximum diem Sabbathi velimus in honorem DEI & beatiſſimæ Mariæ virginis panè & aqua ieiunare.* Hoc voto facto Galli acies inſtruxerunt, & flumen Pignetam tranſierunt. Primum agmen ſeu anteguardiam ductabat Alphonſus Ferrariæ dux. Robur exercitus ductabat Goſthus Dux Neumurſi. Vltimo agmini ſeu retroguardiæ præfectus erat quidam Gallicus, qui nuncupabatur *Grandi diabolo*, qui & impedimentorum cuſtodiæ deputatus erat. Germani quia ventus ora eorum afflaret, & ſol facies directo inſpiceret, ſiniſtrorſum ſe flexerunt, vt à tergo & ſolem & ventum relinquerent, ac tardo lentoque gradu contra hoſtes progrediebantur. Mandauerat quippe Goſthus Germanorum capitaneis ne manus cum Hiſpanis conſererent, anteaquam iuberet, quoniam deſtinauerat in primis cum equitibus confligere, & illis profligatis pedites aggredi, qua de re Galli artelarias ſuas contra Hiſpanorum equites ita diſpoſuerant, vt bombardarum globi in equites continuo iacerentur. Præterea is qui retro cuſtodiam Gallorum ductabat, receptis quibusdam bombardis in ante cuſtodiam Hiſpanorum equirum globos emittebat, ac eidem tantum cladis & iacturæ inferebat, quod illud primum agmen ſeu antecuſtodia ordine relicto, ad vltimum agmen confugeret, ibi equites Hiſpani coadunati decreuerunt Gallicos equites adoriri, quod ſimul ac Goſthus animaduertit, mox ex primo agmine ſuo recepit equites, quibus cum ordine inſtructo Hiſpanis equitibus obuiabat, & certamine in tot Hiſpanos in fugam vertit. Interea temporis Hiſpanorum bombardæ, quæ è directo Germanorum & Vaſconum locatæ erant, maxima eisdem damna inferebant, inter quas vnus globus quadraginta ex ordine tollebat. Germani mox in locum mortuorum alios ſubſtituere, immobilesque ſtare. Vaſcones vero, globorum iactationes longius ferre non valentes, ad

Germa-

Germanos confugere : ſed Germani (ne ordo ipſorum turbaretur) eosdem armis & lanceis repellere. Ubi vero Germani iam duas pene horas cum maxima iactura globorum iactationibus expoſiti, firmi conſtitiſſent, ſtatuerunt pugnare, nec diutius Goſthi iuſſum expectandum. Tranſita itaque vna foſſa, aliud reſtabat foſſatum quod transgrediendum erat, vltra quod pedites Hiſpani ordine inſtructo Germanos & Vaſcones expectabant, intraque illud foſſatum tantum ſpacii relinquerent, quod Germanis locus ſtandi & congrediendi cum eisdem concedebatur. Habebant autem Hiſpani ante ſe currus quam plurimos, in quibus collocauerant bombardas quas *arcus buſos* Itali vocant, Germani vero *hacken buchſen.* Eisdem præterea curribus infixerant inſtrumentum cum tribus acutiſſimis ferris, duo eius ferramenta, quæ dextra & ſiniſtra reſpiciebant erant curua inſtar falcium, id vero quod in ante proſpiciebat erat prælongum & rectum, & dein ſupra id inſtrumentum currui infixum, diſpoſuerant lanceas oblique locatas. Poſteaquam ergo Germanorum magna pars præfatum foſſatum transgreſſa eſt, Hiſpani globos ex arcubus buſis in eos primum iaciebant, mox ad mutuum conflictum petuentum eſt, fit vtrinque aſperrima pugna: rem primum lanceis gladiisque tractabant, vbi autem illa defeciſſent, rem globis terræ ac dentibus agebant. Dum vero vtrinque fortiter & dubio Marte pugnaretur, Interim Fabricius de Columna cum paucis equitibus ordinem Germanorum, eorum videlicet, qui foſſatum vltimum non tum transgreſſi fuerant, rumpere, & Vaſcones quoque non omnes, ſed qui nuperrime ad militiam acciti erant,
p.287 turbati confuſique ad Germanos confugere, eorum item ordinem turbatiorem reddere. Quo fiebat, vt Germanus quidam proclamaret: *O Germani vertite vos, & ad tutiora loca recipite.* Hæc quidem vox audita, plerosque qui vltimum foſſatum tranſierant, permouit, quod pedem referrent, foſſatum tranſilirent, & ad reliquos ſe Germanos reciperent. Quod quidem Germanis pugnantibus maximam iacturam inferebat, nam hi in loco ſuo perſcuerantes, nequaquam reſpicere aut pedem referre, ſed viriliter & fortiter pugnantes, omnem hoſtium vim ſuſtinere, morique potius quam retrocedere præoptare. Germanis igitur tum in maximo diſcrimine & periculo conſtitutis, Goſthus cum equitibus Gallicis peropportune præſidio occurrere. Germani illi, qui vltimum foſſatum non tranſierunt, Gallorum videntes præſidium, ordine facto in Hiſpanos irruere. Hiſpani vero vndequaque circumdati in ancipiti loco ſtare, qui cum aliquantiſper noſtrorum vim ſuſtinuiſſent, tandem fundebantur, in fugamque vertebantur. Fuſis igitur & fugatis Hiſpanis peditibus Galli iuſſerunt Germanos ad bombardarum tuitionem ſtare, in quorum quidem laudem dicebant; *Vos Germani nobis illas bombardas in regno Neapolitano abſtuliſtis, eas autem nunc redditis.* Et poſtquam nullum amplius periculum apparuit, Galli Germanos adeuntes dicebant, ſi vellent lucri gratia aliquas facere excurſiones, quod id conceſſione ſua facere liceat. At Germani, *Nos*, inquiunt, *hic ſletimus pro honore & gloria, & non pro lucro, id ideo quæſitum minime curamus.* Atque genibus flexis ſuppliciter gratias DEO agebant pro parta victoria. Eo quidem prœlio ex Hiſpanis deſiderata ſunt ad 9. millia virorum, ex Germanis mille, ex Gallis & Italis duo millia, tametſi plerique ampliorem numerum interiiſſe ferunt. Ego vero diligentiori inueſtigatione adhibita, plurimorum relatione accipio, aliquantulum ſupra 12. millia hominum ex vtraque parte deſiderata. Ex Gallis Goſthus dux Neumurſi, & comes de Foys vir intrepidus, & parum ſupra vigeſimum ætatis annum natus, eo bello occiſus eſt à peditibus Hiſpanis, dum in foueam quandam cecidiſſet. Occiſi quoque ſunt capitanei Dominus de Legra, Dominus de Allabrotta, Dominus de le Vtrech, Mengironus, Baronus de Gremos, & nonnulli alii. Molardus autem Vaſconum caput ante conflictum globo bombardæ interiit. Bonet in capite grauiter vulneratus eſt. Ex Germanis vero interiit Philippus de Friberg, ante conflictum eodem globo quo Molardus. Item in conflictu interiit Jacobus de Emps, Fabius de Schlabersdorff, Joannes Sigis-

mundus de Friberg, Gothardus de End, Nicolaus Wies, Georgius Empſer, Capitaneus Linſer. Ex duodecim nempe Germanorum capitaneis nouem interierunt, cum nonnullis nobilibus, quorum erant circiter quinquaginta, qui cum multis aliis peditibus fortiſſime Hiſpanorum vim ſuſtentarunt, dum cæteri vel errore vel timore pedem referrent, mutuum vero conflictum, cum res bombardis ageretur. Fabius de Schlabersdorff, & Joannes Spet de Pflumern, capitibus viridi ſerto tectis, duos itidem Hiſpanos ad ſingulare certamen prouocarunt. Joannes Spet antequam Hiſpanum aſſequeretur, globo bombardæ vulneratus ad caſtra deferebatur. Sed Fabius voti ſui compos, Hiſpanum ſibi congredi auſum interimebat. Ex Hiſpanis autem captus eſt Joannes Cardinalis de Medicis, Fabricius de Columna, Joannes Franciſcus comes Mirandulæ. Marchio itidem de Betunda captus & vulneratus. Marchio de la Tela captus, & vulneratus, Comes Petrus de Nauarra captus & vulneratus. Marchio de Palude occiſus, capitaneus il la Freda occiſus, capitaneus Rammozat & capitaneus Vitellus, fugientes à ruſticis occiſi ſunt. Joannes de Cardone vulneratus, ſed Raymundus de Cardone Vicerex auſugit. Hæc ſane pugna ante Rauennam geſta omnium confeſſu aſperrima fuit, & qualis multis ætatibus vix in Europa fuit. Habita vero die 11. menſis Aprilis, anni 12. ſupra milleſimum quingenteſimum, quo die per orbem Chriſtianum celebrabatur feſtum Dominicæ reſurrectionis Chriſti, ſeu (vt dicitur) ſeſtum Paſchatis. Victoriam quidem tantam Galli obtinuerunt, partim propria virtute, partim Germanorum, hoc namque exploratum eſt, quod Galli ſine Germanorum robore cum Hiſpanis haudquaquam confligere tentaſſent: & ipſimet rei bene gerendæ ſucceſſum in virtute Germanorum reponebant, fortitudinemque plusquam humanam in eo prælio eorum fuiſſe teſtati ſunt apud Maximilianum, & ipſi quoque Hiſpani duntaxat Germanorum robur (vti profeſſi ſunt) formidabant. De his hactenus.

Cæterum dum cogito, menteque diligentius voluo, Gallos iam 16. annos in Italia verſari, & Germanorum robore atque milite ſibi tam latum amplumque dominium Italiæ quærere, non poſſum non deteſtari Germanorum diſcordiam ignauiamque. Nam Heluetii populare dominium amantes, Imperatorem vt Dominum non recognoſcunt, ac illos ſolum affectare feruntur, qui pecunias elargiuntur, iuſtiſſimi tamen vtcunque tyrannidum vltores. At princi- p.288
pes Germaniæ tenentes nunc vectigalia & cætera imperii iura, ſinguli veluti ipſi eſſent imperatores, ea quæ tenent, & poſſident, tanquam peculiari iure tenerent, Imperatori in nullo accepta referunt, ac in omnibus liberi eſſe conantur. Quibus de cauſis Germani in magnum ipſorum dedecus pati neceſſe habent, quod Galli nunc ſanguine Germanico id ſibi imperium quærant, quod maiores noſtri ſanguine ſuo ſibi vendicarunt. Sed quoniam alii mores maioribus noſtris fuere quam nobis, idcirco nemo miretur, ſi Galli noſtra in Italia iura paulatim & latenter ſibi vſurpent. Maiores quippe noſtri gloriam publicam ſibi quærebant & imperium, pro quo & vitam & facultates ſuas omnes exponebant. Nos autem parum de publico ſolliciti diuitias noſtras profundimus ad magnificos ſumptus & ampla ædificia: & vbi pro honore & imperio publico quid eſſet contribuendum, penuriam allegamus. Illi quoniam publicos agebant conuentus, pro honore & vtilitate publica conſultabant, ſe & omnia ſua pro publica gloria offerentes. Nos vero quoniam conuenimus publice ad tractanda negotia publica, Cæſare agente pro honeſta ſubiectione & auxilio noſtro, nos contra concludimus pro Germanica Francaque noſtra libertate. Quando vnquam in conuentibus noſtris obtulimus ſubſtantias noſtras Imperatori dicentes: *O Cæſar, omnia noſtra tua ſunt, vtere bis pro arbitrio tuo,* quemadmodum maiores ſeſe offerebant, & hodie Galli Regi ſuo offerunt. O principes Germani expergiſcimini tandem, & Saluſtii verbum ponderate, dum inquit, *Imperium eisdem artibus moribusque conſeruari, quibus ab initio conſtitutum eſt.* Noſtri maiores aſſecuti ſunt Italicum imperium concordia, induſtria, iuſtitia, & diſciplina militari.

Si

Si vos Germani aliquando ab huiusmodi imperio deturbati eſtis per diſcotdiam, negligentiam, & ſecordiam, Maiorum virtutes amplectimini, & facile omnia per violentos occupatores detenta recuperabitis. Carolus Magnus poſtquam Romæ à populo & clero Romano Imperator eſt nuncupatus, & fœdus cum Græco Imperatore iniit, *vt Apulia & Sicilia Græca Imperatori cederent, & reliquum quod eſſet Italiæ ab vrbe vsque alpes, Latini Imperatoris eſſet; & quod Veneti in medio vtriusque forent, neutri vel ſubiecti vel adhærentes.* Ab eo quidem tempore Italicum imperium cœpit eſſe Germanorum, quod ſupra centum fere annos per Caroli ſucceſſores fuit adminiſtratum. Poſtea vero deficiente Caroli progenie, Italicum imperium peruenit ad Saxones, qui fœdus Caroli cum Græco Imperatore initum renouarunt. Verum cum Otho tertius ſine liberis maſculis eſſet, delecti fuere Imperatoris Electores, quod ius eligendi imperii electores tum communi conſenſu Germanorum & Pontificis Romani conſequebantur, & id quidem in defectum & penuriam liberorum Imperatoris, vt videlicet eo iure imperii electores vti deberent, quando Imperator non haberet liberos maſculos, aut tales non eſſent idonei. Ab eo ſane tempore, quo Imperium ſic ex electione competere cœpit, ius Italici Imperii modo apud Sueuos, modo apud Saxones, modo apud Bauaros, modo apud Bohemos ſtetit, & id ius in præſentiarum penes Maximilianum verſatur. Sed ô principes Germani, rogo, aliquando conſiderate quomodo illud ius veſtrum negligatis: animaduertite, precor, quemadmodum Italia ab exteris nationibus laceretur, pro qua cum veſtra tempeſtate certent Galli, Hiſpani, Veneti, & pontifex Romanus, vos interim (vt cum veſtra gratia loquar) deſides, & inſtar dormientium, illa æquo animo fieri patimini. Quod ſi maiores noſtri iterum reuiuiſcerent, & hæc à vobis fieri cognoſcerent, profecto ipſi dolerent, ingemiſcerent, vosque de inteſtinis veſtris diſcordiis, ſecordia item & ignauia inculparent, vtque res multo ſuo ſanguine, ingentique labore partas tam effœminate tamque ignauiter negligeretis. Dixi ego Italiam ab vrbe vsque ad Alpes eſſe iuris veſtri, licet non ignorem & Apuliam & Siciliam aliquando à maioribus noſtris poſſeſſas: vt præteream regnum Jeruſalem, & alia vltramarina regna, quæ à maioribus noſtris fuerunt poſſeſſa. Lotharius enim Saxo, Normanis Apuliæ & Siciliæ occupatoribus expulſis, pro ſe regno potitus eſt. Et Henricus præterea quintus Frederici primi Sueui filius, exterminatis Normannis, Apuliæ & Siciliæ regnum pro ſe & ſucceſſoribus vsque ad Conradinum abnepotem & vltimum Sueuorum ducem obtinuit. Longum profecto eſſet, ſi referre tentarem, quale quantumcunque imperium noſtrum ſub maioribus noſtris extiterit. Vos itaque principes Germani, pro amplitudine & gloria Germanicæ nationis, item pro incremento totius reipublicæ Chriſtianæ, obſecro, dignemini Maximiliano Imperatori veſtro obedire, eique fideliter & concorditer adhærere, res & ſubſtantias veſtras omnes ſponte offerre. Tempore namque Maiorum imperatores habuerunt vectigalia, telonia, & (vt nunc vſitatis verbis loquar) datias, angarias, gabellas, pedagia, & alia imperii iura, quæ vos nunc tenetis: vnde olim Imperatores ampliſſimum
p.289 exercitum alere potuerunt. Quod ſi aliqui Imperatores extitetint, qui aut ex negligentia aut indulgentia quadam paſſi fuerint, principes Germaniæ vti huiusmodi imperii iuribus, cogitare debetis eadem iura, non ita in manibus veſtris præſcripta, quod ea Cæſar ex cauſa iterum vendicare non poſſit, etiam ſi Carolus quartus per priuilegium ea vobis conceſſiſſet. Nam priuilegium cum tendit ad noxam ſeu magnum damnum concedentis, reuocari de iure poteſt. Proinde aut permittatis Maximiliano Imperatori iura Imperii, aut aliquando in veritate ad imperatorem veſtrum dicatis, *Omnia noſtra in tua ſunt poteſtate, dabimus tibi gentes & pecunias quas habemus, vtere his pro tuo arbitratu tanto tempore, quanto ſuppetere valebunt. Te quoque & ſucceſſores tuos liberos maſculos recognoſcimus vt Imperatores, vt Dominos noſtros natiuos & hæreditarios.* Quo autem rem hanc ſummatim & breuiſſime concludam complectarque, duo ponam dicta latiusque

diſcutienda. Primum meminiſſe debent principes Germani Maximiliani Imperatoris honorem, gloriam, imperiique incrementum in proprium ipſorum bonum redundare. Imperator nempe publica perſona Germaniæ exiſtit, penes quem omnis iuris publici adminiſtratio verſatur. Bonum vero publicum in bonum priuatorum vergi exploratum eſt, quocirca ſi Imperatoris ſtatus eſt bonus, & amplificatur honore & imperio, id vergat in honorem gloriamque ſingulorum principum, &c. Itaque curioſe proſpiciant principes Germani, ne dum quærant honorem priuatum, parum de publico ſolliciti, honor priuatus vna cum publico pereat. Item ne dum ſinguli conentur ſuas domos & familias amplificare & illuſtrare, domus interim publica Germaniæ labatur ruinamque patiatur. Præterea ne dum honorem, gloriam, imperii incrementum ſanguini ſuo inuideant, interim alieni honorem & iura propria occupent, quemadmodum ante ſores id apparet. Secundum dictum meminiſſe debent principes Germani, Maximilianum Imperatorem gentibus & pecuniis adiuuare, cum oblatione omnium bonorum ſine temporis præfinitione, quoniam pax regni ſine militibus conſeruari nequit. Milites vero ſine pecuniis haberi non poſſunt. Quocirca ô principes Germaniæ pro pace Germaniæ, & honore publico & priuato, aut pecunias & res veſtras ad arbitrium Imperatoris offerte ac ponite, aut vectigalia & imperii iura eidem cedite, alioquin inter vos ſemper inteſtinis laborabitis ſeditionibus. Pax namque ſine iuſtitia eſſe nequit, iuſtitia vero exigit, vt vnicuique quod ſuum eſt reddatur. Qua de re Auguſtinus ſuper hæc Dauidis verba, *Pax & iuſtitia oſculatæ ſunt; Pacem* (inquit) *& iuſtitiam duas eſſe ſorores mutuo ſe ſine ſeparatione concomitari.* Itaque pro pace, pro honore, gloria Germanicæ nationis, ô Germani principes, veſtras facultates & diuitias Cæſari oſſerte, ei præſidia præſtate. Videtis enim militis Germanicæ nationis per ſubſtractionem auxilii, quod Cæſari impendere deberetis, ad aliarum nationum ſtipendia accedere, in præiudicium iurium & rerum veſtrarum, animaduertite ne dum Imperatorem veſtrum ſame laborare vultis, vos ipſi pereatis, vti in fabula eſt quam Liuius narrat. *Tempore*, inquit, *quo non, vt nunc: in homine omnia membra conſentiebant, ſed ſingulis membris ſuum cuique conſilium, ſuusque ſermo erat, indignabunda quidem ſua cura, ſuo labore ac miniſterio ventri omnia quari, & ipſum ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui, & proinde conſpiraſſe, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipſa vna membra totumque corpus ad extremam peruenisſe tabem, & deinceps apparuiſſe ventris miniſterium haud ſegne fuiſſe faciendo ſanguinem, quo viuimus vigemusque*, hæc quidem intelligenti ſufficiunt, receptuique cano.

Facto igitur bello de quo ſupra, altero die ſequenti, qui erat duodecimus menſis April. Rauennates ſeſe dederunt Frederico Cardinali de S. Seuerino, Gallorum capitaneis promittentibus eisdem bonam fidem, & res ipſorum ſaluas fore. Sed Vaſcones ciuitatem gratia commeatuum ingredientes, bona ciuium diripere ac ipſos ciues trucidare cœperunt, inuitis capitaneis & maioribus exercitus Gallici ac renitentibus. Marcus vero Antonius cum Hiſpanis in arcem confugit. Breui dein Fauentia, Forliuium & Imola ad Gallorum ditionem redacta ſunt, arcibus tamen vbique ſub Hiſpanorum poteſtate remanentibus. Interea funus Goſthi ducis Neumurſi per Bononiam, Mutinam, Parmam, & Longobardiam in Franciam defertur, ante cuius quidem feretrum 18. vexilla Hiſpanis erepta ferebantur. Præterea aureus gladius Raimundi viceregis Neapolitani, quem Julius pontifex eidem dono miſerat, item & crux legati. Sic Goſthus, cui viuo triumphare non dabatur, mortuus triumphabat. Galli ciuitatibus Romandiolæ præſidia relinquentes, Longobardiam petunt ad arcendas Heluetiorum incurſiones. Pontifex Julius concilium Romæ proſequitur. Maximilianus autem Matthæum Lang Epiſcopum Gurcenſem Treuerenſi conuentu legat in Italiam. Verum illa longiore narratione egent, & alterius libri initium requirunt.

AD

AD UNIVERSOS GERMANIÆ PRINCIPES, QUOD JUSTISSIMUM ET TOTI GERMANIÆ GLORIOSUM BELLUM CÆSARIS MAXIMILIANI CONTRA VENETOS NON ADJUVANT, QUERELA GERMANIÆ BEBELIUS AUCTOR.

O Mea progenies, dulciſſima Teutona pubes.
Accipias matris triſtia verba tua.
Illa ego terrarum domitrix, legumque verenda
Impoſitrix olim gentibus innumeris.
Cuius victrices aquilas, victricia ſigna
Pertulit Eous, occiduique duces.
Cuius & imperium tremuerunt omnia regna
Seruiuit Gallus, Romulideque viri
Lugeo nunc merito, dura ceruice parentem,
O me nunc proceres temnitis atque duces.
Nam Venetus populus, non iure aut fœdere motus
Imperio inuaſit debita regna meo,
Vulneribus queſita meis & poſſidet arua
Hiſtrorum, & ſegetes demetit Italicas.
Hæc repetens forti nunc Cæſar Maxmilianus
Milite, metatur caſtra per Italiam.
Felicique manu ſummis in montibus arces
Subiugat, atque vrbes ſub ditione tenet.
De Venetisque actum foret, auxiliis modo veſtris
Adiutus veſter ſi dominus fuerat.
Quem nunc deſeritis, dum commoda, gloriam, honores
Nominis antiqui iura referre licet.
Quis furor, ô gnati, quæ vox tam dira, nephanda
Quæ tantum potuit conſuluiſſe nephas?
Heu mihi quo patriæ ſtudium, quo decidit ardor
Nobilibus quantum degeneramus auis.
Claſſica quin ſonitent, & adhuc Germania in armis
Fulgeat, imperii quo reparemus opes,
Aut male negligitur quæſitum ſanguine multo
Maiorum imperium, gloria, fama decus.

AD UNIVERSOS GERMANIÆ PRINCIPES, ET MAXIME ELECTORES IMPERII, QUOD BELLUM JUSTISSIMUM, ATQUE OMNIBUS GERMANIS GLORIOSUM MAXIMILIANI CÆSARIS CHRISTIANISSIMI ADJUVENT CONTRA VENETOS, COHORTATIO IPSIUS GERMANIÆ.

SVrgite vos proceres Germano ſanguine nati
Surgite vos, mater conuocat ipſa pios.
Surgite nunc, patriæ feſſis ſuccurrite rebus,
Surgite de ſomno ſegnitieque duces.
Sumite magnanimas mentes, animosque parentum
Qui pro me toties non timuere mori.

Et

Et patrum reparate decus, nunc Itala regna
Eripite à Venetis imperiumque meum.
Surgite in imbelles homines, reuocate, quod olim
Abſtulit heu Venetus proditione, dolo.
Pontifices primum Rheni, princepsque palati,
Surgite Bellaces Saxonieque domus.
Imperii nam communis; patrieque ſalutis
Vos cura elegit Cæſari adeſſe manu.
Vos commune bonum & priſcarum gloria rerum
Suſcitat à ſomno, Surgite quæſo duces,
Imperium mundi quæſitum ſanguine auorum, &
Vsque huc ſeruatum ſi retinere placet,
Si libertatem priſcam, patrieque ſalutem,
Denique vel proprium ſi retinere ſocum.
Surgite nunc proceres propere, nam Teutona late
Nunc buxus reſonat, claſſica arma vocant.
Maxmilianus item vocato ad nobile bellum,
Quo paritur vobis gloria, regna, ſalus.
Ille etenim Italie vobis iam clauſtra recluſit,
Imperii & veteres iam reparabit opes.
Si modo cum domino veſtro mentemque virilem
Sumitis, & galeam, ſurgite quæſo duces.
Nec qui perdiderat cum regno Sardanapalum
Detineat luxus, peſtis amara virum.
Sunt & opes & equi vobis, ſunt arma, virique,
Tam iuſtam ſuperi militiamque iuuant.
Quare magnanimi conſurgite quæſo Alemanni:
Claſſica iam ſonitant, Mars furit arma vocans.
Imperium aut (timeo) maiorum ſanguine partum
Libertasque ruet, Dii prohibete nephas.
Ludibrio & prædæ fiet tunc Teutona pubes,
Quæ domitrix olim totius orbis erat.

JO.

5 1 4

JO. PIERII VALERIANI
EPISTOLA
DE
HONORIBUS MATTHÆO LANGIO, EPISCOPO GURCENSI ROMÆ HABITIS.

JANI FRANCISCI VITALIS
PANEGYRICUS EIDEM EPISCOPO DICTUS.

HIERON. NOGAROLI
ORATIO PRO VICENTINIS.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

INfelicium litteratorum numerum auget Jo. Pierius Valerianus, * patria Bellunenſis, quod Marchiæ Taruiſinæ eſt oppidum, ** in paupertate ſcilicet viuens, *** excellentis alias ingenii homo, famæque quoque haut minoris. **** Hic Romæ agens, Gurcenſis Epiſcopi ingreſſum Romam, hac deſcribit epiſtola. Erat Matthæus Langius, peruetuſta patritiorum Auguſtanorum familia natus, Præpoſitus primum Auguſtenſis, ***** deinde Gurcenſis Epiſcopus, factus poſtea Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Maximiliani Imperatoris Conſiliarius, demum Archiepiſcopus Salisburgenſis.*

---

* Sic Cornelius Tollius *pag.* 424. eum in horum numerum refert.

** Vitam ipſius breuiter deſcribit Girar. Ghilini *Theatro d' Huomini Letterati pag.* 190.

*** Queritur de hoc ipſe in elegia, qua vitæ ſuæ calamitatem luget:

At genitrix pauper, gemina ſine dote ſorores,
Quas miſeras fruſtra ſpes fouet vna mei,
Expoſcunt a me fraterni pramia iuris;
Sed cartas nullas, carmina nulla, volunt.

**** Docet hoc eius Epitaphium quod Ghilino debemus, & tale eſt:

PIERIO VALERIANO.

Bellunenſi, Poëtæ, Rhetorique ampliſſimo,
Cuius pia vmbra non pœnitendum
hic tumulum ſortita eſt.
Nam vt optabilis in patria, ita ſpecioſus
Patauii ſupremi officii decus fato amiſſum
virtute recuperauit.
Petrus Carrarius, ac Joannes Baptiſta
Rota, Patauini vnanimes grato Hoſpiti
poſ.

***** Cruſius *Suev. Ann. lib. IX. Part. III. cap. XI. & lib. X. Part. III. cap. I.* quem ſequitur Car. Stengelius *Rer. Auguſtan. Part. II. cap. LXIII. num.* 16.

genſis. * Magnæ hic apud omnem erat exiſtimationis, ** multæque in negotiis publicis fuerit auctoritatis, hiſtoriæ nos docent. Anno ſiquidem 1508. Imp. per eundem e ſuggeſtu non jam regem eum, vt antea, ſed Romanorum Imperatorem deinceps appellandum, promulgari jubet.*** Dum eodem anno famoſum illud fœdus Cameracenſe firmaretur, ipſe Cæſaris nomine vna cum Margaretha Sabauda Belgii gubernatrice aderat. **** Inſequenti anno in Italiam miſſus, vt Gallorum Regi Ludouico Cæſarem propediem in Italiam eſſe reuerſurum, nuntiaret. ***** Inde in Galliam miſſus legatus, ****** ſed poſtquam a Julio II. Papa ſæpius fuiſſet expeditus, ad conſummandum pacis negotium cum Venetis,******* annuit Cæſar & conſtituit Gurcenſem Vicarium Generalem per Italiam, qui Bononiæ magnifice fuit exceptus, cum Papa etiam collocutus. ******** Et licet ingraueſcente Julii II. morbo Cæſar eodem anno Gurcenſem Romam deſtinaſſet ********* vt de ipſo ad Papalem thronum euehendo laboraret,*

* Wigal. Hund. *Metrop. Salisburg. pag.* 32. qui etiam hæc addit: *fuit vir ſingularis prudentiæ & doctrinæ, magnificus, beneficus, & maxime hoſpitalis, qui de omnibus infimis pariter ac ſummis bene mereri ſtuduit, & propterea apud omnis Principes Germaniæ, præſertim apud Maximilianum Imperatorem, cuius interceſſione ad hunc Epiſcopatum peruenit, magna valuit authoritate.*

** Docet hoc Petri, Epiſcopi Tergeſtini epiſtola ad Matthæum Langium, quæ Conradi Peutingeri Sermonibus Conuiualibus fuit inſerta *pag.* 8. Eiusdem Peutingeri epiſtola ad eundem *pag.* 12. Jo. Trithemii epiſtola l. VI. libri ſecundi ad eundem. Vitam Eiusdem plenius deſcribit Cabrera *Tom. III. Vit. Pontif. pag.* 259. Effigiem ipſius exhibet Hortledet *de Cauſſis B. Germ. Tom. I. Lib. II. cap. VI. pag.* 792.

*** Franc. Guicciardinus *Hiſt. lib. VII. pag.* 7. *cap.* 2. Gerh. a Roo. *Hiſt. Auſtr. lib. XII. p.* 568.

**** Nihil equidem de eodem reperitur in Hiſtoire de la Ligue faite a Cambray. Sed claris verbis hoc teſtatur Gerh. a Roo. lib. XII. pag. 571. dicens: *igitur adnitente imprimis Pontifice, & commeantibus internunciis eo res deducta eſt, vti Imperatoris nomine Margaretha, eius filia, Belgarum gubernatrix, & Matthæus Langius, a rege Gallia Cardinalis Rothomagenſis, quem ſequebatur Jacobus Albionus, Aragonum regis legatus Cameraci conuenirent.* Patet hoc etiam ex Anglorum Regis legati ad Margarethan Sabaudam inter Epiſtolas Ludouici XII. epiſtola *Tomo I. pag.* 128. & ipſius Margarethæ ad Maximilianum *pag.* 134. Eædem epiſtolæ Gurcenſis ſæpius faciunt mentionem.

***** Guicciardinus *lib. VIII. pag.* 762.

****** De hoc ſæpius fit mentio in epiſtolis Ludouici XII. Sic Joannes Caulier nuntiat Margarethæ Auſtriacæ aduentum Gurcenſis in Galliam & qua ratione a Rege fuerit exceptus *Tom. II. pag.* 39. Andreas de Burgo inter alia Margarethæ refert Tomo II. p. 76. *Domina mea, eſt hic Dominus Gurcenſis cum tanta reputatione Cæſaris & ita prudenter gubernauit omnia, quod eſt in mirabili æſtimatione & fuit aduentus eius mirabiliter bonus & vtilis pro Cæſare.*

******* Teſtatur de eo Coccinius: *interim Julius Pontifex apud Cæſarem vehementer inſtitit, ut Gurcenſem ad ſe deſtinare dignaretur, pro conficienda concordia inter ipſum & Venetos.* Idem alio loco dicit: *ad hæc Matthæum Lang Epiſcopum Gurcenſem Cardinalem nominauit, quo medio eiusdem Cæſarem ad confœderationis ſuæ partes alliceret.* Promiſſam etiam tunc ipſi fuiſſe Cardinalis dignitatem ex Andreæ de Burgo epiſtola ad Margarethan patet, inter Ludouici XII. litteras *Tom. II. pag.* 81.

******** Hoc ipſe Gurcenſis narrat ſingulari epiſtola ad Epiſcopum Pariſienſem XI. Aprilis *1511.* ſcriptam inter dictas epiſtolas *Tom. II. pag.* 139. Adiecta eſt JO. FRANCISCI VITALIS Panegyris in laudem Gurcenſis Epiſcopi.

********* Sic Andreas de Burgo Margarethæ Auſtriacæ ex Oeniponte XVI. Febr. 1511. narrat: *ſua Imperialis Maieſtas vult vt D. Gurcenſis ſubito vadat Romam*, Tom. III. p. 158. Ad eundem aduentum prouocatur in Tractatu Induciarum inter Maximilianum I. & Venetos VI. Aprilis 1512. initarum Tom. III. p. 217. *ad certum Conuentum Pacis quam fortituram effectum Domino concedente ſperandum & tenendum eſt in breui, preſertim adueniente Illuſtriſſimo Principe & Reuerendo D. Domino Matthæo Electo Gurcenſi Conſiliario dicti Sereniſſimi Cæſaris Maximiliani Imperatoris Electi ſemper Auguſti qui de proximo venturus ſperatur cum pleniſſimo mandato & auctoritate.* Quam auide autem Julius II. hunc Gurcenſem expectauerit, teſtatur ipſius epiſtola ad Maximilianum Sfortiam Romæ XII. Auguſti *1512.* ſcripta Tom. III. p. 309. *vt autem rectius & cum dicti electi Imperatoris decore omnia ſtabiliantur & præcipue Ducatus tuus, dilecti filii Matthæi Electi Gurcenſis aduentum auidiſſime expectamus.*

ret, * dilatum tamen iter fuit, Gurcenſis in Germania primum Cæſarem adiit, ** vsque dum Nonis Nouembris 1512. Romam intraret, ibidemque magno cum honore & gaudio fuiſſet exceptus, quod hac epiſtola ſigillatim exponit Valerianus, ex qua etiam diuerſa circa Cæremoniale Romanum diſcimus. Hanc Beatus Rhenanus, in cuius manum inciderat, Matthiæ Schurerio Argentoratenſi Bibliopolæ commendat, cuius beneficio primum fuit edita.

Panormitanus patria erat hic Vitalis, poëtica re clarus, cuius diuerſos hymnos aliaque Carmina indicat Gesnerus. Bibliotheca, *voce Janus Vitalis.* Teſtantur etiam præmiſſi huic Panegyrico verſus, inter eximios poëtas ipſum fuiſſe numeratum. Hic Panegyricus autem totus eſt in laudibus Cardinalis, III. Idus Nouembris 1512. paullo poſt introitum Romanum ſcriptus, quem etiam breuiter deſcribit Vitalis.

Sequitur HIERONYMI NOGAROLI Comitis Itali Oratio *ad Maximilianum* pro Vicentinis habita cum illorum vrbem poſt infeliciter tentatam Patauienſem obſidionem anno 1509. ingrederetur. *** Claudit tandem agmen SEBASTIANI MARRHENSIS, Junioris, Colmarienſis carmen tumultuarium in laudes Maximiliani & Gurcenſis. Legi quoque meretur Gurcenſis elogium, quod infra in Jo. Fabri oratione Parentali Maximiliani reperitur.

PIERII

---

* Hunc fuiſſe animum Maximiliani teſtatur ipſius Epiſtola ad Margarethan filiam miſſa, *Tom. IV. pag. 2. & envoyons demain Mr. de Gurce Evesque a Romé deuers le Pape pour trouver facon que nous puyſſions accorder auec ly de nous prenre pour vng Coadiuteur, affin que apres ſa mort pourions eſtre aſſuré de auoer le Papat vt deueuir Preſter & apres eſtre Saint, & que yl vous ſera de neceſſité que apres ma mort vous ſeres contraint de me adorer dont ie me trouueré bien gloryoes.* Scripta hæc epiſtola XVIII. Septembris 1511. Conuenit hæc cum alia ad Baronem Paulum a Lichtenſtein ſcripta Brixiæ XVI. Septembris an. 1511. apud Waremundum de Ehrenberg in veriſimilibus de regni ſubſidiis ac oneribus pag. 19. in qua: *in illum euentum, ſi Papa defungatur, Epiſcopum Gurcenſem Romam ablegauimus, qui negotium interim noſtrum de recuperando Papatu practicetur. Facit huc* Mich. Coccinius: *at Julius Pontifex vt Romam aduenit, haud longe poſt in febrem incidit, & vsque adeo male ſe habere cœpit. quod per totam increbuerit Vrbem, Pontificem interiiſſe, omnes namque tabernæ, omnes item officinæ claudebantur. Vrſini præterea & Columnenſes in armis ſtabant, qua quidem fama obitus Pontificis allata eſt ad Cardinales Mediolani conſtitutos item ad Cæſarem, item ad Regem Franciæ eius obitus tam certus exploratusque habebatur, quod legatus Romandiolæ iter verſus Romam arripuerit, & Cardinales Mediolani exeuntes hoſpitia Ferrariæ, & aliis in locis diſpoſuerint, Cæſar quoque voluerit, vt Gurcenſis cum Cardinale Adriano Romam proficiſceretur, ad nouam Pontificis Creationem. Non longe poſt certior ſuperuenit veritas de vita Pontificis.* Pluribus de hoc negotiis agit Joſ. Mezger, *Hiſt. Salisburg. lib. IV. cap. XLIX.* J. Bayle *reponſe aux queſtions d' vn Prouincial. Tom. II. cap. CXXIV.* & Erneſti Salomonis Cypriani diſſertatio *de Maximiliano Primo Pontificatum Maximum affectante.*

** Gurcenſis iter ob recuperatam Papæ ſanitatem poſtea fuiſſe dilatum, facile videtur. Sic enim Mercurianus Gattinarius vlt. Februarii 1512. Margarethæ nuntiat, Gurcenſem in Germaniam abiiſſe ad Imperatorem *Tom. IV. pag. 53.* Hinc etiam ſub medium anni 1512. adhuc Romæ expectabatur, vt ante dictum fuit.

*** Agit de eo Gerh. a Roo. Hiſt. Auſtr. lib. XII. p. 579. *cum igitur omnium rerum copia ex ante conuectio ſuppeteret, & milites, pecunia accepta, prompti ad imperata adeſſent, Cæſar fruſtra operam ſuam videns, tormentis tutum in locum deportatis, Luminum ſe cum omnibus copiis, atque inde Vincentiam conuertit.*

PIERII VALERIANI, DE HONORIBUS ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO GURCENSI, CÆSAREO TOTIUS ITALIÆ VICARIO, VRBEM INGREDIENTI HABITIS EPISTOLA.

BEATUS RHENANUS MATTHIÆ SCHURERIO MUNICIPI SUO S. P. D.

IOannes Petrus Valerianus Bellunienſis vir in vtraque lingua egregie doctus, Reuerendiſs. Matthæi Langii Epiſcopi Gurcenſis, Cæſarei Archigrammatei in vrbem ingreſſum, pompamque omnem ac honores quibus affectus eſt, eleganti ad amicum epiſtola deſcripſit fideliter adeo & graphice, vt cum legeris rem ipſam oculis ſubiectam te cernere credas. Hanc humaniſſ. integerrimusque vir Joannes Bergmannus de Olpe Cæſaris plurimum ſtudioſus mihi tradit, vt alicui eorum qui ſtamneis calamis libros exſcribunt, per mille exempla publicanda committerem. Neque vero alius occurrit quam tu Matthiâ chariſſ. tum quia te ob virtutes tuas amo, tum quia ea quæ ad Germaniæ ſplendorem attinent, nullo vnquam tempore procudere ceſſas. Miſi itaque tibi Pierianam illam epiſtolam, & Panegyrin Jani Franciſci Vitalis, cum multis doctorum hominum verſiculis. Quare Gurcenſis non mediocreis tibi habebit gratias, quod de ſe tam bene meritus ſis, honores quibus Romæ exceptus eſt per omnem Germaniam diuulgando. Cæterum facile hinc coniicere poteris, ſi Chriſtianiſſimus Imperator Cæſ. Maximilianus ipſe Romam veniret, quot illum poëtæ ſuis poëmatibus certatim eſſent concelebraturi. Volo item Carmen Hieronymi Nogaroli Comitis, quo Cæſarem Vicentiæ nomine ciuitatis ſalutauit, calci adiicias. Id quod mihi anno ſuperiore conterraneus noſter Jacobus Spiegel Cæſareæ maieſtatis à ſecretis, candide, vt alia multa, communicauit. Bene vale, & me vt facis ama. Sebaſtiano Murrhoni meis verbis ſalutem dicito. Ex Baſilea 4. Nonas Februar. Anno 1513.

EPISTOLA DE HONORIBUS ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO GURCENSI CÆSAREO TOTIUS ITALIÆ VICARIO VRBEM INGREDIENTI HABITIS.

PIERIVS VALERIANVS PETRO CRISPO. LAVENTII CAMPEGII APOSTOLICI LEGATI AD CÆSAREM SECRETARIO

S. P. D.

QUum hinc diſcederes Criſpe iucundiſſime, à ſummo Pontifice ad Legatum tuum nuncius iterum transmiſſus, ſummopere flagitaſti, vt ſi quid ſcitu

 dignum

dignum Romæ interim gereretur, id tibi per literas significatem. Ab eo vero tempore nihil vel accidit, vel gestum est maiori dignum admiratione, quam illustrissimi ac Reuerendissimi Matthæi Langii Episcopi Gurcensis ingressus in vrbem. Tot illi Cæsareo totius Italiæ vicario honores publice & priuatim habiti, tam magnifico, tam splendido rerum omnium apparatu receptus, & ad Pontificem deductus est. Sed, quod gratum omnino tibi futurum existimo, rem omnem à principio percurram, & ipsius pompæ formulam tuis oculis subiiciam. Quando ego ex hac Adriani mole rem omnem occulata fide diligenter aspexi, quod nusquam locorum melius obseruari potuit. Hinc enim (vt scis) omnis Roma videri & septem possunt montes. Age igitur te in otium asserte, neque interim auscultа dum quicquid fieri perspexerim, inter nos sermone referam, & ab ouo ad mala rem tibi satis opipare ptopinem.

Pridie Non. Nouembris, prima iam noctis hora significata, eram in præ- p. 293
fecti nostri cubiculo, atque (vti mos eius est) ea prima vigilia studia hæc politiora tractabamus, & Sallustianam tum forte historiam, tuas delitias, percurrebamus, quum vigiles renuntiant viam omnem, quæ decliuis est à Mariano monte in Vaticanum vsque facibus innumeris collucere. Rati id quod erat, Gurcensem aduentare, prodimus ad propugnacula, magna enim præcesserat expectatio, hominem esse hunc, qui missus rerum arbiter à Cæsare summis de negotiis vna cum aliis magnorum Regum & Principum Legatis ad Julium II. Pontificem Maximum, rerum cardinem eo verteret, vt modus imponeretur tandem tot cædibus & excidiis, quibus per quinquennium hoc præcipue, non Italia solum sed vniuersa Respublica Christiana desolata, & magna ex parte deuastata est. Id enim semper (vt ipsemet nosti) impendio cauit Cæsar, vt sanguine abstineretur, cuius rei præcipuum testimonium Bellunienses cines nostri calamitosis his temporibus afferre possunt. Dum igitur ita quadam lætitia delibuti vim eam funalium, in lacteæ viæ speciem splendere prospectamus, aduertimus faces omnes, pro vt ad Nicolai turrim propinquabant deficere, nullas neque in Vrbem, neque Palatium inferri. Nostet interim Præfectus tubicines cornicinesque accersiri iubet, qui plausibili sono Principem ante molem transeuntem exciperent.

Tormenta quoque sulphure armari edicit, vt tonitruis emissis & Gurcensem ipsum honorifice salutaret, & vrbem tam expectati aduentus nuncio totam exhilararet. Interea nuncius à Palatio regreditur, qui præmissus à Præfecto fuerat, vt quid ageretur, exploraret: refertque Gurcensem funalibus extinctis, vna tantum face contentum, familiaribus ad hospitium ablegatis, clam esse Palatium ingressum, prodiisseque illi obuiam Pontificem ipsum á solio ad extremam vsque aulam, vultuque hilari hominem accepisse apud se pernoctaturum, Vrbem postridie solenniter ingressurum, quod Pontifex eum honorificentissime tecipere destinasset. Nos igitur hinc cœnatum, inde á literaria disceptatione aliqua delassati cubitum imus.

Postero die præfecti nostri monitu Parin Pontificulum adii, in proximis D. Celsi ædibus habitantem, scisciturus ex homine quid honoris aduenienti paratum esset. Respondit is, Pontificis & sacro sanct. C. omnes illos honores huic imperiali vicario decretos esse, qui vel Regi, vel primogenito Regis sint præstari soliti, præter totius cleri & collegii Cardinalium comitatum, qui Regibus tantum obuiam ire consueuerunt.

Reliquos vero totius orbis ordines hominem deducturos, pompa quantum fieri poterit honorifica. Decretum tamen fuisse eodem S. C. vt Cardinales duo ex primatibus procederent extra vrbem vsque ad aquam quæ transuersa dicitur, vbi salutato & accepto Principe, eum ad pontem cognomento Miluium deducerent, inde per prata illi in Vaticanum pergerent, Gurcensis á reliquis acciperetur. Cæterum quia is ante statam diem in Vaticanum præuenerat, alia ratione

ratione fore exeipiendum, eaque de cauſa placuiſſe pontifici, vt in ſpeculam cui ab amœnitate pulchræ * nomen in ditum eſt, diuerteret. * Bel. veder.

Mane vero cum in Citriorum luco ad Bramanteum fontem pranſus eſſet, auditis iis quibus cum de negotiis alicuius momenti ſtatim fuerat diſcernendum, vndecima criciter hora per Buccineam ſcalam in ſubiectos hortos, mox in prata pergit, vbi clientum vis innumera, ſeruitia & famulatus frequens, in equis inſidentes operiebantur, magnus etiam Germanorum ciuium numerus confluxerat, eorum qui vel propriis, vel alienis negotiis curandis dediti Romæ habitant: quorum plerique calami exſcriptorii opera locupletati ad ampliſſimas interdum dignitates emerſerunt. Cum hoc igitur comitatu, qui nobis ab arce proſpectantibus numeroſi inſtar exercitus habebatur, per planitiem ad Tyberis ripam contendit. Hic Cardinalibus illis fit obuiam, qui fuerant à Pontifice, vt hoc facerent deligati. Quorum vnus Th. Strigonienſis Cardinalium ſacris initiatorum prior. Alter L. Agenenſis ſummi Pontificis conſanguineus & pœnitentiarius maior, honoratiſſima vterque dignitate ex meritis honeſtatus. Hi quum pileolos extuliſſent, Strigonienſis Gurcenſem fronte hilari compellat, Pontificis & ſacroſancti Collegii nomine ſaluere iubet.

Eum, quod bonum fauſtumque ſit optatiſſimum omnibus applicuiſſe, multaque in hanc ſententiam ornate ac ſapienter locutus. Matthæus vero minime ad loquendum ineptus, omnibus pro re, loco & tempore lueulenter, & ſcite
p294 adeo reſpondit, vt magna nobilium conuenarum corona facta, ex affabilitate, atque prudentia, omnibus è veſtigio ſeſe præſtiterit admirandum. Oratio ſiquidem animi ſimulachrum habetur. Inde quum progredientes Cardinales eum inter ſeſe medium exciperent. Cardinalibus ipſe deeedere, vtque probatiſſima eſt modeſtia, negare ſe locum eum occupaturum. At poſteaquam reluctari non potuit, ingenuam profeſſus verecundiam, coactus eſt in eos ſacroſancti Senatus proceres medius obequitare. Quum vero vieiſſim de his & illis rebus diſſerentes ad pontem peruenisſent, ingentem offendunt numerum eorum, qui pompam honeſtare iuſſi, iam aduentarant. Ibi tum Senator Vrbis cum frequentiſſimo Romanorum Ciuium comitatu omnibusque Reipublicæ totius ordinibus, qui munus aliquod in Capitolino foro, vel in vrbe gererent, exquiſitiori ſermone Gurcenſem excipit, & amœnitate Neapolitanæ ſacundiæ demulcet, quumque idem facere ſingulorum ordinum præſides inſtituiſſent, veriti Pontificuli ne dies ſalutationibus his atteretur, ſilentium omnibus indixere.

Inter eundum itaque vnus ex Pontificulis ſingulas Cardinalium clientelas, quæ in ordines ſigillatim inſtructæ obuiam veniebant, intento digito demonſtrabat, miſſos hos & illos inquiens ab Antiſtite ſuo, vt ingreſſum hominis decorarent. Quibus omnibus princeps, aperto capite, benigniſſime gratias agebat. Cum igitur inter ingentem hanc ſalutantium multitudinem ad vrbis portam, quæ templo Virginis popularis * adiacet applicuiſſent, Cardinales pro gradibus templi venia petita Gurcenſem relinquunt, mox ædem ingrediuntur adoraturi. Antiquum enim eſt inſtitutum (vt accepi ex pontificulo) ne ſacer Senatus quempiam per vrbem publice deducat, niſi vel Regem vel Regis primogenitum. * S. Mariæ de popolo.

Duo vero Cardinales ſecundo vel tertio Regum genitos, vel duces, & Marchiones eos, qui ſe addictos Eccleſiæ profeſſuri venerint, quique ea ſunt amplitudine, vt in ſubſelliis vna cum Cardinalibus aſſidere poſſint. Quamuis vero Cæſarei huius Vicarii dignitas maior quam Mediolanenſis & Ferrarienſis Ducis eſſe eenſeatur, quippe qui Cæſaream Maieſtatem in vniuerſæ rebus Italiæ præ ſe ferat, quia tamen in eorum numero non habebatur, qui ſunt Eccleſiæ mancipati, ſatis eſſe viſum eſt propenſam erga eum voluntatem oſtentare, nihil vero eorum intermittere quæ ſeruato venerabilis Eccleſiæ decoro præſtari potuerunt. Proreges enim & Regum Vicarii à nullo Antiſtite deduci ſolent, nedum à duobus Cardinalibus excipiantur. Sed enim non ierim inficias huiusmodi ritus aliquando profanatos, præſertim Alexandri VI. tempore, qui Valentinum filium

filium ſuum à depoſito Cardinalatu ex Galliis redeuntem, neque adhuc vexilliferum Eccleſiæ deſignatum, à duobus Cardinalibus medium excipi, perque vrbem ad ſeſe deduci iuſſerit. Idque iterum fieri curauit, quum idem victor ſubacta Flamminia rediiſſet. Sed detur hoc illi, qui longe maiora his præter morem fieri permiſcrit. Gurcenſis itaque ab Regalis montis Epiſcopo Vrbis gubernatore, & Neapolitano Archiepiſcopo, Palatio Antiſtite, hinc inde exceptus, iter ſuum exequitur.

Quos vero ſecum adducebat legatos, & illuſtres viros, à dexteta Antiſtes aliquis, à leua qui prius in Vrbe fuerant Legati comitabantur, quod genus pompæ pulcherrimum eſt, & rariſſimum eſſe perhibetur.

Nos quum ab arcis faſtigio comitatum omnem ab oculis elapſum aſpeximus, ſtatim in penſile viridarium, quod ripæ fluminis imminet, & ponti quem ſtruxit Adrianus incumbit, deſcendimus, vt è feneſtris ædiculæ, quæ pontem & Alexandrinam viam omnem perſpicit, cominus reliquos præcedentium ordines ſpectaremus. Ibique cum arcis præfecto & Alfonſo Antiocheno Patriarcha paululum morati, Græcum militem in expeditiſſimis equis primum omnium adventare aſpicimus. Ab hoc Germana omnis iuventus ea, quæ numeroſiſſima, vel panificio, vel operibus aliis dedita Romæ degit, velitum armatura pulcherrime prædita proceſſit, non ſine omnium voluptate, qui priuatam eorum fidem & officium commendabant.

Hos inde ſubſequebantur Cardinalium clientelæ, ſingulæ in ſuas claſſes diſpoſitæ, quas internumcroſa Strigonienſis familia equorum generoſitate, amictus patrii vniformitate, geſtaminum varietate, auri & argenti copia, quo non capita & colla, & pectora tantum inſigniuerant, verum etiam equos eisdem ornamentis ſtrauerant, ſpectaculum obtulit perquam delectabile. Inde Atrienſes minoris notæ, poſtea Gurcenſis ipſius Tabellarii. Mox veterina iumenta cum ſarcinis picturato ſtragulo ſuperſtrato, ab his eiusdem ſeruitia, famuli, clientelæque, (vti recenſere potuimus) circiter quadringenti. Poſt hos illi procede- p. 295
bant, qui munus aliquod publicum gerunt, & amictu breuiori vtuntur, qui cancellarium aliquod opus curant, qui palatinis negotiis addicuntur. Inde ſcutigeri Palatini, mox viri præſtantiores, qui vel auro honeſtati, vel monilibus inſigniti Gurcenſem ſecuti fuerant circiter centum. Inde principis ipſius equi aliquot præſtantiores, quos præ ferocitate ſingulos ire neceſſe erat, & amplo ſatis interuallo diſtantes. Ab his Heluetii Pontificiæ cuſtodiæ pedites, Italus etiam peditatus, inde Romana nobilitas cum pontificiis aliquot miniſtris, quique locupletiores curiam honorifico veſtium & equorum ſumpto decorant. Poſt hos Romani, qui vrbicis regionibus præſident, vna cum ſcribis & aliis, qui munera vel publica vel priuata gerunt. Inde Oratores ſociorum Eccleſiæ, Pontificique & Apoſtolicæ ſedi addictorum, Placentini, Regienſes, Parmenſes, Bononienſes, mox Vrbis conſeruatores cum ſenatore ſuo. Lictores inde pontificii ſex, vna cum Imperiali nuncio. Præſtantes inde viri opibus, nobilitate, militia, dominio, principatu, Pontificis neceſſarii, affines, & conſanguinei. Mox Federicus Illuſtriſſimi Marchionis Mantuani filius, acri vectus equo, & precioſiſſimam indutus clamydem, inde ceremoniarum Antiſtites, à quibus ipſe Cæſaris Auguſti Vicarius Illuſtriſſimus in patriæ morem rogatus, inter eos, quos ſuperius dixi, Præſules, equo vehebatur. Qui ſtatim vbi marmoreum Adriani pontem inſcendit, Præfectus arcis, nunc Angelicæ * nuncupatæ, imperat ignem admouerı tormentis, quæcunque fuerant pro propugnaculis in hunc vſum comparata. Ecce vero primo flammis turres, & arcem omnem coruſcare. Inde mugitus, & tonitrua vaſta & horrenda ſtatim exaudiri: tanto cum ſtrepitu, tanto cum motu, vt non turres tantum quaſſarentur, verum ſolida ipſa moles Adriani concuſſa tremeret vndecunque. Pons etiam ipſe concuti, ſuburbanum & Vaticanus omnis contremere, quo ſtrepitu perculſi ſubſtitere omnes, atque ipſe in primis Gurcenſis abmirabundus ſublatis in molem oculis, rei nunquam prius

* Caſtello S. Angelo.

in

in hunc vſum auditæ tenorem obſtupeſcebat. Subſecuta ſtatim tibicinum melodia quæ tuba ductili & quatuor tibiis intonata ſonum omnium ſuauiſſimum reddebat. Ibi nos hominis effigiem non ſine voluptate cominus ex proxima feneſtra contemplari, omnemque corporis dignitatem mirifice commendare, manſuetudinem, atque prudentiam, quam oculis & fronte præ ſe ferebat, nunquam ſatis admirari; dexteros omnibus oculos ſalire, dum tuendo expleri nequimus. Interim acer & generoſus equus, quem Federicus Marchionis filius regebat, eo ſtrepitu conſternatus, immo potius excitus vsque adeo ferocire cœpit, vt veriti ſint omnes ne puerum vna ſecum in fluuium ex ponte deturbaret. Tam magnis, tamque iteratis ſaltibus attollebatur, tam erat freni contemptor. Quod niſi magnanimus puer ingenio rariſſimus læuum calcar lateri appreſſiſſet, & in dexteram habenas leuiter deflexiſſet, perquam facile accidere poterat, vt tam feſtus, tamque iucundus dies in luctuoſum & mœſtiſſimum conuerteretur, vsque adeo egregia illa indoles ab omnibus & ſuſpicitur, & adamatur.

Facta eſt inde nobis copia recenſendi reliquos, dum in ipſo ponte multitudinis frequentia, quæ viſendi ſtudio conuenerat, conſtipati lentius ire cogun- *Albertus Pius. Joan. Fran. Picus.*
tur. Maxime vero ſpectabilis erat illuſtris Albertus Pius, Carporum princeps, & probitatis, & eruditionis columen; Cæſaris nunc ad pontificem Oraror ſapientiſſimus. Aderat & Joan. Fran. Picus Mirandulæ comes, vir omni doctrinarum genere abſolutiſſimus. Cum his Andream Burgium Cremonenſem agnouimus, virum in magnis negociis obeundis ætate noſtra Clariſſimum. Ac ne tibi ſim tot Oratorum nomenclator; quorum ſingula paria Palatinus præſul à dexteris deducebat, Hiſpanos quippe, Burgundos, ac tertio loco Venetos, mox Mediolanenſes, Florentinos, Senenſes, Lucenſes, ac Oratores reliquos quinque circiter & viginti, totidem Præſulibus comites adiectos enumerauimus. Antiſtitum inde mitratorum paria circiter quinquaginta, inde ordinum omnium numeroſiſſimum equitatum. Dum interim hos recenſemus & ſuauiſſimo tibicinum, qui ab arcis faſtigio modulabantur, concentu delinimur, Gurcenſis arcum, qui militari viæ ſuperductus eſt, euaſerat. Edicit igitur præfectus noſter, vt ea tormenta, quæ per mœnia verſus Leoninam vrbem muſica dimenſione diſpoſita erant, inflammentur. Ibique rurſum immanem ſtrepitum, clamoſa tonitrua, ſed placidiori quodam rithmo exaudiſſes. Ad hæc arcis tubæ clangorem mirificum & ſuauiſſimum dedere, animos ad exultationem accendentes.
p.296 Fuerunt etiam ex Imperii clientibus, qui tormentis, & accenſorum ignium illuſtratione (atra enim nox iam incubuerat) prætereuntem principem ſalutarent. Quid vero Criſpe tibi de concurſu dicam, quum viæ ab æde populari in Vaticanum vsque (quod ſpacium, vt ſcis, in XX. ferme ſtadia, via lata porrigitur) tanta hominum vtriusque ſexus, conditionis, & ætatis frequentia refertæ & conſtipatæ fuerint, vt ſinguli vix procedere interdum poſſent. Quin etiam fuerunt in aliqua vrbis regione viæ ita multitudine hominum obſeſſæ, vt declinandum ab inſtituto itinere fuerit, ne Pompa in totam vsque noctem traheretur. Per radices igitur Capitolini montis ad Cæſarianas ædes Vallenſes Maximinas ire perrexerunt, à quibus in Floræ campum deflexerunt, recta inde in Vaticanum.

Vbi vero in Palatium applicuerunt, demiſſi ex equis, ſcalas & atria omnia Pontificiæ domus ſunalium frequentia, quæ noctem clariſſime vincebant, illuſtrata vident. Gurcenſis primo, mox Legati, & Oratores omnes, & magna vis nobilium, ingrediuntur ad Pontificem, quem in ſolio ſedentem Cardinalibus aliquot circumſeptum offendunt. Gurcenſis itaque ter genu procumbens Sacroſanctæ ſimulachrum maieſtatis pie veneratus eſt, admiſſus inde ad pedum oſcula. Tum pontifex illi manum, mox faciem obtulit oſculandam. Gurcenſis inde vtroque genu poſito aduentus ſui cauſam explicuit, breui ſed caſtigata oratione, cuius argumentum erat: *Se delegatum à Cæſare, vt omnino Chriſtianæ Reipublicæ diſſidia componerentur: bello, quod aduerſus Apoſtolicæ ſedis dignitatem tot annis geſtum eſt, finis demum imponeretur. Principum Italicorum, Ciuitatum & populorum*

pulorum iura perpenderentur ; abominabile ſchisma , quod pullulare ceperat , eradicaretur , & exuſtioni prorſus demandaretur. Ad hæc Pontifex , *multum diuque aduentum eius , obhæc eadem , ſe deſideraſſe* reſpondit , *eumque optatiſſimum ideo omnibus applicuiſſe , placere quod animi gereret , quod auctoritas Imperatoria ad hæc eadem accederet , quantum in ſe eſſet , ramis velisque omnia deducturum , quæque tanto rerum molimini oportuna forent , omni diligentia proſpecturum. Hortari denique hominem , vt obuiis vlnis hæc exciperet , eoque animo , quem profeſſus fuerat , perſiſteret. Futurum ſperare ſe , vt res tranquillo adeo ſtatu ſedarentur , vt (quod bonum fauſtumque ſit) vniuerſa Respublica Chriſtiana quieti , & honeſtati ſuæ quam primum reſtitueretur.*

Surrexit ab his Princeps , adſiſtensque à læuo Pontificis latere , tantiſper cum eo familiarius eſt locutus , dum Oratores reliqui , & vniuerſa nobilitas , quique inde voluerunt , Pontificios pedes oſculati ſunt. Mox Gurcenſis à ſingulorum Cardinalium amplexu & oſculatione pia digrediens , eodem quo venerat comitatu , numeroſiſſima funalium vi addita ad Jordanum montem , vbi paratum erat hoſpitium , ire perrexit ; cui aduenienti præfectus noſter eundem tubatum , tibiarum , & tormentorum applauſum dedit , quem antea transeunti præſtiterat. Quumque ſub horam noctis tertiam ad ædes peruenisſet , vniuerſo comitatui ſalutem dixit , & gratias egit. Illi domum reuertuntur : hic diſcubitum accedit. Reliquum eſt , vt ſpes & expectatio hæc tranquillitatis , quam omnes optimam ſuper eo conceperunt , euentu non irrito quamprimum eluceſcat , quæque tam aduerſis tempeſtatibus vexata nauis eſt in vado , duabus anchoris firmetur. Nam quantum ad hominis prudentiam ſpectat , ipſe eam optime noſti , quum ſuperioribus diebus de negociis pontificiis ſecum ageres. Nos hic ex prima facie magnum neſcio quid , & omnibus æque commodum auguramur. Vale. Valemus nos quoque , quibus apud Jo. Fran. Roboreum præfectum benigniſſimum bene eſt. Bembi , Maroſticani , & Auguſti nomine plurimum ſalutaris. L. Bonfilius , Academiæ totius deſiderio adhuc abeſt , ac vtinam quamprimum adſitis animæ cariſſimæ. Interim tu vale atque etiam. Romæ. Ex Adriani mole. VII. Id. Nouem. M. D. XII.

PANEGYRIS R. D. MATTHEI EPISCOPI GURCENSIS, PER JANUM FRANCISCUM VITALEM PANORMITANUM. p. 297

C. SYLVANUS GERMANICUS.

Longe decus patriæ non paruum , maxima dum te
Miſſum à magnanimo Cæſare Roma capit ,
Quo fueris plauſu , quanto ſuſceptus honore ,
Hoc Boreas illinc nouit & inde Notus.
Altus Apollo vetat non talia ſcire nepotes ,
Dignus in æternum viuere veſter honor.
Dimidium ſecli vix hunc memoraret honorem ,
At nunc perpetuus carmine fultus erit.
Te quoniam Vates numeris pia vota receptant ,
Eripitur morti fama decusque tuum.
Inter & excelſos Vates Vitalis honorem
Veſtrum iam fecit carmine perpetuum.

FRAN.

FRAN. MARII GRAPALDI CLARISSIMI POETÆ LAUREATI.

SUB Ioue nonne Aquila eſt? nonne Eſculus? vtraque iure
Num iuncta? vtramque protegit aura Iouis.
Qua narrata diu tandem ſtant fœdera IULII
Caſaris, atque Iouis, mundus in imperio eſt.
Sic tu Iane tuo Vitalis carmine Quercum,
Longum, Aquilam, Imperium viuere poſſe facis.

HIERONYM. ANGERIANI DE-CASTICHON.

LAſciua dulcis Pelignus Naſo Camœna,
Andinus docto dulcis & ore Maro.
Arte lyra dulcis Venuſinus Oratius, arte
Plectrorum vates dulcis & vmber erat.
Carmine quem genuit dulcis Verona Catullus,
Dulcis Romanus voce Tibullus amans,
Ipſe ſono dulcis Papinius, inclyta cuius
Natali, & ſtudiis Parthenopæa tumet.
Dulcior his certe es Vitalis docte, Camœna,
Ore, lira, plectro, carmine, voce, ſono.

OCT. SYLVIVS LAURELIUS.

LAudat tam bene Caſarem, atque Julum
Suauis, delitioſus hic Panormus
Vitalis, pater elegantiarum,
Et doctus, facilis, Deique plenus,
Vi tantam mereatur inde laudem
Suis carminibus bonus Poeta.
Quantam carminibus ſuis, Julo,
Gurcenſi tribuitque, Caſarique
Hunc lector longe nobilem libellum.
Oblectat placidus poeta mentem,
Oblectant animos modi legentum.
Hunc lector lege nobilem libellum.

P. B.

VItalis meruere diu, at nunc viuere ſemper
Carmina, & aternis æqua prope imperiis.
p. 298 *Namque alias laudem tu ex te, at nunc accipis ex re*
Nec plus das laudis quam datur inde tibi.
Jure igitur factis magnis verba æqua dediſti,
Qui volet aternum viuere, digna canat.

HIERONYM. VITALIS NEAP.

NOn tantum hoſpitio lætata eſt aurea IANI
Roma triumphalem conciliata DEum.
Carmine quam IANI VITALIS clara Panormus
Gaudet, & eſt fœtu terra beata ſuo.

Bis geminos oculos gemina ille in fronte gerebat
Janus, ſed plus hic mente videre valet.
Ille tenet baculum, tenet hic in carmine ſceptrum,
Ille anni claues, hic Helyconis habet.
Quam bene te Janum Vitalem nomine dicunt,
Carmina nam vitam poſt tua fata dabunt.

PETRUS FOEDERINUS RO.

VT miris peragrat Vates Helycona choreis
Miror, & Æmonium quam bene flectat equum.
Mollia Pipleides Cirrheo labra liquore
Tinxere, & Vati laurea ſerta ferunt.
Sulmo ſui merita gratatur laude perennis
Naſonisque opifex Vmbria Callimachi.
Auſonia exultat Vitalis laude Panormus
Quod ſibi Pierius venit ab ore calor.
Arctoas æque modulari compulit aſtrum,
Tot laudes plectro concutiendo chelyn.
Delectat Vitalis opus ceu pollice primo
Lecta foret, rubeo tecta colore roſa.

R. D. MATTHÆO LANGIO, EPISCOPO GVRCENSI CÆSAREÆ MAJESTATIS VICEM GERENTI ORNATISSIMO, JANUS FRANC. VITALIS PANORMITANUS S. P.

CUiusque optimi, ornatiſſime Præſul, cenſuram euitare non poſſem, ſi tanta exercitationis genera audaci adoleſcentiæ morem gerens hoc opus imprimi non erubuiſſem, & tibi omni bonarum artium diſciplina excultiſſimo dedicare, niſi ea me defenſarent, inteſtinus videl. quum omnium probatiſſimorum, tum maxime erga te mens & amor & honor. Nemini enim in obſcuro eſt, te animi imperio, corporis vires abſolutiſſima virtutis luce ductum diſponere ac moderari. Quæ omnia ſi particulatim nunc enarrare velim, non modo ego tanto ponderi imperaſſe viderer, at ille Arpinas eloquentiæ pater. Quibus omiſſis ſatis ſit ad excuſationem me non laude, non lucro, non temeritate has nugas luſiſſe: verum vt animi mei gaudium à tot virtutibus excitatum teſtificarer. Præterea quum pace nonnullorum hac in miſerrima tempeſtate in fidei noſtræ interitum omnes fere conſpirare videantur. Tu autem, vt bonus es: boni & æqui conſule: & hæc (licet puerilia) eo animo, quo ſunt data, ſuſcipere dignator. Vale, noſtri memor. Romæ. Tertio Idus Nouembris M. D. XII.

JANI FRAN. VITALIS IN PANEGYRIM PRÆFATIO.

SUnt quos cornipedes, canes, auesque
Delectat volucres fouere, & illi
Pingues montibus inſequuntur altis
Damas, hi cupidi ſequuntur aurum.
Secum, fulmineos equos, canesque
Secum, ſecum habeant aues volucres,
Damas oppoſita ſequantur haſta.

Non

Non talem cupido decorem, & illis
Diues muneribus frui, rapit nam
Fortuna hoc facili modo bonum, nec
p.299 His parcunt celeres bonis ſorores.
Phœbus non trepido ſequendus ore
Sit dux, ſit dominus mihi, ſit auſpex,
Hoc fiant cineres mei decori
Vnguento, & facilis ſequendo ſit hic.
Ergo mellifluis ades camœnis,
Et pandas graciles Apollo muſas
Et pandas numeros Apollo dulces.

PANEGYRIS R. D. MATTHÆO LANGIO, EPISCOPO GURCENSI CÆSAREÆ MAJESTATIS VICEM GERENTI EXCULTISSIMO.

Cæſareas iterum gentes, gratamque tonanti
Progeniem, ramis condit tibi quercus opacis.
O tandem gratare tuis generoſa tropheis
Roma iterum, vindex Heroa è ſtirpe camillus,
Ortus ab Heſperia pepulit fera prælia, qui nunc
Magnanimo Liguris latitat ſub pectore JULI.
Hoſtia ſepteni ſuperas fluitantia Nili
Albula, tu Gangem vincis, fluctusque Tymaui,
Tu celerem Tygrim, rapidum Symœnta, & Araxis
Impetum, & auratas qui fert Pactolus harenas,
Victus honorato ſequitur tua flumina riuo.
Et maior titulis nunc aurea Roma ſuperbis
Efficitur, ſublime caput ſuper æthera tollens,
Sub Julo æternos rurſus viſura triumphos
Gaudet, & aurata rutilant in fronte corona,
Qualis quum roſeo compellat mane colore
Aurora & curui gaudet liquiſſe mariti
Pulchra thorum, dulces alio quæſtura lepores:
Talis perdomitis lætatur Roma tyrannis,
Quæ Rhodanum, quæ Arabas olim disiecit, & Indos
Sub iuga Cæſarei totus ſe tradidit orbis
Imperii, Cilices arisque deisque ſuperbi,
Ditia victrici dederunt ſua munera Romæ.
Ecce iterum Gallos eiecit Roma rebelles,
Atque iterum Latia ſub maieſtate tenentur,
Armigeros quondam quos perdomuere Quirites,
En tibi Meonii bacchantes prædæ reſurgunt,
Magnanimæ aduerſos geſtantia pectora Thyrſos,
Quæ rabie rigida furibunda mente trahuntur.
Sed quis rumor adeſt, præceps quo vulgus oberrat,
Quo proceres Latii? cui pegmata celſa parantur?
Obſitaque egregiæ teſtantes regna tabellæ?
Chara DEum ſoboles & noſtri cura Tonantis,
Cæſarei Imperii ſpes vna & ſola carina
Occurrit laſſæ, cuius virtute procellas,

Oceanus mulcet tempeſtatesque ſerenat,
Cuſpide Mars, Phœbus Cythara, Cyllenius ore.
Alter olympiaco merito decoratus honore
Emicat, & ſerpunt tres circum clara corona
Tempora; grandiloquos tutatur prima poëtas,
Altera magnanimis ducibus fauet, altera cœlum
Reſpicit, occultos monſtrans ſuper aſtra meatus,
Relligionis opus, primasque acquirere ſedes
Edocet, & ſuperas qua poſſis ſcandere ad arces,
En meus ingreditur Latium dux maximus armis.
Atque toga, hunc ſequitur procerum concordia diues,
Purpureique patres, & candida turba potentum. p.300
Auratis tortisque comis venere Sycambri:
Æthiopes nimio nigrantes ſole ſequuntur:
Pannonii hinc alacres frenis, phalerisque decori
Conſpiciuntur equi, ſpumis maduere lupati.
Tympana pars tundit, Buxos pars inflat inanes,
Horriſonusque fragor volitat per amica tubarum
Sydera, Maoniis fumat & plauſibus æther.
Talis Germanis venit Gurcenſis ab oris
Cæſaris auſpicium, talesque ſequuntur ouantes
Hunc Latii proceres, vultu nitet altus eburno.
Auguſti imperii cuſtos fidiſſime ſalue,
Salue chara DEum proles, rectura per æquor
Carbaſa Clauigeri tandem, cui nomen vtrumque
Principis & Vatis merito memoranda dedere
Facta, ſub auſpiciis cuius ſecura Poëta
Credunt vela mari Zephyris adiuta ſecundis.
Mens fugit Herois laudes ſcriptura decori,
Et ſuperat genus hoc ſemper fulgentius æſtrum
Scribentis, quantum ceu quum ditatur auarus
Diuitiis, tantum ſit pauper ſæpius auro.
At tu ſeu Vatum fauor es, ſeu cura deorum,
Seu Phœbum ſplendore refers, cytharaque ſonanti,
Non mortalis adeſt vultus, color ipſe ſed almum
Purpurei radii teſtantur tempora circum.
Denique ni Samia fallamur dogmate rhetra,
Qua tua nunc anima eſt, fuerat iam Cæſaris, artus
Ingreſſa æthereos, & numina tanta decori
Principis Italiæ conſeruatura quietem.
Oceanum interea dum collapſura reuiſunt
Sidera, dumque cauis reſpondet montibus Ecchо,
Semper bonos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Namque tua gaudent ſub tempeſtate Poëtæ
Laurigeri, quorum eſt mortales rumpere nodos,
Et freta ſecura turgentia rumpere claſſe.
O facile ingenium priſcos imitantis honores,
O faciles animi generoſo in principe, & ingens
Progenies calamos ſacri victura Maronis,
Priſca tamen patriæ tutores ſecula iactant.
Qui periere armis, & honoro Marte, Quirites
At tu non armis, nec Martia templa reuiſis
Cædibus infandis miſerorum aut morte triumphans;

Sed

Sed præfers tantus ſanctiſſima dona Mineruæ,
Cuius honorati fragrabant fronde triumphi,
Hæc hæc magnanimo laus eſt in principe. Salue
Candida pax, cuius licuit fœdare decoram
Vlli vnquam faciem ſummoque cupita tonanti
Quum ſuperas voluit cœlorum ſcandere ſedes,
Et zonas vexare poli fera turba Gigantum,
Tu furor euictis manibus poſt terga, dolique,
Et rabies furibunda manus connexa ſequuntur;
Denique fidus amor circum, Jusque omne fidesque.
Et pietas graditur, poſt hos concordia ramis
Palladiis ornata petit dextram atque capillos.
Et tecum Italia qui maxima facta labante
Egit adeſt, venerare ducem, venerare deorum
Progeniem, qua nil dum lumina candida fundit
Phœbus, ab Eois ſpectat iucundius oris.
p.301 *Et vos ô Latii facunda caterua Poëtæ,*
Quos decet excelſum Muſarum ſcandere montem;
Et iuga Parnaſſi ſubter labentia opacis
Flumina ſpeluncis, riuosque haurire decoros.
Hoc opus eſt veſtris ealamis & dignius altis,
Aſt ego (dum tenues ſeruabunt molliter auras
Fata) tuos quacunque canam ſub voce Triumphos.
Arma canant Vates alii, ſeu mollia molles
Facta viri Veneris tenerosque Cupidinis arcus.
Tu mihi materies, numenque, decusque, cauendi
Aduenis, & nimias noſtro de pectore curas
Pellis, anhelanti requiemque imponis auenæ.

HYPOTHESIS SEQUENTIS CARMINIS, PER BEATUM RHENANUM.

Imp. Cæſ. Maximilianus Auguſtus Patauinæ Vrbis obſidionem (qua nulla ab hinc ducentos annos potentior memoratur) ob inſtantem brumam relinquere coactus, cum magna vi cataphractorum & leuis armaturæ militum Vicentiam venit, vbi pro foribus delubri hoc carmine à Hieron. Nogarolo Comite ſalutatus eſt.

HIERONYMI NOGAROLI COMITIS, AD SACRATISSIMUM MAXIMILIANUM CÆSAREM SEMPER AUGUSTUM, PRO VICENTINIS ORATIO HABITA.

SI noſtra natura parens tribuiſſet in vno
Corpore nunc vrbi te coram aſſiſtere Cæſar
Poſſe, animumque tibi deuotum pandere aperto
Pectore, veniſſet Vicentia tota ſerenam
Hanc faciem ſpectare tuam, ſpectare verenda
Maieſtate oculos, & tanti principis ora,
Ora tot egregias animi teſtantia dotes.
Denique conuulſis properaſſet ſedibus vltro
Secum tecta trahens vrbs ipſa, hominesque tueri,
Te ſydus numenque ſuum, te corde fateri

Aduenisse

Adueniſſe deum populis, quo vindice ab Orci
Faucibus, & tandem dominatu erepta ſuperbo
Libera, tranquilla ſub Caſare pace fruatur.
Quis ego pro meritis quasnam tibi maxime grates
Induperator agam? quoniam perſoluere noſtra
Non opis eſt, quæ digna ſatis præconia fame
Incipiam memorare tuæ? Thraſibulus honores
Æternos meruit, clarumque in ſecula nomen
Terdenos vna dum pellit ab vrbe tyrannos
Palladia; Tu preſſa graui florentia centum
Oppida ſeruitio, clarasque tot eximis vrbes
Exoluisque iugo, magnum tibi quinque tulerunt
Bella exhauſta decus, iuuenili marte Batauos
Dum Morinosque domas, victoque Eburone cohercet
Nunc etiam intacto gaudentes crine Sicambros,
Et modo fraterno iunctos tibi fœdere Gallos.
Acceſſit ſed nulla tuis hac gloria maior
Rebus, in Italiam poſtquam fœlicia transfers
Signa, diuturno quæ tanquam oppreſſa veterno
Hactenus abs te oculos excita attollere tandem
Incipiet, priſcumque decus reparare vetuſtæ
Militiæ, cuius duce te documenta reſurgent p. 302
Antiquum in morem, qui munia cuncta latini
Martis obis, valido ſeu robore militis vti
Siue opus eſt virtute ducis, mitiſſimus vnus
In caſtris acieque ferox; à milite differs
Non epulis cultuque nouo, ſed pellibus algens
Fertur hyems, æſtusque pari ſudore, locandis
Nemo magis ſolers caſtris, nec callidus hoſtes
Ludificare magis, vel idonea tempora pugnæ
Eligere, inſtruere atque acies, circumdare clauſas
Obſidione vrbes, tibi nec caſtrenſia ſordent
Munera, pro ſignis ſed ſtare gregarius abs te
Miles habet quæ exempla petat, ſpeculariter hoſtem,
Sorte agere excubias; nec vallum ferre recuſas.
Primus inire manu bellum, poſtremus abire,
Indulgens aliis, parcus tibi, commoda præfers
Quando aliena tuis, nec ſolis artibus ingens
Tutaris bellum imperium, ſed conſulis illi
Multiplici exemplo virtutum in pace tuarum.
E quibus illuſtri ſuper æthera vertice ſurgunt
Tergemine imprimis, merito ter maximus vnde es:
Largus opum, clemens & ſeruantiſſimus æqui.
Quo nec Alexander, nec ſe tibi comparet ipſe
Julius, & iuſta Traianus lance ſecundus
Sit tibi, ſumma deûm cuius ſub pectore virtus
Deſcendens Aſtræa polo ſibi legit amicum
Hoſpitium, tutamque rata eſt ſe credere terris,
Quæ tibi ſola vie eſt, qua tanti cauſa laboris?
Per gelidas alpes vt ſummo à margine Cymbri
Littoris in Latium tendas, vbi vindice dextra
Reſtituas leges, oppreſſaque iura vocanti
Jampridem miſeræ Auſoniæ, vim vique repellas.
Et reddas ſua quæque ſuis, orbique iuuando

Impen-

Impendas quam poſſis opem, quibus itur ad aſtra
Pro meritis. Neque enim reges quique alta gubernant
Imperia, & quibus eſt dominandi admiſſa poteſtas,
Rere ad delitias, rere ad ſua commoda natos;
Sed vigilem ad curam populorum vrbesque tuendas
Ad commune bonum, ſed egena ad munia vitæ.
Sic adoleſcentis capiebat origine mundi
Regna inuitus, habens oneri diademata & ingens
Pondus aui, quanto vix tot paterentur honores.
Tunc aliis melior, tunc qui ſapientior ibat
Rex, non cuncta putans ſibi ſed ſe viuere cunctis.
Hic tibi mos antiquus adeſt, cui nulla laboris
Meta, nec aſſidua requies admittitur aura,
Imperio dum luce vacas oriente, cadentem
Ad ſolem, dum magna geris, maioraque geſtis
Concipis, æternis celebrari digna camœnis:
Quas animo, quas mente foues, & pectore quarum
Cultores tu cultor amas, & honoribus auges
Diuitiisque beas, O terris numen amicum,
O ſummi pietate Iouis lecte arbiter, à quo
Pendet noſtra ſalus, cœlo venis auſpice, cœli
Conſenſu, & nulla potes hinc ratione negari
Miſſus adeſſe Deo, licuit cui ſanguine nullo
Vincere, & hoſtiles ſine milite fundere turmas:
Portarum cui ſponte patent ingentia clauſtra,
Et valida turres, cui ferrea mœnia cedunt
Foſſarumque mora. Nunc ô nunc inclyta tellus
Itala iamdudum variis agitata procellis
Continget placidum ſuperato turbine portum,
Et priſco illuſtres reuocabit honore triumphos,
Tollet Roma caput, & te moderante redibunt
Aurea felici Saturni ſecula mundo,
Quorum noſtra tibi Vicentia dedita nuper
Se quoque participem ſperat fore, nomine cuius
Te dominum proni veneramur rite, tuumque
Numen adoramus, & claues tradimus vrbis:
Immo animos ipſamque tibi cum ciuibus vrbem
Commendamus, vt immunis ſub principe largo
Viuat, & immodico iam vectigalis iniqui
Faſce ſub arbitriis aliorum exhauſta leuetur;
Quæque tua ditionis erant atque oppida iuris
Accipiat, maneantque ſuo cum corpore membra
Nec minus antiquis ſancita aut pacta tabellis
Seruenturque indulta ducum, Regumque priorum,
Qui ſolium tenuere tuum, ſi noſtra fauebant
Vota tibi, ſi fixa animis domus Auſtria noſtris
Semper erat, ſi nos tenuit reuerentia ſacri
Imperii, Adriaco quamuis parere leoni
Vicinam tulerit fortuna volubilis vrbem.
Qua ſubiecta prius vobis, & in ære locata
Cæſareo, primos tam læta recurrit ad ortus,
Tamque libens Aquila ſub ſigna reuertitur almæ,
Quam nec mens valeat complecti & lingua profari.

Auctaque, ſiue olim Cimbrorum à gente vetuſta
Condita, Germana gratatur origine gentis,
Adiungique ſuis quamcunque ſubire paratam
Fortunam, pariter ſeque in tua Brachia condit
Atque fidem tibi perpetuo dicat optime Cæſar.

Sebaſtiani Murrhonis Iuuoris Colmaricenſ. ad Lectorem Carmen tumultuarium.

Cæſareum quanto legatum exceperit ille
IULIUS hic paucis docet honore liber.
Cui tandem optatæ referenti munera pacis
Obuia ſe totam Martia Roma tulit.
Imprimis, tenues quis circum tempora vittæ
Dependent, ſancti turba verenda patres.
Hinc etiam antiqua Romani gente ſuperbi
Sub quorum Imperio terra fretumque fuit.
Et Germana cohors Scythici Mauortis alumna
Affuit, elato conſpicienda gradu.
Hac ſi Gurcenſis pompa fuit vrbe receptus
Orator tantum Cæſaris ecce ſacri:
Ne dubita, veteres renouabit Roma triumphos
Aduentu Cæſar MAXMILIANE tuo.
Marmoreum ſtatuent arcum tua membra Quirites
Inſcriptum auratis talia verba notis.
Hac egit victos Capitolia ad alta Bohemos
Auſtriaca Cæſar gloria vera domus.
Hac Celtas, Morinosque, & torto crine Sycambros
Attritos duro colla ſuperba iugo.
Hac etiam Venetum poſita feritate leonem
Tarpei duxit ſub pia templa Iouis.
Tu modo ne voto Cæſar fruſtrere Quirites,
Sed iamiam videat te tua Roma ſuum.

JO. CUSPINIANI
DIARIUM
DE
CONGRESSU MAXIMILIANI
ET
TRIUM REGUM.
RICARDI BARTHOLINI
HODOEPORICON
MATTHÆI GURCENSIS
EPISCOPI.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Ohannes Cuſpinianus anno Chriſti M CCCC LXXIII. natus, Sueinfurtum, * Orientalis Franciæ nobilem vrbem, patriam habuit. Comparatis per ingenii felicitatem ſcientiis, maius augmentum additurus, in Academiam Viennenſem, tum ob mathematica, potiſſimum ob humaniorum artium ſtudia celebrem, concedebat. Ibi Conradum Celtem nactus fuit Præceptorem. Anno M D II. Imperatoris Maximiliani I. iuſſu, Joanni Stabio, Mathematico & Poëtæ claro, præmiſſa poëtices commendatione, lauream, pro maxima doctiſſimorum hominum concione, ſolenniter conferebat. Eiusdem Imperatoris deinde Conſiliarius ex ciuibus Academicis lectus, in Hungariam, Bohemiam & Poloniam Orator miſſus, per duodecim annos continuos, in difficillimis rebus ſe virum præſtitit. Plurimis legationibus (quarum viginti quatuor intra quinquennium ſolum in Hungariam ſuſcepit **) feliciter defunctum Maximilianus Imperator cum Senatui, tum etiam, in Conradi Celtis locum, anno M D VIII. Cæſareæ Bibliothecæ Viennenſi præficiebat. *** De quo Petrus Lambecius: **** *Cæterum mortuo Conrado Celti ſucceſſit in adminiſtratione Bibliothecæ Cæſareæ diſcipulus ipſius Joannes Cuſpinianus ſiue Spieshamer, Sueinfurtenſis, relictis ingenii monumentis clariſſimus, cuius conſilio & operâ Imp. Maximilianus I. qui eum Conſiliarii atque Hiſtoriographi ſui titulo, & inſuper Præfectura Senatus Vindo-*

---

* Male igitur ipſum Viennæ natum dicit Girol. Ghilini *Theatro d' Huomini Letterati p.* 81.

** Sic enim ipſe Cuſpinianus in præfatione huius Diarii: *amore tui omnia elegi, quæ & vidi, & quibus interfui. Quinque enim annis (vt ſcis) volvo hoc ſaxum, quibus vigeſies & quater in Vngariam orator tui, atque hæc negotia tractaui.*

*** Sic Nicolaus Gerbelius in litteris ad lectorem anno M D XL. ſcriptis, quas Cuſpiniani de Cæſaribus Operi præmiſit: Ex quo ſua hauſit Melchior Adami *in vitis Philoſophorum p.* 33. & Mart. Hanckius *libro II. de Script. Rer. Roman. P. I. Cap. XVI.* Videri etiam de eo poteſt Henricus Pantaleon *proſopographiæ parte III.*

**** *Comment. de Bibl. Cæſar. lib. I. num. XXXVI. p.* 32. qui etiam *lib. II. addit. XV. p.* 1011. ipſius Epitaphium adducit, quod Vindobonæ in Sacello quodam Eccleſiæ Cathedralis S. Stephani reperitur.

*Vindobonenſis ornauit, in difficillimis negotiis vſus eſt, adeo vt ſæpe in multam noctem de grauiſſimis Imperii rebus cum eo collocutus ſit. Tanta enim præter eximiam facundiam in Cuſpiniano fuit prudentia, & fides, & tenacitas ſilentii circa res arcanas, vt vigilantiſſimus Imperator fidiſſimo illius pectori reconditiſſima quæque tuto committere potuerit. Quare etiam adeo clementer, adeo manſuete ipſum complectebatur; vt ſæpe in multam noctem cum eo de negotiis Imperii, de rebus ſecretiſſimis collocutus ſit, plane, vt erat manſuetiſſimus Princeps familiariſſime.** Anno M D XV. in conſiliorum partem quorum gratia Reges Vladislaus II. Hungarorum, Ludouicus I. Bohemorum, Sigismundus I. Polonorum, ad Maximilianum I. Imperatorem Viennam conuenerant, Cæſaris Orator adſumebatur. In hoc ipſo igitur Diario celebratiſſimi Trium Regum cum Maximiliano I. Imp. Conuentus, qui in XVI. Julii M D XV. incidit, Hiſtoriam & quidem ea ſaltim ſcribit, quæ ipſe vidit, quibus interfuit. Qua ratione vero ipſe ante Conuentum iſtum miſſus fuerit in Hungariam, teſtatur Nicolaus Iſthuanſius, ** dicens: *dum de his Vladislaus anxio animo conſultat, oportune Budam venit miſſus a Cæſare Johannes Cuſpinianus tum victoriam de crucigeris agreſtibus partam gratulaturus, tum vt de mutuis fœderibus, propinquitatis vinculo confirmandis, cepta iam pridem ſuperioribus annis per Johannem olim Epiſcopum Varadienſem conſilia atque pacta bono fine terminaret. Petebat autem Cæſaris nomine, diem & locum colloquio deſignari, ad quem ambo conuenirent, remque transactam quidem, ſed tot annis intermiſſam finirent.* Hinc idem Iſthuanſius conuentum ipſum deſcribit. De eodem teſtatur Pontus Heuterus, *** dum ait: *de hinc Regum amicis ac Conſiliariis, Cæſaris nomine, per Joannem Cuſpinianum Hiſtoriographum (qui huic conuentui, Oratoris munere Cæſari fungens, adfuit, ſingularique libello hæc accuratiſſime deſcripſit) dona ſunt allata.* Integrum vero hoc negotium his verbis complectitur Gerhardus a Roo: **** *Hoc rerum ſtatu Imperator, uti Rem Auſtriacam vicinorum regum fœderibus & affinitate aliqua conſtabiliret, Joannem Cuſpinianum in Hungariam ad Vladislaum regem miſit, qui nunciaret, ob nec opinatum Gallorum regis obitum, & Caroli Nepotis, annos jam tutelæ egreſſi, res, dubiosque Heluetiorum motus, non fuiſſe ipſi integrum, uti ad expetitum cum illo & fratre illius Sigismundo Poloniæ rege colloquium veniret, quare producendum eſſe tempus, quoad maiori rerum mole ſeſe expedire poſſet. Vladislaus ea de re fratrem per celeres nuncios certiorem fecit. Ad finem Martii cum Gurcenſis Cardinalis a Cæſare in Auſtriam veniſſet, reges Poſonium conuenêre, quo & ille profectus, ea quæ in mandatis habebat cum ipſis agit, reliqua in aduentum Cæſaris dilata. Memoriæ proditum eſt, Matthiam quendam Mechouitam Aſtrologiæ peritum, Sigismundo iter ingredienti, affirmaſſe, non futuram Cæſaris videndi copiam ante Julii medium. Id præſcientia quadam ſiue diuinandi aut coniectandi ſolertia dixerit, nouerint alii; rei eventus verum comprobauit. Multis enim legatis ultro citroque miſſis, poſtquam Gurcenſis ipſe magnis ad Cæſarem itineribus veniſſet, is Oeniponto literas ad reges dat, venturum ſe propediem, orare uti moræ tædium patienter ferant. Tandem præmiſſo iterum Gurcenſi cum aulicis aliquot ſatrapis, ad ſextum Idus Julii Viennam ipſe venit. Poſtridie auditi ſunt Regum legati,*

* Hæc verba ſunt Melch. Adami *c. l.* Hinc etiam Gerh. a Roo. Hiſt. Auſtr. lib. VIII. p. 289. *inter doctos ſui temporis quos maxime coluit, fuere: ex hiſtoriarum & antiquitatis inueſtigationibus, Joannes Cuſpinianus ſumma dignitate ab eo auctus.*

** *Hiſtor. de Rebus Vngar. lib. VI. pag.* 77.

*** *Rer. Auſtr. lib. VII. cap. XI.*

**** *Rer. Auſtr. lib. XII. p.* 595.

quos inter ſtrigonienſis præſul, de bello Turcis inferendo, & ad hoc neceſſaria principum neceſſitudine, verba fecit, cui Cæſaris iuſſu reſpondit Petrus Motta Hiſpanus, eloquentia inſignis. Legatis dimiſſis, Cæſar ex ſuis ad reges mittit, qui eos, uti Viennam ad ipſum veniant, inuitarent. Id cum facturos eſſe audiuiſſet, Cæſar cum ſplendidiſſimo comitatu, ad quintum ab urbe lapidem, obviam illis progreſſus, in arce Trautmansdorffia pernoctauit. Poſtridie reges, quorum Sigismundus eam noctem Hamburgi, frater ponte ad Leitham egerant, ad Cæſarem perrexere, jam arce egreſſum. Atque ita tres potentiſſimi Principes, cum ſuo quisque comitatu, in apertis campis conuenêre, ubi Maximilianum in hæc verba orſum fuiſſe memorant: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea; moxque intuliſſe Sigismundum: Faxit DEus hunc noſtrum conuentum reipublicæ ſuæ ſalutarem. De hoc illorum congreſſu, totaque ſerie plura qui ſcire volet, Cuſpinianum & Richardi Barufini itinerarium adire poterit, nos rei ſummam perſequimur. Diem proximum, quo Viennam ingreſſi ſunt minus celebrem fecit pluvia, quæ leuis primum, deinde intentior fuit. Nihil tamen honoris feſtæque lætitiæ omiſſum eſt. Aliquot inde dies colloquiis & conſultationibus dati. Erant Vladislao regi ex Anna Gandala (illuſtris ea in Vaſconibus familia eſt) liberi Ludouicus & Anna. De his ita inter ipſos conuenit, uti ambo Auſtriacis illigati nuptiis, perpetuæ pacis amicitiæque fœdus confirmarent. Sunt qui Vladislaum filiæ coniugium Cæſari prius obtuliſſe affirmant, eumque reſpondiſſe: auditum ſibi aliquando ex parente Friderico; principi ætate prouecto, mitius non poſſe adferri mortem, quam ſi ei iuvencula conjugetur. Itaque conſultius videri, uti Anna nepotum alteri collocetur. Ad decimum Calendas Auguſti, qui dies publicæ ſponſalium confirmationi dictus erat, Maximilianus utroque rege præſente, Annæ Coronam Auream impoſuit, & florenti ſerto ab ea donatus eſt. Hinc ad D. Stephani itum eſt, ubi peractis ſacris, verba præeunte Strigonienſi, Anna, accepto in fidem annulo, ita Maximiliano deſponſa eſt, uti intra annum aut Carolo aut Ferdinando conjungeretur. Dein Ludouico Maria Cæſaris neptis, præſens ipſa deſponſa eſt, lacrymas ubertim fundente Vladislao. His peractis, ducenti Viri militari dignitate donati ſunt. Inde ad epulas, ludosque equeſtres, & choreas diceſſum eſt. Per eosdem dies pax & fœdus promulgatum, ex quo maximæ provinciis illis & regnis commoditates redundarunt, imprimis vero Auſtriacis Principibus, ad Hungariæ Bohemiæque regna ſtratus eſt acceſſus: nam undecimo anno poſt, Ferdinandus, qui Annam duxerat, Ludouico ad Mohacium oppidum a Turcis cæſo, utrumque regnum, ex fœderis & matrimonii jure, adeptus eſt. Poſt ſponſalia rite celebrata, Imperator & Polonus, Hungarum Neapolim Auſtriæ deduxêre, inde Viennam reverſi; paucis poſt diebus in regnum hic, ille Egenſurtum ac Lincium abiêre.

Teſtatur de eodem quoque in Sylua ſua Jo. Dantiſcus quæ infra ſequitur, dum canit:

Venerat huc etiam doctorum clara virorum
Concio, de quibus huc a Cæſare miſſus ad iſtos
Cuſpinianus erat Reges orator, abunde
Doctus, & in variis verſatus rebus agendis,
Phillyrides certe vel noſtro tempore Chiron,
Et medica fertur præſtans vt in arte Machaon,
Tam bene languori vario, morbisque medetur.

Eundem quoque in epiſtola ſua commendat Caſpar Vrſinus.

Subſequitur RICARDI BARTHOLINI *Hodoeporicon Matthæi Gurcenſis.* De hoc jam ſupra dictum fuit, quod negotiis maxime arduis, Gallicis

Gallicis potiſſimum & Italicis fuerit adhibitus. Deſcripſimus etiam ipſius introitum Romanum ſub Julio II. Papa. Poſtquam autem Julius II. Februario menſe 1513. eſſet defunctus, coram Leone X. Papa Imp. negotia geſſit controuerſiam cum Venetis Papæ arbitrio relinquens, * tali titulo vſus *Matthæus S. R. E. Dyaconus Cardinalis S. Angeli, locum tenens generalis & Procurator Sereniſſimi & Excellentiſſimi Domini D. Maximiliani Romanorum Imperatoris electi ſemper Auguſti.* Inde ipſius potiſſimum ope pax inter Imp. atque Venetos fuit concluſa.** Reuocatus ex Italia, ad negotia Hungarica & Polonica fuit deſtinatus. Miſſus igitur cum pleno mandato ad Vngariæ Regem Vladislaum, *** vt extremam manum imponeret negotiô, quod animo conceperat Maximilianus de adfinitatibus cum Vngariæ Regibus contrahendis, prout ſub initium Diarii ſui exponit Cuſpinianus. Hæc igitur ſingula in hoc libro plenius exponit Richardus Bartholinus, Peruſinus **** Poëta. Hic etiam Auſtriados libros XII. ſiue bellum Noricum ob Georgii diuitis, Bauariæ Ducis hæreditatem geſtum, ſcripſit. His autem, quæ deſcribit geſtis, teſtis idoneus interfuit: Sic enim de eo in Diario ſuo Cuſpinianus: *finito officio Richardus Peruſinus, Reuerendiſſimi Cardinalis Gurcenſis Capellanus dicere incepit, vt eſt eloquentiſſimus, ſed ſtrepitu nobilium, quia audiri non potuit, in medio deſtitit. Hic etiam tribus libris, quos Odeporicon vocat, conuentum hunc celebrauit.*

Sic etiam Jo. Dantiſcus in Sylua ſua huic Hodœporico inſerta, ita canit:

- - - - - Exin
Appulit Hetruſco Riccardus ſanguine cretus,
Grandia qui cecinit Romani Cæſaris acta
Egregius vates, tum notus primitus, & tunc
Sepius humana mihi conſuetudine iunctus.

Hoc autem Hodœporicon in duos libros diſtinxit. Præmiſſa eſt Jo. Dantiſci, Poloni, ***** qui eo tempore Sigismundo Poloniæ Regi erat a ſecretis, demum Warmienſem obtinuit Epiſcopatum, Præfatio ad Lectorem, quæ in laudibus Cæſaris, Annæ Hungaricæ, Mariæ, Vngariæ Reginæ, Richardi Bartholini & Cardinalis Gurcenſis conſiſtit. Integer vero liber ad Bernardum ſanctæ Mariæ in porticu Diaconum Cardinalem eſt directus. In primo quidem exponit iter Cardinalis Gurcenſis ipſi a Cæſare demandatum, qua ratione Auguſta diſcedens, per Bauariam in Auſtriam venerit, Viennæ magnifice fuerit exceptus, atque tunc Mauſolæum non ſolum Friderici III. ſed lepidam etiam fabulam de Neytharto deſcribit. Vienna Neoſtadtium perrexit Cardinalis, vbi Cæſaris nomine conuentui Ordinum Auſtriæ præfuit, indeque Poſonium pergit, ad Reges ibidem congregatos, a quibus beneuole exceptus expoſuit, quæ ipſi fuerant demandata. Demum belli Polonos inter atque Moſchos tunc geſti cauſſam, & quod in idem tempus incidit, bellum ruſticanum Pannoniæ deſcribit. Dum alterum Gurcenſis iter in Pannoniam recenſeret, intermiſcet carmen ad Poloniæ Regem, Sigismundum, quo ipſi potiſſimum pacem perſuadet: cui ſubiungit JO. DANTISCI *ſyluam de profectione Sigismundi poſt victoriam*

---

* Extat hoc compromiſſum inter Ludouici XII. litteras *Tom. IV. p.* 213.

** Pront ipſe Gurcenſis in litteris ad Imp. Romæ IV. Martii 1514. ſcriptis, narrat, inter Ludouici XII. Litteras *Tom. IV. p.* 273.

*** Sic enim Cuſpinianus ſub initium Diarii ſui: *decreuit itaque Cæſar, reuerendiſſimum in Chriſto D. Matthæum S. Angeli Cardinalem Gurcenſem, & Coadiutorem Saltzburgenſ. mittere, qui cum pleno mandato cum vtroque Rege omnia agenda peragereet & tractaret.*

**** Egit de eodem Voſſius *de Hiſtor. Lat. lib. III. p.* 679. Gesnerus, *in Bibliotheca* & Hendreich *in Pandectis Brandenb. voce Bartholmus.*

***** Egit de eodem Gesnerus *in Bibliotheca* & Jo. Petrus Lotichius *Bibl. Poët. P. III. p.* 48.

riam contra Moſchos in Hungariam qua etiam conuentum trium Regum Poſonii deſcribit. Subſequitur JO. DANTISCI *Carmen ad Richardum Bartholinum de victoria Sigismundi contra Moſchos*, cuius belli cauſſam ſupra expoſuerat Bartholinus. Hæc excipit CASPARIS VELII *epiſtola compendiaria ligato ſermone ſcripta ad Joannem Thurro, Vratislauienſem Epiſcopum de conuentu Poſonienſi.* Hic Velius Suidnicenſis patria, Sileſius, Vrſini nomen, ob eruditionis exiſtimationem non vulgaris, imitatione complurium aliorum cum veterum tum recentium Poëtarum ſibi adoptauit. Vir græce latineque erat doctiſſimus, ea propter haut modo Matthæo Cardinali Gurcenſi, ac Stanislao Olomucenſi, atque Joanni Wratislauienſi Epiſcopis notus amatusque, ſed & D. Maximiliano I. Imp. cuius calculo vatum numero adſcriptus fuit, nec non D. Ferdinando Cæſari deſignato, cuius filium primogenitum Maximilianum perfectis moribus, atque bonis litteris eruditiuit. Demum fatali morte periit, Viennæ quidem anno 1539. trigeſimo tertio Nonas Maii, præceps in Danubium ſponte, an illata vi, incertum, datus, fatali merſus aqua periit. * Paulus Louius ** ſic de eo: *ſed qua demum veteri ſodalitio digna pietate, imaginem tuam, vt Elogio noſtro coronetur expectauerim, Vrſine Caſpar Vindelice, paucis ante annis morte præpropera nobis erepte? nobiles enim poëtas leto carmine, biſtoricos vero ſtyli grauitate, ſuperabas: ſed in cumulo honeſtiſſimæ laudis, vti integer vitæ ſcelerisque purus, tranquilli animi probitate periculoſi officii munus feliciter adimplebas, quum Maximilianum ſummæ indolis adoleſcentem, Ferdinandi Cæſaris deſignati filium; patrui fortuna dignisſimum, perfectis moribus, ac literis erudires.* Adiecta ſunt Eiusdem in Cæſarem uenantem poëmata. Concludit tandem Bartholinus librum primum cum concluſione publicorum Gurcenſis negotiorum, ipſiusque diſceſſu. Dum igitur omnes Scriptores conſenſu unanimi Gurcenſem Cæſareæ legationis caput faciant, male alii hoc tribuit Pontus Heuterus, *** dicens: *Vladislaus Hungariæ & Bohemiæ, Sigismundus Poloniæ Rex, fratres, Poſonii conuentum cum Cæſaris Legatis (quorum erat caput Hieronymus Baltus, Præſul ac Cardinalis Gurcenſis, agentes, variis de rebus inter ſe quam amiciſſime tractabant.*

Secundo libro primum Gurcenſis reditum in Germaniam per Laureacum & Saltzburgum exponit, vbi etiam arcem Salisburgenſem deſcribit, & ſalinas Reychenhallenſes Bauariæ. Inde qua ratione Gurcenſis Cæſari de negotiis ipſi demandatis rationem reddiderit, tradit & quod Reges Oratores ſuos ad Maximilianum Viennam miſerint, ad ipſum inuitandum, Regum etiam litteras, Oratorum orationem, Gurcenſis reſponſionem recenſet, & quod tandem Cæſaris Oratores ad Reges fuerint miſſi. Progreditur ad ipſum Regum conuentum, prope arcem Trautmansdorff, ipſorumque introitum Viennam, vbi ſimul Principum Ducum ac illuſtrium virorum nomina recenſet, qui vna cum Imp. & Regibus vrbem fuerint ingreſſi, Cæſaris orationem ad Reges, dona iisdem miſſa, huius ſponſalia cum Anna, Vladislai filium refert, ſuamque in dictis ſponſalibus habitam orationem inſerit. Et dum ibidem matrimonium inter Ludouicum, Bohemiæ Regem, Vladislai filium & Mariam Maximiliani neptem fuiſſet celebratum in illud ſingulari Idyllio luſit Bartholinus, cui etiam laudes Gurcenſis intermiſcet, & cum voto concludit. Vltimo demum de fœdere inter Maximilianum, Regesque dictos aduerſus Turcas; concluſo horumque inuicem diſceſſu agit. In fine diuerſa adduntur poëmata doctorum virorum in laudem Bartholini conſcripta. JOHAN-

* Hæc ex Nic. Henelii Sileſiographia renouata *cap. VII. p.* 582. hauſimus.

** *Elog. doctor. vir. p.* 278. Sic etiam agunt de eo Erasmus *in Ciceroniano*, Ederus *in Acad. Vienn. p.* 274. Lotichius *Bibl. poët. P. III. p.* 47. König. *Bibliotheca, voce Velius.*

*** *Rer. Auſtr. lib. VII. cap. XI.*

JOHANNIS CUSPINIANI PRÆFECTI VRBIS VIENNENSIS, DIARIUM, DE CONGRESSU CÆSARIS MAXIMILIANI AVG. ET TRIUM REGUM, VLADISLAI HUNGARIÆ, LVDOVICI BOHEMIÆ, ET SIGISMUNDI POLONIÆ, IN VRBE VIENNENSI FACTO, XVI. JULII, ANNO CHRISTI M. D. XV.

IACOBO VILLINGERO, CÆS. MAXIMILIANI THESAVRARIO, JOHANNES CUSPINIANUS PRÆFECTUS VIENNENSIS FELICITATEM AC S. P. D.

P. 304 MEMINI inter Philoſophos magnam eſſe altercationem: An conueniat ſic viuere, vt nemo te vixiſſe ſentiat, vt ille dixit: Crede mihi bene qui latuit, bene vixit. Et illi potiſſimum, qui cæteris volunt eſſe religioſiores, hoc ſuadent, quaſi ſic videantur humanam contemnere gloriam, cum ipſi ſint ambitioſiſſimi & gloriæ auidiſſimi. Hi qui etiam libellos de contemnenda gloria ſcripſerunt, cum ſuum nomen proponunt, nunquid ipſi gloriam affectant? Nempe hoc ſudamus, ob hoc laboramus, ob hoc mille pericula & in mari, & in terra ſubimus, vt quaſi merces laborum gloria nos ſequatur. Cur igitur arbitrantur illi ſic eſſe viuendum, vt nemo nos vixiſſe ſentiat, quaſi omnia debeant ignorantia & tenebris occultari; cum nihil magis exoptet homo quam ſcientiam, & natura ſcire deſideret, & animi etiam nobilior pars ſit lux ac lumen: quandoquidem plane omnibus inſita eſt cupiditas cognoſcendi, non modo mundana, ſed & quæ ſupra nos ſunt, ac quæ vix capere intellectu noſtro poſſumus. Sed ex plebe nemo eſt tam excors, qui non velit aliorum regnorum ac prouinciarum libenter indagare & ritus, & mores, & res geſtas, ſi habere copiam poſſit. Ob id cum Plutarcho ſentio, hominem nihil omnium æque refugere, ac ignorantiam & tenebras: atque ideo non eſſe viuendum, vt nemo nos vixiſſe ſentiat: ſed ita potius viuere, vt aliquo monimento, ſi fieri poteſt, nos vixiſſe teſtemur. Hic poſt ſe liberos, hic libros reliquit, hic prædia, hic poſſeſſiones, hic ædificia, hic bonam famam, omnes bonum nomen conemur poſt nos relinquere, alioquin vita noſtra mors potius eſt. Ego ita pro virili ſemper elaboraui, vt me vixiſſe teſtarer, quibusdam monimentis, quæ extant. Nec paſſus ſum illud etiam ignorari, quod hic nobiſcum iam actum eſt, quod certo ſcio, multi homines vtriusque ſexus, libenter etiam in remotiſſimis regionibus vehementiſſime exoptabunt. Quis enim bono ingenio præditus nollet ſcire, quomodo ille celeberrimus Regum conuentus inchoatus ac perfectus eſſet? & quo pacto mutuo ſeſe amplexi eſſent clementiſſimi illi principes, qui ſe de facie prius non nouerant, & ſi ſanguinis vinculo prius erant aſtricti? Licet autem tu mi Jacobe, tanquam conſiliarius Cæſaris, non inter poſtremos

numerandus affueris, & oculata fide omnia intellexeris, tamen aliquando ea quæ faciliora ſunt è memoria labuntur, quæ libenter in ſenectute relegimus. Amore tui omnia elegi, quæ & vidi, & quibus interfui. Quinque enim annis (vt ſcis) voluo hoc ſaxum, quibus vigeſies & quater in Vngariam orator iui, atque hæc negotia tractaui. Quantum igitur potui, rem veriſſime, ſimpliciter tamen, ſine turgida oratione perſcripſi. Quidquid id eſt, boni conſules, & me vt ſoles amabis. Ex Vienna, vigeſima Auguſti.

CÆSAR Maximilianus, vt eſt ingenio ſingulari, ac prope diuino, animo voluens nihil eſſe præclarius bono principi, quam prouincias & regna ſua ſolido aliquo robore ſtabilire, in omnes orbis angulos oculos ſuos coniecit. Er nobiliſſimum quemque regem affinitate ſibi deuinxit, vt inde prouinciis ſuis perpetuam relinqueret quietem. Sic filium Philippum in Hiſpaniam mittens, Regem Aragonum ſibi coniunxit. Cum autem diuus ille Philippus numeroſam poſt ſe prolem relinqueret, noluit Cæſar quamcunque amittere occaſionem, ex quatuor filiabus, quæ ſecunda eſt poſt Leonoram, cui nomen Iſabellæ, Regi deſponſauit Daciæ, ſed hoc aliquanto poſt. Ex ſeptentrione Cæſar in Orientem migrauit, vt ſemen eius vndequaque coaleſceret, vidit pientiſſimum Hungariæ p.305
& Bohemiæ Regem Vladislaum, nobiliſſimis liberis à DEo optimo Maximo donatum, Ludouico & Anna. Mox animo concepit, & illosque ſibi deuincire Auſtriæque prouincias inferiores robuſtiſſimo muro circumuallare. Ludouico Hungariæ & Bohemiæ Regi tertiam neptem Mariam in vxorem & Annæ vnum ex nepotibus, aut Carolum, aut Ferdinandum in maritum dare cogitauit, vt prouinciæ illæ contiguæ & regna, mutuis viribus robuſtiores eſſent, contra impetum Turcorum, & quorumcunque hoſtium. Id conſilio & opera Matthæi tunc Epiſcopi Gurcenſis, hodie vero Cardinalis, qui & extremam manum huic operi impoſuit, & Joannis Varadienſis Epiſcopi profeſſi ordinis ſancti Franciſci, primum inchoatum eſt. Acceſſerunt dehinc plerique Oratores, quos Cæſar aliquot hinc annis in Hungariam miſit, qui inter cætera negotia matrimonia hæc duplicia ſimul ſollicitarunt, Janus Mraxii miles, præfectus arcis Dronsdorff, Comes Leonardus de Hag, Wolffgangus de Rogendorff Baro, Joannes de Pucham. Hic annis quinque continuis Orator iuit in Hungariam, Cuſpinianus
* Annald. præfectus ſenatus Viennenſis, qui vulgo Anbaldus * dicitur: poſtremo & Laurentius Saurer vicedominus Auſtriæ, Orator cum cæteris iuit.

Interim Cæſar, licet grauiſſima bella gereret, & annis iam fere octo ſuperbiam Venetorum caſtigaret, nullam occaſionem omittens, vt ſuum ſortirentur finem concepta iamdudum matrimonia, ex Flandria in Auſtriam miſit chariſſimam ſuam neptem Mariam, ſponſam Ludouici Regis, qui Viennam appulit duodecima die Junii, Anno milleſimo quingenteſimo decimoquarto, honorificentiſſime excepta, non tam à clero, quam vniuerſo populo Viennenſi, & deducta ad arcem Viennenſem, vbi hodie adhuc habitat.

Prius autem Cæſar in Auſtriam deſcenderat, animo conueniendi Regem Vngariæ Vladislaum & tractandi, non tam de liberorum communium matrimoniis, quam de cæteris ſuarum prouinciarum & regnorum neceſſitatibus. Sed inſperato erupit quædam incondita ruſticorum multitudo, quæ cruciatorum appellabatur. Proximis enim ante menſibus Cardinalis Strigonienſis, Legatus Apoſtolicus, cruciatam detulerat in Vngariam, cum pleniſſimis indulgentiis: è qua re, vnde ſubſidium ſperabatur, crudeliſſimum venenum ortum eſt. Nam longe lateque deſæuit in Hungaria hæc crudeliſſima peſtis, & omni peſtilentia ſæuior, in vtrumque ſexum indiſcriminatum venenum iniiciens; rapiebantur liberi ex matrum ſinubus, truncabantur vt feræ, & abiiciebantur. Stuprabantur paſſim virgines, & matronæ, in parentum ac maritorum conſpectu. Sacra prophanabantur, ſpoliabantur templa, ciuitates, oppida, arces, villæ euaſtabantur, & incendio corruebant: denique nihil tam ſanctum, quod ab iis cruciatis

non

non defœdaretur. Horum Dux Georgius quidam Ceculus (gentis nomen eſt, Ceculi enim prope Tranſſyluaniam habitant) aſciuit hic ſibi comitem Laurentium presbyterum, qui crudelitate omnes ſuperauit. Erat etiam ex ducibus quidam Michael monachus, ita hæc peſtis nullum ordinem intactum reliquit. Ex minoribus ducibus multi erant, quorum nomina ſcribere eſt ſuperuacaneum. Hii quoscunque nobiles apprehenderant, palis affixerunt, mulieres ac liberos eiecerunt, prius tamen ſtupratis, bona ſurripuerunt. Erat animus illorum, vniuerſam delere nobilitatem, & in toto regno, quod quatuor & decem habet epiſcopales ſedes, vnam ſolam relinquere. Scribi non poteſt, qua crudelitate vſi ſunt: hoc ſatis ſit indicii, cum auxilio diuino rabies hæc extincta foret, ductu Joannis comitis Zepuſienſis, Veivodæ Tranſſyluaniæ, qui ducem illorum nouo quodam tormenti genere, à ſuis dentibus laniari iuſſit, & hinc decollari. Et cum menſe Nouembri illius anni facta eſſet regnicolarum in Buda congregatio, patria lingua *Rackuſch* appellatur, hic publice narratum eſt, hoc tumultu ruſticorum, qui vix quadrimeſtris erat, deſiderata eſſe in Hungaria, utriusque ſexus ſeptuaginta millia hominum, in quibus quadringenti fuerunt nobiles. Quod ſeculum narrabit mihi ſimile facinus? Quis vnquam talia aut legit, aut audiuit? Sed longe maiora ſunt, quam quæ ſcribuntur: multa enim ob pudorem ſcribere nemo audet. *Crudel.*

Fuit in iſta congregatione ſiue conuentu, nomine Cæſaris Orator Cuſpinianus: nomine Regis Poloniæ, Chriſtophorus Schidlouiczki. Et cum illic etiam de concordia Cæſaris & Regis Poloniæ, inter cætera negotia ageretur, viſum eſt oratoribus differentias illas facile non poſſe complanare, niſi ſimul coirent Cæſar, & vterque Rex Hungariæ & Poloniæ fratres. Nam Cæſar iam à Rege Hungariæ pro ſuo fratre rogatus, indulſerat, quæ in eum fecerat, & ipſum
p.306 arbitrum & mediatorem differentiarum delegerat, pro ſedandis diſcordiis, quæ inter illos erant. Remiſſus eſt itaque Cuſpinianus à Buda ad Cæſarem, qui tum in Ponteoeni (*Insbrugk* vulgo dicitur) morabatur, vt Cæſarem ſollicitaret, pro conuentu tam ſancto horum Regum, qui non modo vtilis ſuis regnis & prouinciis, ſed etiam hoſtibus plurimum formidoloſus futurus erat.

Cæſar tum pluribus occupatus, venire ad finem Februarii in Poſonium, vt delibcratum erat, non potuit: tum propter Heluetiorum formidabilem inconſtantiam, tum propter ſubitam & inſperatam mortem regis Franciæ Ludouici, qui prima Januarii Pariſiis anno decimo quinto expirauit. Tum etiam propter Carolum Archiducem Auſtriæ ac Burgundiæ, nepotem, quem ex annis tutelæ Cæſar emancipauerat. Aliis quoque multis de cauſis Cæſar nequibat, quod vterque Rex petebat, adimplere.

Decreuit itaque Cæſar, reuerendiſſimum in Chriſto D. Matthæum S. Angeli Cardinalem Gurcenſem, & coadiutorem Saltzburgenſ. mittere, qui cum pleno mandato cum vtroque Rege omnia agenda perageret & tractaret. Præmiſſus eſt itaque Cuſpinianus Budam, qui hæc Regi renunciaret, & vt dies conuentus in diem dominicam Quadrageſimæ, qua in eccleſia Romana cantatur: *Lætare Hieruſalem*, differretur. Placuere omnia Regi Hungariæ, qui illico nuncium expediuit Cracouiam verſus, vt hæc fratri regi Poloniæ referret. Ne tamen res tam ſancta vllius fraude interciperetur, D. Ladislaus de Sternberg Cancellarius Bohemiæ, iter arripuit, & Regem eduxit, perſuaſitque, vt nullis literis ceptum iter deſereret, ſed ad Poſonium vsque continuaret, expectaretque fratris regis, & Cæſaris aduentum.

Narrauit mihi Georgius Thurſo, vir ſpectatæ fidei, & integritatis haud contemnendæ, Regis Hungariæ Camerario: Montium egreſſuro Regi Poloniæ Sigismundo, qui Cracouiam quinta Martii deſeruit, Matthiam Mechouitam ſingularem tam in medendo, quam in ptognoſticando magnæ eruditionis virum annunciaſſe; *ipſum neque viſurum Cæſarem, neque expediturum quippiam.* Quod cum miraretur Rex (vt eſt animi inconcuſſi & firmi) conſtantiſſime perſeuerauit *Math. Mechouita vates.*

in propoſito. *Eundum*, inquit, *eſt, quo DEus & fortuna vocat, promiſi, promiſſum ratum ſeruabo, nemo me à propoſito alienabit. Videbo Cæſarem, ſi DEus volet, & fratrem conueniam.* Nihilominus interim per quosdam ſecretarios mandat, vt diligentius ab eodem Doctore inquirant, ſerio ne an ioco locutus fuerit. Aſſerit idem Mechouita, *Regem non viſurum Cæſarem, niſi expectare velit Junium. Et ante feſtum diui Joannis Baptiſtæ, Cæſarem omnino non viſurum:* Cum Rex ſe rediturum in menſibus duobus ad ſummum ſperaret. Exiuit igitur Rex bonis auibus, & eum tam longa mora traheretur, ſæpe illius Doctoris memoria ſubiit, hoc idem Mechouita Andreæ Roſtilitzki Theſaurario perſcripſit, *Regem ſcilicet ſuum, vix Cæſarem ante feſtum Alexii viſurum*, quod & euenit, vt paulo poſt ſcribemus. Decimoſexto enim Julii, hoc eſt, in profeſto Alexii, mutuo ſe viderunt.

An. 1515. Vigeſima igitur tertia Februarii, Anno præſenti M. D. XV. Reuerendiſſimus Dominus Cardinalis Gurcenſis applicuit Viennam, quam honorifice ab vniuerſa nobilitate, plebeque Viennenſi ſuſceptus: parumque quieſcens, genio indulſit ad triduum, tum Nouam ciuitatem profectus, conuentum prouincialium indixit, iuſſu Cæſaris. Interea vt ſui aduentus certior redderetur Rex Hungariæ, mittit D. Cardinalis Doctorem Vitum de Furſt Budam, vt regem excitaret ad Poſonium, locum conuentus deſignatum. Nam quidam ex nobilioribus refragabantur, ex quo Cæſar non veniret, facilius poſſe Budam conuenire regem Poloniæ & Cardinalem afferentes: ſed ſanior pars præualuit, & rex ſe Poſonium venturum promiſit. Continuato igitur itinere, firmatus iam animo Rex Poloniæ Cracouiam deſerit, & Poſonium verſus pergit.

Cardinalis interim Gurcenſis, conuocatis Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæque prouincialibus, res ſibi à Cæſare commiſſas ſtrenue exequitur, ſed perficere non potuit, audiens regem, Hungariæ 18. Martii Poſonium veniſſe, crebris nunciis die noctuque ſingula indagat (vt diligentiſſimus) nullam voluit occaſionem amittere.

Tum XXII. Martii, ne vlla re indiligentiæ culparetur, mittit Oratores ad Regem Hungariæ Poſonium, qui ſe ſuaque offerrent, & aduentus ſui diem exquirerent: nomine Marquardum de Stein præpoſitum Bambergenſem, Janum Mraxii de Naſcau militem, Cuſpinianum Doctorem, Wolffgangum Hemerle ſecretarium Cæſaris. Hi iuſſa exequuti, per nuncios ſingula D. Cardinali adaperiunt, & eidem in Hamburgo 27. Martii occurrunt, de ſingulis ipſum certiorem facientes, quæcunque viderint aut intellexerint. Nam ante, XXIV. ſcil. die Sabbatho illius Dominicæ, qua canitur in Eccleſia: *Judica me Domine*, Rex Poloniæ Sigismundus cum celeberrima pompa ingreſſus eſt Poſonium, quem ex Tetuania vsque conduxerunt Epiſcopus Quinque eccleſienſis Georgius, & Georgius Marchio Brandeburgenſis, iuſſu regis Hungariæ. Ipſe autem Rex Hungariæ Vladislaus, in curru ei cum filio Ludouico occurrebat, ſequentibus ipſos p. 307
Epiſcopis Colocenſe, Vacienſe, Bosnenſe, Sirmienſe, & vniuerſa eius nobilitate, quæ ornatiſſime more patrio eſt inſtructa. In campo vbi vidit fratrem aduentantem, iuſſit ſe ex curru in terram ponere in ſella, quem Rex Poloniæ fraterne amplexus, prouocauit in lachrymas. Rex Ludouicus miræ indolis, patruum exoſculatus benigniſſime excepit repoſitus in currum ſeniot Rex: Filius Ludouicus equum aſcendit, & in latere ſiniſtro cum patruo vrbem ingreſſus eſt, magno cum faſtu, præcedentibus innumeris equitibus, nobilibus & curribus. Ducebat autem Rex Poloniæ plus mille quingentos equites, & partim more Hungarorum, quos *Huſſerones* appellant, veſtiebantur, partim habitu Alemanico ornati erant. Sed erant præter Polonos Ruteni, Pruteni, Moſchi, Turci captiui, & Tartari in ſuo equitatu, cum multis tibicinibus, qui tubas amplas ſonoras, & à noſtris diſſonas, non ſine horrore ſtridentes, vt in magno æſtu ſolent veſpæ & crabrones, inflabant. Erat & Turcus quidam cum tibia, qui nobis inauditam Harmoniam & auribus noſtris inacceptam edebat, cum puero tympanum ambabus

bus violenter manibus percutiente. Sed & noſtrates habuit tibicines, qui belle ſonabant, & noſtram muſicam referebant.

Erat ſecum magna nobilitas, qui partim in equis anteibant deaurati & torquibus aureis redimiti, partim peditibus ipſum cingebant, equo inſidentem & veſte purpurea amictum Veivoda Valachiæ, D. Nicolaus Virla, Palatinus Sandomirienſis, Nicolaus Palatinus Vilnenſis, Palatinus Liblienſis, Andreas Cancellarius Schidlouitzki, Nicolaus Palatinus Marpurgenſis, Theſaurarius Andreas Coſtilitzki, D. Lucas capitaneus Poloniæ, dominus Raphael, & multi alii inſignes & viri egregii vtriusque ordinis. Comitabantur vero illum tres Epiſcopi, Matthias Vladislauienſis, trium Regum Alberti, Alexandri & Sigismundi olim cancellarius; Joannes Posnanienſis, & Petrus Premislienſis, cum præpoſitis, ſecretariis & aliis prælatis. Durabat hic ingreſſus ab octaua vsque ad primam horam, nam ſummo mane ingrediebantur currus, qui feruntur fuiſſe pene quingenti, in quibus quandoque quatuor niuei equi, quandoque nigri, quandoque rubei, quandoque alterius coloris, nunc ſex, nunc octo in eodem curru vehebantur: immixtæ erant & bigæ, licet paucæ erant.

Vigeſima octaua Martii Cardinalis Gurcenſis ex Hamburgo ſoluit naui, & venit Poſonium horam circiter nonam. Cui omnis multitudo obuiam egreſſa, ripam Danubii ita adimpleuit, vt eques vix ſubſiſtere poſſet. Inceſſit ipſe in habitu Cardinalium, quem Archiepiſcopus Colocenſis Gregorius. Comes de Frangepanibus, regni Hungariæ cancellarius, in latere Regis Ludouici obuiam Cardinali, nomine patris & patrui miſſi, benigna & pulchra oratione ſuſcepit. Ipſe vero Cardinalis humaniſſime reſpondit. Aderant hic vtriusque Regis proceres & conſiliarii, Epiſcopi & nobiles, ac ſummo eum honore ipſum quam honorificentiſſime vsque ad hoſpitium conduxerunt, cum ingenti tubarum ſonitu ac plauſu.

Sequenti die hoc eſt XXIX. Martii, ingreſſus eſt vrbem reuerendiſſimus Cardinalis Strigonienſis, Thomas legatus de latere: cui & D. Cardinalis Gurcenſis cum omni curia ſua (ductabat aurem electam nobilitatem Auſtriæ & Styriæ) & vtriusque Regis proceres occurrebant. Ipſe ſexingentos habuit equos, demptis curribus. Magnæ vndique factæ ſunt ceremoniæ: quandoquidem maior pars omnis ætatis humanæ in iis conteritur. Occurrebat & clerus cum pueris, & reliquiæ ſanctorum deferebantur obuiam tanquam Metropolitano.

Prima Aprilis, quæ erat ſolennis illa dies Palmarum, omnibus Chriſtianis veneranda, Cardinalis Strigonienſis in Eccleſia maiori diui Martini præſentibus tribus Regibus, & Anna Reginula ſacerdotale expleuit officium, cum ceremoniis debitis, ac cum indulgentiis plenariis. Cardinalis autem Gurcenſis huic officio intereſſe non potuit, aduerſa valetudine detentus: alia vniuerſa nobilitas erat congregata.

Altera die iterum conuenerunt in hoc templo tres Reges, cum Cardinalibus ambobus: Strigonienſis celebrauit officium de Spiritu Sancto, quo finito admonita eſt plebs per ſuffraganeum Strigonienſem, vt deuotiſſime pro concordia Cæſaris & Regum DEO ſupplicarent: Lingua Latina, Hungarica, Bohemica, & Alemanica, pronunciatæ ſunt interim indulgentiæ plenariæ. Recta inde via tres Reges, duo Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi, proceres & conſiliarii in domum Regis Hungariæ profecti ſunt, & facto magno conſilio Cardinalis Gurcenſis: oblatis literis ſuæ credentiæ de more, latiſſime & profuſiſſime cur & ob quam cauſam venerit in ſummo ſilentio locutus eſt, bene audientibus Re-
p. 308 gibus & Conſiliariis Cæſaris, ac vtriusque Regis, qui omnes erant plus quinquaginta; Cui finita oratione benigniſſime ſimul & elegantiſſime reſpondit Cardinalis Strigonienſis: durauit hoc conſilium ad horam circiter ſecundam poſt meridiem.

Tertia Aprilis, Cardinalis Gurcenſis comitante ipſum curia ſua & pulchra nobilitate, venit ad hoſpitium Regis Poloniæ, qui ei egreſſus obuiam, humaniſſime

niſſime ipſum excepit in plateis : ac vbi ambo in præſentia conſiliariorum reſederunt ; Cuſpinianus iuſſus literas Cæſaris, cum quadam ſalutatione obtulit breuiuſcula, ambo dehinc mutua colloquia ſed non diu fecerunt.

Eodem die venit triſte nuncium de obitu illuſtris ducis Bartholomæi de Mynſterberg, qui à Cæſare feſtinans ad hunc conuentum, in Danubio haud longe ab Hamburgo à fluctibus obrutus, ſubmerſus eſt. Quod in primis affecit Vladislaum Regem, & in lachrymas excitauit. Deinde Cardinalem Gurcenſem, qui eum vnice amabat, vtpote virum bonum & ſtrenuum. Ex cuius morte quidam male de futuro conuentu augurabantur. Nam & pridie magnificus Joannes de Moſcritz, capitaneus Morauiæ, qui etiam ſæpius Orator in hoc negotio fuit, ſubita morte expirauit. Et Vitus de Furſt, qui Regem plurimum ad hunc conuentum ſollicitauit, Viennæ mortem oppetiit. Ita tres Oratores ſeſe ex iis negotiis liberarunt, & ſuperum conuentum adierunt.

Hinc iterum in hoſpitium Regis Hungariæ conueniunt, omnes hi principes, & tractatum incipientes, inueniunt rem eſſe motoſam in tanta multitudine per tot ſuffragia eſſe conſulendum. Redigunt itaque ad minorem numerum ſingulorum Regum conſiliarios : & D. Cardinalis Gurcenſis accipit ſecum conſiliarios Cæſaris, D. Janum Mraxii, Laurentium Saurer, vicedominum Auſtriæ, Cuſpinianum Doctorem, & Gabrielem Vogt ſecretarium Cæſarium : Nomine vero Regis Hungariæ erat Cardinalis Strigonienſis, Archiepiſcopus Colocenſis, Epiſcopus Quinque eccleſienſis. Rex autem Poloniæ miſit Petrum Epiſcopum Premislienſem, Chriſtophorum Schidlouitzki Cancellarium, & Palatinum Vilnenſem Nicolaum. Hi quoties articuli propoſiti fuerunt, referebant ad Reges, ſed plène concordari non poterant, licet plerosque dies conſumerent, & conſilium in tertiam vsque horam poſt meridiem ſæpius pertraherent.

Vndecima Aprilis inſtitutus eſt ludus pro curſu equorum. Primus brauium accepit argenteum deauratum poculum. Secundus pannum aureum pro veſte. Tertius ſimplicem pannum pro Tunica. Cucurrerunt vnde quadraginta equi velociſſimi & pulcherrimi, ſed Georgius Comes Zepuſienſis omnes præceſſit. Viſa eſt hic tes memoratu digna : quidam Moſchus inſidebat equo Turco, & de more ducebat alterum in manu dextera, cum autem vehementiſſime curreret cum ambobus equis, ſaliit ex vno equo in alterum, in medio curſu, ſempet alterum manu ſeruans ne diſcurreret, erat pulchrum ſpectaculum coram Regibus & principibus. Nam tres reges egrediebantur pulchro ordine : ſimiliter & Cardinalis Gurcenſis, ac omnes Epiſcopi, cum vniuerſa nobilitate. Moſchi tum etiam ac Tartari artem ſuam iaculandi ſagittas in aerem miro ingenio oſtentabant.

Duodecima April. concluſerunt interim quædam eſſe renuncianda Cæſari. Et ideo data & accepta ſalute cum ſumma reuerentia, & poſt exhibita munera regia, Cardinalis Gurcenſis Poſonium reliquit, cum prius ex ſuis præcipui aulici, frater eius vterinus Joannes Lang, magiſter domus Joannes Schenck, Wolffgangus de Keutſchach, & Chriſtophorus Graff de Rattſtatt, in die Paſchæ, expleto diuino officio, quod à Cardinale Strigonienſi celebrabatur, eſſent militari cingulo & honore ornati à tribus Regibus, in tanta diei feſtiuitate.

Reuerſus Cardinalis Gurcenſis Viennam, mox duos conſiliarios Cæſaris D. Wilhelmum de Rogendorff, & Laurentium Saurer vicedominum per poſtam mittit ad Cæſarem, qui licet quatuor diebus aſcenderint feſtinanter Auguſtam vsque, tarde tamen reuerſi ſunt, ob negotia emergentia quotidie, & interim vrbs Poſonium inopinato & ſubito incendio plus media comburitur.

Vndecima Maij, D. Cardinalis Gurcenſis cum ſex Cæſaris conſiliariis, D. Marquarto de Stein Præpoſito Bambergenſi, Wilhelmo de Rogendorff, Jano Mraxii, Laurentio vicedomino, Cuſpiniano, & Gabriele Vogt ſecretario, iterum in naui deſcendit Poſonium ad vtrumque Regem, tractaturus & concluſurus tam matrimonia, quam fœdera pacis & concordiæ. Et licet clam ſine pompa

p.309 pompa intrare vellet vrbem, mox tamen certiores facti Antiſtites & Principes, Ludouicum Regem eduxerunt Cardinali obuiam cum omni vtriusque Regis familia. Cardinalis etiam Strigonienſis, quaſi omnia neglexiſſet, feſtinabundus circa portam vrbis cum omni ſua familia occurrit. Similiter & alii Epiſcopi & Archiepiſcopi ſomno exciti obuiam prodierunt.

Septem hinc diebus ardue diſputatum & tractatum eſt de ſingulis, & mature omnia deliberata ſunt, in articulos redacta & ſcripta, ac vltro citroque penſitata. Nunc enim conſiliarii vtriusque Regis in hoſpitio Cardinalis tractauerunt & conſultarunt: Nunc vero Cardinalis Regem Poloniæ adiit, & ſecretius quædam amotis arbitris tractauit, nunc viciſſim dominum Cardinalem de ſuis negotiis ſollicitant: Nulla quies, nullum ocium, omnia labore plena erant.

Vigeſima Maij, mane à ſeptima hora vsque in primam poſt meridiem, vterque Rex cum duobus Cardinalibus & conſiliariis deliberarunt, & deliberatis omnibus in præſentia conſiliariorum Cæſaris & amborum Regum, articulos legi fecerunt, qui fuerunt ipſorum manibus ſubſcripti & ſigillis muniti, cum omni fauore & plauſu.

Sequenti die Rex Hungariæ inſtituit conuiuium Regale, quo regaliter & opipare accepit fratrem ſuum Regem Poloniæ, Cardinalem Gurcenſem, & præfatos ſex conſiliarios Cæſaris.

Reuerſus Viennam Cardinalis Gurcenſis XXIII. & XXV. Maij exiuit, vt præloeuta Cæſari narraret, ipſumque adduceret. Interim ambo Reges non ſine ingenti faſtidio longam moram traxerunt in Poſonio per totum Junium, licet crebro mitterentur litteræ, nunc à Cæſare, nunc á Cardinali Gurcenſi, quas vicedominus (vt eſt ſuarum rerum diligens exequutor) & nocte & die mox Regibus transmiſit, vt impatientiam eorum lenirer crebris literis mittendis.

Sed non contenti Reges quod Cardinales iuiſſent ad Cæſarem, miſerunt ambo Oratorem Hieronymum Balbum præpoſitum Poſonienſem, vt per eum intelligerent ſi Cæſar eſſet venturus nec ne certo. Is Cæſarem in Insbruck apprehendit, ſed reſponſum in Rottenburg ab eo accipit. Subſequutus eſt hunc alius Orator Regum (tam impatienter longam tam moram tulerunt) dominus Proteſilaus de Schmihau Bohemus, quem Cæſar ſecum detinuit. Poſt hunc alii duo miſſi Nicolaus Ceculus Hungarus, & Petrus Poſonius milites, ab vtroque Rege ad Cæſarem, vt eius aduentum ſollicitarent. Quibus honeſte expeditis, promiſit ſe venturum: & vt bono animo eſſent reges: eosdem literis & reſponſione hortatus eſt fraterne & quam humaniſſime.

Vbi ergo Reges iam animo firmati, aduentum Cæſaris crediderunt, honeſtatis & emerendi fauoris gratia, Oratores ſex, ſinguli tres inſignes viros miſerunt, Rex Hungariæ Epiſcopum Quinque eccleſienſem Georgium, Ladislaum de Sternberg cancellarium Bohemiæ, & Moyſen de Buslai magiſtrum curiæ. Rex Poloniæ item tres, Epiſcopum Joannem Posnanienſem, dominum Lucam capitaneum regni Poloniæ, Chriſtophorum Schidlouitzki cancellarium, qui Viennam ingreſſi ſunt, equis pene quingentis phaleratis, & more ſuo ornatis compte & eleganter, ſexta Julii, cum antea Caſimirus Marchio Brandeburgenſis, cum comite Bertholdo de Hennenberg, cum equis centum & quadraginta ſex cataphractatis & nobiliſſime armatis, à Cæſare præmiſſus vrbem introiſſet, ſplendidiſſime ornatus cum pinnulis, armis, ſimul etiam cum vexillis albis, paruis ac maioribus, & Thomas Fuchs cum centum quinquaginta equis bene armatus more germanico, Joannes Jacobus item de Landaw, cum totidem, & alii multi nobiles & aulici, qui Cæſarem præuenerunt, & ibi eum expectarunt.

Octaua Julii rediit Cardinalis Gurcenſis cum Archiepiſcopo Bremenſi, D. Chriſtophoro, Ducibus Bauariæ Guilhelmo ac Ludouico, Duce Alberto de Meckelburgk, Duce Vdalrico de Wirtenberg, quibus ad ripam Danubii occurrerunt, Joannes Epiſcopus Ratisponenſis, Palatinus Rheni, Epiſcopus Patauienſis

ſis Vigileus, qui pridie aduentarunt, & quorundam Principum Oratores ac legati.

Decima Julii, Cæſar circa horam noctis decimam Viennam ſine pompa ingreſſus eſt. Cum biduo fere quieuiſſet fatigatus ex itinere, in caſtro quodam circa ſyluam Viennenſem, cui nomen eſt Hecking.

Vndecima Julii Cæſar præfatos ſex Oratores Regum in arce Viennenſi, au- p.310
diuit in præſentia principum & conſiliariorum, & Epiſcopus Quinque eccleſienſis: longa oratione pro expeditione contra Turcos cohortatus eſt ampliſſimis verbis. Quibus benigne Cæſar per doctorem Petrum Mottam Hiſpanum reſpondit breuiter ac ſimul eleganter, illisque dimiſſis iuſſit corpora ſua curare ac in hoſpitia redire.

Duodecima Julii vocatis in arcem Oratoribus, eos abſoluit ac abire iuſſit. Sunt autem cum ſummo honore per Epiſcopos ac Principes extra portam deducti quam honorificentiſſime, ſequenti die mane, hoc eſt, 13. Julii.

Eodem die Cæſar ad excipiendos Reges miſit obuiam Oratores ſuos, Archiepiſcopum Bremenſem Chriſtophorum, Marchionem Caſimirum, Wilhelmum de Rogendorff, & Cuſpinianum Regi Hungariæ, qui decimo quarto die Julii inuenerunt Regem Hungariæ Vladislaum cum liberis ſuis in quodam caſtro Kottſee, cui adiacet villa prope Danubium, & facta ſalutatione mandata ſua exequuti ſunt, inuitaruntque vt Viennam veniret. Similiter ad Regem Poloniæ Cæſar miſit Oratores ad Hamburgum (illic enim traiecerat Danubium Rex Poloniæ, vt erat ordinatum, quo expeditius equi & currus Danubium in diuerſis vadis ſuperarent) Ducem ſcilicet Bauariæ Wilhelmum, Epiſcopum Labacenſem, Chriſtophorum Præpoſitum, Balthaſarem Mercklin de Waldkirch, & Mraxii, qui ſimiliter vt ſuperiores exequentes ſua mandata, Regem nomine Cæſaris exceperunt ac inuitarunt.

Decima quinta Julii exiit Viennam ac prodiit obuiam Cæſar Regibus, in lectica adornata, inſtructiſſimo & electiſſimo exercitu, cum multis equis cataphractariis, cum ſplendidiſſimis militibus, ac nocte quinque milliaribus à Vienna in caſtro quodam Trautmansdorff pernoctabat. Cum Rex Hungariæ in oppido Prugk prope Leyttam fluuium, Rex vero Poloniæ in Hamburgo eam noctem conſumerent. Nocte fere media venit Cuſpinianus ad Regem Hungariæ à Cæſare miſſus, qui dabat ordinem conueniendi, ne fieret confuſio. Juſſus eſt Rex manere in ſua lectica: Nam & ipſe quoque vehebatur lectica, quam Cæſar pulchre adornatam cum optimis equis Regi donauerat pridie. Et reuerſus iuſſus eſt à Cardinale Gurcenſe ire ad Regem Poloniæ, vt idem ei narraret, quem reperit in campo haud longe à tentoriis, quæ illic extenſa erant. Arbitrabantur enim nonnulli Cæſarem, id quod maxime recuſauit; diſputaturum de præloquutis in tentoriis aut ſub diuo. Cæſar autem arborem excelſam iuſſit figi in planitiem latam, quæ poterat à longe conſpici, ſub hac voluit conuenire Reges. Et quaſi felici captato augurio ſub diuo aperte voluit alloqui fratres Reges, & eos ſalutare ac mutuis complexibus exoſculari.

Mane itaque horam circiter ſextam XVI. Julii egreſſus eſt Cæſar cum omni ſuo exercitu à Trautmansdorff ad locum illum deſignatum, in planitie quadam, iuxta ſyluam cui nomen eſt patria lingua Hart, hic erat collis intumeſcens aliquantisper à dextris ſylua, à ſiniſtris vepribus ac modicis ſpinis conſparſis montieulus. Ab hoc deſcendens Cæſar poterat tam ab Hungaris quam à Polonis latiſſime conſpici, armis illuceſcentibus. In meridie præſertim, iaculante ſole radios vibrantes in exercitum.

Proceſſit autem hoc ordine Cæſar: Capitaneus Nouæ ciuitatis Melchior de Mansmunſter in equo cataphractato, & ſui armati rubeis veſtibus induti ipſum ſequentes, ductabar aciem, quem ſequebantur in primis aulici & familiares Cæſaris inermes ac prouinciales, cæterique nobiles, & qui ad hoc ſpectaculum concurrerunt ciues & mercatores, ſed ornati & bene veſtiti ac elegantes, alioquin

quin excludebantur & reiiciebantur. Multi aureis torquibus redimiti & variis monilibus conſpectum reddebant amœniorem. In ſingulis membris quinque equitabant, hos ſequebantur Ducis Wirtenbergenſis familiares armati, & ſagittarii. Nec non domini reuerendiſſimi Cardinalis Gurcenſis aulici, ſine armis quidem, ſed honeſte veſtiti, fuerunt circiter octoginta. Pulchra dehinc ſerie progrediebantur equi Cæſaris tredecim, quos tredecim pueri equitabant, nigro veluto veſtiti perquam elegantes.

Poſt quos equitabant Heraldi ſuo peculiari habitu amicti, cum duodecim tibicinibus, & duobus tympanis magnis. Tum ſequebantur Antiſtites, Archiepiſcopus Bremenſis, Chriſtophorus, ex domo Ducum de Brunsweig, Epiſcopus Ratisponenſis, Joannes ex domo Palatinorum, Epiſcopus Patauienſis Vigileus, Epiſcopus Labacen-
p. 311 ſis, Chriſtophorus, Dux Bauariæ Ludouicus, Dux de Meckelburg Albertus. Poſt hos ſuccedebant Cæſaris ianitores, cum albis virgis in manu de more præcedentes Cæſaream maieſtatem. Tum ferebatur in lectica Cæſar, quæ panno purpureo ſcarlaco & nigro veluto, forma quadrata erat cooperta, eodem habitu pueri & ſeruus, qui equos ducebant. Prope lecticam in latere dextro Cardinalis Gurcenſis, habitu ſuo ornatiſſime equitabat, in ſiniſtro Orator Regis Angliæ: Multi vero nobiles, omnes veluto nigro veſtiti de equis deſcendentes, pedites circa lecticam ambulabant. Hos ſequebantur in equis pariter nigro veluto veſtiti aulici proceres, Wilhelmus de Rapoltſtein magiſter curiæ, Cyprianus de Serenſtein Cancellarius, Jacobus Villinger Theſaurarius, Joannes Schnaydpeck Auſtriæ Cancellarius, & conſiliarii, & regentes Jacobus Fugarus, Balthaſar Mercklin præpoſitus in Valdkirch, Marquardus de Stein Præpoſitus Bambergenſis, Melchior Phinizing Præpoſitus Nurnbergenſis, cum fratre Vdalrico Præpoſito, & pluribus conſiliariis & aulicis Cæſareis, qui omnes ſericeis veſtibus & torquibus aureis ac pretioſis monilibus erant compti & ornati. Tandem ornata Phalanx ſplendidiſſime incedebat, tota armis cooperta, cum Tibicinibus & tubis ductilibus. Præibat cum equo cataphractato Leonardus Rauber Cæſaris Marſcalus, ducens ſecum familiares nigro habitu veſtitos, quibus Rota in brachio pro inſigni erat, auream ipſe veſtem ſupra arma gerens. Tum ſerie pulchra ſequebantur, Wilhelmus Dux Bauariæ æreus totus, cum equitibus ſuis ſuo peculiari colore veſtitis, qui canem in brachio pro inſigni ferebant. Hinc Caſimirus Marchio Brandeburgenſis, in equo cataphractato, veſte aurea & rubea, cum electiſſima familia, quæ rubeis veſtibus erat ornata, & pluribus aureis catenis, ac pretioſis pinnulis, cum gemmis ac monilibus.

¶ Penes eum erat Bertholdus comes de Hennenberg, & nobilitas Franconiæ inſignis, equites cuſpides albis vexillis paruis ornatas, duo pueri alba vexilla lata & pulchra ferebant. Subſequebantur deinde comites, ſuo quisque colore ornatus, ſed cataphractatis equis, comes Georgius de Montfort, comes Georgius de Schaunberg, comes Hoyr de Mansfeldt, comes N. de Veſterburg, comes Joannes de Hardeck, qui mirum in modum margaritis ac gemmis & perlis, & ſuperbiſſime incedebat. Dehinc nobilitas Auſtriæ ſupra Onaſum electiſſimo inſtructa exercitu ſubſequebatur. Cataphractariis ſimiliter equis Wolffgangus lorger, capitaneus in Lyntz, Sigismundus, Ludouicus de Polham, Ciriacus de Polham, Rudolphus & Sebaſtianus fratres de Hohenfeldt, Joannes Jacobus de Landaw, Thomas Fuchs, qui omnes erant excellenter ornati. Et agebant equos plus quam octingentos, in quibus erant cataphractarii octoginta circiter. Hoc ordine inceſſit Cæſarea Maieſtas, & vbi appropinquauit arbori terræ infixæ circa iactum bombardæ, acceſſerunt Reges propius cum ſuis cateruis & militibus, qui more ſuo erant ſimul ornati. Hos antecedebat immenſa multitudo Huſſerorum, qui vexillis bipartitis rubeo & albo colore præibant. Subſequebantur Moſchouitæ ſiue Moſchi, ceruleo colore veſtiti, cum albis longis pileis ac arcubus armati.

Tum Tartari, in quibus multi capriui, cum tubicinibus ſuis, de quibus ſuperius ſcripſimus, qui ſonabant horrendum. E regione ſeorſum immenſa multitudo Huſſerorum, qui Regis Hungariæ erant, pariter de more ſuo albis & rubeis vexillis armati. Quos ſuccedebant vtriusque Regis Tibicines in aera vsque clangentes, more germanico ornati & veſtiti, cum tympanis ſonoris. Tum incedebant ornatiſſime inſtructi veſtibus & torquibus aureis, & equis phaleratis multo argento, domini Barones ex Hungaria & Bohemia, in quibus erat Marchio Brandenburgenſis, Georgius frater Caſimiri habitu Huſſeronum, Dux Carolus de Munſterberg, tres fratres de Schmihau, Ambroſius Stercko, Michael Paluci magiſter cubiculariorum, Petrus Carlaczki, Franciſcus Ortzag de Gotz, Banus Nandoralbenſis, & Emerichus Ortzag magiſter cubiculariorum Regis Ludouici. Joannes Pethen de Gerſe, magiſter curiæ ſereniſſimorum liberorum. Stephanus Perenni, Joannes Bornamiſſa, Moyſes de Bulſai cum filio Ladislao, magiſter curiæ, Ladislaus de Caniza, Joannes Banffii de Lyndua, pincerna Regis, Joannes Docztii cubicularius regis, & plerique alii nobiles & magnifici ex Hungariæ & Bohemiæ regno, qui mihi magis de facie, quam nominibus ſunt noti, quandoquidem nomina horum vix memoria teneo, quia difficile ſcribuntur hæc nomina. Poſt hos ſequebatur Ludouicus Rex iunior aurea veſte rubea intertexta purpurea ornatus, capillis extenſis, bireto ex veluto fuſco capite te- P. 313
ctus, pulchro & phalerato equo inſidens, quem vndique cingebant ex vtroque regno Barones & domini, pedites incedentes ad obſequium. Comitabatur hunc regina ſoror eius Anna, aurea veſte & pulcherrima torque mirum in modum multis gemmis & monilibus ornata, quæ in ampliſſimo curru deaurato ac imaginibus exornato, octo equis candidis trahebatur, quam multi etiam nobiles pedites cingebant vndique. Inter quos erat Marchio Georgius Brandeburgenſis, & comes Petrus de Poſing, qui de equis deſcenderant pedites. Tum Rex Poloniæ Sigismundus purpuratus & ſerico pileo tectus pulchro equo vehebatur, vndique nobilioribus proceribus amictus, qui pedites circumdabant ipſum, veſtibus & ornamentis ſplendidi. Poſtremo rex Hungariæ, pariter vt Cæſar lectica ferebatur, quæ veluto rubeo nobiliſſimo erat cooperta, quemadmodum pueri, qui hanc cum equis geſtabant: hæc nuper erat donata Regi à Cæſare cum equis & inſtrumentis. Aderat hic ingens prælatorum & procerum caterua ex Hungaria, Archiepiſcopi & Præſules, Cardinalis Thomas Strigonienſis, Archiepiſcopus Colocenſis Gregorius. Quinque eccleſienſis Georgius, Ladislaus Vacienſis, Michael Posnenſis, cum ſuffraganeis, Præpoſitis & Archipresbyteris multis. Ex Polonia Matthias Vladislauienſis, Johannes Posnanienſis, Petrus Premislienſis, cum capitaneo, cancellario, Theſaurario, Palatinis & Veiuodis, quos ſuperius nominaui, ſpectabilis & elegantiſſima caterua. Vndique ſtrepitus & hinnitus equorum audiebatur, tubarum concentus, tympanorum ſonitus, ſpectaculum ſane dignum, quod omnis mirabitur poſteritas.

Cæſar, vt appropinquare viderat Reges, iuſſit cooperimentum lecticæ deponi, quo palam ab omnibus videretur, & aperte omnes conſpiceret: data dextera Regibus & Reginæ perquam concinne inquit: *Hæc eſt dies quam fecit Dominus, gaudeamus, exultemus, & lætemur in ea.* Rex item Poloniæ reſpondit: *Vtinam felix ac fauſtus ſit ille noſter conuentus vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ.* Paucula verba in ſimilem ſententiam Rex Hungariæ proloquutus, quæ vix ſine lachrymis efferre potuit. Ludouicus, vt erat inſtitutus, ex equo ſumma cum reuerentia Cæſari dixit, & tanquam patrem ſalutauit, nec auertere faciem à facie Cæſaris potuit, quaſi aſpectu non poſſet ſaturari. Regina in currum ſurrexit, nam altus erat, & obſeruantiam in Cæſarem verbis, vultu & geſtis oſtendit. Fuerunt tum nonnulla diſputata ab iis, qui inuiti ibant Viennam, & aliqua mora facta eſt, donec Cæſar inuitatis Principibus ac Regibus iuſſit ſecure ſecum migrare Viennam. Rex autem Poloniæ, vt eſt ſummæ dexteritatis Princeps, ſuis & Hungaris dixit; *Sub confidentia Cæſaris, quem mihi multi grauiſſimum*

mum hoſtem prædixerunt, huc veni, ſub confidentia ipſum ſequar Viennam, quisquis mihi confidit me ſequatur, ſi quis timet, remaneat. Fratremque cohortatus Regem Hungariæ, vt tuto ſimul veniret, qui alioquin Cæſarem ſemper amauit, incunctanter Viennam eundum eſſe concluſerunt. Cæſar intelligens tam promptam Regis Poloniæ in ſe voluntatem; *Hic*, inquit, *Rex mè compellit, vt quandoque vros ſiue biſontes amore eius in venatione videam.* Diſſoluta conuentio forte poſt horam cum media: Itum eſt ad venationem, capti aliquot cerui, iterum ingens exitus tubarum elangor. Plures enim erant tibicines, tot Regum, Principum ac Præſulum. Ordinatum eſt, vt Rex Hungariæ eum liberis iret Trautmansdorff, vbi priore nocte Cæſar decubuit. Cardinalis Strigonienſis ad ſanctam Margaretham, cæteri Epiſcopi ac proceres ad Suadorff. Rex vero Poloniæ cum ſuis deceſſit ad Entzesdorff, Cæſar ad Laxendorff cum Cardinale Gurcenſi. Multa ſunt caſtra & villæ adiacentes, quæ familiares vtriusque regis capiebant, pars vero Viennam petebat, vt hoſpitia diſponeret. Erat dies ille calidiſſimus & amœniſſimus, pro huiuscemodi ſpectaculo aptus, licet mane pluuiam minaretur nubecula quædam.

Sequenti die, hoc eſt, XVII. Julii, Cæſar ex Laxendorff verſus oppidulum quoddam venit, cui nomen Scheuchat, opperiendo illic reges. Rex Poloniæ citius, tardius rex Hungariæ venerat. Ingrediebantur toto die Viennam currus, quadrigæ, & bigæ Hungarorum & Polonorum. Vehebantur multi in curribus illis velocibus, quibus nomen eſt patria lingua *Kottſchi*, magnaque omnium fuit expectatio illius ingreſſus tot Regum ac Principum. Sed ne omni careret felicitate, ſuborta eſt pluuia, quæ paulatim incepit & primum tenuis, tota dehinc pene die durauit. Ex vrbe ſunt obuiam egreſſi CÆSARI & REGIBVS, electiſſimi pedites mille quingenti, quorum magna pars rubeis veſtibus decorata
p.313 fuit, ex ciuibus & filiis Viennenſium, quos præceſſerunt in equis ſex ſenatores armati. Hos vrbs Viennenſis ante Cæſaris aduentum diu in eius honorem præordinauit, poſt hos trecenti alii pedites, quos Cæſar ex imperio huc præmiſerat fere omnes lanceati: Pauci ſecures, aliqui bombardas manuales geſtabant, ſed electiſſimi erant omnes & ſingulari ordine decori. Ad portam vrbis vsque egreſſus eſt vniuerſus clerus: Primum quatuor ordines Mendicantium, Canonici regulares apud ſanctam Dorotheam, Monachi ordinis ſancti Benedicti, qui omnes reliquias ſanctorum deferebant. Exinde parui ſcholaſtici ciuium Viennenſium liberi in magna multitudine, ſinguli deferebant vexilla cum armis & inſignibus, hi arma Imperii, aquilas, hi inſigna regis Hungariæ, hi inſignia Poloniæ, hi inſignia Bohemiæ, illi arma Auſtriæ, illi Burgundiæ, hos ſequebantur ſacerdotes ſeculares ſingulorum templorum vrbis Viennenſis. Tum immenſa multitudo ſtudentum ſtudii generalis Viennenſis, primum ſcholares, poſthac Baccalaurei, dehinc Magiſtri, tum Doctores ſingularum facultatum, Medicæ, Juridicæ, ac Theologiæ. Poſtremo Rector vniuerſitatis Doctor Theologiæ Chriſtophorus Kulber.

Egreſſa ſunt etiam omnium artificum collegia, quæ Zeche vulgo dicuntur, ſingulæ cum vexillis ac cereis, quæ numero ſunt ſexaginta circiter omnis generis qui vspiam in ciuitate reperiri poſſint: Fabri lignarii omnis generis, fabri ferrei item omnis generis, Senatores, Fibulatores, Acufices, & qui ferrum ac cuprum, & qui aurum argentumque fabricant, Setarii & qui pectines faciunt, Fullones, Pileatores, Piſtores, Molitores, Piſcatores, Lanii, Cerdones; Sutores, Sartores, Phrigiones, Calceatores, Inſtitores, Vinitores triplici ordine, Calones, Aurigæ, Carbonarii, Pelliones, Venatores, Pannifices, Figuli, Obſonarii, Raſores, Rotarii, Menſarii, Tornatores, Balneatores, Funifices, Chirothecarii, & qui peras ac marſupia conſuunt, Fuſores, Gladiatores, Tinctores, Pictores & Lapicidæ & Latomi, Muratores, Coriarii, Sufferratores, & id genus alii opifices, qui latinis vocabulis vix exprimuntur. Pluuia autem effecit, ne omnes ordine pulchro ingrederentur vrbem. Nam quandoque inualuit & multos

multos coegit relicta ſtatione ſua ingredi: Præterea interuenerant currus qui iter aliorum impediebant, tamen nihilominus poſt quintam horam ingreſſa eſt primum familia Cardinalis Gurcenſis, deinde ducis Bauariæ Wilhelmi circiter centum ſexaginta bene armati poſt Hufferones, tum tibicines, deinde Caſimirus Marchio cum comite de Hennenberg, ac ſuis familiaribus, tum equites Lanceati domini Wilhelmi de Rogendorff, & familiares Leonardi Rauber Mareſcalci. Poſthæc familia Cæſaris, Comites prænominati, de Monfort, de Schaumberg, de Mansfeldt, de Weſterberg, de Hardeck, qui omnes (vt ſupra ſcripſimus) fuerunt elegantiſſime ornati, veſtibus, gemmis, aureis torquibus, & monilibus. Hos ſequebantur nobiles vtriusque Auſtriæ, cum trecentis & quinquaginta equis, & Joannes Jacobus de Landaw cum nonaginta, ac Thomas Fuchs cum centum quinquaginta & alii plures. Tum ingreſſi ſunt vrbem Hufferones cum equis tectis, & Moſchi ſagittarii cum ſuis tibicinibus, ac Tartari. Poſt Hungari cum ſuis vexillis (vt ſcripſimus) tum habitu Turcali quidam rubeis veſtibus veſtiti, familiaque vtriusque Regis ac Epiſcoporum Principumque, qui numerari non poterant, quod pluuia ordinem deſtruxit.

Nunc enim Alemani, nunc Hungari, nunc Poloni, nunc Bohemi, nunc Moſchouitæ & Tartari, promiſcue ingreſſi ſunt. Quamuis certe magnus vndique ornatus viſus fuit. Multi pueri viſi, qui brachia perlis onuſta geſſerunt. Multi Poloni habitu germanico veſtiti, à noſtris noſci non potuerunt. Diuerſus poſt habitus viſus eſt, & magna caterua equitum Regis Poloniæ, ſed immixti & Germani, quoniam Ludouicus Dux Bauariæ cum ſuis adequitabat. Iterum Hufferones Vngarici, & tubicines Hungarici, poſt equi Cæſaris, & tredecim illi pueri, quos ſuperius ſcripſimus nigro veluto veſtiti. Leonardus Rauber Cæſaris Mareſchalcus, in equo cataphractato, quem pone ſequebantur Archiepiſcopus Bremenſis, Epiſcopus Patauienſis, Epiſcopus Labacenſis, Epiſcopus Kyemenſis: Epiſcopi quoque Hungarici prædicti, Colocenſis, Quinque eccleſienſis, Vacienſis: & Polonici, Vladislauienſis, Posnanienſis & Premislienſis, Ludouicus Dux Bauariæ, & Vdalricus Dux Wirtenbergenſis. Subſequebantur oratores ſummi Pontificis, Epiſcopus Veltrenſis, & Rex Aragonum. Poſt duo miniſtri Cardinalium, quos vulgo Macir appellamus, qui ſceptra horum deferebant.

Tum Cardinales Strigonienſis, & Gurcenſis, ſimul in rubeo habitu Cardinalium. Strigonienſem tanquam Legatum de latere, præcedebat quidam Sacerdos cum cruce argentea deaurata, vndique cingebantur ambo ſuis parafrenariis & miniſtris. Hinc ante Reges, primores conſiliarii ex vtroque regno, optime ornati, tum Cæſaris Erhaldi cum tubicinibus optimis. Hos ſequebantur duo reges, Sigismundus Poloniæ à dextris, & Ludouicus Hungariæ & Bohemiæ à ſiniſtris, cincti Baronibus & nobilibus, qui pedites circa eos ambulabant. Hinc Cæſar & Rex Hungariæ duabus lecticis ferebantur, & multa nobilitas circa hos ambulabat optime tam veſtibus, quam monilibus ornata. Deinde Anna filia Regis vehebatur in pulcherrimo deaurato curru, in quo octo candidi equi incedebant. A latere eius equitabat Marchio Georgius, & comes Petrus de Poſingen. Currum antecedebat dominus Proteſilaus de Schmihau magiſter domus, cum fratre. Sequebatur hunc alius currus deauratus cum ſex niueis equis, & quatuor alii currus, in ſingulis quatuor equi vnius coloris, repleti virginibus, & matronis quæ Reginæ ſeruierunt. Comitabantur octuaginta equites bene veſtiti in diuerſis coloribus, viridi, croceo & fuſco, familiares Marchionis Georgii, poſt quos multi currus varii equites ſine ordine, nam pluuia creuit & quisque hoſpitium quærebat iam madidus, neceſſe ideo fuit ordinem interturbari. p. 314

Quando iam Cæſar cum Regibus attigit templum ſancti Stephani, præteriens arcum domus, in qua quotannis ſolent oſtendi reliquiæ ſanctorum, ſtabat in ſummitate huius Antiſtes Viennenſis Georgius, in habitu epiſcopali cum plerisque ſacerdotibus, & dicens quasdam orationes, dedit benedictionem Regibus

gibus & Principibus. Capella autem Cæſaris concinne cantabat ſuauiſſimis concentibus canticum illud ; *Te DEum laudamus.* Aſcenderunt itaque ſimul ad arcem. Sed Rex Poloniæ declinauit ad ſiniſtrum , & in hoſpitium ſuum , inſignem domum , quæ vulgò *leporum domus* dicitur, diuertit. Nam Rex Hungariæ cum liberis recta via ingreſſus eſt arcem , Cæſar autem per hortum intrauit. Omnibus enim viribus Cæſar laborauit , vt ſummum honotem Regibus oſtenderet , nec vllis vnquam pepercit expenſis , vbique ſollicitus & circumſpectus. Durauit hic ingreſſus horis duabus , & numerati ſunt equitum , qui in ordine intrarunt , tria millia quingenti , præter hos qui paſſim & ſparſim ingreſſi ſunt, qui plures fuerunt ſexingentis. Nimirum pulcherrimus ingreſſus & raro viſus, etiam in pluribus ſeculis , ſi non pluuia ordinem conturbaſſet , & hanc ſolam felicitatem abſtuliſſet.

Decima octaua Julii quieuerunt : ſed Cæſar , qui paruam quietem habuit, vndique anxius & ſollicitus apertis ciſtis ſuis theſauros ſuos recognouit, quos precioſiſſimos aduexerat , Regique Poloniæ , Regi Ludouico ac Annæ ſotori , primum nobiliſſimum pannum aureum , hactenus raro viſum , ſingulis pro veſte ampliſſima muneri mittit , vt eodem habitu omnes incederent.

Decima nona , mane circiter octauam , Reges ſimul cum Cæſare in arce conuenerunt cum ſuis conſiliariis, & locatis tribus ſellis ornatiſſimis , quibus duo Reges , Cæſar vero in medio ſedit , Ludouicus autem à latere patrui Regis Poloniæ , in ſeneſtra duo Cardinales , tum Oratores ſummi Pontificis ac Regis Arragonum , tum Archiepiſcopi & Epiſcopi vtriusque Regis , deinceps proceres regni Hungariæ, Poloniæ ac Bohemiæ , à dextris principes & conſiliarii Cæſaris, erant omnes plus centum.

Occurrebat mihi aſpectus , qualis olim ſenatus Romanus ex centum patribus fuit. Vbi factum eſt ſilentium , Cæſar loqui incepit, & præter omnium expectationem Reges ita commouit , vt eos ſibi maxime deuinciret. Gratias enim illis ampliſſimas egit, quod tantam moram tam patienter tuliſſent , donec aduentarct. Licet hoc DEO acceptum referret , qui voluiſſet illos tam diu expectare , quoad conuenirent pro communi vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ commodo & tranquillitate , deinde aduerſus impios Turcos pro ſumenda expeditione prudentiſſime locutus , de modo & via , & nonnulla alia , quæ nunc referre importunum eſt. Tota autem fere hora loquebatur, non tam honeſte quam prudentiſſime , omnium in ſe ora atque oculos conuertit ; eosque ita demulſit, vt multi qui non boni Cæſariani fuerint , ſed ab eo multum alienati , jam ſe ſubmitterent , palamque faterentur , eam humanitatem , prudentiam ac dexteritatem nunquam in Cæſare ac tanto Principe expectaſſe. Aperteque Cæſarem extollebant , ac eminentiſſime laudabant , non tam eius egregie res geſtas , ſed ſingula dicta factaque.

Vbi perorauit , Cardinalis Strigonienſis vtrumque Regem adiens , & ſimul Colocenſis , item Quinque eccleſienſis, vt ab eis quid reſpondendum foret , in-
p.315 telligerent : Ac mox dehinc Cardinalis Strigonienſis , amborum Regum nomine reſpondit elegantiſſime , vt homo eſt raræ prudentiæ ac doctrinæ. Juſſus eſt hinc à Cæſare Cardinalis Gurcenſis , vt verba faceret , qui etiam elegantiſſime diu loquutus coram Cæſare , Regibus , & vniuerſo ſenatu , & reuera potuit hic ſenatus comparari centum patribus Romanis , dum olim Roma floruit , tam honeſtus erat Senatorum ac Principum aſpectus. Dimiſſo ſenatu , quisque in ædes ſuas diuertit.

Eodem die poſt cœnam hora ſexta , facta eſt chorea in arce , iuſſit Cæſar, vt ſinguli Reges quinquaginta tantum ſecum afferrent , viginti quinque ſpectatores , & totidem qui choreas ducerent , ne ex multitudine nimia fieret perturbatio : ſed principes indiſcriminatim cum ſuis irruebant, & maxima præter ſpem conuenerat multitudo , licet omnes januæ diligentiſſime cuſtodirentur. Fuit autem hæc chorea inſtituta , vt domina Maria Archiducisſa Auſtriæ , filia Regis Phi-

lippi, & Cæſaris neptis, ſuſciperet Reges & dominam Annam, quos nondum viderat. Ubi ergo Cæſar, Rex Hungariæ & Poloniæ tribus ſellis conſederant, Rex Ludouicus, & ſoror domina Anna ſeorſum ſuas habuerunt ſedes. Tum ingreſſa eſt domina Maria præcedentibus principibus, Ducibus Bauariæ, & aliis quotquot hic erant Comitibus & Baronibus, & magiſtro curiæ domino ſuo de Rattal, quam multæ nobiliſſimæ matronæ, Comitiſſæ, & Baronum vxores, cum multis virginibus ſequebantur. Quæ poſtquam regiam Cæſaris, vbi eam operiebantur intrauit, nam extra arcem tum habitabat in domo Comitis Ciliæ, decoro motu flexis genibus, vt eſt morigeratiſſima, & à cunabulis recte inſtituta, primum Cæſarem auum, tum cæteros Reges ac dominam Annam ſalutauit. Locata illi ſedes erat prope Regem Vladislaum à dextris, ad quam acceſſit, ſed non ſedit, donec Balthazar Mercklin Præpoſitus in Valdkirch nomine ſuo Reges & ſponſum ſuum benigniſſime exciperet, pulchra ac affabili comitate. Rex Poloniæ áccerſito ſuo Vicecancellario D. Petro Epiſcopo Premislienſi, illi mandauit, vt nomine fratris & nepotis Ludouici ac Annæ reſponderet, quod & factum eſt. Nam Petrus Epiſcopus vir haud contemnendus, ſiue ex tempore oporteat loqui, ſiue præmeditate, bonarum literarum optimus patronus. Peractis ceremoniis poſt mutua colloquia chorea eſt incepta, clangentibus tubis & bene ſonantibus, quas Cæſaris tubicines inflabant. Primamque choream duxit Rex Ludouicus cum ſorore ſua Anna, præeuntibus duobus Comitibus de Mansfeldt, de Veſterburg ac duobus Principibus, Caſimiro & Duce de Mechelburg cum quatuor cereis, comitantibus duobus magiſtris curiæ Protheſilao de Schmihau & Petro Carlatzki. Secundam choream duxit Dux Bauariæ Wilhelmus cum domina Maria Cæſaris nepte, cui duo Comites præibant de Hennenberg, & Hardeck. Tertiam choream iterum Rex Ludouicus cum magiſtra curiæ dominæ Reginæ Mariæ, domina Rottalerin vxore domini Georgii de Rottal. Poſt cæteri domini Comites & Barones choreas duxerunt. Et circiter decimam horam noctis quisque domum ſuam reuerſus eſt.

Duobus ſequentibus diebus, conſultatum eſt ſuper negotiis, pro quibus conuenerant, & ſemper vsque ad horam ſecundam poſt meridiem & longius protractum eſt conſilium, vt prandium conſiliariorum & principum fieret circa tertiam. Nobiliores vero in militia, interea ſeſe exercebant in paleſtra, Marchioque Brandenburgenſis Georgius cum haſtis concurrebat cum Comite de Hennenberg, in arce Viennenſi, cum duobus aliis militibus.

Vigeſima ſecunda die, quæ erat diuæ Mariæ Magdalenæ inſtitutus eſt dies pro contrahendis ſponſalibus inter principes & Reginulas, ideo vniuerſa nobilitas ſimul cum regibus ad arcem confluxerat, in obſequium quisque, vt potuit exquiſitiſſime ornatus, non tam veſtitu, quam pretioſis monilibus ac clinodiis, vt dicitur. Cæſar cum Regibus ac conſiliariis ſecretiora quædam tractauit in priuato, quæ referre non eſt operæ precium.

Tum accerſita Anna, eam Corona aurea donauit, & capiti ſuo impoſuit, quæ res ſeniorem Regem Vladislaum prouocauit in lachrymas; viciſſim ipſa Cæſarem pretioſiſſimo ſerto exornauit. Elegantiſſimo igitur ordine Cæſar cum Regibus Poloniæ & Ludouico in equis. Seniore vehente in lectica, & Reginulis in curribus, præcedente & comitante nobilium caterua inſigni, poſt nonam horam deſcendit ad templum ſancti Stephani, quod erat elegantiſſime ornatum. Chorus aulæis aureis & ſericeis contectus. In dextra ſtabant Cæſar, rex Vladislaus, rex Sigismundus, omnes aureis veſtibus ornati: Cæſar maximia torqui ex margaritis lapidibus precioſiſſimis, conſpicuus omnibus erat. In bireto monile ex adamantibus precioſiſſimum geſtabat, æſtimabatur eius ornatus p. 316
vna millione auri. Poſt Ludouicum ſtabat Orator Regis Angliæ, Orator Archiducis Caroli Auſtriæ & Burgundiæ, Dux Wilhelmus, Marchio Caſimirus, Dux de Mechelburg, Dux Wirtenbergenſis, Orator Ducis Ferrariæ, & dehinc inſigniores ex regnicolis Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ. In medio chori duo erant

pulpita

pulpita aureis pannis contecta, in quibus duæ Reginæ ſtabant, Anna & Maria, circa quas à lateribus Orator Regis Aragonum, & Ludouicus Dux Bauatiæ, Marchio Georgius, & Comes Petrus de Poſing cum plerisque aliis inſeruiebant nobilibus Annæ. Pone ſtabat ingens multitudo matronarum & virginum, quæ Reginis ſubſequebatur ſedula ad obſequium. A ſiniſtris locati erant primum Cardinalis Thomas Strigonienſis legatus Apoſtolicus, Cardinalis Gurcenſis, Matthæus nuncius Apoſtolicus, Epiſcopus Veltrenſis, Archiepiſcopus Colocenſis Gregorius, Archiepiſcopus Bremenſis Chriſtophorus, Epiſcopus Quinque eccleſienſis Georgius, Epiſcopus Matthias Vladislauienſis, Epiſcopus Olomucenſis Stanislaus, Epiſcopus Ratisponenſis Joannes, Epiſcopus Vacienſis Ladislaus, Epiſcopus Posnanienſis Joannes, Epiſcopus Patauienſis Vigelius, Epiſcopus Labacenſis Chriſtophorus, Epiſcopus Kremislenſis Petrus, Epiſcopus Bosnenſis Michael, Epiſcopus Pyemenſis Bertholdus, cum multis prælatis & præpoſitis.

Epiſcopus Viennenſis celebrauit ſummum officium, quod cum ſumma reuerentia & amœniſſimis concentibus diuerſorum muſicorum peragebatur. Quotusquisque enim Princeps eſt hodie in orbe noſtro, qui ſingularia ingenia muſicorum ita veneratur & appretiat, ſicut Cæſar? Sub eo itaque noua inſtrumenta muſices excogitata atque inuenta ſunt, quæ vetuſtas non habuit, ſeculum noſtrum non vidit, ſicut in diuerſis generibus fiſtularum patet, & in illo ipſo inſtrumento quod *Regale* appellatur, ſine fiſtulis & chordis ab aurifabro inuentum, & in illo mirabiliori, quod nuper monachus excogitauit, quod fiſtulas nullas habet, ſed quasdam concauitates in latum lignum exciſas, in modum ſerpentum ambulantes, quod ſonorum admodum edit concentum, & ex Rheno nuper allatum eſt inſtrumentum, quod voces auium repræſentat. Quæ omnia Paulus muſicorum princeps, cum illo ſimul quod ipſe reperit ex cornibus, aptiſſime tangebat, & ſimul cum cantatoribus diuerſis vocibus. *Regal.*

Finito officio Richardus Peruſinus, Reuerendiſſimi Cardinalis Gurcenſis, Capellanus dicere incepit, vt eſt eloquentiſſimus, ſed ſtrepitu nobilium, quia audiri non potuit, in medio deſtitit. Hic etiam tribus libris, quos *Odeporicon* vocat conuentum hunc celebrauit. Interea Imperator quodam ſecretiori loco regalibus amictus & coronatus, vt Cæſar, introiuit chorum, cui deſponſata eſt domina Anna per Reuerendiſſimum Cardinalem Strigonienſem per annuli ſubarrationem. Tum Ludouicus Rex, & Domina Maria per eundem Dominum Cardinalem copulati & coniuncti ſunt. *Richardi Bartolini Hodeporicon.*

Reſidente tunc Cæſare in ſolio maieſtatis: á lateribus cingebatur tribus præfatis regibus, quibus ſingulis nudus eſt datus enſis, vt milites inſignirent. Accurrebat vniuerſa nobilitas, in qua intermixti etiam fuerunt nonnulli noui homines & plebei. Creati ſunt tum à Cæſare, & tribus Regibus plusquam ducenti milites ſiue equites aurati (vt vulgus loquitur) quo perfecto, aſcendit Cardinalis Strigonienſis ad ſummum altare dans benedictionem: cuius ſuffraganeus ſua & Domini Gurcenſis auctoritate pronunciauit plenariam indulgentiam. Mox omnes inflatæ ſunt tubæ, & mirabilis auditus eſt concentus: Simul cantores, *Te DEum laudamus* pronunciabant. Et in organis Magiſter Paulus, qui in vniuerſa Germania ſecundum non habet, reſpondit. Vsque in primam horam poſt meridiem durauit hæc feſtiuitas. Quisque dehinc in ſuum hoſpitium diuertit ad ſumendum meridianum cibum.

Poſt prandium ad ſpectaculum haſtiludii omnes conuenerunt, & Cæſar & Reges, Reginulæque eadem habitatione proſpectabant concurſum eorum, qui haſtis luſerunt. Erant autem primi, Comes Joannes de Hardeck, & Dauid de Kneringen, de hinc Caſimirus Marchio, & Joannes Jacobus de Landaw, poſt Georgius Marchio, & Adolphus de Bibrach.

In principio noctis conueniunt omnes Reges cum Cæſare ad cœnam, quia nuptias hac nocte celebrabant, dominus Sigismundus de Dieterichſtein, & Barbara virgo, filia Domini Georgii de Rottal, parata erat cœna regia innumeris dapibus.

dapibus. Collocabatur in principio tabulæ Rex Hungariæ Vladislaus, dehinc ſponſa Barbara, tum Cæſar, poſt domina Anna, tum Rex Poloniæ, tum domi- p.317
na Maria, poſt Rex Ludouicus, tum eius Magiſtra curiæ, poſt Archiepiſcopus Bremenſis, tum Ratisponenſis præſul, tum cæteri Duces ſæpius nominati, quibus ſemper immiſcebantur matronæ & virgines, tum vtriusque Regis conſiliarii & familiares, ſemper immixtis puellis. Durauit hæc cœna in 10. horam noctis ſplendidiſſima & opipara, quâ finita Cæſar & Reges in aliud deſcendentes palatium, choreas duxerunt. Et hinc quisque diuerſorium ſuum petiit.

Vigeſima tertia Julii, Cæſar virginibus dominæ Annæ plus ſexingentis vlnis de veluto & alterius generis ſerici pro veſtibus muneri miſit, Regi autem Poloniæ duos equos cataphractatos, quorum vnus armatus erat vsque ad vngulas, quod à paucis alias eſt viſum. Quos cum tanta gratitudine acceperat, vt illum totum æneum equum inſpiciens, cum animi iucunditate diceret ipſe ſine interprete; *Accipio hunc equum gratiſſimo animo à Cæſarea maieſtate, in quo promptus ero ad mandata illius, quando mea vti voluerit opera: & comparebo vbi volet, donec hæc mihi vita ſupererit.* Cantharum deinde argenteum faberrime factum, cuius labor æquabat pretium, & in quo admirabilis erat veneranda vetuſtas, donauit. Regi vero Ludouico equum cataphractatum & arma pro corpore ſuo deaurata, & ingenioſiſſime fabrefacta, à paucis hactenus ſimilia viſa.

Vigeſima quarta, ante prandium conſilium habebatur: poſt prandium Cæſar & Reges ad ſpectaculum haſtiludii conuenerunt, quod horis pene quatuor durauit. Rex Poloniæ ad ſuum hoſpitium, Cæſar cum aliis duobus regibus & reginulis ad arcem diuertit, & ſimul cœnam duxerunt lætiſſimam: qua finita allata ſunt numismata aurea & argentea, magna præter ſolitum cum imagine Cæſaris, quæ Cæſar regibus & reginulis diſpartitus eſt, & ad chartam ludere cœperunt. Sed Rex Ludouicus, domina Anna & Maria maiorem partem numismatum abſtulerunt, Cæſar nihil, Vladislaus rex parum lucratus eſt. Fuerunt multa iocoſa in hac cœna prolata.

Vigeſima quinta Julii, inſtiturus eſt ludus militaris, *Torneamentum* vulgo dicitur, antiquitus ludus Troianus, ſimulacrum veri belli. Fuerunt in eo triginta duo in equis cataphractatis toti æneis, optime armati, in galeis chriſtati cum ſuis inſignibus, cuilibet lancea & enſis erat. Primum fuit concurſus cum lanceis, deinde abiectis haſtis & clypeis, concurrebant cum enſibus, ſeſe mutuo verberantes, donec qui ad hoc ordinati erant ſectores bellum dirimebant. Fiebat hoc in latiſſimo foro prope templum fratrum Carmelitarum, vbi quondam Henricus filius ſancti Leopoldi, Marchionis Auſtriæ, primus Dux à Friderico Ænobarba Imperatore creatus, qui cœnobium Scotorum Viennæ hic ſepultus fundauit, arcem & curiam habuit. Vnde & hodie adhuc locus ille *Curia* appellatur. Circa hoc templum extructum erat theatrum temporarium latiſſimum, ad quod aſcenderant Cæſar, Reges & Reginulæ, duo Cardinales, Archiepiſcopi & alii Prælati, cum Principibus & Baronibus, cum magna & inſigni nobilitate. E regione huius erat alia domus, in qua clypei & arma perduellionum pendebant, & vbi tibicen triplici concentu ter concurrentes prouocabat, Erhaldi quoque hic proſpectabant, qui victoriam & palmam merebantur. Erat locus hic quadratus & duplicibus palis circumvallatus, in medio ſtabant armigeri & lanceati, ciuium Viennenſium mille quingenti, qui bene ornati (vt ſuperius ſcripſimus) hic excubabant. Erat & tertia domus extructa, in qua vxores & filiæ ciuium hoc quoque ſpectabant ſpectaculum. Nam omnium domorum adiacentium feneſtræ non modo repletæ erant, ſed tecta quoque hominibus cooperiebantur, tam ingens hominum frequentia hic aderat. Magna tamen vndique habita diligentia & cuſtodia, ne qua ſeditio, neue tumultus aliquis inter tot homines, tam diuerſas nationes, tam diuerſas ſectas exoriretur. Prouiderunt hæc multo ante ſingulari prudentia Senatores Viennenſes, qui cuſtodiam in portis vrbis, nocturnas & diurnas vigilias in ſingulis turribus vrbium, in

monaſte-

monaſteriis ordinauerunt, & ſi forte incendium oriretur, artifices cum inſtrumentis ſufficientiſſimis adhibuerunt, ac in tumultu, ſi forte excitaretur, præſto eſſent. Nihil itaque iis omnibus diebus aut publice aut priuatim ortum eſt. Timebant omnes incendium, aut ſeditionem aliquam inter tam diuerſas gentes: quia hic Alemanni, Itali, Hiſpani, Franci, Hungari, Poloni, Bohemi, Moraui, Sleſitæ, Moſchi, Tartari & Armeni, & Tuſci ſimul iuncti fuerunt, ſed DEo optimo Duce tranquilliſſime omnia peracta ſunt. Durauit enim hoc ſpectaculum plus duabus horis, quo finito Cæſar in eodem theatro multos milites in præſentia Regum & Principum inſigniuit. Lanceati autem & armigeri ciuium Viennenſium, facta pulcra ordinatione & circuitu in orbem de more ſuo abierunt.

p.318 *Fuerunt autem hi in Torneamento, qui hoc pacto, primum bini & bini concurrerunt, & tandem omnes ſimul vno impetu.*

Dux Wilhelmus Bauariæ & Marchio Caſimirus Brandeburg.

Dux de Mechelburg Albertus, & Georgius Marchio Brandeburgenſis.

Comes Wolffgangus de Montfort, & Comes Bertholdus de Hennenberg.

Dominus de Verona debuit concurrere cum domino Joanne Comite de Hardeck, ſed neſcio qua cauſa idem Dominus fuit abſens, ideo in eius locum ſuccedebat Dominus Leonardus de Liechtenſtein, qui bis concurrebat.

Dominus de Rapoldſtein, & Sebaſtianus de Hohenfeldt.

Dominus Hieronymus de Stauffen, dominus in Ernfels, & Joannes de Schwartzenberg.

Vdalricus Marſcalcus de Bappenheim, & N. de Geroltzeck.

Wolffgangus de Schellenperg, & Sebaſtianus de Veittmull.

Caſpar Vintzerer, & Sigismundus de Heſperg.

Albertus Pencker, & N. Bellitzki.

Wilhelmus de Greis, & Georgius Kongel.

Valthaſar Tanhauſer, & N. de Emerszhoffen.

N. de Loſenſtein, & Dorle Polonus.

N. Kietſcher, & Wolffgangus Groswein.

Leonardus de Lichtenſtein, bis (vt dixi) congreſſus eſt duello, & Chriſtophorus Mindorffer.

Dominus de Dana.

Inuitati ſunt omnes Principes & Barones poſt cœnam ad choream. Ad quam facta cœna, venerunt Reges & Principes cum vniuerſa nobilitate. Erat Curia arcis mundata, & auleis pulchris exornata, tot cereis illuminabatur, vt tenebræ noctis vincerentur cereis ſplendoribus. Sedebant longa ſerie nobiliores matronæ & virgines ex vna parte. In alia Cæſar, tres Reges, duæ Reginulæ, magnus Principum & nobilium numerus. Cæſar cum domina Anna choream duxit, Ludouicus cum domina Maria, poſt Rex item Poloniæ cum domina Anna, poſt ſunt ſerta & munera donata Principibus & nobilibus, qui illo die in torneamento duellum fecerunt. Dehinc poſt aliquot choreas Cæſar aſcendit cubiculum. Reges autem in quoddam palatium cum Reginulis, principibus & virginibus, vbi parata erat regalis collatio mellariis & fructibus, illic omnis generis potus & abundantia. Sic vsque in horam pene ſecundam poſt mediam noctem deductum erat illud conuiuiolum. Dehinc quisque in ſuas ædes diuertit.

Maturabant dehinc ſinguli ſuum diſceſſum, diu enim vterque Rex aberat à Regno ſuo. Et Cæſar ab Heluetiis ſollicitabatur, ſed nondum conſcriptæ erant literæ contractus. Biduum igitur, hoc eſt, XXVII. & XXVIII. dies Julii, con-

ſumptum eſt in ſcribendis literis, & dandis viciſſim muneribus, ſed ne Cæſar vllum humanitatis officium omitteret, nemine ſperante cum ſuis conſiliariis, & aulicis deſcendit ad hoſpitium Regis Poloniæ, & ipſum viſitauit. (Nam Rex Hungariæ erat ſecum in arce) & tum ad ædes Cardinalis Strigonienſis, quem etiam ſua præſentia honorauit, vt eſt clementiſſimus & humaniſſimus Princeps. Præterea curſus equorum etiam factus eſt: habuit primus pulchrum argenteum deauratum poculum quod faberrime factum erat.

Hinc Rex Poloniæ de nobiliſſimis pellibus Zobelinis honorauit Cæſarem, de hinc Cæſaris conſiliarios, & eos præſertim, qui his negotiis interfuerunt. Cæſar viciſſim largiſſima munera ordinauit vtriusque Regis conſiliariis liberaliſſime, de auro, argento, poculis, vaſis omnis generis, torquibus & ſericeis veſtibus. Judico ego & puto me non falli, Cæſarem in hac feſtiuitate expoſuiſſe pro impenſis (nam vtrumque Regem ſuis alimentis liberaliſſime cum liberis quoque aluit) & muneribus ſupra centum quinquaginta millia nummum, erogaſſe; tanta libetalitate vſus eſt erga Reges & Principes & conſiliarios.

Vigeſima octaua die, de nocte poſt cœnam, hora pene ſeptima conueniunt Reges Cæſarem (iam enim de ſingulis erat concluſum) & poſtquam tribus ſellis locati erant, in quarum medio Cæſar, in latere Ludouicus, poſt duo Cardinales, dehinc cæteri principes & conſiliarii reſidebant, Cæſar (vt eſt humaniſſimus) alloquutus Reges ſuauiſſimis ſermonibus, tandem iuſſit Cuſpinianum pronunciare, quod decreuiſſet. Cuſpinianus debita inclinatione flexus, p. 319 ad latus Regum ſtans, alta voce, Latina & Germanica lingua vt ab omnibus intelligeretur, in hanc formam proclamauit, cunctis bene audientibus:

De mandato ſacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtatis, & Sereniſſimorum Vladiſlai & Ludouici Hungariæ & Boëmiæ, ac Sigismundi Poloniæ Regum, Notum ſit vniuerſis, qui ad laudem omnipotentis DEi & glorioſæ virginis Mariæ, & totius curiæ cœleſtis, nec non ad incrementum & conſeruationem totius Reipubliceæ Chriſtianæ, & præcipue regnorum, dominiorum, & ſubditorum ſuorum, inter ſe inierunt, contractarunt, concluſerunt, & confirmarunt, veram, ſynceram & inuiolabilem atque firmam concordiam, amicitiam, vnionem & intelligentiam confœderationis, perpetuo & indiſſolubiliter duraturam: ad mutuam protectionem & defenſionem contra eorum hoſtes quoſcunque & præſertim contra hoſtes infideles, & ad hoſtium ſuorum futurorum perniciem. Et quo magis hæc vnio inter eos ſtabiliatur, vltra neceſſitudinem, quæ alias inter hæreditates eorum intercedit, etiam nouam affinitatem & connubium inter ſe & nepotes, & liberos eorum contraxerunt. Quod felix fauſtumque Maieſtatibus præfatis, regnis & dominiis eorum ſit, Amen.

Vigeſima nona Julii, horam circiter nonam, Cæſar in equo cataphractato ornatiſſimis armis à capite ad pedes tectus, & precioſiſſima torque, ex vnionibus & gemmis, cum Ludouico Rege iisdem armis & equo cataphractato ornatus, quibus à Cæſare donatus erat, cum omni exercitu Principum, Baronum ac nobilium, vrbem Viennam egreſſus, ad Nouam ciuitatem perrexit eodem pene ordine qui ſuperius ſcriptus eſt, comitantibus peditibus Viennenſibus. Sed Ludouicus Viennam repetit: Cæſar Nouam ciuitatem ingreſſus eſt.

Trigeſima Julii, Cuſpinianus munera Cæſarea, quæ pridem Cæſar ordinauerat, ex manibus Theſaurarii domini Jacobi Villinger accepta, Regis vtriusque conſiliariis detulit, quæ plurima ac precioſa erant, ac ſingulis, vt iuſſus erat, diſtribuit.

Vltima

Vltima Julii, tres Reges, duæ Reginulæ, duo Cardinales potiores ex curia Regis Poloniæ, vniuerſi vero Hungari, ſimul à Vienna ad Nouam ciuitatem profecti ſunt, & recepti in arce, humaniſſime á Cæſare tractati.

Prima Auguſti, mane ante prandium, Ludouicus, domina Anna & Maria ingreſſi ſunt viuarium prope arcem, vbi innumeri hinnuli, cerui, damæque aluntur, & ſagittis iaculati damam ac ceruam, patri ſuo Regi Vladislao obtulerunt, quaſi prædam à ſe captam. Poſt prandium vero Rex Poloniæ, & Vladislaus egreſſi Nouam ciuitatem ad Cæſarem qui iuxta ſyluam illos expectabat, pulcherrimam Venationem ceruorum illis exhibuit, ac ea finita illos ad Nouam ciuitatem reduxit, ac ibi cœnauit. Poſt egreſſus in Egenfurt, vbi honoris cauſa pernoctare ſolebat, vt integram arcem Regibus relinqueret.

Secunda Auguſti ingreſſus Nouam ciuitatem Cæſar, facto ibi prandio, ad ſeſe conuocauit vtrosque reges ſeniores, & adhibitis duobus Cardinalibus, & pauciſſimis conſiliariis, tribus continuis horis cum iis tractauit, ac poſt valedixit. Dehine ad Gynæcium deſcendens, Ludouicum amplexus optime valere iuſſit, Mariam oſculo patrio more ſalutauit. Dominam Annam brachiis amplexus deſeruit, multisque poſt ſe deſiderium reliquit. Dehinc conſcenſo equo rediit in Ebenfurt, & ſequentibus diebus per Auſtriam verſus Lyntzium iter arripuit.

Tertia Auguſti, Rex Poloniæ fratrem Vladislaum & nepotem Ludouicum, ac duas Reginulas valedixit. Poſt ſubſcriptas manu ſua, & fratris, ac ſigillatas literas, iter ad Viennam reſumpſit. Rex autem Vladislaus, cum maximo gemitu ac lachrymis filiam Annam ſalutauit. Ortus eſt ingens vtrobique eiulatus, hinc pater, hinc filius, hinc filia etiam aſtantibus lachrymas excuſſerunt, coacti ſunt conſiliarii vi patrem abducere, qui vna cum filio eo die adhuc Suppronium cum omni ſua curia eoneeſſit, Sempronium iudico appellari debere, quod Romani illic Duce Sempronio præſidia habuerunt: Sed omnia ea loca nominibus corrupta. Hodie enim *Poſonium* appellatur, quod Piſonium à Piſone rectius vocabitur. Et Scaurinum hodie *Jaurinum* voce nihili dicitur; & Strigonium, quod etiam teſte adhuc patria lingua Iſtrogonum vocabitur, ſed de his alias. Nos ad noſtra redeamus. Rex autem Poloniæ Viennam dehine conceſſit. Volebat hinc Rex Poloniæ traiicere Danubium, ſed violentia aquæ pons ruptus, coactus eſt manere vsque in ſextam Auguſti, qua die egreſſus eſt rex, comitante Cardinale Gurcenſe, & cæteris Ducibus, qui ſupererant. Sed priori die, hoc eſt, quinta Auguſti, caſtrum & arcem Viennenſem ingreſſus eſt ad ſalutandum & valedicendum Annam & Mariam, cum quibus choreas duxit, & vniuerſa eius nobilitas. Mutuis dehinc amplexibus ſeſe ſalutarunt & valedixerunt: Alteraque die mane Viennam egreſſus eſt. Dehinc & Cardinalis, & Duces Cæſarem ſequuti ſunt.

Poſonium Jaurinum Strigonium.

p.320 Sic ſumma cum tranquillitate ſolutus eſt celeberrimus ille Regum conuentus, ſine diſſidio, ſine rancore, ſine tumultu, ſine ſeditione: Quod felix fauſtumque ſit. DEus optimus maximus largiatur ſua gratia, vt Rex Ludouicus ac Reginulæ ætatem ſortiantur debitam, qua numeroſam de ſe prolem relinquant, & Cæſar hoſtes ſuos caſtiget, & vnionem cum omnibus Chriſtianis Principibus faciat, quo poſſit facilius ſumi expeditio contra immaniſſimos Turcos, & fidei Chriſtianæ perfidiſſimos hoſtes, Amen.

AD LECTORES.

HAbetis candidi lectores, rem vt geſta eſt ſyncere & ſimpliciter ſcriptam, non affectate, aut tumide, nec phalerata oratione aut verborum aliquo

lenocinio, ſed vt vicinus etiam intelligat, qui & numisma noſcit, cui publica forma eſt, atque ideo neceſſe eſt in quotidianum & vſitatum loquendi modum, etiam vsque ad barbariem quandoque deſcendere. Malui enim rem aperte proponere, quam propoſitam à multis abſcondere & velare. Namque haud video, qua ratione res illæ ſint nimium exornandæ, quæ per ſe ſunt ornatiſſimæ & inſignes. Reuoluat aliquis multorum ſeculorum Annales, Chronica & hiſtorias, dicat ſi quando viderit ſimul congregatos Cæſarem Romanum, tres coronatos Reges, duas Reginulas, ac duos Cardinales, cum tot principibus, proceribus, ac nobilibus, diuerſarum nationum. Nunquid hoc pulchrum ſympoſium & excellens, & apud poſteros memorandum? Sed quod magis laudandum eſt & admirandum, quod inter tot diuerſas nationes & ſectas religionum, nullus eſt ortus tumultus, nulla ſeditio, nullum incendium, ex magnatibus & proceribus nullus mortuus eſt. Cum omni felicitate coierunt, cum eadem ſeparati ſunt: & quod amiciſſimum, nullus rancor interuenit, nullum diſſidium. Fuerunt ab initio nonnullæ friuolæ ſuſpiciones, quæ ſublatæ ſunt, vita vera integritate & amicitia: omnium rerum copia, nullus defectus, nec impenſæ difficiles, licet inundatio Danubii obſtitit, quod non omnia fuerint longe vberiora & copioſiora. Hæc enim Auſtriæ pars, quæ trans Danubium eſt, & Marchiæ adiacet, vnde & nomen habet, horreum noſtrum eſt. Sed quanquam ſola hæc feliciras nobis defuit, quod crebræ erant pluuiæ: Sperandum eſt tamen DEum optimum maximum gratiam ſuam pluuia influxiſſe. Ne altercatio aliqua ſuboriretur, omnia acta ſunt feliciter & tranquille, non ſine ingenti gaudio ac tripudio. DEus optimus maximus faxit, vt is conuentus exemplo ſit omnibus Chriſtianis Principibus, quo redeant in mutuam vnionem ad concordiam, ad extirpandum fidei hoſtes, & vt religio Chriſti longius, latiusque per vniuerſas illas nuper inuentas regiones propagetur & extendatur, ac ſemen Mahumeti exſcindatur radicitus & euellatur, vt vno ore omnes laudes altiſſime decantemus, per vniuerſum dicentes:

Tu ſolus Dominus, Tu ſolus altiſſimus, JEſu Chriſte, Amen.

HODOE-

p.321

HODOEPORICON,

id eſt, Itinerarium

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI, D. MATTHÆI S. ANGELI CARDINALIS GURCENSIS, COADJUTORIS SALTZBVRGENSIS, GENERALISQUE IMPERII LOCUMTENENTIS: QUÆQUE IN CONVENTU MAXIMILIANI CÆS. AUG. SERENISSIMORUMQUE REGUM, VLADISLAI, SIGISMUNDI, AC LUDOVICI, MEMORATU DIGNA GESTA SUNT, PER

RICCARDUM BARTHOLINUM PERUSINUM EDITUM.

JOANNES DANTISCVS

Ad Lectorem.

QVANTUM res veræ fictis præſtare videntur,
Hoc recto doctum tramite pandit opus.
Non hic Cretenſis Jouis incunabula, non hic
Quæ ſunt de ſuperis plurima ficta leges.
Semicapros faunos, Satyrosque fuiſſe bicornes
Quis credit? vel tot turpia monſtra DEum. *Figmenta Poëtarum.*
Non raptum Stygii prædonis, Apollinis ignes
In Daphnem, Martis nec Veneriſque thorum.
Non Diomedis equos, non illum Græcia mendax
Quem fert Troianas fraude ſubiiſſe fores.
Hicque nec inuenies perplexa ænigmata Sphingos,
Nec quæ de Nihilo fabula longa datur.
Hiſtoriam nuper conuentus at iſte probatam
Cæſaris & Regum facit in orbe trium. *Cæſar. Reges.*
Vidimus hic Annam, qua totus nil habet orbis *Anna Imperatrix.*
Pulchrius, Hunniaci eſt hæc decus vna ſoli.
Hanc ſibi, vel charo conſeruat forte nepoti
Cæſar, & eſt magno digna puella Joue. *Maria Regina Hungariæ.*
Vidimus & Mariam, pulchris æquanda deabus,
Eſt ſiquidem, & primas inter habenda deas.
Cæſaris hæc neptis Regi Regina futura eſt,
Annis qui in teneris iam duo regna tenet.
Vidimus Heroas ſacros, Proceresque, Ducesque,
Clarorum paſſimque agmina multa virûm.
Tot gemmas, torques, phaleras, radiantiaque arma,
Tot mores, tot habitus, ingeniique vices.
Tot ludos etiam, ſpectacula pulchra, Triumphos:
Et quæ non ætas viderat vlla prius.
Cuncta vt conſpexit, Riccardus ſcripſit ad vnguem, *Riccardus Bartholinus.*
Delicium certe poſteritatis erit.
Seu ſtricto incedit Vates pede, ſiue ſoluto
Orator, nemo cultior eſſe poteſt.
Hoc iter vt duxit Princeps Gurcenſis ab vrbe *Cardinalis Gurcenſis.*
Auguſta, videas, geſtaque cuncta lege.

Tunc

Tunc primum dices, viuas, pater inclyte, viuas,
Cardinei ſpecimen viue decusque chori.
Et merito laudes vni huic ſunt vndique dandæ,
Omnis nam ſuerat fons & origo boni.
Solus hic inflexit ſenſus, Regumque potentum
Pectora, multorum cordaque dura virûm.
Chriſticolis ſolus diuino numine fultus, p.322
In terris pacem poſt fera bella dedit.
Huic ætas debet præſens, & poſtera multum,
Tempore quod paruo commoda magna tulit.
Per quæ nunc noſter recte componitur orbis,
Ex omni cedit parteque Martis amor.
Et crucis infidos propere ducetur in hoſtes:
Qui, Jouis hinc quid ſint, experientur, Aues. *Aquila.*
Fœderis hic formam noſces, pactosque hymenæos,
Cunctaque conuentus iſtius acta ſcies.
Nil ſinit intactum veri quod res habet in ſe:
Ante oculos plane ſingula geſta locat.
Res ſcitu digna eſt, nec enim reor eſſe, poteſt nec
In toto quicquam gratius orbe legi.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO, D. BERNARDO SANCTÆ MARIÆ IN PORTICU DIACONO CARDINALI, DOMINO AC BENEFACTORI COLENDISSIMO, RICCARDUS BARTHOLINUS MANCIPIUM, FELICITATEM OPTAT.

ANCEPS *eram Reuerendiſſime Domine, Cui mearum lucubrationum munus dedicarem; ſed cum Reuerendiſſimus Gurcenſis numen meum, & tua Reuerendiſſima D. amantiſſimus, pomeridianus cœnaret, atque diuinas tui laudes vberrime extolleret, in quas volens inciderat, & inuitus ab iis retrahi videbatur, arbitratus ſum, & illi, ſi hæc ſub auſpicio tuo ederentur, gratiſſimum fore; & tibi, quem gloria rerum ab ipſo prudenter feliciterque geſtarum, ſummopere lætari puto, non iniucundum. Accipe igitur Reuerendiſſ. Gurcenſis Hodoeporicon, ac Maximiliani Cæſaris ſemper Auguſti triumque potentiſſimorum regum Vladislai, Sigismundi, Ludouici, conuentum memorabilem, rerumque magnarum ſeriem, ita breuiter à me exaratam, vt nec diſpendium operis faſtidire poſſit, nec noſcendi cupidos damnoſa offendat concinnitas. At in quædam diuerti, qua ſi auribus tuis digna videbuntur, de reliquis quoque benemeritis exiſtimari potero. Illud autem mihi ſuauiſſimum erit, Te in hoc libello, in quem nihil perperam (niſi fallor) congeſſi, reperturum eſſe, quanta ſcilicet Reuerendiſſ. Gurcenſis induſtria, prudentia, animique excellentia extiterit, quotque is etiam cum terra, tum aquis labores exantlauerit, quoties æſtuarit, alſeritque vt tanti Imperatoris, tot Regum fœdus, affinitatesque coniungeret. Quæ quidem & ſi propter rerum magnitudinem prius agre credebantur, nunc, cum tuo conſecrata nomini, prodeant, puto & æuo noſtro, & apud poſteros, cum ſincere à me ſcripta ſint, fide omnino non caritura.*

CONSVLTVM mihi fuiſſet ſatis ex ſententia, ſi ea, quæ obiter, atque ſubciſiuis (vt aiunt) horis collegi, tam præcoci fœtura minime prodiiſſent. Optabam enim, vt cum primum meorum temporum anguſtiis paulo laxius ſpatium datum fuiſſet (id enim tantæ rei magnitudo, quam vix animo complector, expoſcere videbatur) & vtbaniora & ampliora efficere. Verum cum inquies,

quies ſit animus & ponderis tanti impos, malui hæc breuiter, atque conciſe, potius quam nunquam quod ſtylo facundiore aſſequi cum laude non poſſem, in lucem dari. Nam quis Cardinalis Gurcenſis labores, induſtriam atque animi magnitudinem merito proſequetur? Quis Maximiliani Imperatoris, Pii, Felicis triumque potentiſſimorum Regum, Ducum, ac Principum virorum conuentum, ſatis feliciter mandabit poſteritati? & quoniam à remotis recedendi conſilium eſt, hinc auſpicabor. Vladislaus Pannorum Rex cum ſibi non ſolum beneuolentia, ſed etiam affinitate Cæſarem coniunxiſſet, reliquum erat, vt non ſolum hæc Cæſaris præſentia confirmarentur, ſed etiam fratris Sigismundi Sarmatiæ Regis, in quem Cæſar hoſtilem animum iam præ ſe tulerat, partes mitiores fierent. Is ergo cum Cæſarem demulſiſſet, atque in ſuam quodammodo traxiſſet ſententiam, fratri ſignificauit, quam primum in Pannoniam, vt illic de rebus ſuis cum Cæſare ſermonem haberet, proficiſceretur. Fore autem ſperabat vt & Cæſar veniret, & firmiſſima impoſterum inter eos amicitia abolitis, ſi quæ prius minus grata interceſſerant, oriretur. Hoc cum à fratre Si-
p.323 gismundus Rex (Vilnæ quæ Lituaniæ, vaſtæ (vt aiunt) prouinciæ metropolis eſt, morabatur) accepiſſet: Cracouiam verſus, oppidum ad Viſtulam eundi conſilium cepit, quanquam nonnulli erant qui, ne id faceret, diſſuaderent, arbitrantes (quod etiam Mathematici quidam prædixerant) Cæſarem vel nunquam vel ad longum tempus viſurum. Cumque hinc inde ſententiæ proferrentur, magnanimus Rex ſic dixiſſe fertur: *Quo nos cumque vocat fortuna DEusque ſequamur. Nam Cæſarem videre omnino decretum eſt.* Nec mora, ex Sarmatia Pannoniam verſus iter, de quo alibi ſcriptum eſt, cepit. Id quod cum Cæſar intellexiſſet, Reuerendiſſimum Cardinalem Gurcenſem (ipſe enim magnis negociis, quo minus iret, retinebatur, vt Reges in Pannonia conueniret, atque cum iis vt plane ſibi mandauerat decerneret) deſtinauit. Simulque ei ſex præſtantiſſimos viros adiunxit, Marquardum præpoſitum Bambergenſem, Wilhelmum de Rogendorff, Laurentium vicedominum Auſtriæ, Joannem Mareſcam, Cuſpinianum Doctorem, Gabrielem Vogt; qui quidem, ſi quippiam, quo Gurcenſis minime vt illuc proficiſceretur, obſtaret, nihilominus ſolertiore quo poſſent cura apud reges negocium tractarent. Iis itaque rebus apud Cæſarem compoſitis Gurcenſis Auguſtam, vt inde per Lycum, ac Danubium, poſtea in Pannoniam nauigaret, profectus eſt.

Tertio Idus Februarii Auguſta Vindelicorum diſceſſimus, primaque noctis (vt aiunt) face Sanctum Leonardum Bauariæ, multi nominis pagum, venimus. *Ædes S. Leonardi.* Poſtero die ſatis mane Eccleſiam ingreſſi ſumus, vbi cum multa catenarum genera, pedicas, manicasque, ac ferreas imagines contemplarer, admiratus ædituum, num illic fatui catenis vincirentur, interrogaui, *Minime*, inquit, *ſed diui Leonardi, cui templum dicatum eſt, Numen eſſe, cui vincti catenis votum faciunt, liberati perſoluunt, relictis ærumnarum monimentis poſteritati.* Inde Neoburghum, vento, pluuiaque laceſſiti petiuimus, obuiam præſtantiſſimi adoleſcentes duo Roberti comitis Palatini filii, venerunt. *De filiis Roberti Comitis Palatini.* Equi cum ad hoſpicia diuertiſſent, nos omnes vna in arcem recepti ſumus, vbi & cœnauimus, & prandimus laute. Adoleſcentulorum qui maior natu eſt, alteri Otho Friderico nomen eſt, alteri Philippo, ſed vt maior facundior, alacriorque, ita minor (quod immatura fortaſſe ætas facit) parcior in loquendo, remiſſiorque videtur; tamen vterque indolis egregiæ, & qui etiam ſi non noſcerentur, principum filii videri poſſint, addo eis non vulgarem educatorum curam iniunctam. Quanto enim fideliſſimus quisque auo parentique in pace, belloque fuit, tanto eorundem recordatione venuſtiſſimis adoleſcentibus impenſius fideliusque & incumbit, & conſulit. Itaque cum iam dies diluculaſceret, qui ſeruitia habebant, naui vna cum Gurcenſi per Danubium vecti ſunt, reliqui in equis, terreſtri itinere Ingolſtadium (*Auripolim* elegantiores dicunt,) peruenerunt. Cum oppidum

oppidum ingrederemur, Gurcenſis aduentu tanta oppidanorum excitata lætitia eſt, vt omnes per vias compendiaque agminatim currerent, nec multo, poſtquam ad hoſpitium diuertimus, nunciatum ſuit Gymnaſiarcham cum maxima vi & doctorum virorum & ſcholaſticorum, aduentare. Datus illi dicendi locus, qui oratiunculam, plane (vt verum fatear) deſertam, ſed diſertam volui dicere, habuit. Palinodia Epiſcopo Acerrano viro ſatis facundo iniuncta eſt. Ii paulo poſt cum abiiſſent, Principes duo Brandenburgenſes, qui literis illic operam dabant, Cardinalem (vt de eius aduentu congratularentur) adierunt, á quo ſumma hilaritate, vt ſuus eſt mos, excepti diſceſſere. Poſtridie eius diei conuiuium peractum eſt, diſertiſſimus ac nobiliſſimus quisque accerſitus, inde itum ad choreas. Ego, quia non niſi emiſſitiis (vt aiunt) oculis fruor, abeundi conſilium cœpi. Itaque diem integrum hic morati ſumus, expectabamus enim cæteros aulicos, qui poſtridie quam nos diſcederemus, ad nos Auguſta per Licum nauigarent. Qui cum equis caterent (omnes enim nobiſcum ductati fuerant) trabibus, quas ligneis cuneolis pangunt, nos *rates* appellamus, vecti ſunt, frigus ſatis acre erat, ventorum flatus increbreſcebant. Ii ergo vix Auguſta ſoluerant per Licum nauigaturi, cum vel pondere, vel quod tenui aluco fluuius laberetur, ratis vado hæſit, diuque remulco colluctati tandem in altiorem aquam ratem impulere; paulo poſt nautarum incuria, cum ſub pontem veherentur, ratis ſublicibus impacta fatiſcit, tandem non citra periculum in tutum recepti ſunt. Nauigabant quamplurimi, ſed quorum meminiſſe eſt operæ pretium. Marquardus præpoſitus Bambergenſis, Georgius Sumer præpoſitus in Felchmarch, Joannes Langus, Joannes Schenck Cardineæ curæ præfectus, animæ, inter mortales candidiſſimæ, multique præterea alii quorum nomina recenſere longum eſſet, euaſerant illinc. Sed cum venti in horas increbreſcerent, validiusque flarent nautis contra nitentibus illis vrgentibus, impellentibusque in breuia & Syrtes, cum quid conſilii captarent, noſtri feſſi iam ac prope victi ignoratent; ſemimortui ad ripas tandem compulſi ſunt, vbi & aqua humecti & frigore pene exangues (aqua enim qua madidi erant, in glaciem vertebatur) ignes in ripa excitauerunt. Itaque paululum refoti, ad Veſtendorph (nos *occidentis villam* dicere poſſumus) iter pedibus arripuerunt, diuertunt ad Cauponem, domum occupatam reperiunt, nam intus cum nuptiarum choreæ (vt frequens in Germania vſus) ludos interpellare non ſine turbis poterant. Quippe pagani (multi enim illuc conuenerant) ſurdis auribus ſaltabundi, clamabundique verba noſtrorum audiebant: verum cum diu ſupplices viderent deliniti, è ſtabulo diſceſſerunt, mane autem exorto ſolis iubare, coacti ad aquas reuerti (carebant enim equis, vno excepto, qui propter frigus ſtrigoſior factus, vix pedibus nedum quempiam ferret, ſubſtinere poterat) per Danubium longe, quam prius fuerat curſu feliciore ad nos peruenerunt. Poſtero die, crepero adhuc tempore, claſſico per Tubicinem pronunciato, pedibus alii, alii curribus vecti ad ripam Danubii conuenimus, rates ibi quam plurimæ (centum enim & quinquaginta fere homines eramus) in remis ſtabant. Gurcenſis vt eſt omnibus in rebus curioſus, nomina ſingulorum ſcripta percurrebat, rates patiebatur. Inſcendimus, à ripa ſoluimus. Inde exoritur clamor, tonſarumque ſtrepitus ita increbeſcebat, vt vtrinque latiſſimi fluminis ripæ longum vaſtumque reclamarent. Ego ad ientaculi horam (herili enim rate vehebar) tum matutino frigore, tum quia ieiuni non libenter verba damus, aut legi aut dormitaui. Interim menſa concinnatur, recumbimus. Gurcenſis vt ſolers imperator ſuo conſulens exercitui, non prius in pugnam deæ Culinæ deſcendere voluit, quam totam aciem inſtructam videret. Cum ergo multos obtruncauiſſemus, ſatisque cruoris exhauſiſſemus, ad variam nos ludorum curam conuertimus, ii cartaceis ludis, ii taxillis diem tranſigere, alii calculis pugnare, alii ne inertia pigreſcerent, ſe ad remigantium laborem conferre.

Adlicorum naufragium in Lyco.

p. 324

Nauigatio Gurcenſis per Danubium.

Sic

Sic veſpera Regionem, quam nunc *Regenſpurg*, id eſt, regiam ciuitatem dicunt, applicuimus. In ripa epiſcopus Palatinus, cæterique vrbis principes viri præſtolabantur, ab iis Gurcenſis venerabiliter ſuſceptus, magna comitante caterua, vrbem ingreſſus eſt, de qua pauca hæc referre ſtatui. Oppidum eſt in Danubii ripa ſitum, in qua per longitudinem extenditur, intus domus ampliſſimas habet, ſed nunc (quoniam loci fortuna refrixit) vaſtæ ſunt propter inquilinorum inſolentiam, parietes domorum craſſiſſimi patentiſſimisque valuis, vt facilius mercium currus admitterentur, ædificati. Nullaque non domus eſt quæ non Sacello careat. Templa tamen & auro & argento opulenta, prætereunda cætera ſunt, illud recitabo. Templum eſt ad quod Gurcenſis ad veſpertinam orationem ſe contulit Diuo Amerano dicatum. Ingreſſus ego, contignationem templi admirabar, tholoque non citrà delectationem peruetuſto delectabar, parietes vtrimque illo picturæ genere ſimpliciſſimo ornati erant, moleſtia tamen affectus ſum quod Cantores, quibus muſica hoſtis erat accerrimus, nouiſſimam Diuæ Mariæ ſalutationem ita ſtrepero cantu inuaſere, vt tanquam pugnam initent vociferarentur. Peractis precibus altare viſendum acceſſimus. Argentea tabula ad poſteriora cornua ſita erat, quam ego Græcanicis illis comparo, tum figurarum vetuſtate, tum ſimplicitate quadam (nulla enim parerga viſebantur) gaudentibus, pretii profecto non parui. Præterea librum Euangeliorum literis pollicaribus vidi, aureisque pictutis apprime ornatum, quarum ætatem ego ad Euandrum & Aborigines retuliſſem, niſi flamines ab Arnolpho Imperatore, vt pleraque huiusmodi Clinodia (ſic enim templorum ſupellectilem nominant) donatum affirmarent, à quo & corpus Dionyſii Ariopagitæ ex Gallia illuc translatum (& ſi Galli omnino negant) aſſerunt, vbi Arnolphus quoque ſepeliri voluit, eiusque adhuc ſepulchrum ex lapide cernitur. Sancti Wolffgangi illic quoque corpus eſt, ſed miraculis non claret, vt alibi cui dicatum templum eſt, fabulam referunt. Ingreſſurum enim beatum Wolffgangum vrbem, aiunt vulgo interrogauiſſe, *vtrum corpus an miracula, poſt obitum mallent?* Ciues corpus elegiſſe, arbitrantes, absque corpore miracula nullibi fieri poſſe, illic ergo cum eius oſſa remanſerint, miracula alibi translata ſunt. Hæc retuli, vt cognoſcas quanto in fidei errore caliget humanum genus. Inde ad pontem qui ſuper Danubium eſt, viſendum perreximus, Ego, Epiſcopus Acerranus, Sperantius, viri ambo ad vnguem perfecti, Joannes Keller, Caſpar Lyſius poëta non vulgaris, ſciſcitati ſumus quis pontem ieciſſet. Relatum fuit Adrianum Imperatorem ædificaſſe. Nos cum in rei diſputationem incidiſſemus, neque quicquam certi afferre auderemus, nihilominus & vetuſtatem & longitudinem, admirati ſumus. Vndecim enim fornicibus conſtat: paſſus quadringentos & ſeptuaginta menſi ſumus, ex medio fere alius longoriis pons ad inſulam iacitur, quæ Danubio vtrinque alluitur. Hinc digreſſis nunciatum eſt, Gurcenſem viſum choreas iturum. Accurrimus, tempeſtiuique pone aulam ingreſſi ſumus,
p.325 in qua nobiliſſimæ quæque nuptæ, innuptæque puellæ conuenerant. Ego locum ad conſpicillum nactus, quantum per emiſſitios oculos licebat: omnes demolibiles videbantur, ſed vna mihi præ cæteris, nam & habitus adiuuabat, formoſior videbatur. Erat enim breuiſſima coma, quæ vix medium collum flagellabat compta in modum capilli torquebantur, ſuper iis Corolla odoratiſſimis herbis contexta pulchritudinem augebat. Vultus modo puellæ, modo Ganymedis, aut alicuius non proletarii pocillatoris repræſentabatur. Quam ego cum multum oculorum nictatione laceſſiuiſſem, abii domum: & mihi, quia iam vox in Merim deficit, & Veneri, quæ non multum mihi propitia eſt, iratus ſum. Veſpera autem, vt heſterna fueramus excepti, adipali cœna refecti ſumus, mane non ſatis luceſcente die ſurreximus, reſtimque ſoluimus, quadragintaque paſſuum millia permenſi Stranburgio applicuimus, oppidum eſſe mercium diues, quæ ex Boemia illuc aduehantur, dicunt. Inde tertia vix hora peractis ſacris nauem ingreſſi, nauigationem illius diei Petauium vsque, quod

Gurcenſis ingreſſus Ratiſponæ.

De Ratiſbona quædam.

S. Hemerannus.

Stranburg.

Paſſerv.

ego ab auium volatu (nam vrbes olim augurio condebantur) dictum puto, ſexaginta millia paſſuum confecimus, multa nauigantibus nobis oppida, villæ, arcesque, vel in ripis, vel in collibus poſitæ occurrerunt, quorum nomina recenſere arduum eſſet. Petauio autem non longe aberamus, cum præſtantiſſimi viri naui (arbitror flamines metropolitanæ fuiſſe) medio in flumine occurre-

Gurcenſis ingreſſus Petauii.

re; quos, vt eſt omnium mortalium elegantiſſimus, Gurcenſis pacatiſſimo vultu excepit. Nec mora Epiſcopus, quem ego optimum virum iudico, oppidanique, vt tanti principis aduentu læticiam oſtenderent, & ab arce, quæ in monte ſiniſtra nauigantibus occurrit, & à mœnibus crebros bombarum tonitrus emitti iuſſerant. Applicanti ripæ totus occurrit populus. Epiſcopus homo iam ſilicernius, domi ante fores, præſtolatus, à quo Gurcenſis perbenigne excipitur.

Petauii deſcriptio.

Nos alibi ſtabulatum diuertimus. De oppido hæc memoratu digna habeo. Situm eſt inter duo flumina, Danubium & Ænum, quorum alterum fluit ex leni iugo, cui Abnobæ nomen eſt, alterum ex penitioribus alpibus, & vtrumque ex Rhætia oritur: tertium ex Boemiæ montibus deſcendit, quod, quanquam vadabile, tamen ad materias mercesque vectandas aptiſſimum eſt. Oppidum ergo & ſi Cherſoneſi inſtar à fronte, dextera læuaque munitiſſimum ſit; tamen è regione vltra Danubium munitiſſimam habet arcem, infra autem per ripæ longitudinem ſitæ domus, ad quas æſtate lembis transfretatur, hyeme cum acris eſt, per glaciem itur. In Æno vero pons iactus eſt Semilunio ſimilis, arbitrantur enim ſic maiorem aquarum impetum frangi poſſe. Ad alteram ripam cum euaditur, haud enormibus vicis domus porrectæ ſunt. Itaque fluuiorum interuentu cum ſimul ciuitatis eſſe nequeat, trifariam diuiſa incolitur. Illinc crepuſculaſcente iam die, ientaculum matutinum deglutientes, abitionem ca-

Lynxum oppidum.

peſſimus; ſexagintaque millibus paſſuum confectis, oppido Pannoniæ ſuperioris, quam à Norico Ænus diuidit, Lynxo appulimus. Quod tum Auguſtiſſimi Friderici Imperio, cuius auſpicio feliciter creuit, tum quia illinc temperie aëris atque vbere glebæ Auſtriæ fertilitas incipit, celebratum. Gurcenſis itaque ibi vt Genio, Bacchoque lætitiæ datori habenas ſolueremus, iuſſit. Peractis igitur vix illuceſcente die ſacris, ad ſuum quisque Cauponem diuertit. Inde ad choreas de more itum eſt, ad quas nobiliſſimæ quæque, aduentum principis excepturæ, conuenerant. Jurarem me nullibi formoſiores, ornatioresque vidiſſe, multi ex Aulicis, nobili prognati genere emiſſiciis vultibus perſonati interfuere, omnes verſicoloribus, quæ vnius diei intercapedine confecta fuerant, ſatis ornatiſſimi proceſſerunt. Poſtridie gallicinio per tubicinem excitati, ad triremes (ſic enim codicarias trium remorum naues appello) cucurrimus, nec

Laureacum.

mora à ripa ſoluentes, dextra cum Laureacum peruetuſtum ſane oppidum reliquiſſemus, ſatis felici curſu ad infamia fluminis loca peruenimus, de quibus

Scylla & Charybdis Danubiana.

breui hæc accipe. Duo pericula nauigantibus offeruntur, in altero per confragoſa ſaxorum ingentiſſimo fremitu vnda rapitur, infra enim tæniæ cautesque tam crebri ſunt, vt niſi expertiſſimus loci nauta ſit (capitur enim vnus vel alter ex oppido Grayno, quod paulo ſuperius in ripa offenditur) ignari nauigationis aliquando periclitentur. Scyllam hanc latrantem cum ſuperaueris, in Charybdim vt incidas neceſſe eſt, vbi non leuius periculum exantlandum obiicitur. Rotatur enim aqua, immo totum flumen, maximumque in profundum mergi videtur, ſimilisque turbini tempeſtuoſo vortices volui, panduntur enim à principio turbinatimque in imo deſinunt, nec vno in loco ſæuiunt Syrtes, ſed vnus ex alio vortex ſubinde naſcitur, creſcuntque in immenſa aquarum volumina, factumque ſæpiſſime periculum eſt rapidiſſimæ voracitatis, iacta ſiquidem repente abſorbentur, nec poſtea apparere vsquam manifeſtum eſt. Hoc & ſi alias, elapſo tamen anno, cognitum fuit. Cum enim nauis, in qua viginti fere ho- p. 326

Mira Gurcenſ. in aulicos ſuos dilectio.

mines vehebantur, incaute illuc incidiſſet, abſorpta eſt. Quæſita corpora diu fuerunt, nusquam inuenta. Nos igitur cum prope eſſemus, multi Gurcenſi, vt ripæ appelleret, conſuluerunt. Is quoniam & ſuos non vulgariter diligit,

ne

ne tantiſper iis qui formidare occeperant, maiorem, è naui ſi deſcendiſſet, pauorem incuteret, & quia Cæſarem illac nauigaſſe quandoque non ignorabat, renuit periculum ſeorſum à ſuis fugere, quod tantus princeps minime vitauerat. Tandem DEI Opt. Max. & Diui Nicolai, cuius in ripa Sacellum eſt, ope incolumes euaſimus, acriterque remis incumbentes (mirum dictu) nonaginta paſſuum millia nauigatione confecimus, Sthanioque oppido, quod à petra ſic dicitur, appulimus. *Stain.* Gurcenſis à ſorore, quæ illic ditiſſimo viro nupta eſt, excipitur. Epiſcopus Acerranus, Ego, cæterique flamines ad caupones diuertimus. Interim ſaltationes, & veſpere, & mane exorto ſolis iubare, actæ ſunt, peractoque matutino ientaculo nauem ingredimur, exortoque de more nautico cantu remiges palmulis incubuerunt. Veſpere non adeo multo Neuburgæ applicuimus, vbi ditiſſimo in templo corpus Diui Leopoldi Auſtriæ Ducis colitur; *Diuus Leopoldus.* quod decennio iam peracto à Mariano Bartholino patruo meo ex humili ſepultura, ad ornatiſſimum Mauſolæum translatum eſt. Eius ſiquidem caluitium in quadricubitali defæcati argenti arca conditum, maximis claret miraculis. Illic Gurcenſis hoſpitio exceptus eſt, nos alibi diuertimus. Poſtridie mane cum penitas (vt aiunt) offulas ſumpſiſſemus, Viennam verſus quæ duobus paſſuum millibus aberat, nauigationem coepimus, vbi appulimus ad ripam, tanta vis populi effluxit, vt longe ſpectantibus admiratio ingens oriretur. *Gurcenſis ingreſſus Viennæ.* Gurcenſis nauim egreſſus, magno cum tympanorum ſtrepitu, tum innumerarum gentium plauſu exceptus eſt. Nec mora: trium præſtantiſſimorum virorum orationes recitatæ ſunt, quibus tanti principis aduentu congratulabantur, peractoque excipiendi officio, Gurcenſis Cardineo paludamento equo vectus, ingenti mortalium multitudine vrbem ingreſſus eſt. Die iam adueſperaſcente, cum nos viles animæ ad hoſpitem diuertiſſemus, Dii boni, quam inſolens domus viſa eſt hoſpitandi, Axenia illic tunc celebrari arbitrabar, algebant omnia, hypocauſtum quod multo ante dilapſum erat, inuerecundus hoſpes reſarciebat; nobis autem quid agendum interim eſſet, niſi in Xenoprodromos * noſtros maledicere, neſciebamus; qui cum omnium bipedum ſceleſtiſſimi ſint, tunc ſe bene egregieque egiſſe, cum peſſimam quamque nauant operam, credunt. Sed huiusmodi à me querimonia abſit, cum iam in malis ſupra quam dici poſſit, occalluerim. Poſtero die, pomeridianum (vt arbitror) tempus erat, Rector ſtudii, quod illic celeberrimum eſt, magna ſcholaſticorum manu, aduentare nunciatur. Gurcenſis habitu de more ſumpto, pacato illos vultu excepit, pauxilloque temporis interiecto, Sebaſtianus Binderlius orationem habuit Encomaſticam, non indigena, vt illa in regione animaduerti poteſt, prolatione recitatam: vnde ego de Germanis ita coniicere (ni fallor) audeo; Eos Romanis prope oratoribus ſimillimos eſſe. ** furierer.* *Orationes in laudem Gurcenſis habitæ.* Conciliant, præponunt, diuidunt, argumentantur quam ſatis erudite; ſed ita copioſe, vt Aſiaticis potiusquam Atticis comparandi ſint. Idem etiam nunc de Latinis oratoribus ſentio. Nam appoſite, eruditeque dicere difficile eſt, quid opus ſit intelligimus, vt dicere debeamus, neſcimus, præſertim, cum nobis anguſtiſſimi termini præfixi ſint. Principes enim hac tempeſtate non digreſſionibus cultuque, ſed crebris delectantur ſententiis, breuique rem tranſigi, etiam ſi ſuas ipſorum laudes complectatur oratio, deſiderant. *De impatientia Principum in audiendo.* Si antiquorum præceptis inſiſtimus illamque Ciceronianam lecythum ſectamur, Principes aut aliud agunt, aut dormitant, ſi conciſius dicendi genus cum noua quædam nobis præcepta iniunxerint, aut nos ignorantia peccamus, aut ſi quippiam boni dicimus, quia dictum breuiter ſit, ieiunam fuiſſe orationem dicunt, ſed vt ad inſtitutum redeam. Orationi cum epiſcopus Acerranus vir culti ingenii breui reſpondiſſet, diſceſſere. Paulo poſt præſtantiſſimorum virorum de adminiſtratione rerum Auſtriacarum conſilium habitum eſt. Poſtero die, ſole iam exorto, diui Stephani templum petiuimus, vbi peracto ſacro altare tum argenti aurique facti inſectique varietate; tum multarum reliquiarum (vt nunc aiunt) genere refertum admirationi omnibus fuit. Ve-

rum cum tot ex Auſtriaca domo Duces, Imperatoresque animo complector, inde & ciuitatem, de qua alii multa retulere, & templorum ornatum tantopere auctum eſſe crediderim. Quod & ſi à priſcis factitatum, ætate autem noſtra ſub duobus Cæſaribus patre & filio cognitum eſt. Nam Fredericus cum ſibi Mauſoleum ante obitum condere iam incepiſſet, morte præuentus, opus inchoatum perficere nequiuit: Diuus Maximilianus cum viginti annos prope labor intermiſſus nunquam fuerit, non ſine omnium mortalium admiratione perfecit, de quo pauca, vt quanta de ſe poſt mortem cura ſit mortalibus, cognoſcas, recitabo. Sepulchri opus quadrangulare eſt, longitudine vlnarum quinque, latitudine fere dimidia, in ambitu ſeptum bicubitale æquis ſeneſtrarum interuallis opus amplectitur. Quod vbi primum ab imo ſurgere incipit, latius eſt, arctaturque tenditque introrſum quatenus ad Cippum peruenit vbi corpus conditum eſt, ſurgitque læuiſſimo marmore, quoad coronam lapideam offendit, quæ altrinſecus porrecta ſepulcrum ambit, in inferiore baſi quaque verſus multigenæ animalium figuræ in concauo lapidum, quod per ambitum ducitur, inſtar ludentium videntur. Supra mirabiles innumerabilium Sanctorum effigies. In angulis autem exporrectisque in latere lapidibus, Electorum principum Germaniæ imagines ſunt; à ſummo, imoque ſcalæ lapideæ, quibus cum ad faſtigium Mauſolæi peruenitur Friderici Auguſti Rom. Imp. corpus lapideum iacens, imperiali paludamento cotonaque ornatum viſitur, tanto artificio, vt ſaxo venerationem quandam habere quodammodo impellamur. Lapidis genus alibi Porphyriacum, venis tamen albicantibus, alibi Emathitem eſſe affirmares, ita ſanguinem repræſentare videtur. Supra pallentius eſt, ſed verſiculor, eruitur in Norico, in agro Juuauiano. Sed interim pauliſper iocari lubet. Templum exibamus, cum ego ſecundum valuas tumulum inſpicio, mihi, cuius nam eſſet, ſedulo percontanti ædituus reſpondit, *Neythartis oſſa illhic condita eſſe*. Redii domum, accurateque hominis vitam inquirens, vrbanum apprime, ne dicam facetum fuiſſe intellexi. Is cum apud Duces Auſtriæ ſummo eſſet in pretio, charus habebatur. Mos indigenarum erat, vt qui primus veris initio florentem violam reperiſſet, locum ſignaret, nunciaretque principi, hac ſcilicet gratia inſtitutum, vt omnes nuptæ innuptæque puellæ, ac glabella iuuenum pubes choreas ductantes, ad locum proficiſcerentur, vbi ſolutis paululum curis lætitiæ Bacchoque effuſiſſime indulgerent. Neythart ergo, cum violam reperiſſet, pileo cooperuit, feſtinusque vrbem ingreſſus Principi, ſe violam repperiſſe nunciat. Nec mora, ingens virorum fœminarumque vis ad locum confluit. Interim paganus quidam cum pileum inueniſſet, agnouiſſetque primitias veris, flotem ſubſtulit, locumque probe excacauit, pileoque iterum operiens, abiit. Jam Viennenſis iuuentus aderat lætabunda; iam circa pileum ſaltare inceperant: cum detecto loco, pro violâ flos merdaceus inuentus eſt. Riſus ſimul & indignatio orta eſt, omnes in Neythartem iniicere manus volebant, is ſibi fuga ſalutem comparauit, paulo poſt cum rus iret, villanos repperit circum eandem violam ſaltantes. Agnouit ſuam eſſe, quare concitus indignatione, aliquot ex iis interfecit, ſumpſitque de furto ſupplicium. Ex illo inpoſterum tempore paganorum hoſtis accerrimus cum euaſiſſet, mira de eo ſabulamenta narrantur. Dicunt aliquando quosdam cum ebrios feciſſet, totondiſſe illis crines ad monachorum ſimilitudinem, & per Danubium, aliis in ripa paganis ſpectantibus, circumduxaſſe. Semel item ſumpto muliebri habitu ad quendam pagum peruenit, nec multo poſt, quidam credens eum fœminam eſſe, in vxorem duxit, cum hac pacti conuentione, vt non prius ſecum cubaret, quam centum florenos ſibi tanquam Dotis auctarium, elargiretur; accepta pecunia, noctu auſugit. Perluſtrato igitur templo domuitionem capeſſimus. Interim cataphractorum militum ludi præparantur. Gurcenſis ad Reginam Mariam profectus eſt, quam Ludouico Bohemiæ regi nuptum iti credunt, arbitror nouennem eſſe, tamen tanta in puella grauitas eſt, tanta maieſtas, vt merito

De Mauſoleo Friderici Imp.

p. 327

Fabula de Neythart.

rito crediderim ab Heſiodo dictum eſſe, *ſub Ioue reges nutriri*, Dii non homines eos alunt, & aliquid, quid in nobis inter multos attributum non eſt, & doceent, & inſtituunt. Ex arce igitur regina in aureo pilento, Gurcenſis equo vecti, haſticis ludis interfuerunt. Prima cataphractorum paria ſatis militariter concurrere. Secunda autem, vel quod equi refractarii & habenis minime parerent, vel quod imperiti omnino eſſent, infeliciter pugnauerunt; hoc tamen boni nobis attulere, vt riſu effuſiſſimo ilia penerumperentur. Peractis ludis in arcem rediere, conuiuioque adipali celebrato Regina perſonata cum aulicis puellulis inceſſit; vnaque Cardinalis, vt tantulæ morem gereret ætatulæ, vultu etiam emiſſitio vſus eſt, ſaltauitque. Sequenti Luce pomeridiano tempore Vienna diſcedentes, ad laculum quendam peruenimus: ambitu mille paſſus excedere haud arbitror, in ripa piſcatores multos offendimus, qui ex induſtria propter principis aduentum retia iecerant, ad ſingulum tragularum tractum (mirum dictu) tanta earponum vis capta eſt, vt cimba ad ſcalmos vsque repleta fuerit. Inde Padium oppidum, quod à thermis nomen habet, peruenimus. Balneæ illhic ſunt ſuapte natura caleſcentes, ſed infeſtus ſulphuris odor eſt. Mane con-
p.328 fecto prandio, Nouam ciuitatem (viginti millibus paſſuum aberat) petiuimus, oppidum ſatis celebre: tum quia à Matthia Pannonum Rege diu obſeſſum, nunquam ad deditionem compelli potuit, quod fame victi oppidani (equos enim iumentaque exederant) æquis conditionibus ſe dedere coacti ſunt. Locus adhuc, in quo caſtrametatus eſt, memoriam tenet, ſiquidem duplici foſſa cinctus eſt, in medio veſtigium remanet, vbi ſubruta terra ſeſe à tormentis bellicis tuebatur, extra vallum ingens foſſarum numerus eſt, ad quas ſe milites recipiebant, relatum fuit mihi ſæpimento magnarum arborum oppidum, vt nec oppidani exire poſſent, nec quispiam commeatus ſubminiſtraret, circumualaſſe. Tum etiam quia natale Cæſaris Maximiliani ſolum eſt, ibi tanti principis prima fuere incunabula, vnde Numen adoleſceret, quod tam pie ſancteque Imperium Romanum gubernaret. Vrbis autem ornamento, etiam attribuerim aquam circum mœnia ſcaturientem, multigenumque piſcium altricem. Addo leporarium orcadum, Damarum, Ceruorum, hinnulorumque tam fertile, vt tertio quartoue quoque anno vim ferarum ſubcreſcentem eximere cogantur. Arx oppidi, & munitionibus, & aulis, contignationibusque inauratis, item penſili hortorum ſtructura, maxime celebris. Poſtero die cum illic moraremur, ocioſusque eſſem ego, librisque caretem, ad ludum eartaceum me contuli. Inde non immerito, de me coniecturam faciens, Romanos Bonam & Malam Fortunam coluiſſe, exiſtimaui: nam eam omnibus mortalium rebus dominari imprimis puto, huic ſi quid boni euenit acceptum referimus, ſi quid aduerſi contigerit, hanc ream facimus; hanc conuiciis inſectamur, ſic bona hominum pars fortuito fieri omnia arbitrantur. Ego autem vt quædam fieri arbitror, quæ ita ſunt vt à nobis, citra numinum curam fiant: ita non inficior ſecundas illas cauſas, quibus hoc munus infernarum rerum à DEO tributum eſt, plurimum pollere. Verum ea ita cœleſti animi vigore à nobis regi poſſunt, vt non illa nobis, ſed nos illis imperare videamus. Perendie omnes qui ad conuentum Pruchium Styriæ oppidum profecti erant, quoniam Gurcenſis cura rerum Vngaricarum diſtractus erat, Nouam ciuitatem venerunt. Poſtridie princeps Cardineo habitu decoratus eos in curia oppidi excepit, vbi de rebus arduis diſceptatum eſt. Conuenerant Auſtrales bifariam, infra ſupraque Anaſum fluuium diuiſi. Carenthani, Styrii, Carni, Hii quatuor ordinibus diſcreti erant. Primi qui Eccleſiaſticis dignitatibus honeſtabantur, Prælatos vocant. Secundus procerum locus erat, quos Barones vulgus dicit. Tertius gradus nobilium perſonarum. Vltimi ciues numerabantur, ſuæ quisque prouinciæ negotia pertractabat. Compluſculi dies conſultando conſumpti ſunt. Interim nuncium attulit Regis Pannoniæ camerarius, Vladislaum regem, Quarto Idus Martias ex Buda Presburgium (*Poſonium* eruditiores vocant) venturum. Quamobrem Gurcenſis pridie

Laus Mariæ Reginæ.

Gurcenſis ex Vienna egreſſus.

Baden Noua ciuitatis deſcriptio.

De Conuentu Auſtriaco.

Rex Vladislaus ex Buda Poſonium.

pridie Idus confecto prandio magnis itinetibus Viennam tediit, quam trecentis aut amplius equis ingreſſus eſt. In itinere, Dii boni, quam acri omnes algore affecti ſumus. Venti enim ita vehementes, ac (vt patriæ mos eſt) frigidi, per aliquot dies, turbas in aere terraque conciuerunt, vt domos quoque in pagis (ſunt enim cretaceæ) humotenus ruerent. Paulo ante maximum fuerat flaminum ſilentium, ſed duabus continuis noctibus terræmotus auditi ſunt. Dormitabam ego, vnaque in cubiculo Abbas etat non mediocriter obeſi ventris. Is noctu dum ad Matulam currit, pedibusque pauimentum grauiter ferit, ſimul terræmotus exortus eſt, omaſum (me caſtor) boni Abbatis, graui pondere, pauimentum concuſſiſſe affirmabam. Tamen mane auditos ab omnibus intellexi, tunc præſagiui futuram erumpentibus ex terrarum viſceribus ventis tempeſtatem, quæ tam ingens atroxque fuit, vt nos cum equis à ſtigore animam vix tueri potuerimus, per Deos iurauiſſem immortales folles Vlyſſis, cui Clypſo abeunti dederat, teſignatos fuiſſe. Sed (proh Jupiter) quantum homo homini præſtat. Beatiores petorita habebant, & geſtatotia operta, quorum velatura, perinde atque in cubiculo eſſent, ferebantur. Mane ex Lyſüs Dux Bartholomeus ad Gurcenſem profectus eſt, dum hominis fortunas inquiro, intellexi, in foto Julii Cæſariani exercitus Imperatorem futurum. Dii felix fauſtumque vortant. Nos ergo cum pluſculos dies Viennæ moraremur, Gurcenſis vt de aduentu maximorum regum Pannoniæ, Boemiæ, ac Sarmatiæ certior fieret, expectabat. Interim aulicos ornatiſſimis veſtibus concinnauit, mihi Vndulatam elargitus eſt. Perendie eius diei legatos quatuor, Marquardum præpoſitum Bambetgenſem, Maraſcam Boemum, Cuſpinianum virum literatum, ac Wolffgangum Hamętl Poſonium miſit; nam Vladislai, ac Ludouici regum patris & filii, aduentum intellexerat. Inde octauo Cal. Aprilis Sigismundus Sarmatiæ Rex cum ingenti apparatu pompaque, tum hominum tum equorum Poſonium ingreſſus eſt, de eo ſic accepi, à noſtris. Cum is mille fere paſſus abeſſet, Rex Vladislaus, Ludouicusque, pater & filius, Eſſedo, vt venientem exci- P. 329
peret, vecti ſunt extra vrbem. Pater quia iam ſenio confectus eſt, in curuli ſella permanſit. Filius equum aſcendit, priorque obuiam ſeſe obtulit. Sed antequam alter alterum alloqueretur, aberant adhuc longe, ex equis deſilierunt, multisque paſſibus, pedibus profecti ſunt, coeuntes tam arcte ſeſe inuicem complecti videbantur, vt maximam omnibus pietatem palam præ ſe ferrent. Inde ad ſeniorem Regem iunctim perrexere. Is filicernius admodum ex geſtatoria ſella, quam inſidebat, Fratrem ad ſe cum filio, aduentantem expectabat. Cum adfuit, Dii boni, qui amplexus, quæ gaudia fuerunt, quæ lachrymæ, non ſeni modo, verum & omnibus, qui aderant, exciderunt. Nemo enim homo, qui trium potentiſſimorum Regum præſentia non obſtupeſceret, tamque arctis complexibus fratrum pietatem animo complectens, non lachrymaretur. Vrbem autem ingreſſi ſic feruntur. Rex ſenior eſſedo vectus eſt, Frater & filius Reges, ante equis vehebantur, habitus diuerſiſſimi erant. Sarmatæ enim, Moſchi, Rutheni, Myſü, Lithuani, ſuis quisque paludamentis ornati, aut anteibant, aut ſequebantur, alii pennaculis ingentibus, alii inſulis vinatii quaſi inſtar, compti procedebant. Equorum Scythicorum, quique ex Mœſia aduehuntur, vis ingens, Qui prætioſe phalerati, margaritisque refercti ſaltabundi ducebantur: maior tamen ornatus iis in pectoralibus cernebatur, quæ vel aurea erant, vel argentea. Item focalia, quæ ſecundum aures vtrinque per maxillas ad faucium ima circumducebantur: mira (medius fidius) arte concinnata, equites mille & quingentos fuiſſe tradunt. Ita vrbem magna principum comitante caterua (quorum nomina alibi recitabo) ingreſſi, ſenior duobus regibus fratre & filio comitatus, ad regiam ſuam rediit. Filius Sarmatiæ Regem pattuum grato comitandi officio, domum vsque deduxit. Poſtridie cum hæc ad Gurcenſ. allata fuiſſent, comparatam quatuor nauium claſſem inſcendimus, nec dum ſole adueſperaſcente Hamburgio appulimus. Vaſtitas ſumma in oppi-

Gurcenſis legati ad Reges. De aduentu regis Sarmatiæ, & ingreſſu Poſonii.

Sarmatarum cultus.

Gurcenſis nauigatio ad Reges. Quædam de Hamburgo opp.

do

do eſt, domorumque æquiſolium paſſim viſitur. Narrant Matthiam Pannorum regem, diutina obſidione, cum in Auſtriacos ſæuiret, tandem potitum, ad tenuem fortunam locum redegiſſe. Arcem habet ſatis munitam, in arduo monte, qui oppido imminet, ſitam; quæ cum inter Auſtriam Pannoniamque fere media ſit, alterutros prohibet incurſus. Ab ea item mons parua abeſt intercapedine, in quo Zyziber paſſim naſcitur. Vix ergo Princeps ad hoſpitem diuerterat, cum Marquardus orator, cæterique qui vna iuerant, adfuere: quæ attulerant, de more, ſatis mature diſcuſſa ſunt. Mane ad multum diem, Poſonium verſus nauigauimus. Gurcenſi nauim Cardineo paludamento egredienti Ludouicus Boemiæ rex, Archiepiſcopus Colocenſis, Epiſcopus Quinque Eccleſienſis, Bosnenſis, Jaurinenſis, Vacienſis Pannones; Epiſcopus Vladislauienſis, Posnanienſis, Premislienſis, Sarmatæ; tum Pannoniæ, Boemiæque, tum Sarmatiæ primores viri quamplures obuiam ad ripam ſeſe obtulerunt. Archiepiſcopus Colocenſis, oratione ſatis erudita & graui ex equo Gurcenſem excepit. Rex Vladislaus articulari morbo afficiebatur. Tamen tanta diuerſarum gentium varietas fuit, vt mihi hæc recolenti, non ſatis omnia ex ſententia ſuccurrant. Aderant Germani, Pannonii, Sarmatæ, Tartari, Turcæ, Moſchi, & eorundem imprimis Æneatores tortilibus tubis aſperrime perſtrepentes; neque enim ditonum, aut diapente, theſſararunt, diapoſo intermiſtam, aut bisdiapaſo, cæterisque phonaſcorum voces concordiamque norunt, ſed primo per hemitonium inuicem certantes, rurſus à ſecundo hemitonio quatuor interualla aſcendentes, tanta candidarum aurium moleſtia, vt aliquando ſurdaſtrum me eſſe deſiderarem. Tradunt aliqui tale hominum genus ita efferatis eſſe moribus, vt perſtrepero clangore (& ſi omnem antecellere harmoniam credit) delectatur. Cæterum ſi hoc Joannes Manens, aut Abbas Elephantarca muſici Romanenſes potentes fuiſſent, longe melius quam ego, de refractaria illorum muſica iudicaſſent. Habitus præterea diuerſiſſimi, alii (vt dicebam) infulas candidas in faſtigium acuminatas geſtabant, alii pilea, quorum in frontiſpicio pennacula ad poſticam partem, vnius vlnæ latitudinis deflectebantur, alii pectoralibus à gula vmbilico tenus, vel argenteis, vel aureis (ita enim veſtium fibulamenta faciunt,) ornabantur. Quidam baltheos aureos, quibus enſes vaginis argenteis aureisque pendebant, qui à dextro humero in ſiniſtrum infra alam reflectebantur, geſtabant. At vero vbi cingendi locus eſt laminibus aureis graphice figurata imaginibus fabrefactis, gemmisque Scythicis cingula confibulabant, hii plerique omnes erant Sarmatæ. Moſcorum admodum non multi, quippe qui aderant, capti in bello ſerebantur, quod paulo ante Sigismundus fortiſſimus prudentiſ-
p.330 ſimusque Sarmatarum Rex, quem ego (vnum excipio Cæſarem) & vultus grauitate, & rerum geſtarum gloria puto comparandum nemini, fauſtiſſime glorioſiſſimeque ad Boryſthenis ripas geſſit, fluuium indigenæ Neper dicunt, qui ex iugis ortum habens, quæ Lithuaniam rubramque Ruſſiam interiacent, in Bycem paludem ſupra Tauricam Cherſoneſum deſcendit, incolæ ex plano oriri tradunt, neque vllos illic montes eſſe, quemadmodum etiam de Ryphæis mentita antiquitas eſt, qui illhic nusquam ſunt: Tanaimque ex latiſſima planicie oriri manifeſtum eſt. In eo igitur bello (vt mihi ab his qui interfuerunt, relatum eſt) Moſcorum pluris triginta millibus deſideratos fuiſſe, Sarmatarum pauci ceciderunt, tamen tam populoſa regio vt tanquam nullam acceperint cladem, nunc nouum parare exercitum, nouas copias vulgo ferantur. Adde quod nulli liberi naſcuntur, omnes enim ab Imperatore ſeruitiorum loco habentur, nihil certi habent, neque vitæ, neque peculii: nam ſi Imperator cuipiam vt ſeſe ſuſpendat iubet, ſine mora mandatum perficit. Si facultates alicui demere vult, poteſt. Itaque tum obſequio, tum regni amplitudine potentiſſimus Scythicarum gentium eſſe dicitur. Gurcenſem ergo vrbem ingreſſum iunior Rex Ludouicus, ingensque & Prælatorum & principum numerus, pone, antequeque, ſed à leua Rex domum vsque comitatus eſt. Nos ad hoſtilem domum diuerti-

Gurcenſis ingreſſus Poſonii.

Pompa in excipiendo Gurcenſ.

Habitus Sarmatarum.

Regis Sarmatiæ victoria de Moſchis.

Non eſſe Ryphæos.

diuertimus, Dii boni ad quale conceſſimus ſtabulum, camera (vt coniicere poteram) aut hara extiterat, aut gallinœcium, grabatulum nullum, ne dum ſtibadia, aut anacliteria, niſi transuerſos à parietibus longorios, pullorum cubiculum, inſpeximus, tectum diuæ Arachnæ dicatum, pauimentum deæ Porcillæ grunienti inſeruiebat. Cœpimus cogitare, quid in tanta domus vaſtitate agendum eſſet. Fabri lignarii euaſimus, grabatulum compegimus, omnino haud ſane bonum, ſed pro conditione barbararum gentium, cubiculum Baſilice præparatum videbatur. Mane autem ad viſendum Vladislaum Pannoniæ Regem, qui (vt dicebam) podagricus, in lectica iacebat, Gurcenſis cum omnibus aulicis, qui & torquibus aureis & veſtimentorum ornatu elegantiſſimi erant, proficiſcitur. Quo cum ſine arbitris cum aliquandiu fuiſſet, nobis etiam adirus, vt tantum Principem videremus, conceſſus fuit. Facies venerabilis vltra modum eſt, rubicunda paululum, tantaque in eo grauitas, vt & ſi tantum virum minime noſceres, Regiam in eo maieſtatem omnino arbitrarere. Vt ſatis ſpectando ſumus exhilarati, diſceſſimus. Gurcenſis ad Annam Reginam Vladislai filiam (in regia enim domo morabatur) conceſſit, puella eſt annorum fere tredecim, flos ipſe, eximiæ pulchritudinis. Gurcenſis cum paulo longius cum filia, quam cum patre (quis enim diem anno longiorem non optaſſet) moram traxiſſet, domuitionem tandem capeſſimus. Perendie Sarmatiæ Regem adiit, qui vt Gurcenſis aduentum intellexit, ad regiæ fores proceſſit, venientemque) humano eſt vt vultu, grauique) excepit. Inde in aula publice Cæſareæ literæ recitatæ ſunt. Epiſcopus Premislienſis Vicecancellarius legit, Nomina quoque legatorum qui vna cum Gurcenſe erant, recitata, Marquardus præpoſitus Bambergenſis, Wilhelmus de Rogendorff, Laurentius Saur, Gabriel Fockt, Maraſca, Cuſpinianus, his peractis tempus vt ſecretius loquerentur deſtinauerunt. Interea aduentus Cardinalis Strigonienſis ſignificatur, Gurcenſis Ludouicusque Boemiæ Rex cum multis hominum millibus extra portam obuiam profecti ſunt, Sarmatarum ingens numerus velitum more clipeis breuiuſculis, lanceisque prælongis, præcurrebat. Nam eorum equi ad curſum velociſſimi ſunt, vtpote qui ex Theſſalia, Myſiaque, & Cherſoneſo Taurica (quanquam & in Lithuania, & aliis Sarmatiæ partibus naſcuntur) veniant. Principes, Duces, & quos Barones vocant, multi aureis veſtibus, latisque clauis ornatiſſimi incedebant. Quidam torques ingentis ponderis ex auro deferebant, alii tot gemmis micabant, vt noſtratia, (id eſt, Italica) præ iis omnino ſordeſcant. Verum noſtri aulici multo elegantiores (abſit verbo inuidia) videbantur. Nam & Gurcenſis quadringentos ſecum viros habebat, quorum prima claſſis in prælatos diuidebatur, ſecunda in Comites, tertia in Barones, quarta in nobiles, quinta patritios continebat, deinceps mira ordinum obſeruantia, ii tanto ornatu, tanto cultu viſi ſunt, vt & Pannonii & Sarmatæ, qui præ cæteris mortalibus cultiſſimi videri volunt, non citra admirationem intuerentur. Taceo veſtimentorum genera, vel aurea, vel ex plumatili ſerico concinnata, taceo aureos torques millosque precioſiſſimos, Vnionum, Adamantium, cæterorumque huiusmodi lapillorum beatiſſimam copiam; verum moribus, vitæque elegantia, atque vrbanitate cæteris facile præſtabant. At ſi de aliis quoque iudicandum eſt, Sarmatæ & literis & moribus cultiſſimi ſunt. Pannones multo aſperiores. Bohemi illos magno, ſed proximi interuallo antecellunt, cumque iis vt lingua, ita & moribus nullam ſimi-
p. 331
litudinem habent. Qui ad Pontum vergunt, vt Moſchi & Tartari, efferatiſſimi omnium nomadum more, in campis ſub pellibus viuunt, crudoque animalium viſcere, ſed potiſſimum equorum pullis veſcuntur. Diu itaque extra portam & Gurcenſis & Rex Cardinalis aduentum Aquilone ſatis acri flante, expectauerunt. Venit tandem quadrigentis equis (vt coniicere potui) comitatus, ad portam Sacerdotes cum Vmbella expectabant. Cæterum Legatus tum propter Cardinalis Gurcenſis, tum Regis præſentiam, quominus ſubiret, abſtinuit. Ordo talis fuit, Legatus medius, dextera Regem, ſiniſtra Gurcenſem habens, vrbem

Gurcenſis ad Regem Pannoniæ.

Gurcenſis ad Regem Sarmatiæ.

Legatorum nomina.

Aulicorum Gurcenſ. Laus.

Iudicium de gentibus.

Strigonienſ. Ingreſſus Poſonii.

bem ingreſſus eſt, peractisque in Eccleſia, de more, ceremoniis, domum omnes redierunt. Nam cum Palmarum dies illuxiſſet, Gurcenſis domi manſit: Sarmatarum autem & Bohemiæ Reges, ad Legati ſacrum acceſſere. Poſtridie cum primo conſiſtorium inituri eſſent, à Legato Miſſa Sancti Spiritus ſolenniter celebrata. Reges, Gurcenſisque (ſacris enim interfuere) ad curiam Vladislai Pannoniæ Regis profecti ſunt. Qui quoniam pedibus ire non poterat, obuiam ſella ad gradus aulæ vectus eſt. Itaque ſic primum (quod ſauſtum, felixque ſiet) inter tot potentiſſimos Reges, Gurcenſemque virum intet mortales prudentiſſimum, conuentio habita eſt. Sequens dies, id eſt tertio nonas Aprilis, obnunciatum eſt, Bartholomæum Liſitam Imperatorem Cæſarei exercitus in foro Julii deſignatum (de quo ſcripſimus alibi) ſtrenuum virum, cum noctu à Cæſare per Danubium cymba nauigaret, ſubmerſum eſſe, nulli non euaſerunt, qui intra carinam fuerant: famulus arrepta tabula, & natando, & quorundam auxilio, qui ad voces adnauigauerant, euaſit. Sic mortalium cogitationes interrumpuntur, vereque de ipſo illud ex Menippæis mutuari poteſt, *Neſcis quid lucifer vehat.* Corpus autem diu quæſitum, nusquam repertum eſt. Sexto Idus Aprilis cum Dominicæ reſurrectionis dies illuxiſſet, ad ſacrum profecti ſunt. Vladislaum Regem ſella vectum, frater & filius, Sarmatiæ & Bohemiæ Reges, & Anna Regina pone ſequebantur, Gurcenſis propter ſellam incedebat. Intra templum ita conſederunt, Vladislaus primus ſedebat, ſecundus Sigismundo Regi, tertius Annæ Reginæ, quartus Ludouico Regi locus datus, longoque interuallo prælati ordinatim conſiſtebant, è regione Gurcenſi, Georgio Duci Brandeburgenſi, Archiepiſcopo Colocenſi, Epiſcopis Quinque eccleſienſi, Acerrano noſtro, Vacienſi, & pleriſque aliis locus ſignatus eſt. Pulcherrimum profecto tot Regum ſimul, tot Principum, Ducum procerum ac magnorum virorum tum ſpectaculum, tum pompa cultusque percelebris videbatur. Quæ ſi mihi aliunde relata fuiſſent, minime ædepol credidiſſem, tamen maiora fuere, quam vt à me ſcribi poſſint. Peractis ſacris, viri nobiles ex aulicis noſtris à tribus Regibus, aurati (vt aiunt) Equites creati ſunt, Joannes Schenck curiæ præfectus, Joannes Langus Gurcenſis frater, ſimulque duo Epiſcopi Saltzburgenſis affines. Sic ille dies feliciter exitum habuit: ſequentes conſultando transacti ſunt, & quanquam Sarmatiæ Rex ſummopere Cæſaris amicitiam deſiderat, tamen duo erant in quibus ambigua vtrinque deliberatio erat, in altero Pruthenorum, in altero Moſchorum ac Rhutenorum res verſabantur. Moſchorum autem belli hinc ſumpſit initium, Michael Hlinski Lituanus cum Sigismundum à Sarmatis Regem creatum intellexiſſet, Lituaniam occupare meditabatur, cuius conſilium Sigismundus cum præueniſſet, ad Moſchos fugit, huius poſtea ductu in Lithuaniam cum ingenti manu irrupere, qui circa Boryſthenem ingenti ſtrage profligati, pacem petierunt. Myſis autem (quos *Tartaros* appellamus) Sarmatas bello inuadentibus, oblitus fœderis Moſchus fidem rupit, magnoque exercitu ad vlteriores Boryſthenis ripas caſtrametatus eſt, ibidemque rurſus cum magna ſuorum internitione victus, nouum indies parare nunc bellum dicitur. Cæſar ergo cum Pruthenis, quia Germani ſunt, Moſchis, quia ii ſecum iuncti fœdere erant, deeſſe non poſſe videretur, rem maturo agi conſilio oportebat. Quarto Idus Aprilis curſus equorum celebratus eſt, diuerſarum gentium equi, velocipedes aderant, Theſſali, Turcici, Myſii, Moſcici, Jaziges, Germanici, victores Jaziges extiterunt. Poſtridie cataphractorum ludi, niſi, pluuia quæ hic diu perdurauit, obſtitiſſet, deſtinabantur: quid autem actum fuerit, ignoramus. Sequenti enim die Gurcenſis colligere ſarcinas iubet, transfretarique mane Danubium. Nam pridie à Regibus licentiam abeundi, grauibus negotiis interpellatus, acceperat. Reges vero, vt ſignum aliquod ſuæ ipſorum erga tantum principem beneuolentiæ præ ſe ferrent, dona vaſa aurea miro artificio fabricata, pellesque zebellinorum maximi pretii, quæ ex Rhutenis ac Moſchis aduehuntur, miſerunt. Sarmatarum autem Regi, equum ingentis magni-

Primum concilium.

Bartholomæi Ducis naufragium.

Reges Gurcenſisque ad templum.

Equites ex aulicis Gurcenſis creati.

Cauſa belli contra Moſchos.

Gurcenſis diceſſus à regibus. Dona Gurcenſi à Regibus data.

magnitudinis mutuo princeps noſter, qui muneribus cedit nemini, daturus ferebatur. Sumpto ergo ientaculo, rurſus Reges (nunquam enim ſibi in officio præſtando ſatisfacit) adeundos cenſuit, à quibus maximo ſui deſiderio, relictis p. 332
Cæſarianis (qui ſecum aderant) legatis diſceſſit, atque altero, poſtquam diſceſſeramus, itinere Hamburgium partim vehiculis, quorum vſus frequens in Pannonia eſt, partim equis peruenimus.

Poſtridiano diluculo, Gurcenſis ciſio, velociſſimo curſu, Viennám vectus eſt, qui Wilhelmum de Rogendorff, & Laurentium Sauer, vt ad Cæſarem poſtero die magnis itineribus proficiſcerentur, deſtinauit, iisque impoſuit, vt pro virili eius aduentum ſollicitarent, quem permagni referre putabamus, res enim grauiſſimæ incumbebant, tum Regum cauſa, qui tam diu Poſonii morabantur, tum tumultu iam in Carnis excitato, tertioque arbitror ſeruile bellum, niſi Cæſar Gurcenſisque prudentia ſubueniat, in quo prouinciales plurimum ſpei collocauerunt, oriturum. Siquidem primum in Pannonia ortum eſt, quod quoniam ſæuum atroxque fuit, facturum me operæ pretium, ſi tradidero memoriæ, puto. Pannones cum diutina grauique ſeruitute premerentur, quemadmodum iugum excutere poſſent, meditabantur. Cardinalis Strigonienſis cum populis cruciatam promulgaret, ad facinus iter præbuit, trecenti enim fere ab initio nomina dederant, ſed paulatim multitudo creuit Ducemque Georgium Zechelium elegerunt. Hic cum quater duello Turcas profligaſſet, propter res fortiter geſtas ſummo in honore apud Regem habebatur: ſed cum nihil mercedis ob exantlatos labores partasque victorias, à quæſtore, cui Rex mandauerat, percepiſſet, indignatus vltionem meditabatur. Paulo poſt regium exactorem, tribus millibus ducatorum arreptis, iter fecit, minatus etiam ſe Turcarum partes ſequuturum. Id cum Pannoniæ Rex inrelloxiſſet (nam is Belgradi arcis præſidium tenebat, vbi militum manus ad arcendos hoſtes ſemper excubabat) veritus ne Turcis regni obices aperirentur, illum ducentis ducatis, equisque duobus auro argentoque phaleratis donauit. Dum hæc aguntur, Selimus Turcarum Imperator, cum oratore Regis Pannoniæ fœdus iniit. Id cum Rex regnique Duces reſciſcerent rem occultare, atque in aliud tempus bellum in Turcâs ſuſcipiendum conſulere, animosque quantum poterant ab incepto retrahere. Verum qui nomina pro cruce Chriſti dederant, rem damnare, impiumque eſſe, nec dignum Pannonico nomini, niſi Chriſtum ſequerentur, aſſerere atque deinceps de iis, qui incepto obſtarent ſe ſupplicium ſumpturos palam dicere. Cum itaque nihil proficerent, cumque maximo odio inuidiaque prælatos, Principesque, à quibus ſæuiſſime expilabantur, proſequerentur, Georgium Ducem primo, deinde regem creant, creſcenteque indies ſeruitiorum multitudine Joannem quoque Georgii fratrem, Laurentium presbyterum hominem deperditum audaciſſimumque, ac fratrem Michaelem duces creauerunt. Hic mitis ingenii fuit, aſtu doloque inſignis, ii ergo validiſſimis copiis (octo enim exercitus fuiſſe memorantur) cum in Pannonia crudeliſſime graſſarentur, prædæ auiditate, quam quotidie exercebant, corrupti; arma, quæ contra Turcas à principio ſumpſerant, in viſcera patriæ conuerterunt, atque tam impie militiam exercebant, vt nobiliſſimis quibusque iugulatis, vxoribus liberisque necatis, bona diriperent, alii ſtupro virgines corrumpebant, maritisque palo affixis, vxores in conſpectu obſcœne permolebant. Epiſcopum Schinadienſem cum intercepiſſent, virum & prudentia & integritate memorabilem, palo per viſcera transacto necauerunt. Idem ſe & Strigonienſi, Quinque eccleſienſi Palatinoque, viris honeſtiſſimis facturos minitantes, in Regem minime ſæuituros affirmabant. Itaque quamplurimis deuaſtatis caſtris, regionibus depopulatis, innumerisque nobilium interfectis, animoſiores facti, Budam verſus copias mouerunt, vsque Danubium ad Peſtum oppidum caſtrametati ſunt. Budæ adeo tumultuatum eſt, vt ciues vrbem deſerere aliquando cogitauerint. Sed dum illi conſultando tempus terunt, Bornamiſſa cum omnes

Bellum ſeruil. Pannonicum.

Georgius Zechel.

Duces ſeruilis belli.

ad

ad propiorem ripam naues traxiſſet, Danubium cum parte copiarum transfretatus, eos quaſi oſcitantes aggreſſus eſt, quos prope pagum Subad fudit, fugauitque. Budenſes victoria elati alterum exercitum ad oppidum Pazcho deleuerunt: tertium ad Seyues: quarta autem pugna, quæ circa Debre, Themſiuarque (quod contra Turcarum incurſiones præſidium eſt, à Joanne Jazigum, id eſt Tranſyluaniæ principe) cum diu, ancepsque certatum ſuiſſet profligato tandem exercitu, Georgius Rex captus eſt, quem inter duas ſcalas religatum, à latronibus ſuis (quos more patrio Beſtias vocare ſolitus erat) deuorari iuſſit. Joannes autem eius frater, poſt candentem galeam capiti impoſitam, in quatuor diſcerptus partes eſt, militum autem alii ad palum fixi, alii exenterati, cum longo vitæ cruciatu, feruntur. Circa autem Varadinum cum Laurentio pres-
P. 333 bytero, ita pertinaciter pugnatum eſt, vt tria hominum millia deſiderata fuerint, ducem & aſſatum, & à ſuis exeſum ferunt. Vltimus Michael, quanquam & circa Bachyam, & Bayam pagos reliquiæ copiarum profligatæ, propter Syrmium cum fortiter pugnaret, victus eſt, reliqui autem qui vel vinci, vel capi non poterant, ad inhoſpita montium fuga ſalutem ſibi comparatunt. Talis itaque exitus ſeruili conſpirationi datus. Idem in Germania bis auſi ſunt, Semel non citra dominatus periculum, in Ducem Wirtembergenſem ſæuitia exarſere, victa pœnas luerunt. Iterum in Carnis, ſed Cæſariano exercitu ſuperata excuſſum receperunt iugum. Nunc ad inceptum opus reuertamur.

Themſiuar.

Georgius captus.

Dum itaque Cæſaris aduentum, & nos Viennæ, & Reges Poſonii expectaremus, pridie Cal. Maias Poſonii incendium factum, Pannonica regia conflagrauit, Sarmatica autem à ſuis non defenſa modo, verum & reliquum oppidi ab incendio ſeruatum eſt, ſeptuaginta domus, aut paulo plures crematæ. Reges ad arcem, quæ in edito colle ſita eſt, confugere. Ignoratur dolo ne, an imprudentia patratum ſit. Verum in ſeptentrionalibus plagis vrbes integras aliquando exuſtas vidimus, nam tecta paſſim ſcandulis, non tegulis fiunt, quæ ſimul atque ſcintillam excipiunt, celerius quam hominum ingenium opitulatur, comburuntur. Qui cum incendiis expoſiti ſint, nocturnos habent vigiles, qui & horas nunciant clamando, & ne quapiam in parte incendium fiat, præcauent. Stultum profecto arbitror, cum malint pervigiles, aliquando ſomno vinoque ſepultos cuſtodiri, quam tegumento domus tegere, quod ab incendio lædi non poſſit. Dum itaque hæc aguntur rumor latens increbuit, Carolum Galliarum regis filiam, Belgis id ſuadentibus, in vxorem accepiſſe, cui iam pridem Anna Pannoniæ regis filia deſponſata fuerat: ſed nuncium nihil turbarum attuliſſe vidimus, poterit enim hoc matrimonium, in Ferdinandum fratrem qui apud Hiſpanos nunc eſt, feliciſſime transferri. Quicquid tamen erit, trademus memoriæ. Idibus Maiis qui ad Cæſarem ierant, redierunt, quem prope diem venturum (& ſi principibus Germanicis moleſtum erat) ſignificarunt. Quippe qui cum ad conuentum per Cæſarem accerſiti fuiſſent, tum propter ſumptus, quos magnifice fecerant, tum quia res Italicæ hærere quodammodo, cum in caſtris eſſe iam milites deberent, viderentur. Perendie ergo eius diei Gurcenſis cum paucis Poſonium ad Reges rurſus naui vectus eſt, tertio Idus Maias ſereno cœlo, ſtella viſa eſt, quæ perpetuum illum diem, & oppidanis & externis negotium inſpectando exhibuit. Ego cum in hæc naturæ ſigna differendo incidiſſem, omnino melius feliciusque præſagium ſtellam, quam xiphias, pogoniasque & cetera Cometarum genera, apportaturam affirmaui. Sequentem diem diſputando, potandoque, & feſtiua Moſchorum acroamata auſcultando cum Joanne Dantiſco viro erudito, tranſegi. Qui cum multa laudabiliter magnificeque Sarmatarum regis geſta (eſt enim illi à ſecretis) retuliſſet; quantumque, is cum Cæſare iniret fœdus, Chriſtianæ reipublicæ profuturum eſſet, domum abii, verſiculosque quos appoſui extemporaliter exaraui. Qui vt felicius ad regias manus perferrentur, Epiſcopo Premiſlienſi, Regni Sarmatiæ vicecancellario, Præſuli & moribus & literis elegantiſſimo, Epiſtolam dicaui ſubſcripſique, ſi Iubet legito.

Incendium Poſonii.

Tecta lignea damnat.

Gurcenſis ſecunda nauigatio ad reges.

Stella viſa.

Joan. Dantiſcus.

Epiſtola deeſt.

FELICISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI SIGISMUNDO, SARMATIÆ REGI, RICARDUS BARTHOLINUS PERUSINUS, DEDITISSIMUM MANCIPIUM.

P. 334

Cum primum natura chaos discreuit, & orbem
Terrarum, & cœlum varia compagine iunxit,
Rex ô Sarmatia, & bello fortissime princeps,
Indigestarum soluit certamine rerum,
Mandauitque coli pacem, & concordia mundi
Fœdera seruari, magnumque é littore Eoo
Euolui iussit cœlum, contraque reniti
Infernos orbes, nostrisque reducere terris
Atque auferre diem, variataque tempora solem.
Hoc superum dono cunctis animantibus esse
Concessum fœdus reor, & diuinitus omnem
Quadrupedum prolem, pisces, pictasque volucres
Credideris genitas, propriam (mirabile) serpens
Non ruit in speciem, Tygrisque lacessere Tygrim
Vix fertur, fuluusque Leo sæuire leoni.
Sauior ast hominum natura animantibus ipsa est.
Hostis enim iam facta sibi, communia rupit
Vincula, neglexitque DEum cœlestia dona:
Vnde tot infandæ cædes, vnde obruta regna,
Mutuaque è causis orientia bella prophanis.
Ergo animis hominum cum sit cœlestis origo,
Esse decet superis similes, & fœdera nobis
Primitus innata, & concessam numine pacem
Excolere æternum, ne forte expertia, nostram
Cætera consilii, excellunt animantia vitam.
Tuque adeo, cui sceptra genus concessit, & auxit
Sigismunde labor Martis, Rex maxime regum,
Egregium fœdus, magnamque amplectere pacem.
Vnde salus, Christi populis oritura, putatur:
Qua solo de te pendet, si deficis, hostes
Irritas maiusque illis discordia regum
Vestra parat, gaudentque, & seditione fruuntur
Victores, regum, victus, si fœdera iungis,
Moscus erit, trepidusque intra sua castra Ruthenus
Vix stabit, pacem supplex, atque otia poscet
Collatis toties signis, & Marte cruento
Prostratus, nuperque tuas, gens barbara, vires
In pelidi latis experta Boryslhenis aruis,
Orscha vbi iam celebris, tanto certamine, fertur.
Namque vt magna fuit strages, sic maius in ipsa
Es pugna meritus nomen, cum multa, nec anceps
Fama fit, innumeras duro sub Marte phalanges
Te parua fudisse manu. Qua (si volet ætas,
Tuque meis olim Rex aspiraueris ausis)
Forsitan aggrediar, lapsu interuertere famæ.
Quare age rumpe moram, & temet nunc adiice tantis
Fœderibus, nec parua sient, quibus inclyta virtus
Et pietas, & amor pacis, partuaque vestris

Imperiis

Rerum concordia.

Sæua hominum natura.

Persuadet Sigismundo pacem.

A salute Christianorum.

Ab vtilitate.

A victoria.

Imperiis fortuna decus mutetur, ad ipſos
Reſpice nunc ortus rerum. Si iungere tedas
Fas erit, & vinclo tot nectere regna iugali
p.335 *Spero etenim (nec vana fides) concordibus omnes*
Auſpiciis, viſurum acies, vexillaque Martis
Ducere in externos, raptosque repoſcere fines.
Cum metuet Tanais, deuictaque Taurica tellus
Efferaque Euxini trepidabunt littora ponti,
O decus, ô Fama nunquam delebile vinclum
Amplexare, Auget veluti concordia regnum,
Sic labi contra viſum eſt. Tibi conſule, & orbi,
Et fratri, ſacrisque penatibus, & magnis Diis:
Imperiique foue ſurgentem ad ſceptra nepotem:
Atque grauem vt vultum prefers, atque ora verendæ
Maieſtatis habes, & te ſapientior vsquam
In terris nemo, nec ſumptis fortior armis,
Sis pius, & rerum exemplo, complectere pacem.
Ætherea ſiquidem regione leuiſſimus aër
Diſpoſitus, nec ſupra audet tentare, nec infra
Diſcretum imperium, ventique, & nubila ſedem
Aſciſcunt propriam, ſic & mare, & infima Tellus
Nexibus alternis iunguntur, iuſſaque ſeruant
Natura, ſed enim quando hæc concordia rerum
Ruperit & leges, & fœdus fregerit orbis,
Nullus erit Titan, miſtisque elementa figuris
Antiqua horrendi repetent primordia belli.
Vnda ignem inuadet, & mobilis aëra tellus
Disrumpet, ſcopulique iniecto ardore liqueſcent.
Adde quod & veſtra hæc, bellis flagrantibus, hoſtem
Quem toties armis bellator Sarmata fregit,
Cædibus, vt timeant, obnoxia regna neceſſe eſt
Externum, Scythici reſeratæque limina Iani.
Ergo per ſuperos oro, per tempora fratris
Cana tui, perque hanc pueri, innuptæque puellæ
Fortunam, veſtri per regni, orbisque ſalutem,
Si pietas vos vlla tenet, ſi vertere regna
Rypheæ infixum eſt animo, cladesque parentum
Vleiſci bello Turcasque abolere nephandos,
Erigite ad pacem mentes & iungite dextras
Auſpiciis magnorum operum, ſic ſceptra ſuperſtes
Sigismunde diu teneas, concorsque rebellem
(Quod faxint ſuperi) vincas cum Cæſare mundum.

A felicibus auſpiciis.

Ab incremento regnorum, à timore.

A pietate in in Deos & in ſuos.

Ab exemplo.

Concluſio per precationem.

Hos verſiculos cum ecciniſſem, Dantiſcum meum conueni. Aderat mecum Gaſpar Lyſita (inter poëtas clarus) ecquid ſibi de Heroicis meis videretur, cum interrogaſſem, *oportune* (inquit Dantiſcus) *calcaria enim ſponte currenti addidiſti. Sed niſi moleſtum vobis eſt, meos quoque quibus iter noſtrum huc ex Sarmatia complector, legitote.* Quod vt auidius nos aggrederemur, mellitum cruſtulum porrexit. *Sunt enim*, inquit, *& diuini Gurcenſis laudes, quantum perexiguo fieri ingenio potuit, non ſpernendæ. Tuis autem cras ſi feriabor, mutuum recentum dabo.* Quos cum legere exorſi eſſemus, vt mihi impartiret rogaui, ac ne vspiam Principis mei laudes in occulto deliteſcerent, ſubſcripſi.

DE PROFECTIONE SERENISSMI SIGISMUNDI REGIS POLONIÆ, MAGNI DUCIS LITUANIÆ, RUSSIÆ PRUSSIÆQUE, &c. DOMINI ET HÆREDIS, POST VICTORIAM CONTRA MOSCOS IN HUNGARIAM, JOANNIS DANTISCI SYLVA.

P. 336

ENumerat vaſti luctantes æquoris æſtus
Nauita, per Syrtes, aut ſaxa Ceraunia vectus,
Incolumis poſtquam rediit: ſua prælia miles,
Æratas acies, & tot per vulnera mortes,
Saluus poſt eladem proſtrati differit hoſtis.
Venator ſyluas, ſaltus, & luſtra ferarum,
Et pedicas, ſtructasque plagas, & retia ceruis
Protenſa enarrat. Longis peregrinus ab oris
Cur ego non referam rerum, variosque viarum
Anphractus? quos inuicto cum Rege Polono
Ambiui, & Scytico quod ab vsque Boryſthene ductu
Hactenus, ad ripas celeri, quas alluit vnda
Abnobiis Iſter labens ex montibus ingens.
Quæ nam cauſa via primum? quis tractus & vnde?
Dicite Pierides, nec enim ſine numine quicquam
Vos dixiſſe reor, clarius dum ſpirat Apollo.
Inclytus Arctoo Rex quum ſub ſydere cœli
Heroum Sigismundus honos ſuperauit ad Orſcham
Moſcorum infidos populos, vt fœderis ictu
Disrupere fidem, tandem vt ſunt vndique fuſi,
Fama quidem nota eſt, à Gadibus vsque ſub Eurum,
Pannoniæ ſenior iam Rex effœtus, & ager,
Ex mediis illum caſtris reuocauerat ad ſe,
Fraterni vis tota in eo pendebat amoris.
Dulcibus hunc voluit ſupereſſe nepotibus, hisque
Conſeruatorem fieri, robuſtior ætas
Creſceret ad regni moderandas donec habenas.
Paruit atque vltro, cuneis turmisque relictis
Ante Boryſthenias rurſum quas experat arces,
Vtque ſolet, citius proceſſit magnanimus Rex.
Noluit in tanto quamuis diſcrimine rerum
Fratri deeſſe ſuo, tandem quem viſere fati
Ante diem extremum voluit, ſic concitus ergo
Non pertæſus iter, non tempora dura, nec acres
Dum glacialis hyems Aquilonibus aſperat auras,
Protinus ex Vilna Lituanis ſoluit ab oris.
Ventum erat ad Gracci (quæ nunc Cracouia fertur)
Mœnia, pauliſper remoratus, liquerat illic
Reginam grauida Regni quæ pondus in aluo
Geſtat adhuc, euius leuis expectatur in horas
(Dii faxint fauſtum) partus, ſubitoque receſſit.
Sleſiacis primum piſcoſis appulit aruis:
Quicquid ibi lacus eſt, & ibi via lubrica eundi
Limoſam per humum, venit obuius illico claris
Dux Caſimirus auis genitus Teſſinenſis, & illum
Regali luxu, dignoque in honore recepit.

Boryſthenes.

Danubius.

Orſcha arx.

Vladislaus Hung. rex.

Vilna metropolis Lituaniæ. Cracouia.

Regina Poloniæ grauida.

Caſimirus dux Teſſinenſis.

Attigit

p. 337

Attigit hinc fines, vbi præſul Thurſo Morauos — *Thurſo.*
Præſidet eximius, qui relligione ſecundus
Eſt nulli pietate, nec eſt in rebus agendis. — *Moraniæ Epiſcopus.*
Hoſpitis hic etiam manifeſto pectore tanti
Aduentu gaudens, obiter proceſſit, eumque
Excepit, memor illius primordia vitæ
Eſſe ſuo in regno, quare impartiuit honores
Quos potuit, cunctos recte officioſus ad vſus.
Poſt iter ad montes emenſum, nubilus Auſter
Æthere concretos ex toto ſoluerat imbres.
Contexitque ſolum, teneras cum floribus herbas
Qui ſeſe ſenſim radios ad ſolis iniqui
Extulerant, hieme affecit, nec inertia ſolum
Germina reddiderat, verum penetrauit ad vsque
Membra virum. Tamen à concepto nulla mouebat
Tempeſtas Regem, rigidi inclementia cœli, — *Ad Hungaricam iter.*
Abruptæque viæ, nec enim iuga celſa, nec vlla
Obſuit intento res quo minus iret, in omnem
(Vt ſolet) euentum propere, conceſſit ad oras
Sic tandem Huniacas, quo ſe Tirnauia late — *Tirnauia.*
Diſpoſuit. Venit illuſtris Georgius illac — *Marggrauius Brandeburgenſ.*
Germana ex Regis genitus, non Hectore certe
Inferior, ſi quis vel Marte, aut viribus illum
Prouocat, acer init, detrectat denique nullum
Certamen, reſidens procerus corpore toto
Gradiuo cataphractus equo. Præceſſit in armis
(Spectatu pulchrum) multos pulchro agmine princeps
Venit & Antiſtes numeroſo milite cinctus, — *Epiſcopus Quinque eccleſienſis.*
*A templis magno decoratus nomine quinque **
Quem tulit ad tanti prælatum culmen honoris
Nuda fides, probitas, virtus, reuerentia diuum,
Et facile ingenium, rerumque ſcientia multa,
Hic collega Ducis Regem ſub nomine Regis
Pannonii excepit, pariterque ad verna citati
Littora Danubii duxerunt, arce vbi parua
Eſt ſita Poſonium, non longe à littore nota — *Poſonium.*
Quondam, nunc toto quæ nomen habebit in orbe.
Poſtquam narratum eſt propius veniſſe Polonas
Hinc atque hinc acies, pulchras & in ordine turmas,
Rex Vladislaus carpento protinus eger — *Vladislaus rex Hung. Ludouicus rex Hung. & Bohem.*
Obuius in campum tenero cum Rege profectus,
Heroum magna ſtipante vtriusque caterua
Regni, exoptatum iam longo tempore fratrem
Excepit coram, verbisque affatus amicis.
Regali paruam pompa deduxit in vrbem.
Hactenus ex Scythia, Moſcorum clade peracta,
Totque equitum, peditumque globis caſtrisque relictis,
Peruentum, ſolum fraterno ductus amore,
Viſendique etiam ſtudio (ſi forte futurum eſt)
Cæſaris, vt Chriſti fieret pax vna per orbem. — *Cardinalis Gurcenſ.*
Huc igitur Langus tectus rubro ora Galero
Appulit, ingenio multum verſatus & arte,
Resque gerit cunctas à Cæſare miſſus ad iſtos
Legatus Reges, noſtra ſi verus amator

Religionis

Religionis erit (ſi quidem eſt non ambigo verus)
Clades Hung. *Contra ſchismaticos Templi dabit arma rebelles,*
Et contra hos, noſtri ſitiunt qui ſanguinis vndas,
* Sarnouire. *Crudeles Turcas, nuper Sarnouia ad arua **
Ingenti qui Chriſticolum ſparſere cruorem.
Clade, domi donec perplexa negotia aguntur p. 338
Sin aliter totum nunc paruo fomite mundum
Incendet, tenet ipſe ſinu pacem armaque eodem.
Si quisquam quem Martis amor, quem feruor habendi
Exagitaret, in his forſan decernere rebus
Deberet, res acta foret, iam prœlia dudum
Per maria & terras inſano turbine adeſſent.
Sed pater omnipotens, mundi cui machina cura eſt,
Talia ſcit cuius ſtudio committere debet,
Ad Gurcenſem apoſtropha. *Commiſitque tibi Praſtes venerande, tibi inquam*
Qui fidei, & decus eos Romani dulce Quirini,
Cardineique chori ſpecimen, tu bella prophanis
Decertata odijs, iras dudumque repoſtas,
Et clandeſtinas, remoue de pectore rixas
Primorum Chriſti procerum, diſcordiaque vni
Pectora, nil poteris ſuperis, nil denique terris
Petri nauis. *Gratius efficere, en coniurant monſtra profundi,*
Thrax ferus, & Macedo, Maeothidis accola, & Iſtri
Nauiculam in Petri, qua mergitur obruta pene
Vndique fluctiuagis per mille pericula in vndis.
Eripe (namque potes) miſeratus, te duce tandem
Aeolus immodicos reuocabit ab æquore flatus
Mitior, & clauſis fera flamina condet in antris.
Serpit ab extremis, vt virus in intima membris.
Vique leui penetrat ſenſim præcordia, donec
Occupat in toto quodcunque eſt corpore. Flamma
Vt ſolet exardens in tectis tollere quicquid
Contingit propius, paſſim graſſata, parumper
Obuia conſumit, creſcitque valentior ignis
Liberius quum iam furit, & bacchatur aperte.
Nil manet intactum, ſic dudum Thracius hoſtis
Abſtulit, at ſparſim (pudet enumerare) tot agros,
Oppida, caſtra, vrbes, & regna tot inclyta quondam,
Nititur vlterius (miſerandum) nemo reſiſtit.
Chriſtiani principes. *Huc Aquilas, Anguem, Gallum, fuluumque Leonem,*
Hybernumque trucem, diti cum rege Britanno,
Et qui ſe Solyma titulis, Zonaque peruſta
Extollunt defer, Germana potentia vires
Hic precor oſtendat, non deerunt Sarmata & Hunnus
Interſtinum bellum. *Aſſidue ducunt multis qui prœlia ab annis,*
Martia tot contra Machometis caſtra tyranni.
At quoniam proprio contendunt marte viciſſim
Nunc aliqui, quos religio deuinxit ad arma
Regis in Oſores, qui mortem morte fugabat,
Riſus, ſputa, alapas, flagra, clauos, paſſus in alta
Chriſtus. *Pro nobis furca extenſus, quam nemo tuetur,*
Saluifici labefacta cadit respublica Chriſti,
Fitque minor ſic & cunctas decreſcit in horas.

Quid

Quid contra paucos, quorum furor vrget Enyus
Diſcordes animos, credis nunc poſſe tot hoſtes?
Imperium quorum ſubiit tota Africa, & ingens — *Infidelium potentia.*
Pars ſimul Europa, atque Aſiam qui ſub iuga dudum
Miſerunt, & qui toto dominantur in orbe,
Munita nihil his celſis in montibus arces,
Nil vrbesque obſunt, vites populantur & agros,
Abducuntque homines: nec enim munitio prodeſt,
p.339 *Deſertis poſtquam ſulcis non ſemina dantur.*
Vertite dira procul ſuperi niſi rebus in iſtis
Vnio nunc fiat, Bizantia peſtis, & Iſtri,
Euxinique lues, Petri corrumpet ouile. — *Ouile Petri.*
Hoc prohibere potes ſolus pater alme futurum,
Inſtantes extingue faces, ne fortior ignis
Poſt contemnat aquas, primis his motibus obſta,
Hoc pietas, iurata fides, hoc ſuadet honeſtum,
Vtile erit cunctis qui Chriſti nomen adorant.
Ne te ſeducant, magni nec Caſaris aures
Tot querulis deinceps precibus, vel munere vincant, — *Fomites belli.*
Hi qui bella fremunt, & nunquam bella capeſſunt
Aduerſus fidei tot tela minantia noſtra,
Omnia vi quondam male dum conceſſa tenebant,
Faſtu ſub tumido, & ſub cuncta licentia agebant
Immodica, nullamque prius confinia pacem
Ad quam deuincti fuerant habuere, ſub armis
Gentiles ſubiere domus, vicinia late
Vaſtantes, teſtis locus eſt nunc Abiete nomen — *Abiet.*
Qui tenet ingenti eſt quod nactus clade pereme.
Nunc etiam poſſent tranquillo viuere luxu
Deliciisque frui (prout conſueuere) viciſſim,
Sed Stygiis emerſa vadis ſic verſat Erynnis
Illorum mentes, vt ſummo à præſule bellis
Decretis obſint, contra Machometica caſtra,
Votaque quod tantis faciant diſcordia captis,
Inficiantque animos, ducantque in pralia mundum
Chriſticolum, quare ſuperi olim tempore priſco
Non caſtigarunt fruſtra delicta nocentum.
Sed feror in præceps, quo cœpi rurſus eundum eſt.
Huc etiam domina Legatus miſſus ab vrbe
Cardineo ſummique patris ſuffultus honore, — *Aduentus Cardinalis Strigoniensis.*
Pannoniæ Primas Regni peruenit, in iſto
Conuentu multa ingenio, qui multaque fido
Commoda conſilio pro regni vtriusque ſalute
Diſquirit, velletque libens ſuccurrere rebus
Ne ſic infectis hinc Reges forſan abirent
Namque videt prudens, per multa volumina rerum
Tot mala quæ paruis ſunt exorientia cauſis,
Nunc igitur (quamuis Labyrintho quicquid agendum
Fertur in ambiguo, quodamque errore laborent
Omnia) ſpes magna eſt cunctis, prudentia Legum
Iſtorum, tot Pontificumque Ducumque probata
Inuenta, hoc quod adhuc vertent in dulcia amarum eſt.
Sic lux poſt tenebras, Æther poſt nubila clarus
Sapius & ſic poſt aduerſa ſecunda ſequuntur.

Pompa regum.

Quid referam innumeros Proceres, Heroas, & auro
Torquatos equites, huc qui venere ſuperbo
Regum in circuitu, quid equos, phaleraſque rubentes.
Auratas chlamydes, precioſa monilia, gemmas?
Hunnus quæ dines, Moſcorum ex clade Polonus
Quæ tulit acer eques fortis quæ deinde Bohemus,
Enumerare prius poſſem, quot Cynthia pleno
Dum fulget cornu ſint aurea ſidera cœli,
Igneus & medio dum flagrat Phœbus in axe,
Quot ſeges omnis habet tenues per iugera ariſtas,
Quot ſparſim voluat Lybicoque in littore arenas
Auſter, dum tumido bacchatur turbidus æſtu,
Singula quam tanta valeam ſpectacula pompæ p.340
Dicere, totque graues currus, rubrasque quadrigas
Multaque nulla prior quæ viderat ante vetuſtas.
Nec ſolum tanti Martis, procerumque tumultus.
Venerat huc etiam doctorum clara virorum
Concio, de quibus huc à Cæſare miſſus ad iſtos

Cuſpinianus.

Cuſpinianus erat Reges orator, habunde
Doctus & in variis verſatus rebus agendis,
Phillyrides certe vel noſtro tempore Chiron,
Et medica fertur præſtans vt in arte Machaon,
Tam bene languori vario, morbisque medetur.

Sperantius.

Fotus & à teneris ſolers Sperantius annis
Aula in Cæſarea, nudæ virtutis amator,
Ingenio promptus, multum facundus & ore,
Seu leges, vel iura patrum, vel carmina dicat.

Balbus.

Balbus item Phœbi quondam, nunc rite ſacerdos
Et Iouis interpres veri, qui grandia facta
Hunniaci ſcribit regni, totque edidit olim
Quod ſua non potis eſt vnquam euaneſcere fama.

Piſo.

Piſo etiam noſtro vir in æuo doctus & acer,
Magnorum nuper qui multa negotia Regum
Tractabat, quod ſi ſtricto pede, ſiue ſoluto
Aggreditur quicquam, nil eſt exactius. Exin

Riccardus.

Appulit Hetruſco Riccardus ſanguine cretus,

* Bellum Boïcum.

*Grandia qui cecinit Romani Cæſaris acta **
Egregius vates, tum notus primitus, & tunc
Sæpius humana mihi conſuetudine iunctus.

Vrſinus.

Gaſpar & inde meus, Caliſtus forte puella
Vrſinus cognomen habens, ætate Tibullo
Et par ingenio, Graio & ſermone Latino
Imbutus, vates & præco Cæſaris ingens.
Sæpius hic culto certauit carmine mecum,
Leniuitque meos pertæſo in corde dolores,
Quos cœpi ſenſim tabeſcens tædio in iſto,
Candida iam noua ter rurſum ſua cornua Phœbe
Induit, Arctois procul hinc quod viuimus oris.
Omnia pulchra quidem ſunt omnia amœna ſub iſto
Tempore, per montes, per plana vireta, per amnes,
Per vernos proſpectus agros it lætus, at ipſa
Iam mora ſola nocet, nobis mora ſola moleſta eſt.

Ad Cæſarem.

Ergo venit tandem Cæſar Romane, citatum
Aduentum Reges cupiunt tibi ſanguine iuncti,

Non

Non ſolum tecum contra hoſtes fœdus inibunt,
Tu modo ne deſes toties videare morando.
Sed tecum connubia, ſed læta hymenæos.
Mania ſi Auſtriacæ nunc ſunt adeunda Viennæ,
Danubiusque celer tranandus, ſiue locanda
Ad ripas campo caſtrenſia tecta in amico,
Vel quocunque loco placeat congreſſus, ad iſtos
Accelera Reges propius, iam tempus & inſtans
Depoſcit contra Moſcos occaſio belli,
Inque feros Turcas, qui nuper clade cruenta
Affecere tuos Hunnos, non ſegniter ergo,
Ergo veni, cupidisque tui te protinus offer.
Sic me etiam, modo te videam, nec adusque pigebit
Danubium à gelidis veniſſe Boryſthenis vndis.

P. 341 Perendie cum propter Danubii ripam, neſcio quid nugarum meditans, ambularem; Dantiſcus affuit, interpellansque, *En tibi Apopboreticum*, inquit, *ſi volupe erit, tuum in Diarium congeres.* His dictis abiit. Quod cum ego lectitaſſem, hoc albo non indignum appoſui.

JOANNES DANTISCUS RICHARDO BARTHOLINO.

SI rerum penſare vices libet, ordine certo
Quas natura parens ſtatuit, Riccarde, videmus
Omnia ſub inſta moderari lege modoque,
Aſtra ſuos ſeruant, quos conſueuere meatus,
Seruat vterque polus ſolitum quo voluitur axem,
Seruat & hæc ingens immenſi machina cœli
Circuitus, quibus hunc in ſe complectitur orbem,
Phœbus ab extremis vt dudum emergitur Indis,
Et Tarteſiaco ſe rurſus in æquore condit,
Ipſa ſuo pleno Latonia tempore cornu
Fulget, tranquilla per opaca ſilentia noctis
Illumisque etiam paruum decreſcit in orbem,
Et perit atque redit, nunquam ſtata tempora fallit.
Annus habet glacies, habet æſtus, veris amœni
Autumnique grauis pluuias, ſua tempora tempus
Quodque tenet, ſunt forte ſua contenta viciſſim
Omnia, nec fines, & littora præterit æquor.
Deucalionis aquas olim, Phaetontis & ignes
Suſtinuit tellus: ſunt omnia tuta, fidemque
Nunc elementa datam nobis poſt Iridis arcus
Non temerant, fateorque animantia cuncta ſub vna
Quæ viuunt ſpecie vnanimi ſunt fœdere iuncta. Ferarum concordia.
Non Aper in ſimilem per ſyluas irruit aprum,
Vrſus in atrocem ſæuit non eſſerus vrſum,
Nec draco in Heſperium miſſo furit igne draconem:
Solius eſt hominis (quamuis animantia longe Hominum ferocia.
Innata exuperat ratione) ferocia maior,
Omnes armorum ſtrepitus, Martiſque tumultus,
Quæque vides tormenta, fundes, thoracas, & haſtas,
Tela, enſes, frameas, arcus, volucresque ſagittas,

Contra homines effinxit homo, meditatur in horas
Pluraque quis poſſit per plurima damna nocere.
Per maria & terras, per multa volumina rerum,
Itur in anguſtum diſcrimen & omne periclum,
Inuiſa ſaltem rumpantur vt otia pacis.
Ardor habendi. *Sic ardor multos, & habendi dira cupido*
Verſat, pertæſos tranquillum viuere, ſemper
Quin agitent quicquam ſuperis terrisque peroſum:
Hinc tot bella, acies, cædes, deſertaque rura,
Oppida, diffractæque vrbes, & inania regna,
Et campi toties diſperſis oſſibus albent,
Tales qui totum duxere in prælia mundum
Hortare ad pacem, nec opus calcaribus eſſe
Cenſeo equis vltro properantibus, ille profectò
Non monitoris eget, placidæ qui pacis amator
Sedulus eſt, & qui pacem depoſcit & optat.
Sigismundus Rex. *Inclytus à multis Sigismundus fauſtiter annis*
Pacis amans, vltro nunquam, ſed ſemper in hoſtes
Arma laceſſitus ſuſcepit, non tamen vnquam p. 342
Contra Chriſticolas, verum in crudelia caſtra,
Boſphoron, & contra Myſosque Getasque Scythasque
Hunc igitur, cuius terras, ſpacioſaque regna,
Parrabſis Arctos agit per Baltica littora magni
Oceani, prope ad Euxinum diffuſus aquor.
Vt noſcas, quantum pacem deſideret omni
Pectore, ne graue ſit paucis aduerte docebo.
Sleſiacis primum, regnum germanus habebat
Donec Alexander patrium, dux iuſtus in oris,
Juſtitiam (ſolet vt ſemper) librabat in æquis
Lancibus, & cunctis iuſtè impartiuit eandem,
Nullus erat prædo, nullus graſſator in antris,
Per ſtratas, omnesque vias, per compita paſſim,
Ibat ſecurus tranquilla pace viator;
Vndique cunctarum fuerat pax optima rerum,
Hoc ſentit præſens, hoc poſtera ſentiet ætas,
Quantum conſilio, quantumque ſalubribus actis
Profuit, & poſt ſe quam commoda multa reliquit.
Quum frater demum fato conceſſit ad aſtra
Conflata regnum grauiter qui affecerat ære,
Vnanimi procerum conſenſu ſceptra recepit.
Sigismundi Rex Polon. Hlinski. *Orſus vt inflantes vix reſtaurare ruinas*
Rex nouus, infida propere dux fraude Michael
Concitus, ad Moſcos defecit, turpiter hoſtis
Factus, eos ſecum Lituanas duxit in aras.
Hac pacis intentus Rex vt cognouit, omiſſis
Omnibus in regno, velocius obuius ibat.
Prima contra Moſcos victoria. *Indecitum permenſus iter, mox ipſe priusquam*
Fama aderat, ſubito Moſcosque Ducemque fugabat,
Pone ſequens victor per lata Boryſthenis arua.
Princeps hinc Scythicus bellum exitiale timebat
Perculſus, pacem orandam, deponereque arma
Cenſuit, ad regem legatos munere multo
Transmiſit, ſupplex veniam pacemque popoſcit.

Fœdera

Fœdera Rex pepigit, generoſi pectoris ira
Sunt ſiquidem faciles, & mens ignoſcere lapſis
Supplicibusque ſolet leuiter regalis, habent nam
Dus animos ſimiles reges & pectora magnis.
Limitibus demum poſitis, & finibus orbis
Sarmatiæ, æternum fuerat vulgata per omnes
Æquoris & terræ poſitus pax inter vtrumque,
Qua tamen (vt referam paulo poſt) fracta Scytharum
Fœdifragum vt mos eſt grauiter non manſit inulta.
Ad regnum rediit iam credens omnia tuta
Heroum Sigismundus honos, pacemque repoſtam
Militibus miſſis erexit, & otia cunctis
Libera diſtribuit, tædæ ſubiere ingales
Quærere quas voluit Germanis forſan in oris.
Perfidus interea Valachus, cui Myſia paret — *Valachi irruptio.*
Inferior, dum Rex ſperat lætos Hymenæos
Fraude Leopoliam multis obſederat vrbem
Agminibus, late Podoleis caſtraque in aruis
Omnia depopulans ſtatuit, per tela, per ignes,
Si choreas, dulcesque iocos, & cœpta fefellit
Gaudia, Rex igitur prudens vt ſemper ad omnes
Res ſolet eſſe graues, nihilo demiſſior (vno
Spectatur vultu, ſint triſtia ſiue ſecunda)
p.343 *Millia confeſtim collegit multa ſuorum,*
Hæcque inſperatos propere dimiſit in hoſtes.
Hoſtis vt hæc ſenſit, retro fugiebat ad arces
Quas habuit proprias, ad ſyluas, atque paludes;
Non auſus conferre manus, gens regia late — *Victoria contra Valachos.*
Terga ſequebatur, totque oppida, caſtra, caſasque
Exuſſit, longe ſæuum populata per arua
Myſia, tot Ducibus captis procerumque caternis,
Poſtremo rediit ſpoliis illæſa ſuperbis.
Et niſi Germanus ſenior, qui ſceptra gubernat
Pannoniæ, rem pacaſſet, iam Myſia tota
In cineres pro perfidia conuerſa iaceret.
Hinc Valachus veniam vt petiit, captosque redemit,
Res eſt ſub cœlo vix credo notior vlla.
Sic iterum dura laſſatus caſſide victor
Pectore voluebat, poſitis grauioribus armis,
Pacem, qua totus nihil orbis gratius in ſe
Continet, Hunnorum præclaro ſtemmate, pulchram
Reginam duxit, ratus hinc ſecurius annos — *Nuptiæ Regi.*
Dulciter exigere, & regno dum fata vocarent
Hæredes patrio tum poſt ſe linquere. Vertit
Omnia ſors aliter, mouit furialis Erynnis
Hippophagos Nomades gelida Mœotide ſeptos.
Hi clandeſtino ſub verno tempore greſſu, — *Tartarorum inuaſio.*
Præter ſpem innumeri, regnum inuaſere Polonum,
Vt ſueti rapido transire per omnia curſu
Millia multa hominum, matres, vetulosque parentes,
Reptantes pueros, iuuenes, teneraſque puellas,
More ſuo iam nexerunt, miſereque ligarunt,
Occiſis multis; iam iamque abducere longe
Cœperunt. Tum Rex ſubitis, & rebus in arctis

Victoria contra Tartaros.

Congeſſit turmas equitum, pedſtumque cateruas
Quas potuit, iuſſitque ſequi velociter omnes,
Ventum erat ad cuneos ſpoliis prædaque refertos,
Qui nil ceſſerunt, contra conſligere magno
Quin etiam clamore dabant ſua ſigna volentes,
Parte ab vtraque ſtatim niſu & conamine toto
Bellatum, fortuna diu ſtetit eminus anceps,
Verum quam cito ſe gens regia cominus hoſti
Intulit, & volucres detorſit ab aure ſagittas,
Terga dabant Nomades, ibidem bis dena Getharum
Millia trunca iacent, abducti ſicque ſoluti,
Ad patrios tandem ſalui rediere penates
Pax iterum fuerat ſed paruo tempore, cladem
Poſt iſtam, donec periuro pectore Moſcus
Sacramenta, fidem, iurataque fœdera rupit,
Adiunctis belli ſociis, qui templa Quirini
Romani obliti, templi adiunxere prophanis
Se hoſtibus, & regem conſpirauere (nephandum)
Contra Chriſticolam. Sed Diis ſunt omnia cura,
Hi non permittunt Titanas Pelion Oſſa
Jungere, conſilia & nunquam tam dira ſecundant,
Qualiter hoc bellum confectum ſcribimus, omnemque
Hiſtoria ſeriem, quod ſi mihi vita manebit
Verſibus innumeris conſcriptum vtcunque videbis.
Hoc obiter tamen eſt addendum, quinque carina
Myriades Stigia Charon vna luce recepit
Moſcorum, primosque Duces, primosque ſenatus
Principis infidi captos Sigismundus in arcto
Carcere habet, qui compedibus durisque cathenis P. 344
Deuincti, pro commiſſo dant crimine pœnas.
De reliquis bello ſunt nobilioribus iſto,
In vinis ſiquidem plusquam duo millia capti.
Sponte nocet nulli, niſi proritatus, habunde
Contentus propriis, ſua quæ ſunt cuique relinquit:
Parte ſed ex omni fines & parta tuetur,
Sique laceſſitus quandoque citatur ad arma,
Velox egreditur, munitus milite forti,
Et duce iuſtitia ſuperat, ſemperque triumphat.
Nunc quamuis victor tot grandia bella peregit,
(Victores inflare ſolent res ſæpe ſecundæ)
Non renuit tamen hæc ineunde fœdera pacis
Ex mediis ad quæ caſtris huc venit, omiſſis
In tot proſtratos armis victricibus hoſtes,
Pace frui cupiens interque capedine longa
(Metire à gelidi ſit quanta Boryſthenis vndis
Danubii ad ripas diſtantia) pacis amator
Hactenus ad pacem ex regno præceſſit habendam,
Non tamen vt prorſus iam ſegnis bella timeret;
Sunt vires, eſt mens, gentesque ad prælia multa,
Sed contra inuitus gentiles ſuſcipit arma
Chriſticolas, quos tot bellis defendit, & illos
Infidis ſemper tutatur ab hoſtibus, Ergo
Parte libens iſta confecta in pace maneret,
Quam ſi quis temere iniuſtus conabitur auſis

Moſci perfidia.

Victoria contra Moſcos.

Rex à Boryſthene ad Danubium.

Rumpere

Rumpere, quæ nollet tandem cogetur inire
Bella laceſſitus, ſua ſic & parta tueri.
Hos igitur cum complicibus quos ardor habendi
Arietat, hortare ad pacem, concordia rerum
Fœdera, confuſumque chaos compage ſaluta
Hos docta & longa doceas ambage, vel illos
Si pacem penitus nolunt, gaudentque ſub armis,
Iſta cothurnato compelle ad prælia verſu,
Quæ nunc, pro Chriſti ſi quisquam vellet amore,
Depoſitis inteſtinis à pectore rixis,
Inſtant, præclaris accommoda tempora bellis Oportunum bellum.
Sunt etenim, huc ducas tam multo Marte furentes,
Dum Sophus in Turcas immania claſſica ducit,
Quem nuper tota fudit cum gente, morandum
Non eſſet ſiquidem, nunc poſſet Gracia vinci, Gracia.
Et Conſtantini Bizantia mœnia magni,
Thracia tota iugum, Trapeſunciaque arua ſubirent,
Inde Paleſtina tellus promiſſa ſacrata,
Memphis, Perſis, Arabs, Babilon, ſacra culmina Syna,
Totus & vsque nigros mundus caperetur ad Indos.
Rex Sigsmundus adeſt, diuini nominis atris
Hoſtibus infenſus, contra illos fœdera iunget:
Sint modo qui accipiant, non detrectabit in omnem
Euentum, contra Machometica pergere caſtra,
De quibus vnanimi (Dii faxint) pectore iuncti
Belliger vt magno Cæſar cum Rege triumphet.

VIX hoſce verſus ſubſcripſeram, cum Caſpar Vrſinus Poëta ſane induſtrius & mihi coaulicus fores irrumpens, *Diurnam hanc*, inquit, *fœturam accipe*, ac Moſchice, vix inclinato capite abiit. Ego cum diu ridendo ramices pene fregiſſem, legi, quantum per riſum potui, quos obiecerat verſiculos. In quibus cum
p. 345 non vulgares & Gurcenſis laudes, & Joannis Epinis Epiſcopi Vladislauienſis nomen legiſſem, quem ego propter diuinas eius virtutes, & morum ſuauitatem, doctrinamque, ac miram in literatos beneuolentiam (quas & ſi ab aliis, Gaſparis tamen præconio vberius intellexi) veneror & colo, piaculum me facturum putabam, ſi verſus non inſeruiſſem.

AD REVERENDISSIMUM IN CHRISTO PATREM, ET DOMINUM D. JOANNEM THURZO VRATISLAVIENS. EPISCOPUM, PATRONUM SUUM MERITISSIMUM, DE CONVENTU POSONIENSI COMPENDIARIA EPISTOLA GASPARIS VRSINI VELII, SILESITANI.

VIndelicis Auguſta iacens late inclyta terris
Nos tenuit bis, Thurze, decem cum principe ſoles,
Inde Licum emenſi ratibus, iam claſſe parata
Danubium regnatorem ſulcamus aquarum.
Multa quidem ripis ſpectauimus oppida circum
Vitigeros inter colles caſtella, ſitumque
Vrbis ab exiguo quæ ducit nomina Rego. * * Regn. ſl.
Quaque ſuum amittit nomen torrentior Ænus,

Danubium-

Danubiumque opulentat aquis & flumine magno
Confluus, applaudunt nymphæ Iſtrides, Iſtrides vndæ,
Et iam ſe Rhenum credunt æquare bicornem.
Haud procul inde autem Gretneia vbi mœnia ſurgunt,
Eſt locus horrendo qua vortice prorui Iſter
Præruptis ſcopulis vtrinque arctatus, & vna
Vulgo, der Strudel. *Parte abſorbet aquas, aliaque excuſſat ab imo*
Nauifragos fluctus (viſu miſerabile) nauta
Sæpe etenim illidunt naues, nant flumine merces
Præcipitantque viri merſati gurgite vaſto,
Fruſtra heu Nicoleon & numina ſancta vocantes.
Nos auſi penetrare, ipſi poſuere repente
Venti, terribiles viſique ſileſcere fluctus.
Credo equidem ſenſere virum, quem flumine amico
Deueherent, gratum Diis & mortalibus æque.
Atque vt Pannoniæ ventum eſt ad pulchra Viennæ
Mœnia ſucceſſum & tectis, mox prima virorum
Delectos proceres, princeps acciuit habendo
Concilio, acturus magnis de rebus, & inde
Seceſſit Stiriis confinia ad oppida terris.
Cuſpinianus. *Hic porro interea nos conſuetudine ſuaui*
Doctorum fruimur, mihi Cuſpinianus in illis
Eſt potior, vir enim hic mellito fundit ab ore
Dulcia verba, quibus molleſcunt pectora Regum,
Diues opum, forma excellens, & pectore magnus;
Et quo cum magna digreſſus ab vrbe Quirini
Germanos late populos patriamque reuiſ
Ægid. Remus. *Egidius præſtante Remus cognomine, quo non*
Candidiorem animam Lucina in luminis auras
Protulit, ipſe ſacras leges Romanaque iura
Nouit, & eſt inter conſultos Principis vnus.
Io. Vadianus. *Ac longe ante alios facundus diuite vena*
Eloquii præſtat Vadianus, & innumera vi
Aug. Coſpus. *Carminis, imparili pede, ſeu pede fluxerit æquo.*
Coſpus item Æmiliæ parui prope flumina Rheni
Natus, ad extremam bonus atque ſuauis amuſſim,
Auſonio reliquos æquat ſermone, Pelasgo
Ore præit, mecum hic magnæ de mœnibus vrbis p. 346
Delitiis, genioque ſolet non pauca Quiritum
Diſſerere, ab nimium nimium diſtamus ab illa.
Quin & amicitia nobis coniunctior, ori
Ingenioque modum ſcite qui figit honeſtum
Rod. Agricola. *Rudolphus, latices iuuenis ſatur Hippocrenes,*
Nunc & Rhæteis gens dura ſub alpibus audit
Aut ſimile, aut melius Peligni carmine Vatis.
Et iam Pannonius Rex, & Rex Sarmata fratres
Poſonii coiere, prior ſed Pannonius Rex
Iam grandis natu & defecto corpore languens
Regum conuentus. *Filiolo cum Rege, ſua cum principe nata.*
Alter ab extremis Scythiæ comitatior oris
Victor ouans gelidique Boryſthenis affuit vndis.
Nuncia vt ad Langum peruenit epiſtola Regum,
Adueniſſe viros, mox apparat ire vocatus.

Quo

Quo cum cæruleas inſtructa elaſſe per vndas
Omnes deuehimur, pia numina voce ſonantes,
Numina quis magni ius eſt maris & fluuiorum
Præcipuum, & lati iam optata ad littora Regum
Venimus, imperio nobis genitoris amico
Aduorſum natu Rex ipſe nouiſſimus iuit:
Torquatos inter proceres interque togatos
Pontifices, ipſe emicuit ceu ſydereus ſol,
Blanda tuens, Huic flaua genas lambitque tegitque
Cæſaries, omni ſubeunt ex parte miniſtri;
Auro intertextis induti veſtibus omnes.
Diuerſos illic habitus atque ora virorum
Vidimus, inter eos ſtudioſus Sarmata cultus
Regifici, quamque eſt habitu tam corpore pulcher.
Nec ſua defuerunt Germano ſerica, non &
Copia pictai veſtis, fulgentis & auri.
Quamque grauis cultu, tam gens fuit ore verenda.
Vbertate tamen Panno præcelluit acer, Hungarus.
Siue auri veſtes, ſiue auri pondera cernas.
Vera loquar, ſed parua charis, quia ſimplice veſtes
Arte laborata membris ingentibus hærent.
At Laus eſt patrio non vltima viuere ritu
Indigenas, & non externi ſumere cultus
Luxuriem, ac mores non perdere præſtat auitos.
Ora peruſta gelu crudus Scytha turpia Moſchus Moſchouita.
Imbellis ſublime apicato tegmine vincit,
Atque latus curuo procedit acinace cinctus.
Jamque decem totidemque dies fluxere, peractis
Conciliis, magnis impenſaque tempora curis.
Cum bene compoſitis diuino pectore rebus.
Auſpicibusque deis, quas non eſt dicere, Langus
Digreditur, læti dominum comitamur euntem.
Sarmatico Langus celerem dedit aſtura Regi,
Nobilium pelles ſubito Rex ipſe ferarum
Treisque ſimul pateras dedit aurea munera Lango.
Atque ita nos illo diſceſſimus. Hactenus ambo
Et Regem Reges, & fratrem pectore fratres
Auguſtum expectant Auguſtæ ſtirpis vterque,
Magnus vterque virum tum re tum nomine magnum,
Venturum alloquio, quem conſilia alta petentes
Heluetii retinent Inſubro cum duce fortes: R. Portugalæ.
Et Luſitani Rex littoris armipotens rex
P. 347 *Emanuel, nec non cui ſeptem eura tuendi*
Regna per Heſperios incumbit maxima tractus. R. Hiſpaniarum.
Neſcio quos etiam perhibent componere motus
Belgarum, infidi perturbant omnia Belgæ: Belgæ.
Haud impune tamen, Deus omnia lumine iuſto
Aſpicit, ô ſolus quam multa negotia Cæſar
Suſtinet, & quanto curarum pondere ſudat!
Subiectos placida populos dum in pace tuetur,
Debellatque malos, & proterit impiger hoſtem.
Ne tamen vlterius iunctos tibi ſanguine Reges
Diſtineas Cæſar, qualis modo cumque labor te
Implicitum tenet, aut quocunque ſub orbe moraris;

Tolle moram, & venias, neu dedignare precantes
Aſpectu Reges, tua quos præſentia reddet
Imperio faciles, parilesque per omnia votis,
Pacturos animum, atque æternum in fœdus ituros:

Eiusdem in Cæſarem Venantem.

Si quis adhuc hominum dubitat te maxime Cæſar,
Sed non vulgaris numen habere Dei.
Jam ſciat hoc, nudam vidiſti impune Dianam,
Dum ſequeris ceruam per inga ſumma leuem.
Ira Dea fatum meditata Actæonis, vndas
Sed fruſtra vltrici ſparſit in ora manu.
Proinde rata eſſe patrem vultum demiſit, humique
Fixa verecundus repſit in ora pudor.
Atque ait arridens, quid me pater optime tentas?
Corpore an hoc dubitem ſtulta latere Jouem?

Aliud.

Cæſaris arma Senon, verum haud impune, ſuperbus
Riſit, & in vili Cæſaris ira fuit.
Riſit idem tumidus contempſit & Adria nomen,
Nunc cui lenta nimis Cæſaris ira nocet.
Julius his inquit ſapientior: Hunc bene Regem
In numero nihil dicitis eſſe notam.
Sum decies, quam ſolus, ego cum Cæſare maior.
Vos tandem hinc vnum perdidit, atque nihil.

Wayuoda profligatus à Turcis.

DUM itaque Muſarum ſuauitate delectamur, rumor increbuit, Joannem Wayuodam, cum quinque millibus Pannonum à Turcis fuſum fugatumque eſſe, Is enim cum cis Danubium eſſet, vt aliquod egregium nauaret opus, pontem in fluuium iecit, oppidumque Sarnouietz ad alteram ripam obſedit. Turcæ collectis vndique militibus, Pannonum caſtra aggreſſi ſunt, tantaque ab iis ſtrages illata, vt ægre Wayuoda ſaucius cum paucis euaſerit. Alii factum Ducis culpa dicere, alii exploratorum incuriam accuſantes, defendere; atque vt cuiusque odium ac beneuolentia erat, rem culpa dignam aut indignam facere. Sequenti die, vt cladem tegerent, læuius factum vulgari. Velites ſcilicet trecentos à Turcis, qui in inſidiis erant, interceptos cæſosque. Verum (vt prior fama fuit) præſidium, quod illic tenebatur, auiditate gloriæ à Wayuoda amiſſum eſt; qui cum Regis Vladislai filiam ſibi in vxorem dari vrgentiſſime efflagitauiſſet, & quo minus cum Cæſare affinitas contraheretur, pro viribus obſtitiſſet, aliquid præclarum glorioſumque moliri tentabat, vt inde ſibi Regis beneuolentia regnique fauore comparato, quod optabat, facilius conſequi poſſet. Sed longe aliter quam ſperabat, accidit.

Gurc. prudentia in Cæſarianis negotiis.

XVI. Calend. Junias feſto Aſcenſionis die, Reges Gurcenſisque ad templum profecti ſunt. Anna Regina, obuiam cum ſe patri obtuliſſet, auream corollam verſicoloribus intextam floſculis, paterno capiti impoſuit. Dulciſſimum profecto pietatis ſpectaculum. Sequentes dies in conſilio transacti ſunt, vbi iam ab omnibus, quanti & ingenii & ſolertiæ ſit Gurcenſis, plane cognoſcitur. Quem in vno damnari ſentio, quod ego maxime laudo & fidei erga Cæſarem Maximilianum non vulgari attribuo: vulgo enim fertur cauſis Cæſarianis ita firmiter inhærere, vt quod ſemel dixit, nihil propterea extorqueri poſſe, quanquam omni ſtudio, opera, induſtria. Id tantummodo meditatur laboratque, vt pacem fœdusque, firmiſſimum Chriſtiani imperii ſtabilimentum, perſuadeat. p. 348

Quare

Quare cum tertio Calendas Junias mane ad multum diem in consilio fuissent; Gurcensis instando, persuadendo, cohortandoque ita negotium pertractauit, vt felicius auspicaciusque optari minime potuerit. Nam & Regis Sarmatiæ res satis prospere composuit, Ludouici regis cum Maria matrimonium firmauit, Reginæ Annæ partes ita tractatæ sunt, vt de ea integrum Cæsari foret, vtrum Carolo, Ferdinandoue, an sibi Anna nuberet. Sed de his alibi à nobis latius disseretur. Itaque peractis rebus tanta vbique lætitia orta est, vt etiam præ gaudio Regem Vladislaum referant lachrymas non continuisse. *Regum Gurcensisque negotiorum conclusio.* *De Annæ matrimonio.*

Postero die conuiuium in Pannonica regia celebratum est; conuiuæ, Vladislaus, Sigismundus, Ludouicus Reges, Anna Regina, Gurcensis fuerunt. Vladislaus in dextro thori angulo accubuit, secundus Reginæ paterno lateri locus datus, tertius Sarmatico Regi, quartus Ludouico, in quinto Gurcensis discubuit. Diutuleque cum mensæ accubuissent, & saliare conuiuium factum, & magnis de rebus sermo habitus est. Tandem ad multum diem Rex Sarmatiæ, Gurcensisque domum redierunt, sed cum propius Gurcensis esset, comitandi officio instantissime fungi velle; Rex contra renuere, ille orare diuque cum in hac humanitatis pugna perstitissent, Rex tandem vicit nutuque significauit; vt præstites virique primores Gurcensem comitarentur. Mira profecto tanti regis in principem obseruantia. Sed ad illud redeo, quod profecto inuitus præteriissem, Reginæ Annæ tanta mihi pulchritudo visa est, vt neque Palladem, neque Venetem similem huic esse iudicarim, multo iis formosior est, quæ habitu concinnata Teutonico, supra quam dici possit elegans videbatur, Aureum caput corollæ treis, faberrimo ordine dispositæ, circumuallabant, vbetes olli crines, à ceruice dependuli, sensimque sinuato patagio residentes, pauliſper ad finem conglobati, leni quandoque aura, vt eburneum etiam collum per interualla prospiceremus, mouebantur. Oculi in alborem procliues, sed tam decoti, vt cum eos vel aperit, vel conniuet, dubium sit vtrum diuina an humana censeatur. Duo profecto sydera, duos soles (adeo spectantium animos perstringunt,) minus fulgere crediderim. Incessus grauis, animosusque, & lætabundus. Os non verba, cum loquitur, sed ambrosiam ac nectar, aut si quid dulcius est profert. Quodque optatius, iam nubilis est, iam Paphius flos legendus: qui & si nimis recens videtur, tamen cum rorem matutinum hauserit, pandiculabitur illico, atque adolescet. Hanc igitur Cæsar (vt dixi) velit ne in vxorem accipere, an alteri nepotum dare, sibi integrum reliquit. Sed ego per Deos iurarem immortales, si hanc viderit, nusquam de nepotibus fiet sermo, sibi volet. *Regum & Gurcensis conuiuium.* *Annæ Reginæ laudes.*

LIBER SECUNDUS.

IGITVR cum omnia ex sententia tractata fuissent. X. Calend. ad vesperum paucis comitatus equis Gurcensis vt & de rebus à se nauiter prudenterque gestis rationem redderet, & aduentum sollicitaret, ad Cæsarem proficiscitur. Tertio Cal. Jun. Laureacum peruenimus, oppidum sane peruetustum, nunc Ensium vocant, ad flumen Anasum, quod ex Alpibus fluens in Danubium descendit, à quo Austria bifariam diuiditur, quam incolæ supra infraque Anasum appellant. Inde quatuor itineribus Juuauiam, sic antiquitus dictam volunt, petiuimus nunc Saltzburgium à flumine Sala haud ignobili nominant. Episcopus in cuius locum Gurcensis cooptatus est, & Ludouicus Bauariæ Dux obuiam processerunt, vt salutandi officio vltro citroque perbenigne satis functi sunt, de loco digniore grata omnibus altercatio orta est. Archiepiscopus Gurcensi assurgere (quia Cardinalis) volebat; Gurcensis quia loco patris Archiepiscopum & veneratur & colit, contra vt ille præiret, nitebatur. Tandem vt filius parentis imperio obsequens, Gurcensis medius, Archiepiscopus dextra, Dux sinistra vrbem ingressi sunt. Ad vesperum stratis lautissime lectis discubuimus, inde *Laureacum oppidum.* *Salisburgum.*

chorea incepta : Gurcenſis & ſi pudice , vt teuerendiſſimo patri ſuo motem geteret , bis ſaltauit , qnem ego cum conſpicaret exemptilibus (vt meus eſt mos) oculis vtebar , cogitabam ludos illos Olympicos , ad quos Jouem nimirum deſcendiſſe aliquando credere ſanctum eſt. Verum vt diuini vultus grauitatem ſeponere aliquantiſper conabatur , ita & inuito quidem grauitatem ipſam auge- p.349
ri animaduertebam. Mane autem cum prandiſſemus , ad viſendam arcem , ad
Arcis Saltzburgenſis deſcriptio. quam calle anguſto & ſupino admodum itur , profecti ſumus. Duplex eius murorum ambitus eſt : exteriot in rupibus ſaxoſis , ac verius rupes ipſa murus eſt. Craſſiſſimas munitiſſimasque turres habet , circumque peruias. Interior multo labote interciſis cautibus ab altero disiunctus , natiuo ſaxo impoſitus eſt , vt ſi ab hoſte prior captus fuiſſet , præſidia quo ſe reciperent , tutiotem haberent locum. Intus cryptoporticus , quæ ad cellas vinarias quoque vſum , cum opus eſt , præſtare poſſunt , nam ſupra cellarium fornicatum eſt , oprimis vinorum generibus refertiſſimum. Extra ſub ampla longaque teſtudine , ſeriarum ingens numerus , in quibus ſarina recondita eſt. Puteus item altiſſimo vado , vnde ſummo rotularum artificio aqua hauritur. Ciſterna alio in loco, Italicum opus, in quam pluuialis aqua ſuperne ingenti imbrium ambitu per teſſelatum impluuium deſcendit. Superius, per gradus natiuo confectos ſaxo , ad armamentarium aſcenditur , in quo ſagittarum , ſpiculorum , ſcorpionumque vis ingens, omniaque telorum genera viſuntur. Quæ & ſi iucunda ſpectatu erant , tamen multo iucundiora , quod Archiepiſcopus tanquam Philo ille (niſi fallor) optimum ſe armorum & demonſtratotem, & diſputatorem oſtendebat. Nos itaque cum ad altiora renderemus , ipſe ad patulam arbotem ſe contulit , in qua centum vndique volitantes pauones vociferabantut , quos & ſi ego propter miram pulchrirudinem admiratus ſum , tamen vel hoc magis , quod totos albicantes ſine maculis vidi. Dumque hac atque illac innumera arcis loca percurrimus, Aulas, auro, argentoque faberrime contignatas offendimus , Propignea vero, & hypocauſta plaſte induſtria ita excellebant , vt nullibi elegantiora me vidiſſe meminerim. Illud autem mirum dictu in Aula quæ in altiſſimo arcis loco eſt, quatuor marmoreæ columnæ ingentis craſſitudinis erectæ ſunt, quæ in anguium morem contortæ , auratam trabium contignationem ſubſtinent, ſupra autem horrea auenæ , tritici , hotdei , tefertiſſima ſunt , vbi etiam (expoſitum enim cœlum in arcis faſtigio eſt) doliola pulueris plena, ad vſum bellicum parata erant.
Laus à re bellica. Inde ad tormenta bellica , poſtea ad machinam onerariam , molendinariamque
Laus à miro artificio. viſendam deſcendimus ; Ea huiusmodi eſt , ligna quadrata æquali , ab angulis, latitudine connexa ſunt, ad angulos (quatuot enim ſunt) ſinguli alligantur equi, meditulliumque quod ad ſupernum tabulatum attollitur, voluunt , cuius vertigine vicina etiam vertitur rota , funisque aglomeratur , qui ex præcipiti loco currus onerarios per ſemitam trabibus confectam , ad faſtigium arcis trahunt. At ſi reſtis rumpitur (contigit autem aliquando) tam præcipiti ruina , onus retrocedit , vt niſi ad multam camporum planiciem , reſidat. Dum ergo commeatus in arcem per machinam trahuntur , Trabs, quod meditullium appellaui , rotas in tabulato voluit, quibus ſatis frumentorum, molitur. Arce itaque perluſtrata , in vtbem regreſſi , cœnauimus opipare. Perendie, nam poſtridie
Reichenhall. ingens pluuia fuit , Reichallam , Ducum Bauariæ oppidum petiuimus , quod (mirum dictu) à vetula , (vt oppidani rettulerunt) inuidiâ , vel vt vicinum, à quo conturnelia laceſſita ſuerat , vlciſceretut, paulo ante combuſtum eſt , tamque repens ignis fuit , vt plures centum hominibus ſimul eum ædibus conflagrauerint, domus tantum remanſit in qua ſalſus puteus eſt , vnde maxima ſalis confectura exercetur , & quia quantum hominis ingenium poſſit animaduerti,
De puteo ſalſo in Reychenhall. locum quam breuitet potero ſcribam. Puteus eſt quinque vt arbitror paſſuum latitudine , ad imum vsque quadrato lapide altiſſimæ profunditatis , ad aquam ſexaginta fere gradibus deſcenditur , cuius duplex vt Alabarches oſtendit , ſcaturigo eſt. Nam aqua quæ ſalſedinem habet, in vado, vtpote ponderoſior craſſiorque

ſiorque reſidet, defecatior puriorque ſupernatat, quæ & multo ſalſa abundantior: ſed vt alteram ab altera haurientes ſeparent, miro vtuntur artificio. Nam ex monte, qui Salinariæ imminet, riuus præceps per canalem ligneum deſcendit, rotamque ingentis magnitudinis voluit, cuius impetu binæ item rotæ circumaguntur. Altera eſt quæ dulcem haurit laticem, ſuper qua quadruplex vrnarum ordo eſt eiusdem numeri: quilibet enim ordo ſexaginta continet vrnas, quæ ad imum circumuolutæ, aquam puram excipientes in ſublime exportant, atque in canalem antequam redeant in profundum, exonerant. Tanta aquarum abundantia, vt fluuiuſculus inde oriatur. Hoc enim vt fiat neceſſe eſt, quoniam maior huius aquæ (vt diximus) vena eſt, quam ſalſæ, ſi creſcere paterentur, ſalſa aut euaneſceret, quod nuper contigit, aut cum difficultate extraheretur. Altera rota in eodem tabulato poſita eſt, quatuor voluit cathenas, quæ per quatuor vtrinque longiſſimos cubos deſcendunt, ac redeunt. Cubi autem tanta ſunt longitudine, vt ad vadum vsque ſalſæ aquæ producantur, quæ vt à cathenis ipſis facile extrahi poſſit, iisdem per modica internalla fruſtra co-
p.350 riacea alligata ſunt, vt quam in redeundo conceperint aquam, quia peruium tuborum obcludunt, quodammodo in ſublime facilius expellant. Idque tam admirabiliter faciunt, vt quatuor inde riuuli naſcantur, qui per oppidum etiam ad ſalinarias diffuſi iugem ſalis confecturam ſubminiſtrant. Hæc contemplatus diſceſſi. Inde Chyzipelum oppidum, Tyroli quod ſub Gurcenſis Ditione eſt, peruenimus. Sextodecimoque poſt diem, quam Vienna diſcedimus, perpetua pluuia. Ponteſænos, id eſt *Inſpruck*, peruenimus, ibique treis moratus dies, cum Cæſari rerum à ſe geſtarum rationem reddidiſſet, ei vtquam primum iter capeſſeret, perſuaſit. Interim Balbus vir apprime litteratus, miſſus à Regibus orator aduentauit. Qui Hallam oppidum ad Ænum poſitum, vbi Cæſar conceſſerat, poſtridie iturus ferebatur. Oratores autem, qui apud Cæſarem morabantur, vel terreſtri itinere, vel nauibus Lynzum vsque cum peruenirent, Cæſaris aduentum vt expectarent, imperatum eſt. Gurcenſis Auguſtam profectus eſt, vt inde Praunam Norici oppidum petens vna cum Ducibus Bauariæ in Auſtriam nauigationem capeſſeret. Septimo igitur poſtquam Auguſtam petiuimus, Gurcenſis iterum cum nouis paludamentis aulicos donauiſſet, nono Cal. Julias transLycum per Vindelicos Noricumque magnis itineribus profectus eſt. Secundo enim die ad Phryſingum oppidum diuertimus, poſtero die luce iam crepera Iſerim fluuium, qui ex alpibus fluens in Danubium exoneratur, tranſuecti, Muldorphum ad Ænum, quadraginta millium paſſuum itinere confecto, non ſine equorum hominumque laſſitudine peruenimus. Nam cum ingens locorum planicies ſit, nimiumque aquarum tenax, non transfretare aquas, ſed natare videbamur; ſæpiusque periculum incautis imminebat. Nam vni aut alteri contigit, vt cum aliud (vt frequens fit) agerent, cum in lacunas, aut ponticulos, qui ſub aquis latitabant, diuulſos pene incidiſſent, cum aquis cœnoque ſubligarum tenus pugnam geſſerint. Illinc templum Diuæ Mariæ in Oethyng, miraculis refertiſſimum inuiſimus, quo in loco quæ relatu digna vidi, recitabo. Sacellum anguſtum eſt & rotundum; erectoque turbini perſimile, ingens templi, non ſolum Germanorum, ſed etiam externarum gentium frequentia eſt. Nam cum loci Beata Virgo tutelaris parens ſit, clementiſſimeque præſit, diuinis ſcatet miraculis. Ex altis enim rupibus cum ſeſſore equum præcipitem vidimus, equum animam exhalaſſe, ſeſſorem, cum Beatæ virginis auxilium implorauiſſet, incolumem euaſiſſe. Alium, cum in palum maximæ craſſitudinis incidiſſet, per inguem ad armos vsque transfoſſum, pientiſſima inuocatione, ſalutem recuperaſſe. Taceo per hoſtium turmas quosdam non viſos euaſiſſe: taceo perfractos carceres, disruptaque catenatorum vincula. Nam mortuos quoque quatriduo tanti numinis inuocatione, animam reſumpſiſſe, accepimus. Nuperque ante nos, cum Licus excreuiſſet, nauis abſorpta, cum nulla hominum iactura, ſub aquis fetebatur. Gurcenſis autem

Inſpruck.

Hall.

Freiſingen. Muldorff.

Templum D. Mariæ in Oethyng.

cum ſacro interfuiſſet, Marquardus Sperantiusque præpoſiti, Joannes Schenkh curiæ præfectus, Lamberghus canonicus Saltzburgenſis, animæ profecto candidiſſimæ, ego quoque vna, ad Donarium Diuæ, vt ſacram ſuppellectilem tantique nominis theſaurum inſpiceremus, perreximus, Eſt enim crux vna, Sanctique Dionyſii imagines auro argentoque puro factæ, quædamque huiusmodi alia non admodum multa, ſed quanti pretii ſint mox dicam, cum prius vnde illuc peruenerint, recitauero. Bauariæ Dux Galliæ Regis filiam vxorem duxit. Rex cum diem obiret ſuum, Dux in Galliam dotis gratia proſectus, huiusmodi clinodia (ſic enim appellant) tulit: quæ per ſucceſſionem Georgio Bauariæ Duci obtigere. Qui quidem cum magnam vim pecuniarum in Diuæ Mariæ Oethingenſis ærario eſſe inrelligeret, timens ne ædituorum incuria vel expilaretur, vel eam ſacerdotum auaritia inuaderet, accepta pecunia, ea ſcilicet gratia, vt Eccleſiam & opulentiorem efficeret, & cultum celebriorem, moritur; Burchauſiique arx, vbi eius quoque theſaurus erat, à Palatinis, propter recens cum Roperto matrimonium, occupatur, qui reſerato ærario theſaurum ſibi vendicant. Interim bellum Noricum ortum eſt: de quo nos duodecim li-

* *Auſtriados.* bros, * ſed poëtice admodum, quamquam ſparſim hiſtoria tractata eſt, ſcripſimus, pecunia militibus erogata. Sed clementia Maximiliani Cæſaris cum res

Palatinorum magnanimitas. pacata ſuiſſet, Palatini, & ſi propter atrox bellum exhauſti erant, vt Beatæ Mariæ pecuniam inſumptam acceperunt, auitam magnanimitatem præ ſe ferentes, Gallicam ſuppellectilem Virgineo templo obtulere. Quæ tanti pretii tum Smaragdis, Zaphyrisque, tum Balaſſis, atque Vnionibus pollicari craſſitudine ab auro, argentoque extuberantibus ſertur, vt ſexaginta millibus ducatorum venire ſacile poſſit.

Illinc ergo curribus ad Ænum vecti naues inſcendimus, veſperaque Praunam appulimus, vbi Vilelmus Herneſtusque Bauariæ Duces Gurcenſis aduentum expectabant. Perendie eius diei iterum Ænum, vnaque nobiſcum Vilel- p. 351
mus Dux nauibus faberrime concinnaris, Patauium vsque enauigauimus. Inde Lynzum, vbi Cæſarea Maieſtas Gurcenſem præſtolabatur. Ad ripam, vt in tanti principis aduentu mos eſt, cum innumeri mortales confluxiſſent, hos imprimis memoria complexus ſum. Oratores ſcilicet Pontificis, Regum Hiſpaniæ, ac Britanniæ, Archiepiſcopum Bremenſem proceræ ſtaturæ virum, Ludouicum Bauariæ, Albertum in Mechelburgk, Vlricumque Wirttenbergenſem, Duces. Calen. Julii ad Cæſarem itum eſt, Poſtridie Gurcenſis conuiuium celebranit, conuiuæ fuerunt Archiepiſcopus Bremenſis, Duces Wilhelmus & Ludouicus, Albertus, Vlricus, cœna ad longam noctem producta, poſtridianus dies conſultando inſumptus eſt. Ego ad Jacobum Baniſſum diuerti virum candidiſſimum, humaniſſimumque: & cum literatus ipſe ſit, literatos

Jacobus Baniſius. Stabius. non ſolum amat, ſed colit. Vnaque Stabius apprime eruditus, qui cum Hiſtoriarum ſerie, tum difficili mathematicarum rerum cognitione, ſecundus eſt nemini. Marquardus autem, Sperantiusque tempeſtiue & ipſi affucrunt, vbi ſatis & diſputando, & propinando, multo quam veneramus hilariores diceſſimus.

III. Idus Julii Cæſar Lynzo, cum pedibus laboraret, rheda vectus Laureacum, vt inde Vicnnam peteret, diſceſſit. Interim allatum fuit Reges, cum

Oratores Regii. aduentum Cæſaris intelligerent, Oratores cum quadringentis equis obuiam Viennam miſiſſe, quorum nomina inferius ſcribam. Nos autem poſtridie nauim inſcendimus, Gurcenſis cum reliquis aulicis ad diem alterum moratus eſt; Qui vna cum Duce Bauariæ, oratoribusque dum ad nos nauigat, ad ripam Danu-

Nauigatio per Danubium Cæſaris & Gurcenſis. bii Cæſar venabundus occurrit, nauimque inſcendit. Simulque cum omnes Cranio oppido applicuiſſent. Cæſar cum oratoribus Ipſyum oppidum, quindecim confectis millibus paſſuum petiit. Gurcenſis Greinii pernoctauit. Mihi vero nunquam excidet memoria, quam peſſime ſtabulati ſumus, idque Xenoprodromorum noſtrorum cum omnium bipedum nequiſſimi ſint, incuria patratum

tratum eſt, atque adeo magis ægre ferendum, quod tam abiectum hominum genus, cum vni aut alteri fecerint ſatis, tertium ſibi locum vendicant, ſuoque ipſorum iure abutuntur. Cæterum ego in hac deperdita audacia nullum prius remedium repperi, quam ea quæ vitari non ſine iactura poſſunt, æquo animo ferre, atque in aduerſis occallere. Illud autem cum veniæ præfatione recenſendum eſt. Siquidem tanta diobolarium ſcortorum vis intra naues, quæ ad fornicalem quæſtum Viennam proficiſcebantur, apparuit, vt maiorem meretricum annonam me vidiſſe nullibi meminerim. Gurcenſis itaque, Wilhelmus de Rapoltſtain Cæſarianæ curiæ magiſter, & Serentanus magnus Imperatoris Cancellarius, cum Phœbus (vt apud Actium eſt) iam Albicaſceret & recentaretur, commune lumen hominibus & voluptas, ſatis bene ientati. Ipſyum ad Cæſarem nauigauerunt, vbi aliquot horas conſultando inſumſere. Inde monaſterium Melicum vbi Sancti Colomanni ſepulchrum eſt, quindecim millium paſſuum nauigatione transmiſimus. Cœnobium in monte poſitum inſtar oppidi eſt, quod cum & ſitu & propugnaculis bellicis munitiſſimum ſit, Matthias Pannorum Rex cum totam fere Auſtriam ſubegiſſet, nunquam cogere ad deditionem potuit. Poſterus dies cum illuxiſſet, Viennam verſus nauigandi cupido inceſſit, inter remigandum ſiniſtra ripa (quod priore nauigatione omiſeram) Dirnſtainum oppidum, viginti millibus paſſuum confectis, offendimus nec longius quinque paſſuum millibus Stainum, Cremeſumque Cæſariana oppida. Inde quadraginta millibus paſſuum ad Neuburgium Monaſterium, quod ad radices fere montis Cetii, qui Pannoniam à Norico diuidit, poſitum eſt, vecti ſumus. Mons elato ſupercilio continuus ad Danubium vsque porrigitur, finiturque ad ripam, atque vbi deſinit altior factus, in vertice arcem habet, qui quoniam recaluaſter olim fuerat: *Calenberg* dicta eſt, nunc autem ſuperne ingens arborum fertilitas, à medio radicum tenus vineta creſcunt. Sed quanto magis ad Alpes (vt mihi à longe viſus eſt) introrſus tendit, tanto lenior depreſſiorque videtur. Aliqui Cetium montem non hunc, ſed qui infra Celeiam eſt affirmant, aliqui Budam nauigantibus offerri montem dicunt, quod ego cum eſſem illic minime indagaui, cui cum *Plindenberg* nomen ſit, id eſt mons cæcus, hunc eſſe Cæcium montem arbitrantur. Cum igitur ambiguitas apud indigenas ſit, ſuo quisque ingenio iudicet; cum ego iam pro confeſſo, vbi mons Cæcius ſit, acceperim. Nos itaque illinc propero curſu Viennam verſus profecti, paruo interuallo aberamus, cum naues Archiepiſcopi Bremenſis, ac Alberti de Mechelburg, Ludouicique Bauariæ Ducum, Oratorumque Pontificis, ac Hiſpaniarum Regis, ſe noſtræ coniunxerunt. Qui quidem, vt maiore cum maieſtate Gnrcenſis Viennam ingrederetur, omnes in noſtram ſe nauim contulere,
p.352 quam helciariis à puppi trahentibus, non remis, ſed remulco aliquamdiu quodammodo vſi ſumus. Inde helcio complicato propero curſu, Viennenſi ripæ, quam innumeri occuparant mortales, veſpera appulimus. Egredientium ordo talis ſeruatus, poſt longum nobilium, illuſtriumque vitorum ordinem, qui ante poneque ſequebantur, Archiepiſcopus Bremenſis, Albertus de Mechelburg, Wilhelmus & Ludouicus Bauariæ Duces præibant, pone Gurcenſis ſequebatur, cui vtrinque Pheltrenſis Epiſcopus, & Petrus Vrrea Pontificis, Regisque Hiſpaniæ oratores adhærebant, viri inter mortales oppido quam abſoluti; à tergo Epiſcopi tres ſequebantur, Reginonenſis quem nunc Ratisponenſem vocant, Comes Palatinus, Patauienſis, Viennenſis, Marchioque Brandeburgenſis, Cæſarianæque curiæ præfectus, Serentanusque, nobiliſſimus quisque confertim ſubibant. Ita tanta principum, cæterorumque pompa Gurcenſis ingreſſus eſt, vt nihil maius neque fieri neque cogitari potuerit. Interim dum ego de oratoribus Regiis, quos obuiam Cæſari ituros intellexeram percontor, relatum fuit in oppido eſſe, Cæſarisque aduentum auidiſſime expectare. Nomina autem paulo poſt in literis regiis, quas inſeram, explicabuntur. Quinto autem Idus Julias, Cæſar è Peſempeuco arce ſoluens, nox cum multa eſſet, Viennam ingreſſus

Melicum monaſterium.

Dirnſtain.

Stain.

Crembs.

Neuburg.

Quædam de Cetio, monte. Calenbenberg.

Plindeberg.

Cæſaris aduentus Viennam.

Regum oratores à Cæſare admiſſi.

greſſus eſt. Nam Gurcenſis cæterique Conſiſtoriani, vt de Oratoribus admittendis, deque aduentu Regum conſultarent, ad Cæſarem profecti ſunt. Vbi, Orarores ſtatim intelligerentur, decreuerunt. Itaque vt honorifice deducerentur, Ratisponenſis, & Patauienſis Epiſcopi, Ludouicus Bauariæ, Albertus de Mechelburgk Duces, Proceres Wilhelmus de Rogendorff, miſſi fuerant. Iis ergo à Cæſare comiter exceptis, literæ Regum Hungariæ, Sarmatiæque (Ludouici enim oratores verbis honorifice mentionem fecerant) in hunc modum receitatæ ſunt.

SERENISSIMO AC EXCELLENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO MAXIMILIANO, DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ELECTO ROM. IMPERATORI SEMPER AUGUSTO, AC HUNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, &c. REGI, ARCHIDUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, &c. COMITI PALATINO, FRATRI, ET CONSANGUINEO NOSTRO CHARISS. ET HONORANDO.

SEreniſſimo ac excellentiſſimo Principi & Domino, D. Maximiliano Diuina fauente clementia, &c. Fratri & conſanguineo noſtro chariſſimo & honorando, Vladislaus Hungariæ & Bohemiæ, &c. Sigismundus Poloniæ, &c. Dei gratia Reges, Salutem, & fraterni amoris, ac felicitatis perpetuum incrementum. Sereniſſime Princeps & Domine Frater, & conſanguinee noſter chariſſime, poſt tam longam expectationem noſtram, cum cognouiſſemus veſtram Maieſtatem Viennam adueniſſe, magnitudine rerum ſimul & fraterni amoris affectu perſuadente mox ad eam oratores, & conſiliarios noſtros Reuerendos in Chriſto patres, Dominum Georgium Quinqueeccleſienſ. Cancellarium regni Hungariæ, & Joannem Posnanienſ. epiſcopos, ac ſpectabiles & magnificos, Ladislaum de Sternbergk regni Bohemiæ Cancellarium, Moyſem Bnuslaii de Serdlacha magiſtrum curiæ, Lucam de Gorza Caſtellanum Posnanienſ. & Capitaneum matoris Poloniæ generalem, & Chriſtophorum de Schydlouiczk Caſtellanum Sandomirienſ. & regni Poloniæ Cancellarium, miſimus, qui veſtram Maieſtatem nomine noſtro viſerent, & ſalutarent, ac nonnulla negotia mutuum noſtrum congreſſum concernentia eidem exponerent. Quapropter rogamus, dignetur veſtra Maieſtas omnibus in rebus, verbis eorundem oratorum æque ac noſtris fidem habere. Sacram Maieſtatem veſtram incolumem ac felicem in longum æuum, à Deo Opt. Max. cupimus conſeruari. Datum Piſonii prima die Menſis Julii. Anno M. D. XV. Regnorum noſtrorum Hungariæ. XXV. Bohemiæ XXXXV. Poloniæ vero anno nono.

Oratorum oratio.

QVIBVS perlectis Archiepiſcopus Quinqueeccleſienſis expleſis iis qui ex multis videbantur ex Aula, orationem ſatis ornatam, ſed prolixiorem quam ipſe fortaſſe locus expoſceret, orſus eſt, in qua poſt gratulationem de Cæſaris aduentu Regibus iucundiſſimo, eorundemque in Cæſarem relatam beneuolentiam atque officia; cum magnifice Imperatoris laudes proſequutus fuiſſet, ad pacem concordiamque ineundam, ac expeditionem in Turcas ſuſcipiendam orationem conuertit, mediusfidius ſatis eruditam, niſi hanc vltimam partem, quam ego in communem Regum conuentum potius reiecciſſem, nimis Aſiatice, id eſt, copioſe tractauiſſet. Peracto tandem orandi munere, cum de more Gur- *p. 353*

Laus Motæin reſpondendo.

cenſis, qui ad latus ſeſſitabat, Setentanumque ac Doctorem Motam in conſultationem Cæſar auocaſſet, Petro Moræ Hiſpano ſed (vt illa ſert gens) viro erudiro grauique, reſpondendi prouinciam impoſuit. Qui vt Cæſarem tædio liberaret, cum primum oratorem aduentu Cæſarem lætatum dixiſſet, laudibusque non vulgaribus orationis concinnitatem extuliſſet, amorem autem ac beneuo-

lentiam

lentiam Regum in Cæſarem, & ſi multo ante perſpectam, tamen & literis Reuerendiſſimi Gurcenſis, & verbis teſtatam ſatis eſſe affirmauit. Pacem vero, vt contra Turcas expeditionem pro Catholica fide facerent (quod & Cæſar ſemper ab ineunte ætate optauit) oblatam ſæpius ne dum deſideratam accepiſſe. In fine cum tam longæ expectationis excuſationem, afferens Cæſarem tempori aliquando obſequi oportere, cum tantum imperium nouis indies ſubindeque naſcentibus curis prematur, non minus eleganter, quam vere inſeruiſſet, ita feliciter auguſte reſpondit, vt Cæſari nihil gratius ipſa denſa fuerit concinnitate. His peractis oratores prius diſceſſerunt. Gurcenſis pone cum domuitionem capeſſeret, ab Archiepiſcopo Bremenſi, Wilhelmo, Vlrico, Bauariæ, Wittenburgenſique Ducibus, Caſimiroque Marchione Brandeburgenſi, comitatus eſt, tam ingenti tubarum tympanorumque clangore ac ſtrepitu, vt Mars Idæque mater ſimul coiiſſe videretur. Die autem qui ſecutus eſt, ſuper Regum aduentu multa tractata ſunt. Veſpera Gurcenſis conuiuium celebrauit, diſcumbentes fuerunt Archiepiſcopus Bremenſis, Epiſcopus Ratisponenſis, Epiſcopus Labacenſis, Duces Albertus & Vlricus viri ſumma apud Germanos & autoritate & potentia memorabiles. *Gurcenſis conuiuium.*

Poſtquam exempta fames, menſisque micantibus auro
Inſtauratus honos, frontique eſt reddita demum
Lætitia.

Vt quidam poëta cecinit. Gurcenſis ad Cæſarem ſe contulit, è veſtigio Regii oratores adfuerunt, omnesque cum in Cæſarea Aula conueniſſent, Mota vir acris ingenii, cum multa rurſus (id enim Cæſar mandauerat) de Regibus copioſe ornateque diſſiſſet, orationemque quæ ante habita fuerat commendaſſet, Cæſaris mandato in ea parte, in qua de ſuſcipienda in Turcas expeditione tractabatur, pluſculum immoratus eſt, addito; *Cæſari, vt ad conuentum res iſta integra ſeruaretur, placere: in reliquis autem* (non enim his præſens Cæſar fuerat) *Gurcenſi imprimis, cæterisque conſiliariis, quæ tractanda erant, dicerent.* Itaque de aduentu Regum cum ſatis vltro citroque diſceptatum fuiſſet, Oratores à Cæſare redeundi licentiam cepere; quibus vt ex ſententia factum ſatis videretur, Gurcenſis etiam orationem habuit, vtpote qui heſternæ concioni vel reſpondendo quippiam adderent, vel quia Cæſar tanto viro dicente maiorem in Reges affectum oſtenderet. Hoc tamen compertum habeo, longam ſatis, ſed citra faſtidium, ornatamque orationem extemporaliter habuiſſe. Quod poſtquam reſciui, animo mirum in modum non interfuiſſe, diſcrutiatus ſum. Nam quam erudite ſapienterque verba faciat Princeps omnium mortalium ad vnguem perfectiſſimus abſolutiſſimusque, ſæpius & audiui & admiratus ſum. Nam ex eius ore mel fluere, quam verba, vt in Neſtore Homerico, potius dixerim: talemque dicendi ſuadelam Veneremque, qualis in Periclis labris ſeſſitaſſe fertur, percipi. Vt proponit breuiter ac dilucide, vt ornate diuidit, diſputatque, ſubtiliter, vt reſumptionem rerum in fine feliciſſime proſequitur. Quod ſi alicui reſpondendi detur prouincia, profecto (ſi quid iudicii in me eſt) vidi neminem, qui maiore memoria ſuperflua non ignarus præteriret, partium ordini denſius reſponderit, breuius concluſerit, ac vbi neceſſitas cogit, erudita quadam latitudine ſine diſpendio tum verborum, tum temporum concinnius orationem diffuderit. Legati itaque cum tertio Idus diſcederent in conſilio, vt ſex mutuo Oratores ad Reges mitterentur, actum eſt. Miſſi ſunt Archiepiſcopus Bremenſis, Epiſcopus Labacenſis, Wilhelmus Bauariæ Dux, Caſimirus Marchio Brandenburgenſ. Wilhelmus de Rogendorff, Moraſcki Boemus, viri tum genere clariſſimi, tum gerendarum rerum adminiſtratione ſolertiſſimi. Dum hæc tractantur nunciatum eſt, duo millia Carnorum peditum à Cæſarianis ptope Celeiam Norici oppidum Duce Jo. Hermeſtenio profligata eſſe. Quamobrem tam proſperis auſpiciis credo aut ſeruitiorum internitionem omnino fere, aut clementia Cæſaris rem mitiorem exitum habituram. Gallorum item in Inſubres expedi- *Alludit ad ſuum poëma.* *Gurcenſis eloquentia.* *Oratores Cæſares ad Reges. Strages Carnorum obiter.* *Gallorum quædam obiter.*

expeditionis indies rumor percrebreſcebat, in exercitu viginti millia Germanorum peditum, cataphractorum tria millia ferebantur. Heluetii anguſtias Alpium, vt tranſitum prohibeant, occupauiſſe. Rex Hiſpaniæ ad radices Pyrenæi, validas peditum legiones habere, vt cum primum Galli Inſubriam inuaſerint, igne, ferroque, ſuperatis montium iugis, prouinciam vaſtaturus inuadat. Ita infelix Italia, vndique expedita laceſſitur, mutuumque eiusdem priſtinæ magnitudini ac potentiæ rependitur. Vltro enim & nouis repertis cauſis externarum olim gen- P. 354
tium regna occupauit, Europæ, Africæ, atque Aſiæ imperium obtinuit: nunc autem ſuæ magnitudinis oblita, ſe ad prædam omnibus obiicit, idque mortalium nequitia inualeſcente, abolitaque morum diſciplinâ, accidere coniicio. Nam olim vt optimus ac prudentiſſimus quisque res publicas gubernabat, ita nunc peſſima quæque flagitioſiſſimaque ingenia, rebus publicis, ne ſuis quidem penatibus parcendo, exitium parant, tantumque abeſt, vt vnum vel alterum qui merito nobis imperare deberent colamus, ſed modo harum, modo illarum partium aſſeclæ, nobis minime fidi, in commune ruimus malum. Sed hæc interim æquo animo ferenda, donec principum maximus, pacato Septentrione, potentiam ſuam, vnde noſtra pendet libertas, triumpho declaraturus oſtendat.

Deploratio Italiæ.

Idibus Julii Cæſar cum partibus copiarum Vienna egreſſus eſt, principes ſecum quamplurimi profecti ſunt, quorum nomina, cum omnium nomenclaturam aggrediar, ſcribam. Viginti igitur confectis millibus paſſuum Trautmansdorfum oppidum, Cæſar vnaque Gurcenſis perierunt; alii alibi, vt quisque ſibi hoſpites parare poterat, diuertebant. Reges vero alter in Hainburgio ad Danubium oppido, alter in Pruchio cum Rege Ludouico, atque Anna filiis permanſerunt. Poſtridie eius diei XVII. Calen. Auguſti Cæſar ad Reges iter cepit. Qui quidem in latiſſimo loco, vbi oportuna explicandis copiis regio erat equitabilis, & vaſta planities ad ſyluam duram; è regione Carnuti, olim ſub Imperatoribus M. Antonino cognomento Philoſopho & Commodo clariſſimi, vbi ad ætatem noſtram maxima vetuſtatis rudera cemuntur, inter Danubium Leytamque fluuios ſiti, tentoria fixerant; horamque Cæſarei aduentus feliciſſimam ſub pellibus expectabant. Cæſar itaque, cum Pruchium dextra reliquiſſet, per iugum non admodum editum, profectus eſt, pauloque longius progreſſis Cæſarianis, pulcherrimum innumerarum diuerſarumque gentium, quæ in ſubiecta planicie vagabantur, ſpectaculum oblatum eſt. Tentoria cum propter candorem, tum quia latiſſima erant, tanquam in cliuis editioribus nix eſſet, videbantur, quæ in parte fixa erant, qua paulatim inſurgit æquor, ſeſeque in iuga extollit. Idque ex induſtria factum puto, Nam pone per dorſum, quantum iugum extenditur, turmæ velitum diſpoſitæ, melius quam quæ in plano erant, diſcernebantur. Verum Cæſariani multo maiori illis admirationi fuere: quippe qui non parmulis tantum, ligneisque (vt earum gentium mos eſt) paludamentis ornati erant, ſed armis equorumque dorſualibus (vt ait Capitolinus) apricis diſcoloribus præfulgentes, tanquam ad bellum ituri, ſub ſignis micabant. Cæſar itaque cum ex iugo ad planum deſcenderet, ipſe dextra cum parte copiarum, reliqui ſiniſtra profecti ſunt. Cum itaque ad planitiem ventum eſſet, ordo incedentium talis fuit. Aulici omnes qui inermes erant, præceſſere; pone Ephœbi duodeni, (vt arbitror) nobili genere prognati, ſerico induti plumatili ingentes equos mirificeque phaleratos inſidebant, à tergo Cæſar penſili rheda vehebatur. Quem Gurcenſis Cardineo inſigniter habitu ornatus vel poſt, vel ad latus vna cum oratore Anglico ac magnis Ducibus aſſectabatur. Poſtremo cataphractorum, velitum, & ii in treis diuiſi turmas, ingens numerus ſubibat. Primus ordo Magnorum Ducum ac principum erat, qui Bardatis mira varietate equis, grauiter bellicoſeque prouehebantur. Aliqui enim lato clauo tectos equos habebant, alii plumatili ſerico, ii argento, ii duriſſimo nitidiſſimoque opertos calybe. Vnus tamen cæteros præſtare videbatur: qui

Trautmansdorff.

Carnuntum.

Copiarum Regum, ac Cæſ. laus.

qui bardas non ſerico auroue, ſed pretioſiſſimis vnionibus tectas habebat : quæ quanti æſtimatæ ſuerint, aliorum ſecutus iudicium pretii triginta millium ducatorum fuiſſe affirmarim. Rebus ita compoſitis Cæſar ad Reges, qui & ipſi obuiam venire cernebantur, duobus equitum millibus comitatus, prouehi cœpit, dum paululum progrederentur. Epiſcopus Vacienſis vir candidi ingenii, & literis apprime eruditus, & Ambroſius Sciarzo inter aulicos Pannoniæ Regis facile princeps, Regum nomine feliciſſimum Cæſaris aduentum excepere. Inde copiæ vtrinque procedere, tubæ elangere, tympana perſtrepere, equorum hinnitus, innumerarumque gentium voces increbeſcere, tantaque mortalium varietas occurrebat, vt Doriſcum, in quo Perſicæ copiæ numeratæ ſunt, memoria frequenter repetiuerim. Itaque vt Cæſar Regesque ad punctum (vt ita dicam) conuenirent, Pirus proceræ altitudinis in centro fere planiciei, meditullii inſtar, erecta fuerat, ad quam hinc Cæſar, illinc Reges, æquis incedentes paſſibus, tenderent coirentque, ſed antequam cætera proſequar, hoc quoque tradendum memoriæ eſt. Legati Regii dum apud Cæſarem negotium tractarent, diu multumque inſtitere, vt Cæſar pateretur Reges ex equis deſcendere, vt ſecum maiori ſalutandi veneratione fungerentur. Idque cum ſedulo (ſic enim
P. 355 Reges mandauerant) efflagitauiſſent, Cæſar, qui humanitate cunctos ſuperat mortales, quanquam ægre, tamen ne quispiam illorum deſcenderet, impetrauit. Itaque antequam ad feliciſſimam arborem omnino coirent, Ludouicus Bohemiæ Rex, Reginaque Anna ſoror obuiam, vt Cæſarem exciperent, proceſſere. Hic ex equo Cæſarem in rheda poſt iunctam dextram latine his verbis ſalutauit : *Sacratiſſime Cæſar, ego ſaluto Maieſtatem veſtram, tanquam patrem & dominum meum.* Secundus ſalutandi locus, ex aurea rheda qua ſola vehebatur, Annæ Reginæ datus eſt. Sed cum ad arborem peruenisſent, tertius Vladislaus Pannoniæ Rex ex geſtatorio & ipſe magna Cæſarem ſalute impertiit. Qui cum (vt dixi) ſenex admodum ſit, & plurimum Cæſarem diligat, cum ſalutaret, longiuſcule lachrymatum ſerunt, multisque verbis & ornatis in commendationem tanti conuentus vſum, perpetuoque huiusmodi affinitates concordiamque duraturam precatum eſſe. Poſtremæ partes Sigismundi Sarmatiæ Regis fuerunt. Qui peracto ſalutandi officio, diutuleque detenta Cæſaris dextra, his latine verbis vſus eſt : *Sereniſſime Cæſar, ſit hic conuentus noſter felix & fauſtus, Nobis, ſubditis noſtris, & toti Reipublicæ Chriſtianæ.* Alii autem referunt, qui propius me erant, Cæſarem prius dixiſſe, *Ecce tandem aduenit dies, qua ſimul conueniremus, exultemus & lætemur in ea.* Cui Rex, *ſpero ſereniſſime Cæſar, quod iſte dies ſit futurus felix & fauſtus nobis, Regnis noſtris & Reipublicæ Chriſtianæ.* His finitis pauliſper alter ab altero receſſere, vt vacuus daretur locus, quo præclariſſimus quisque mutuo Imperatoris Regumque dextras de more amplecteretur. Interea Gureenſis Cæſaris nomine cum Regem Vladislaum, vna cum liberis, vt Viennam proficiſceretur, rogaret ; Reſpondit Purpuratos ſuos id ſummopere, tum quia non poterat ſine Regni iactura, tum etiam quia bellum cum Turcis nuper inſtabat, diſſuadere. Hoc dixit, vel quia à Cæſare rogari volebat, vel vt maior fratris in Cæſarem affectio oſtenderetur ; de qua mox dicam, vel (quid verius ſuſpicor) quorundam, qui hanc rem infectam volebant, ne vlterius Reges procederent, ſententiam fuiſſe. Itaque Gurcenſis cum rem animo voluereret, & quorſum euaderet intelligens, Regem Sarmatiæ adiit, eundemque Cæſaris nomine rogauit vt vna Viennam peteret, addito : *quanquam Sereniſſimo Vladislao conſiliarii, vt quo minus Viennam cum liberis petat, pertinaciter perſuadeant, idque firmiſſime illius animo inhæreat.* Cui Rex, vt eſt prudentiſſimus, vtque ſuam in Cæſarem fidem penitus oſtenderet, ſic fertur reſpondiſſe : *Ego ex Sarmatia, relicto regno, & patrio ſolo, vt Cæſarem Auguſtiſſimum conuenirem, huc profectus ſum. Quamobrem non Viennam ſolum ſi ſua iuberet Maieſtas, ſed etiam vlterius peterem, cum nunquam animum induxerim quippiam in nos, niſi quod bonum deceret principem, facturum, quod Frater cum liberis purpuratorum conſilio*

Pirus pro termino.

Cæſaris humanitas.

Vt Cæſar Regesque coirent.

Ludouici Verba ad Cæſ.

Vladislai regis verba.

ſe minime venturum dixerit, Ego fratrem meum & nepotes vna mecum ducam, qui vero ſequi noluerint, vt lubet, faciant, Quare Reuerendiſſime princeps, Cæſari cuius ſim ſententiæ, & vt tu plane facere conſueuiſti, cumulatius referto. Talia cum dixiſſet, Gurcenſis Regem amplexus, *latiſſimum*, inquit, *nuncium Cæſari, qui nunquam de tua erga ſe fide veritus eſt, feram.* Statimque cum fideliter omnia ab eo relata fuiſſent, aiunt Cæſarem lachrymas non continuiſſe, ac propius accedens: *Sereniſſimi Reges, nihil eſt ait, quod vereri debeatis: Nam Vienna vrbs noſtra eſt, in qua à me perinde atque fratres & amice & regaliter excipiemini. Idque vobis ſub Imperiali fide facturum polliceor.* His cum omnes aſſenſi fuiſſent, rebusque feliciter compoſitis, diſſolutus conuentus eſt. Cumque Germanici cataphracti, velitesque armis nitidiſſimis fulgentes, per æquor diffunderentur, Ludouicum Regem, qui adhuc puer eſt, ferunt dixiſſe, *Sic vellem vt Cæſar, pater meus etiam mihi copias compararet.* Mirum profecto in puero. Nam & amorem in Cæſarem, addito patris nomine, oſtendit, & indolem bellicarum rerum auidam præ ſe tulit. Nec mora confertim omnes ad diuerſa iter loca cepimus. Cæſar Regesque venatum (nam vbi colles deſinunt, in plano denſiſſimum nemus, aptiſſimumque venationi eſt) iuerunt. Gurcenſis veſpera cum paucis admodum Laxomburgum, vbi Cæſar diuerterat, petiit. Nos cum prodromos noſtros quærendo ad multam noctem laſſi fuiſſemus, tandem ad pagum forte, vbi oſcitantes ac ſine vlla noſtri cura morabantur, peruenimus mane ad Cæſarem, qui ex oppido cum paulo vlterius proceſſiſſet, Gurcenſis dextrorſum ad Reges excipiendos iter cepit. Paulo poſt Regis Sarmatiæ vexilla à longe videri cœpta. Gurcenſis paucorum feruitio vſus (reliqui enim præceſſerant) venienti obuiam ſe tulit, tantiſperque morati ſunt, donec Cæſarem à leua venientem excepere. Vltimus Rex Pannoniæ cum liberis, diu tamen expectatus, aduenit. Interea ex Vienna (parum enim aberant) duum millium virorum, *Lantsknechtos* patrio nomine appellant, peditatus obuiam exiit, omnes nitidiſſimis thoracibus, brachialibusque ferreis ac macharis ornati erant, plurimi lanceas, pauciores alabardas ferebant, qui & ſi propter armorum genus, ordinemque militarem, tum vel ob hoc admiratione digni videbantur, quod omnes rubea paludamenta, eademque expeditiſſima (vt patrius mos eſt) ferebant. Cum itaque pluſculum temporis in huiusmodi ſpectaculo inſumptum fuiſſet, pluuia ſuper orta eſt. Ego ad vrbem me contuli, vt inde introeuntes exeuntesque ex ſententia recenſere poſſem, interim pluuia ingraueſcit, turbatusque pauliſper ab initio ordo eſt. Nam duo millia fere equitum (vt coniicere potui) turmatim propero curſu vrbem ingreſſa ſunt, reliqui, quantum per iugem nimbum fieri potuit, ordine non admodum turbato, procedebant. Et quoniam hic locus, Principum, Ducum, ac illuſtrium virorum Nomenclaturam expoſcere videtur, à Cæſarianis ordiar:

Laxemburg.

Gurcenſ. in Reges officium.

Cæſ. Regesque iterum conueniunt.

P. 356

NOMENCLATURA CÆSARIORUM.

PRÆLATI ET PRINCIPES.

Reuerendiſſimus Cardinalis Gurcenſis, coadiutor Saltzburgenſ. generalisque Imperii Locumtenens.

Laurentius Epiſcopus Feltrenſis, oratot ſummi Pontificis.

Petrus Vrrea, orator Regis Hiſpaniæ.

Robertus orator Regis Angliæ,

Archiepiſcopus Bremenſis, ex Ducibus Brunſuicenſ.

Epiſcopus Ratisponenſis, ex Ducibus Bauariæ.

Vigileus Epiſcopus Patauienſis.

Chriſto-

Chriſtophorus Epiſcopus Labacenſis, adminiſtrator Secouien.
Bertholdus Epiſcopus Chiemenſis.
Georgius Epiſcopus Viennenſis.

DUCES ET PRINCIPES.

Wilhelmus Dux Bauariæ & Comes Palatinus,
Ludouicus Dux Bauariæ & Comes Palatinus,
Caſimirus Marchio Brandeburgenſis,
Albertus Dux de Mechelburg,
Vlricus Dux de Wirtenberg.

COMITES.

Bertholdus Comes de Hennenberg.
Georgius Comes de Montfort.
Carolus Comes de Oetting,
Georgius Comes de Schaunburg.
Hoyr Comes de Mansfeld.
Nicolaus Comes de Salin.
N. Comes de Weſterburg.
Joannes Comes de Hardeck.
Vlricus Comes de Hardeck.

PROCERES.

Wilhelmus de Rapoltſtain cum filio, Cæſareæ curiæ magiſter.
Ciriacus de Polhaim.
Ludouicus de Polhaim.
Erhardus de Polhaim.
Filii Domini Pauli de Liechtenſtain.
Wolffgangus de Liechtenſtain.
P. 357 Leonardus de Liechtenſtain.
Hartmanus de Liechtenſtain.
Georgius de Liechtenſtain.
N. de Starchenberg.
Senior de Scheftenberg, & tres eius filii.
N. de Puchaim.
N. de Puchaim.
Wilhelm de Zerling.
Chriſtophorus de Zinzendorff.
Sigismundus de Dietrichſtain.
N. de Traun.
Fratres duo de Rogendorff.
N. de Papenhaim.
Joan. Jacob de Landau.
N. Rauber Marſchalcus curiæ Cæſaris.
Thomas Fuchs Capitaneus Ratisbonenſ.
Albertus de Wolffſtain.

Primores viri à Secretis & Conſilio.

Cyprianus Serrenteiner, Magnus Cæſ. Cancellarius.
Jacobus Villinger Supremus Cæſ. theſaurarius.
M. Præpoſitus de Valkirck.
Jacobus de Banniſſis.

Petrus de Mota Theologiæ Doctor.
Joannes Renner.
N. Ziegler.
N. Phintzing, Præpoſitus Nurnbergenſis.
M. Phintzing quæſtor, vel pecuniarum expendendarum magiſter.
Paulus Oberſtainer, V. I. D.
N. Vinſterwalder.

Oratores Cæſaris ad Reges.

Marquardus de Stain, præpoſitus Bambergenſ.
Wilhelmus de Rogendorff, Baro.
Laurentius Saurer, Conſiliarius Cæſaris, & Vicedominus per Auſtriam.
Gabriol Vogt, Secretarius & Conſiliarius Cæſ.
Jo. Moraſcki, Baro.
Cuſpinianus, doctor medicinæ.

Regni Pannoniæ Bohemiæque Nomenclatura.

Reuerendiſſimus Cardinalis Strigonienſis.
Archiepiſcopus Colocenſis, Comes de Frangapanibus.
Georgius Epiſcopus Quinqueeccleſienſis.
Epiſcopus Olomucenſis, Thurſo.
Epiſcopus Vacienſis.
Epiſcopus Gaurienſis.

Principes viri ac Proceres.

Georgius Marchio Brandenburgenſis.
Carolus Dux Minſterbergenſis.
Joan. Comes de Canitſcha.
Ladislaus de Srernberg, regni Bohemiæ Cancellarius.
Albertus de Pernſtain, regni Bohemiæ Camerarius.
Heinricus Botzku de Kannſtat.
Adam de Newhaus.
Iheresłaus de Schellenberg. p.358
Albertus de Sternberg.
Moſes Hunslau de Serdlacha, præfectus curiæ.
N. Bornamiſſa.
N. Pormanintzki.
Ambroſius Scharco.
Paulus Dieck, theſaurarius.
Orſagh.
Petrus de Erdundt.

Multi præterea alii viri præclariſſimi, quorum dignitatem atque gradus cum minime norim, veniam ab iis, qui legent impetratam velim, neque vero ob hanc gratiam libello iraſcantur. In menſa (ſi volent) locum digniorem occupent, aut in templo, ſubſelliisue. Hic nomenclatura non ordo quæſitus eſt. Illud autem affirmare audeo, quanto Imperialis Maieſtas ſui magnitudine cæteris præſtat regnis, tanto eadem clarioribus viris externas gentes facile anteeellit.

REGIS

REGIS SARMATIÆ NOMENCLATURA.

PRÆLATI.

Epiſcopus Vladislauienſ. Matthias Dreuitius.
Epiſcopus Posnanienſ. Joannes Ludobrantzki.
Epiſcopus Premislienſ. Petrus Tomicius, & regni Poloniæ Vicecancellarius.

PRIMORES VIRI.

Nicolaus Firlei, Palatinus Sandomirienſis.
Nicolaus Palatinus Vilnenſ. & magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius.
Andreas de Tenczin, Palatinus Lublinen.
Georgius de Bayſen, Palatinus Mariæburg.
Lucas de Gorza Caſtellanus Posnanienſis, & Poloniæ maioris Capitaneus generalis cum filio.
Chriſtophorus de Scydlouitz, Caſtellanus Sandamirienſ. & Regni Poloniæ Cancellarius.
Andreas de Coſtzeletz, regni Poloniæ theſaurarius.
Nicolaus de Scydlouitz, Caſtellanus Radomienſis.
Stanislaus Oſtrorog, Caſtellanus Calliſienſ.
Stanislaus Halitzkii, Mareſcalcus Regni.
Joannes Pileczki, Capitaneus Lublinenſis.

Ii omnes ad conſilium admittuntur. Multi præterea, qui gentilicio nomine *Palatini* appellantur, qui auro, argentoque & equitatu ornatiores videbantur. Itaque Wilhelmus Dux Bauariæ cum ingenti Cataphractorum manu, ante omnes (quanquam Gurcenſis Aulici præceſſerant) vrbem ingreſſus eſt, pone Caſimirus Marchio Brandeburgenſis. Inde Hennenberg. Rauber Cæſaris Mareſchalcus. Poſt Comitum Cæſarianorum turmæ. Nobiles Auſtriæ ſupra infraque Anaſum viri ſequebantur. Inde Jacobus de Landaw, ac Thomas Fuchs, ac Domini de Polhaim cum multis equitum turmis ſuccedebant. A tergo Moſchi erant, hippotoxotæ fere omnes, Polonique, ac Pannones, quorum quisque deſultorium equum manu ducebat, in quem vel ardentiſſimo curſu tranſiliunt, quod Poſonii quendam patria Myſium, dum Reges ludos equiria celebrarent, factitaſſe vidimus, pone Albertus de Wolffſtain: Centenique fere patagiati, veſtibusque pretioſis induti. Confertim Poloni, Hungarique ſequebantur. Verum in his, quæ tum propter diuerſarum gentium habitus, tum quia iugis pluuia (vt dicebam) internoſcere ordinem minime patiebatur, malo conniuere, quam ſolertiore cura ea perſcrutari, quæ recitari nequicquam, niſi falſo poſſunt. Secutus eſt & alius ordo, qui ad cultum Cæſaris Regumque præcipue pertinere videbatur. Nam duodeni nobilis proſapiæ adoleſcentes, quos ego prius tunicas purpura micantes & plumanti (vt ait Vopiſcus) difficultate pernobiles, geſtare dixi, præcedebant: pone Æneatores, triginta (vt arbitror) tympanaque ærea incredibili ſtrepitu clangoreque ſequebantur. Poſt bini erant proceres, equorum dorſualibus ac paludamentis militaribus aureis ornati. Quartus locus Valiſiis, quintus Cardineis clauis Strigonienſi Gurcenſique datus eſt. Inde Imperiales Heraldi ſubibant, quorum officium olim non niſi Heroes (vnde nomen tractum eſt) exercebant, hos nobiles quidam Pannoniæ ſequebantur. *Palatini.* p. 359 *Heraldi.*

Poſt Oratores minoris nomenclaturæ Principum, hos Duces; Ducibus Epiſcopi, Epiſcopis oratores Pontificis, & regis Hiſpaniæ (Britannicus aberat) ſuccedebant. Poſt Reuerendiſſimi Cardinales Strigonienſ. & Gurcenſ. ſequebantur; à tergo,

à tergo, Sigismundus Sarmatiæ, Ludouicus Bohemiæ Reges, equis insidentes erant, quibus viri Primores aureis induti vestibus, à pedibus famulabantur. Cæsar vero ac Vladislaus Pannoniæ Rex carrucis iunctim Annaque Regina à tergo, & ipsa aureo staticulo (quod octo albis equis trahebatur) succedebat; ad latus autem Georgius Margraphius Brandeburgensis obequitabat; cuius octoginta fere equites, tanquam subsidium in extremo ordinis loco positi erant. Aliæ vero quæ subsequebantur rhedæ (fuerunt enim numero duodecim) rubro omnes panno rectæ Reginæ Annæ aulicas ferebant. Itaque vrbem ingressi, ad arcem Cæsaream profecti sunt, vbi cum Cæsare Rex Vladislaus & liberi permanserunt. Rex Sarmatiæ ad domum in qua prius Gurcensis fuerat (quæ & Cæsarea est) diuertit. Interim tanta mortalium turba ac multitudine vrbs replebatur, vt nullibi iter peruium inueniretur. Nam equorum sex millia fuisse, præter Carros, qui quadringenti, omnes trigati, aut quadrigati, plerique feiuges fuerunt. Cæsarianorum autem peditum, qui armati incedebant, duo millia numerabantur. Externarum vero gentium, quæ ad tantum confluxerant spectaculum, ingens numerus. Sic ergo non sine maximo animorum stupore dies transactus est.

Gentium numerus.

Postridie eius diei Gurcensis peracto à cantoribus (quos oppido eruditos habet) sacro, Sarmatiæ Regem, & ante, & post confectum prandium adiit. Itaque aliquot dies in consilio vt res feliciter transigerentur, insumpti. Sed cum in arce primum Reges conuenerunt, in sellis vix sessitauerant, Pannoniæ Rex (sic enim ordo fuit) Anna Regina, Cæsar, Sarmatiæ, ac Bohemiæ Reges; cum Maria Regina, quæ Ludouico Bohemiæ Regi nupta est, aduentare nunciatur. Venienti Reges de more assurrexere, propinatisque cuique Corollis, quas secum non vulgaris pretii portauerat, eius nomine gratia regibus, qui ad patrium solum Viennamque vrbem venerant, relata est. Inde choreæ initium datum Ludouicus & Anna soror præsaltauerunt. Postridie cum Cæsar ad Reges concionem habiturus esset, cum in loco quisque suo (aderant enim & Strigonienſis Gurcensisque pontifices, Hispaniarumque Regis oratores) consedisset, ita exorsus est. *Tam diuturnæ moræ quam aduentum meum expectauistis, Sereniſſimi reges, & ſi per Reuerendiſſimum Gurcenſem oratoresque noſtros ſatis excuſatum me eſſe arbitror, tamen vt de me etiam intelligatis, curæ quæ indies nobis, ac imperio noſtro emerſere, obſtiterunt, quo minus communi noſtro conueniendi deſiderio ſatis fecerim. Tamen nihil à me vnquam prætermiſſum eſt, vt quam citius poſſemus, optatum hunc conuentum noſtrum, quem Chriſtianæ Reipublicæ ſaluberrimum ſperamus fore, perficeremus. Idque cum Dei optimi maximi auſpicio, ex ſententia conſecuti ſimus, reliquum eſt, vt hæc noſtra affinitas amicitiaque perpetuo ad noſtram communemque omnium vtilitatem conſeruetur, vt non ſolum in Septentrione vbique pacem nos peperiſſe videamur, ſed etiam vt coniunctis viribus contra perfidos Turcas (qua de re, ſatis accurate, oratores veſtri pridie diſputarunt) expeditionem feliciter ſumamus, quam ego quantum ab ineunte ætate ſemper deſiderauerim, teſtis animi mei atque voluntatis Reuerendiſſimus Strigonienſis erit, qui cum apud me (iam 22. annus agitur) orator eſſet, bellum contra Turcas ſuſcipiendum perſuaderet, quam auidus huiusce expeditionis ſemper fuerim, facile percipere potuit, Verum & inteſtinis & finitimis bellis laceſſitus, quo minus quod ſummopere optabam exequerer, obſtitit. Nam Ludouico XI. Gallorum Rege regnante, item Carolo octauo, ac Ludouico XII. quæ geſta mecum bella ſint, intellexiſtis. Nuper autem cum ingentibus copiis Franciſcus primus Gallorum rex in Italiam irrumpere tentet, deeſſe non poſſum, qui iure Imperii ſuppetias Italis feram: qui ſemper à maioribus noſtris, & à nobis pro virili & defenſi & auctiſunt. Et iam Heluetiorum peditum, qui nobis fœdere iuncti ſunt, duodecim millia, quæ in armis eſſe mandauimus, fauces Alpium, vt Gallorum tranſitum prohibeant, occupauerunt, Ducisque Mediolani copias noſtris, quas in Italia tam diu contra Venetos habemus, coniungi iuſſimus. Quamobrem ſi Galli Alpes ſuperabunt, qui non ſine pa. aa ſuorum militum internitione facturos credimus, nouis iterum*

Quædam domeſtica.

Cæſaris oratio ad reges.

iterum bellis in Italia impeditos tranſiuiſſe aliquando pœniteat. Hac igitur & ſi nos
p.360 *ac deſiderium noſtrum in præſentiarum impediant, tamen ſi contigerit, vt vel bello, vel pace res feliciter tranſigantur (ſperamus autem Pontificis, Regisque Catholici perſuaſione, alterum omnino fore) æterna inuicem pace coniuncti felicissimam hanc in Turcas expeditionem faciemus. Atque ne res abſentia noſtra frigeſcere quodammodo videatur, rogatos vos velim, vt aliqui ad hoc negotium tractandum perficiendumque deputentur, vt cum primum idonea tempora offerentur (quod & vos efflagitare videmini, & nos ſummopere cupimus) pro gloria incrementoque nominis Chriſtiani exequamur.* Cæſar igitur cum ornate acureque hanc ſententiam diſputauiſſet, Strigonienſis Regum mandato reſpondit. Qui poſtquam Cæſaris tempora excuſauit, ſe teſtem etiam eſſe dixit, *Cæſarem nunquam ad bellum in Turcas inferendum requiſitum fuiſſe, quin ſemper paratiſſimus (niſi finitima, & inteſtina bella impediuiſſent) inuentus fuerit.* Quod aliqui adhoc interim cligerentur, probauit. Sic quoque Gurcenſis, addito etiam in rei commendationem (vt ſuus eſt mos) verborum cultu, in eandem iuit ſententiam. Ita dies orando diſputandoque finitus eſt.

Sequens autem donando, elargiendoque clarus fuit. Cæſar enim Mariam Reginam neptem Crucc aurea, quinque adamantibus ornata, ſingulorum cuuisque palæ pollicaris latitudo, in ambitu autem Vniones viginti albicabant, quorum eadem ferc magnitudo erat. Regem Sarmatiæ Lato clauo, equoque vngularum tenus cataphracto donauit, qui cum hilari animo donum accepiſſet, ſic fertur dixiſſe; *Sacratiſſimo Cæſari immortalem refero gratiam, atque in hoc equo cum omni totius regni mei equitatu pro ſua Maieſtate, vbicunque licuerit, me pugnaturum polliceor: quod ſibi omnino perſuaſum velit.* *Dona Cæſaris.*

XI. Calend. Aug. Anna Regina, Vladislai Regis filia, cum Cæſari deſponſata quodammodo videretur, Imperator coronam auream, qua Ladislaum Bohemiæ Regem olim coronatum memorant, afferri iuſſit. Inde (aderant enim Notarii, & teſtes) ſic eſt exorſus. *Quanquam ego te vxorem meam fore dixi, ſequeſtraque fide tu mihi iuncta es, tamen vt vel Carolo, vel Ferdinando nepotibus nubas, ſententia eſt: ſi vero neutri, tu mea vxor es. Quamobrem cum alter Caſtiliæ, Arragoniæ, Bethicaque regna habeat, alter Neapolitanum in Italia ſceptrum habiturus ſit: Egoque cum Romanorum Rex & Imperator ſim, Te Anna Reginam nuncupo ac ſaluto,* aureamque (his dictis) coronam capiti impoſuit. Duodecimo Calen. vt omnia rite confirmarentur, Cæſar, Rex Pannoniæ, Rex Sarmatiæ, Rex Boemiæ, Regina Anna, Regina Maria, Cardinales Strigonienſ. Gurcenſ. Principumque (de quibus mox dicam) ingens numerus in diui Stephani templo conuenerunt. Ordo ſic ſeruatus eſt, in dextris ſellis Cæſar Regesque conſederunt, Robertus orator Britannicus, Duces Bauariæ Wilhelmus, & Ludouicus fratres, Albertus de Mechelburg, & Vlricus Wirtenbergenſ. Duces, Epiſc. Bosnenſ. Panno, Andreas de Tenczin Palatin. Lublinenſ. Raphael, poſt hos viri à Secretis; Sarmatiæ, Boemiæque, Ducumque oratores confertim omnes ſequebantur, in ſiniſtris Cardinales Strigonienſis & Gurcenſis ſedebant, iuxta Laurentius Epiſcopus Feltrenſis Pontificis orator, quidam nuper à ſede Apoſtol. cum pecunia in Pannoniam Legatus, inde Archiepiſcopus Bremenſ. Epiſc. Ratisbonenſ. Germani: Archiepiſc. Colocenſ. comes de Frangapanibus Epiſcopus Quinque eccleſienſ. Panno, Epiſcopus Vladislauienſ. Epiſcopus Posnanienſ. Epiſcopus Premisliensis Sarmatæ; Epiſcopus Olomuncenſis Morauus, Epiſcopus Patauienſ. Epiſc. Labacen. Epiſc. Chiemenſis Germani: Epiſcopus Vaciensis, Jo. Zagabrien. Pannones: Inde Palatinus Sandamirien. Dux Leo Burgrabius, Palatinus Maricburgenſis, Sarmatæ: Albertus Pernſtain camerarius regni Bohemiæ, Oſtrorog. Sarmata. Multi præterea tum Pannoniæ, tum Sarmatiæ viri nobiles, quorum nomina in nomenclatura ſcripſimus. In medio autem *Taciti Caſaris matrimonii proteſtatio.*

autem locus ædificatus tabulis erat, vbi Anna Mariaque Reginæ conſedebant. Quod autem interualli dextrorſum erat, orator Hiſpaniæ ac Palatinus Vilnenſis, qui Annæ templum introeunti comites extiterant, tenebant: ſiniſtra Caſimirus & Georgius Marchiones Brandenburgenſis, Mariam Reginam, quam & ipſi comitati fuerant, vnaque Principes viri, Comes Bernardinus de Frangopan. & Bornamiſſa adſeruabant. Confecto igitur ſacro, Cæſar ex ſolio diſcedens ſe ad Mauſolæum patris Friderici, quod prope erat vt Pontificis Max. habitum indueretur, contulit. Inde ego concionaturus quanquam mihi auguſtiſſimus terminus præfixus erat, ad orandum acceſſi, ſed tanrus deperditorum hominum ſtrepitus increbuit, tanta diſſonarum gentium vocumque varietas inualuit (neque enim fabri lignarii, qui ad concinnandum pro Cæſare ſuggeſtum venerat, fragorem numerauerim) vt ne tertia quidem parte recitata, perſuadentibus etiam amicis, deſinere cogebar. Tunc illud Terentianum in mentem venit, *Dii boni, quantum homo homini præſtat.* Nam quemadmodum diuerſæ orbis re- p. 361
giones, ita & mores ſunt. Certe ego Maſtigophoro Aiace dignus eſſe, qui quidem arbitratus ſim, apud illos haberi orationem poſſe, qui & pullos equorum comedunt, & lac concretum cum ſanguine equino potant. Ego nihilo minus, cum Regem Sarmatiæ attentum quodammodo viderem, tantiſper ſum proſecutus, donec monſtruoſæ gentis immanitate victus, accerſitam extemporaliter concluſionem feci. Verum vt quæ minime audita eſt, ſaltem legi poſſit, Orationem, & ſi breuiter conciſeque ſubſcribendam putaui.

ORATIO, IN CONVENTU INVICTISSIMI MAXIMILIANI CÆSARIS SEMPER AUGUSTI, SERENISSIMORUMQUE VLADISLAI, LUDOVICI, PATRIS ET FILII, AC SIGISMUNDI, PANNONIÆ, BOHEMIÆ, AC SARMATIÆ REGUM, PER RICCARDUM BARTHOLINUM HABITA.

ET ſi ab orandi officio, in quo tamen mediocriter verſatus ſum, ſemper abhorrui, Sacratiſſime Cæſar, Sereniſſimi Reges, nunc tamen ex ſententia hoc onus, quanquam arduum eſt, ſuſcepi. Nam quis vnquam in diuino ſacratiſſimi Imperatoris, triumque potentiſſimorum Regum conſpectu? Quis (inquam) in tam amplo, Reuerendiſſimorum Cardinalium, tot Principum, illuſtriumque virorum, conſeſſu orationem ſe habuiſſe gloriari poteſt? Profecto ego diis immortalibus gratias non vulgares habeo, Quos tum me prater conſuetudinem reddidiſſe animoſiorem videre videor, tum quia Chriſtianum Imperium, quod conſilio & armis; tueri non modo, ſed & amplius reddere & latius vos decet: priſtinas vires reſumpturum eſſe arbitror. Ceterum tanta veſtri omnium, ſiue imperia, ſiue res geſtas complectar animo, magnitudo eſt, vt & ſi mihi ſatis firmam in dicendo fiduciam, ne dicam confidentiam præſumpſerim, nonnihil timere omnino cogar. Nam ſi Demoſthenì, apud Philippum Macedonum Regem dicenti contigit vt pene laberetur, eundemque vnius ciuis Phocionis præſentiam adeo timuiſſe proditum eſt, vt illum lingua ſua nouaculam appellare ſolitus ſit: ſi multi ex latinis etiam in foro hallucinati ſunt, Dii boni quid mihi facere par eſt? *cum tuum Sacratiſſime Cæſar, inuictiſſimorumque Regum conſpectum intueor? Quare non tam mea imbecillitas, quam veſtrarum rerum magnitudo, qua candidiſſimum quidque ingenium obrueretur, culpanda erit. Nunc autem cum de hoc feliciſſimo conuentu, quam neceſſarius & quam vtilis Chriſtianæ reipublicæ futurus ſit, cumque de veſtris laudibus, atque regnorum veſtrorum dignitate, verba facturus ſim, aquo animo feratis obſecro, ſi aut conciſius, quam deceat, aut preſſius quam ipſa fortaſſe rerum ſublimitas expoſcat, dixero. Profecto, ſi quid ingenii in me eſt, quantumque*

Diuiſio.

que coniectura assequi possum, Dei Opt. Max. nutu, vt tandem conueniretis, factum iudico. Quid enim tam necessarium fuerat? quid expetendum magis? quam vt labantibus pene Christianarum gentium rebus, vos qui Dii in terris habiti estis, communi omnium vtilitati consuleretis? instarque Numinum cœlestium curam totius orbis susciperetis? O auspicatissimos dies, ô felicissima tempora, ô saculum aureum, in quo tam necessarium & vobis, Serenissimi Reges, & toti orbi terrarum concilium celebratum est. Video enim (nec profecto fallor) simultates non modo odiaque, si qua prius intercesserant, peritura, sed etiam tam arctis vinculis saluberrimum amicitiæ fœdus oriturum, vt Christiani quid imposterum timere possint, non plane videam. Quandoquidem gentes impiæ, ac perfidum Turcarum genus, quisque nostræ aduersantur religioni, cum tanti Imperatoris, tot inuictissimorum Regum societatem affinitatesque intellexerint, vt sibi suisque ipsorum regnis timeant, necesse erit, cum prius multo liberius, quam dici possit (vt sæpe intelleximus & experti sumus) cum maxima Christianorum clade atque internitione (quid meminisse piget) nostras eruperint sedes, prædas abegerint, tantaque immanitate vsi ferantur, vt ne infantibus quidem parsum fuerit. Idque tum imprimis ausi sunt, cum Principes nostros quorum tuendi nos prouincia est, & odiis & bellis inter se implicatos intelligerent. Neque enim vt eorundem discordiis à Turcis Byzantium captum fuerit, repetendum est, non vt florentissimum totus Græcia euersum Imperium, impositumque tot prouinciis iugum, sed re-

Prob. à perpessis clades.

p. 362 *centioribus insistendum rebus est, vt hunc conuentum necessarium fuisse omnes intelligant. Litteræ siquidem ad tuam Maiestatem Sacratissime Cæsar, allatæ fuerunt, quibus significatur Selimum Turcarum imperatorem, post fratres nepotesque strangulatos, cum totius orbis imperium animo proponeret, expeditionem in Italos parare cœpisse, ratum (vt literarum verbis vtar) iis subiugatis, reliquum quod destinauerat facile perfici posse. Itaque ingenti nauium classe parata, congregatis vndique militibus, commeatibusque ad maritimas vrbes dispositis, transitum ad Italos meditabatur, quod vt tutius securiusque efficere posset, tecum Serenissime Vladislae. pacem firmauit, atque id ipsum quod cogitauerat, iam perfecisset, nisi à Sopho Persarum Imperatore apud Araxem fluuium, cum ingenti exercitus cæde, profligatus fuisset. Tanto enim animosiores ad bellum in Christianos suscipiendum Turcas fuisse coniicio, quanto maioribus odiis (vt retuli) Principes nostri detineri videbantur. Quid si littoribus Italiæ, cum quinquaginta millibus equitum appulissent? qui milites describi? vnde copiæ ex Italia, quæ diutinis bellis iam virium exhausta est, ad tam immanes impetus repellendos, parari poterant? Atqui tu Augustissime Cæsar (nam tua Italia est, per te defendi debet) tandem succurrisses, triumphumque reportasses. Sed per Deos immortales (libere fari liceat mihi) obsecro, quot prius casos, quot depopulatas regiones, quot oppida deuastata fuisse putandum est, quam Itali tuas, longe enim abes, suppetias sensissent. Quapropter Diis magnis volentibus auguror, qui sacra religioni nostræ nunquam defuerunt, actum esse, vt & Reges Orientis mutuis se bellis debilitarent & vobis ad concordiam pacemque ineundam tempus suppeterent: quæ cum primum ab externis hostibus interlecta fuerint, non solum nostra non lacessent, sed etiam ne suis quidem limitibus tutos esse posse arbitrabuntur. Idcirco hic conuentus vt necessarius, ita & vtilissimus, vt ad hanc quoque partem descendamus, videri poterit. Si enim proprium cuiusque commodum prosequi volumus, quid hoc vtilius vnquam cogitari potuerit, quid salubrius nescio, cum regna non modo armis comparari, sed etiam amicitiis fulciri debeant, quæ cum vera sunt firmissimum stabilimentum afferunt, contra autem maximo sæpe exitio fuisse manifestum est, qua de re exempla & apud Romanos & apud externos, ne de vobis loquar, quamplurima referri possunt. Quare hæc societas & ab aliis, potissimum vero à nobis, Augustissime Cæsar, Serenissimi reges, vt diu expetita, ita perpetuo conseruanda est. Nam quemadmodum Imperiis coniuncti estis, ita & societate, & amicitia coniuncti vt perpetuo sitis, vtilissimum erit. Germania siquidem Sarmatiæ, citra vltraque Vistulam fluuium iungitur: ab ea item Pannones Carpathiis montibus, quos & Sarmatios dicunt, separantur, qui quidem hanc prouinciam in qua sumus incolunt, mutuoque commercia agi-*

Accersita narratio. Prob. à futuris.

Secundum diuisionis membrum ab vtili.

Ab vtili Proprio.

Vtilitas à regnis.

tant. Quotum ergo veſtra hæc imperia interliminium diuidit ? vbi alter in alterius
Utilitas & à regnis, & poſteris. *ſubſidium, & parare ſimul & transmittere copias poteſt. Quamobrem huiusce fœderis, feliciſſimaque affinitatis vinculum non ſolum vobis vtile erit, ſed poſteris quoque, & regnis. Illi pacatiſſima ſceptra, quo nihil prius aut antiquius optari poteſt, excipient. Hæc non tantum dignitatem ſuam ac maieſtatem retinebunt, ſed per vos etiam ampliora fient & maiora. Nam cum animo complector, bella ſcilicet à vobis toties feliciter geſta, veſtrique omnium diuina ingenia, Imperiorum potentiam ac*
Tertium de laudibus Cæſaris. Laus à Genere. *magnitudinem, procera virorum corpora, promptiſſimosque ad pugnandum animos, quæ plaga orbis terrarum, modo beneuolentia vinciamini, quod tam abſtruſum mortalium genus, quod à vobis & penetrari, & vinci non poſſit ? Nam vt à te incipiam, inuictiſſime Cæſar, nihil in quopiam mortali, quantum ad vitæ felicitatem atque animi magnitudinem attinet, quin tibi vel natura largita fuerit, vel tua parauerit virtus, deſiderari poteſt. Si enim genus repetimus à Clodoueo Francorum Rege, ne priores illos Priamum atque Marcomyrum indagemus, ortum habes. Qui quidem non ſolum Alemannos Gothosque vicit, ſed etiam Alarico in pugna necato Aquitaniam ſubiugauit, tuorumque maiorum in Gallias vſque propagauit imperium. Floruit quadringenteſimo nonageſimo Dominicæ conceptionis anno. Hoc autem à me*
Laus à Natalib. *relatum eſt, vt omnes intelligant, genus tuum mille & amplius, ad hanc vſque ætatem annos, continua regum, Principumque ſerie claruiſſe. Sed multo clarius tui reddunt. Quippe qui ex matre Regina Heduardum Luſitaniæ Regem auum, patrem Fridericum Romanum Imperatorem refers. Sed hæc & ſi ornamentum afferre aliquid*
Laus à ſe ipſo. Laus à prudentia. *videntur, tamen niſi virtute & rerum geſtarum gloria excolantur, cum veniæ præfatione, ſordeſcunt quodammodo atque obliterantur. Quantum autem tu Cæſar elaboraueris vt maius ſacri Imperii decus poſteris relinqueres, quam à maioribus acceperis : profecto arduum eſſet recenſere. Quod tum in animi tui præſtantia, tum in rebus, à te feliciter geſtis poſitum collocatumque videtur. Nam ſi Prudentiam qua polles, mecum cogito, qui tibi comparari poſſit, reperio profecto neminem : cum propria hæc tua laus ſit, non minores copias conſilio quam armis viciſſe. Vnde nullum vnquam fuiſſe Imperatorem puto, ſiue Cæſarem Dictatorem, Auguſtumque recenſeas ſiue externos illos Philippum Macedonicum, Alexandrum, Antiochum, Mitridatem, Tygranem, ſiue maiores tuos, Ottbones, Albertos, Rudolphos, Fridericos nomines, qui perinde atque tu Sacratiſſime Cæſar aduerſa, contigere enim tibi plurima, non ſolum*
A fortitudine. *fortiore animo pertulerint, ſed feliciore quoque exitu ſuperæuerint. Alterum Prudentiæ, alterum Fortitudinis ſpecimen eſt. Hiis ergo præuiis, tum domi conſilio, tum* p. 363
foris bello, populoſiſſima atque ampliſſima imperia, & tibi & poſteris comparaſti. Dixi etiam bello, nam vbi hoſtis conſilio ſuperari non poteſt, ferro cernendum eſt. Qua
Laus à rebus geſtis. *quidem in parte quam fortis, quam vehemens, quam inuictus ſemper extiteris, teſtes ſunt Sycambri, Morini, Galli, Heluetij : quibuſcum ſepties aut amplius ſigna contuliſti. Qui quidem cum aderas, victoria, quodammodo frui videbantur, cum aderas quantum diuina tui præſentia atque virtus poſſet, cum facile vincerentur, ſentiebant. Nollem Bohemicam pugnam recenſere. Sed cum à tanto principe vinci etiam glorioſum ſit, audeo hoc dicere, nullibi vnquam neque fortius, neque periculoſius pugnatum eſſe, adeoque feroces illos Bohemorum animos, & admiratus es, & tibi placuiſſe præ te tuliſti, vt non ſolum iis qui ſuperant clementiſſime peperceris ſed in-*
Laus Boemorum in ſeruanda fide. *poſterum quoque bellicoſiſſimum populum tanta beneuolentia proſecutus fueris, vt ſtipendiarios & præſidiarios eos ſemper habueris. Contra ii quanta erga te fidei extiterint, teſtatur illa ad Moranum obſidio, in qua vt tua celſitud. fidem ſeruarent, ad turpium quoque animalium eſum deſcenderunt. Verum enimuero quæ in Gallia egiſti tum iuuenis admodum, tum proximis annis, maiora ſunt, quam vt per me in præſentia referri poſſint. Italica autem geſta, & ſi grauia tractatu fuere, tamen vel ob hoc memoratu digna, quod ſeruitutis iugum à nobis quodammodo excuſſiſti. Profecto non tam tibi glorioſum eſt, hoſtes pene fractos reddidiſſe, quam etiam tua Maieſtatis & ſociis & amicis, totiusque Italiæ ſaluti conſuluiſſe. Sed quoniam magis aliorum laudibus, quam propriis delectaris, ad Sereniſſimum Vladislaum orationem conuertam.*

Qui

Qui quidem cum abs te diligi non modo, ſed & vehementer ſe amari intelligat, neminem tua Maieſtate (vt liberum Fratriſque pietatem fileamus) neque gratiorem habet, neque chariorem. Cum igitur de te dicendum ſit, Rex feliciſſime, plurima ſunt quæ vltro ſeſe offerunt. Verum quantum ad præclariſſimum tuum attinet genus, quod etiam cum Sereniſſimo fratre tuo commune tibi eſt, conſtat potentiſſimos Lituaniæ Duces, Jagelnum, Vetholdumque progenitores veſtros fuiſſe: quorum alter, cui Vladislao poſtea cognomentum fuit, Polonus imperauit. Is duos ſuſtulit liberos, quorum maior natu, non ſolum Poloniæ ſed etiam Pannoniæ regnum adeptus, dum pro Catholica fide fauit in Turcas, deſideratur. Alter Caſimirus, fortunatiſſimus ſcilicet pater veſter, à Polonis in eius locum ſuffectus eſt, quem ego omnium mortalium feliciſſimum fuiſſe iudico. Quippe qui cum à tam beata Regum progenie deſcenderit, filios quoque continua ſerie futuros poſt ſe Reges reliquerit. Nam cum tu pene iam puer, Bohemiæ prius, deinde Pannoniæ ſceptrum ſuſcepiſſes, feliciſſimo fratri Joannes Albertus in regnum Poloniæ cooptatus eſt. Huic Alexander: Alexandro tu, qui nunc non minus fortiter quam ſapienter imperas, Sereniſſime Rex Sigismunde, poſt Glogouiæ, Oppanieque ac Magnæ Lituaniæ principatum, ſucceſſiſti. Verum hæc aliam dicendi curam expoſcunt. Nunc autem ſi annos, vt ad te redeam, Sereniſſime Vladislae, euoluimus, quibus quantum in adoleſcentia Bohemis, in prouectiore ætate Bohemis ſimul & Pannoniis charus extiteris, nec modum, nec finem noſtra eſſet habitura oratio. Hoc tamen tuæ præcipuum laudis eſt, duobus regnis nec diutius, nec felicius vnquam imperitaſſe quemquam, quæ quidem non ſolum prudentia tua & defenſa & aucta ſunt, ſed etiam bello, quod multos annos cum Myſis, Valachis, Turcis ita fortiter confeciſti, vt aut victor omnino ſemper fueris, aut iniquis illi coacti conditionibus abs te pacem popoſcerint. Nam quanti, & nominis, & terroris apud Scythicas nationes ſemper extiteris, vel hinc facile colligi poteſt, quod Turcarum Imperator tunc ſatis ſibi ſuoque imperio conſultum fore putabat, ſi tecum fœdus pepigiſſet, Idque cum antea ſæpe, tum nuper etiam viſum eſt. Quippe qui ad inhoſpita Pariadrorum montium loca, contra Sophum Perſarum Imperatorem, ire cum exercitu, niſi tecum prius pace iungeretur, formidabat. Mira profecto potentia tua laus, cum is te pertimeſcat, qui ſe orbi terrarum iugum impoſiturum paulo ante gloriabatur. Hactenus de te dicere decreueram, niſi illud memoratu dignum occurriſſet, in quo ſumma tua & prudentia, & fortitudo cognita eſt. Conflato enim Seruili bello, quod tam atrox ſæuumque fuit, vt propiores periculo fuerint ne qui vicerint, an qui victi fuerint, incertum ſit, totum pene regnum diſtractum videbatur. Tu autem priſtinam animi tui virtutem reſumens, adeo ſeruili furori obſtitiſti, adeo feroces illos contudiſti animos, vt in præſentiarum tutius ſecuriusque regnum eſſe non poſſit. Tot igitur rebus à te fortunatiſſime geſtis, hoc etiam felicitatis DEum Opt. Max. addidiſſe video, quod cum iam ætate confectus ſis, præſtantiſſimos liberos Sereniſſimum ſcilicet Ludouicum & Annam, ſuperſtites habeas, quorum alterum, cum pene iam infans eſſet, non ſolum tibi duobus in regnis ſucceſſorem viuens cooptaſti, ſed etiam Cæſari Principum maximo, vna cum ſorore Anna, contracta iam diu affinitate, nuper conſtanter firmata vt iungeretur, curauiſti. Atque mihi ſi de his vera augurari licet, duo ſurgentia Regnorum tuorum ſydera, duo ſoles videri poſſunt, nihil gratius, nihil venerabilius: pulchri ambo, prudentes ambo, & antequam per ætatem præ ſe ferri poſſit, quædam in his latens animi magnitudo atque maieſtas internoſcitur. Quid ergo ad tuam eorumque felicitatem deſit, non plane video.

Tranſitio ad laudes ſereniſſ. Regis Vlaſlaolai.

Laus à maiorib. Caſimiri Regis Polon.

Laus à prudentia felicitateque regnandi.

A bello.

A fama.

Laus à ſedata inteſtina ſeditione.

Laus à conſilio in poſteritatem. Laus Ludouici Regis & Annæ.

p.364 *Cum etiam poſt felicem obitum tuum tale inuenerint regnorum ſtabilimentum, vt & tuto & diu imperare poſſint. Proſequerer de te plura, niſi me ſereniſſimi fratris tui Sigismundi partes auocarent. Quamobrem vt de te iam auſpicer, inuicteſſime Princeps, ne generis felicitatem repetam (quam maximum tecum fratrem communem habere dixi) vera laus in dicendo nulla difficilior eſt, quam vbi multiplex eſt laudandi locus. Obruitur enim ingenium, nec vnde exordium capiat, intelligit. Idem mihi, in te contigiſſe video. Nam ſi ea tantum, quæ in profectiore ætate, & ante, & poſt*

Tranſitio ad laudes Regis Sigismundi.

Tacita totius vitæ laudes.

poſt ſuſceptum regnum ſapienter egiſti, dixero, multa in adoleſcentia ſupererunt, quæ memoratu digna, ſiue morum diſciplinam, ſiue animi magnitudinem proſequi velim, viderentur. Cæterum vt iam tecum compendio vtar, quantum diuinam tui præſentiam contemplatus ſum, te maiore vultus maieſtate (vnum excipio Cæſarem, cui in terris nemo par eſt) credo mortalium eſſe neminem. Illudque tuum ſilentium, quod tibi peculiare fertur, altiſſimarum cogitationum indicium præ ſe fert, in quo maxima etiam prudentiæ vt ſedes ſita ſit, neceſſe eſt. Nam vbi & quando opus eſt ſapienter & grauiter loqui, diuini potius ingenii quam humani eſſe iudico. Sed hæc tibi, vt perquam paucis par eſſes, attributa ſunt. Quantum autem bellicis in rebus (hoc enim meum dicendi inſtitutum eſt) & inuictus, & fortunatus fueris, omnes norunt. Taceo quam fortiter olim diuque contra Tartaros, quique intra extraque Tauricam incolunt Cherſoneſſum, pugnaueris. Taceo quas clades Moſcis, Roxolanisque cis vsque Boryſthenem intuleris, quantumque eorundem prouinciæ tuo adieceris imperio. Cum nuper quanti & ingenii ſis, & fortitudinis facile perſpectum ſit. Quippe qui ad Neper fluuium, quem antiqui (vt dicebam) Boryſthenem appellauerunt, parua manu, ingentes Moſcorum copias ſtrauiſti, vbi quadraginta fere hoſtium millia cecidere, tuorum autem perpauci, & ii aduerſis omnes confecti vulneribus, deſiderati ſunt. Longior eſſem de te Sigismunde Rex Sereniſſime, niſi ad extrema iam properaret oratio. Nam mihi quoque quanta regnorum veſtrorum amplitudo, quantaque eorundem potentia ſit, & in iisdem quam impauidi ad vulnera gignantur animi, dicendum eſſet, niſi tu ſacratiſſime Cæſar, inuictiſſimi Reges, verius vos, quam vt per me recitari poſſit, ſciretis. Sed vt breui omnibus innoteſcat, omnia veſtra imperia, ab occaſu ad ortum, ſi à Belgis pontum vsque auſpicemur, decies centenis ſexcentis millibus paſſuum fere protenduntur, latitudine autem ab Adriatico ſinu, Germanicum vsque Oceanum, ſepties centena quinquaginta millia paſſuum continent. Quæ vt ampla, ita & innumerarum gentium ac populorum altricia ſunt, tantique animi atque roboris in hiis aluntur viri, vt antiqui & recentiores, ſine ſeptentrionalibus legionibus nihil vnquam vinci potuiſſe, nihil perfici, ſapiſſime cognouerint. Maximæque gloriæ Imperatoribus Rom. accedebat, ſi vel Germanici, vel Pannonici, vel Sarmatici appellarentur: non quia veſtras prouincias, quæ imperiis ſemper atque inuiolabiles externis fuere, vicerint: ſed quoniam eas in fide retinuerint, vt ab illo merito dictum ſit, das Cattis Dacisque fidem, cognominatos affirmari. Proinde Auguſtiſſime Cæſar, ſereniſſimi Reges, in hoc ſacro conuentu, qui quam neceſſarius & quam vtilis reipubl. futurus ſit, intellexiſtis, hoc agite, quandoquidem vos neque prudentia, neque virtute, rerumque geſtarum gloria, quando nec regnorum potentia, gentiumque bellicoſarum multitudine, à quoquam ſuperamini, hoc (inquam) agite, vt perpetua copulati, vt occepiſtis, beneuolentia, non veſtra modo imperia conſeruandi cura ſit, orientaleque ſceptrum à crudeliſſimis Turcis repoſcendi, ſed etiam tum gloriæ, tum augendæ Chriſtianæ Reipublicæ gratia, vltra Armenias, Araxemque, vltra Garamantas & Indos, inferendi ſigna flagret cupido. Quis veſtræ reſiſtet magnitudini? quis veſtras vires non reformidabit? cum omnes tum bellicis virtutibus, tum regnorum potentia, militumque fortitudine, cunctos facile ſuperetis imperatores: cum vos non alieno auxilio, ſed propriis freti viribus, crebros externarum gentium triumphos reportaritis? Nunc autem cum DEI Opt. Max. nutu, conjunctæ vires, imperiaque iam fauſto affinitatis vinculo connexa ſint, obſecro vos (vt vobiſcum iam loquar Reuerendiſſimi Cardinales) quantum ſalutis, quietisue Chriſtianæ reipublicæ allatura putatis? Quare & ſi omnibus tum Germaniæ, Pannoniæque, tum Sarmatiæ principibus, ſi omnibus (inquam) qui adſunt pientiſſimis præſulib. vobis autem potiſſimum Chriſtianus orbis debere fatetur, qui tam vigili cura, ſtudio, labore, ea pertractaueritis, quæ ad ornamentum gloriamque Chriſtiani nominis perpetuo futura videantur, quibus non ſolum communem omnium fortunam extuliſtis, ſed etiam cum Leone Pont. Max. non vulgarem iniiſtis gratiam. Quippe qui nihil aliud cogitat, niſi tranquillum Catholicæ fidei ſtatum facere, Principesque noſtros ita

Laus à maieſtate.

Laus in loquendo.

Laus à rebus bellicis.

Victimum diuiſionis membrum.

Imperiorum longitudo ac latitudo.

Laus regnorum à fortitudine virorum.

Repetitio dictorum.

Laus Car. Strigon. & Gurcenſ.

Laus Pont.

concor-

concordes fore optat, vt vigilantius ſolertiusque nihil hactenus, quam vt pacem, benuolentiamque mutuo amplecterentur, ſollicitauerit.

Idque imprimis tibi, Reuerendiſſime Gurcenſis, & in mandatis adiecit, & crebro per litteras ſignificauit, quod quidem in præſentia cum ex amuſſim perfeceris, ſi vnquam alias, tum in patria, tum apud externos, quanti & ingenii & ſolertiæ ſis, præ te tuliſti, cum venia tuarum laudum dixerim, nullibi tamen maius prudentiæ tuæ præconium, quam in hac abs te felicitèr peracta, tam ardui negotii magnitudine eluceſcet. Ergo orthodoxum iam gaudeat imperium, exultet Chriſtianum nomen. Laus Gurcenſ. propria. Concluſio.

Cum te, Sacratiſſime Cæſar, vos Sereniſſimi Reges, veſtra erga mortales pietas, ad
p.365 *commune omnium bonum vtilitatemque coniunxerit. Quis enim tam hebes, qui regnis etiam veſtris, ſacrisque penatibus, ac magnis diis, ſapienter conſultum neget? quis non veſtrarum rerum aceeſſus vt feliciſſimus futurus ſit, vtque fauſtiſſima in poſteros fortuna oriatur, intelligat? Per vos ergo non deſit, cum potentia veſtra ac magnitudo, promptiſſimique ad effundendam animam populi, minime defutura videantur. Hoc icta nuper fœdera, copulataque affinitatibus imperia expoſcunt, hoc augenda Chriſtianorum respublica, ſubminiſtrandaque veſtrarum maieſtatum & ſociis & amicis auxilia expetunt, hoc (inquam) arma in perfidos Turcas vertenda, quod tantopere ab ineunte ætate, Sacratiſſime Cæſar, optaſti, efflagitant. Veſtro enim hoc conuentu tam in Scythia tumultuatum eſt, iam oppida munuri, tormenta parari cœpta. Tollite ergo animos, viresque contra infidum hoc genus colligentes, in Arabiam vnde oriundum eſt, pellite. Ita enim tanti Imperatoris, tot regum conuentum, vt neceſſarium, ſic etiam ſaluberrimum fuiſſe intelligemus. Vosque Regnis non modo veſtris incrementum ac perpetuitatem, ſed immortalem quoque vobis apud poſteros nominis gloriam comparabitis.*

Vix ego ad exitum peruenerem, cum Cæſar imperiali habitu, coronaque (quod regnum Germani appellant) ad ſuggeſtum aſcendit: aſſidebant Vladislaus, Sigismundus, Ludouicus Reges, Wilhelmus Bauariæ Dux, cum pila aurea, qua orbis imperium repræſentatur, Mareſcalcus de Pappenheim cum pugione, quod iuſtitiam defenſionemque fidei intelligimus, anteſtabant. Inde mox Regina Anna ad Cæſarem deducta eſt. Cumque ad publicam ſtipulationem deuentum, iuxta Imperatorem ſtetit, nec mora, Cæſari Maximiliano Roman. Imperatori, niſi Carolus Ferdinandusue Reges, nepotes, infra annum acceperint, Anna Vladislai Regis Pannoniæ filia, Arrabone annulo, & Strigonenſi. qui connubilia verba fecerat, interprete nubit. Inde Ludouici Bohemiæ Regis Vladislai Regis filii, & Mariæ Maximiliani Imperatoris neptis, matrimonium etiam annulo confirmatum eſt. Quæ dum agerentur, Rex Vladislaus cum filiam tanto matrimonio copulatam, filio vero Cæſaris neptem vxorem dari, videret, præ gaudio effuſiſſime lachrymatum ferunt. His peractis à Cæſare, tribusque Regibus, ducenti fere viri nobiles militiæ ornamento atque inſignibus donati ſunt. Tandem feſſi domum repetiuere. Gurcenſis apud Regem Sarmatiæ prandit. Inde Pomeridiano tempore ad ludum haſticum itum eſt. Imperator, Regesque ac Reginæ ex podiis ſpectauerunt, partium trium certamen habitum, interfuere Marchiones Brandenburgenſ. Georgius & Caſimirus fratres, Comes de Hardecko, Jacobus de Landau, Ardolphus de Bibracho, Dauid Cneriger, Victores Com. de Hatdecko, Jacobus de Landau, Ardolphus de Bibracho (quanquam à ſeruo adiutus) fuerunt. Peractis ludis, vergente iam ad occaſum die, baſilicum à Cæſare ſympoſium in arce habitum eſt. Conuictores ita diſcubuerunt, Vladislaus Pannoniæ Rex, Rodtalerina Domini Sigismundi de Dietrichſtain, Maximilianus Imperator, Anna Regina, Sigismundus Poloniæ Rex, Maria Regina, Ludouicus Rex Bohemiæ, Matrona curiæ Pannonicæ præfecta, Archiepiſcopus Bremenſis, Epiſcopus Regisbonenſ. Wilhelmus & Ludouicus Bauariæ Duces, Albertus Dux de Mechelburg. Singulique ii ſingulis matronis accumbebant. Inde Pannones Sarmatiæque viri primo-

Regnum.

Sponſalia Maximiliani & Annæ.

Haſtiludia.

Conuiuium maximum.

primores longo ordine conuiuabantur, omnesque (vt de Ariſtippo inquit Tertullianus) ita nepotati ſunt, vt ſaliares cœnas, ac perfica conuiuia ſuperauerint. Trecenti enim aut (ni fallor) plures ciborum miſſus numerati ſunt, omnia auro argentoque micabant. Stromata autem, ac periſtromata Campanicis Alexandrinisque conſutis, belluatis, prætioſiora parietes, Pauimentum ſtratoria tapetesque operiebant. Cumque per impetum reclusis foribus ingens mortalium vis introrumperet, Cæſar ad hortum, quem penſilem in arce habet, cum Regibus, choreæ vt ducerentur deſcendit. Interim ego ad Colimitium meum, quem Mecænati ſimillimum iudico, contuli, vbi & Pierium Grachum, Callimachum, aut Philetam alterum (ita elegos ſcribit) Stabium Sriboriumque Mathematicos, ac Ægidium Rem Jureconſultum, virum tum moribus culriſſimum tum hiſtoriarum diſputatorem ſubtilem ac eruditum conueni, qui apud Colimitium conuictores fuerant, nullusque non dies eſt in quo & diſputando & legendo quippiam præclarum conſequi non poſſis, adde frugi hominis humanitatem, liberalitatemque, qui eruditos quosque ita complectitur, vt ſibi nihil prius quam totum ſeſe iis, ne dum facultates elargiri. Mane autem cum Gymnaſium (eſt enim Viennæ peregrelebre) gratulandi officio in Cæſarem fungi vellet, ipſe magnis negotiis interpellatus vt breuiter diceret, lecturus mox orationem ſi ſcriptam darent, mandauit. Quod cum Vadianus meus vir candidiſſimi in- p.366
genii (ſibi enim dicendi prouincia iniuncta erat) accepiſſet, ſic breuiter Cæſarem allocutus eſt. *Satisfactum arbitror voluntati tuæ, ſacer Imperator Maximiliane, quod orationem, quam Gymnaſii tui nomine coram habiturus eram, maximis & ampliſſimis rerum tuarum negotiis id intercipientibus, te iubente ex animo in paginam tranſtulimus, hoc ipſo commune officium, & ſedulitatem erga te noſtram oſtenſuri. Tu eam cum horis otioſis legeris, ita recipito, vt animum inducas tuum nihil horum, quæ de maieſtate, potentia, & virtute tua ſentimus, copioſe ſatis pro ardentiſſimo noſtro in te amore, ſummaque rerum à te geſtarum admiratione, literarum monumentis demandari poſſe. Cui quidam à ſecretis Imp. nomine reſpondit, Cæſari tanti Gymnaſii, ac eruditorum virorum aduentum gratum fuiſſe: Eidemque fauorem ac operam omnem pro conſeruanda, augendaque eius dignitate largiſſime polliceri, Nihil enim prius Maieſtati ſua fore, quam vt ſtudia ingeniaque ſuorum florere intelligantur.*

Colimitiana Academia.

Vadiani oratio.

Cum adueſperaſceret, nuptiæ Sigismundi Dietrichſtain, & N. Rodtalerinæ ad multam noctem celebratæ ſunt, omnes, præter Sarmaricum, Reges Reginæque interfuerunt. Poſtero die iterum haſticus ludus factus eſt. Spectauerunt Cæſar, Reges, ac Reginæ. Paria duo concurrerunt, neutrum (cum pariter caderent) victor. Octaua Cal. Auguſti Hippomachia id eſt verum equeſtris pugnæ ſimulachrum (Caſtrenſi vocabulo *torniamen* vocant) habita eſt. Inſtitutum vt arbitror Phrygium, ſed pueri olim in eo certabant, vnde Maro autor, *Troiaque nunc pueri Troianum dicitur agmen.* Et Cæſarem legimus Troiam turma duplici maiorum, minorumque puerorum luſiſſe, Viennæ ampliſſimum forum eſt, in quo quatratum ſeptum, ſed longius quam latius factum fuerat, ſiniſtra ingredientibus lignea domus, in qua & iudices ſtabant, & eorum qui pugnaturi erant arma affigebantur. Dextra temporarium pegma, frondium ſcena opertum, Cæſari, Regibusque ac Reginis, cæterisque Principibus, qui ludo non intererant, præpararum. Turma duplex, id eſt paria quindecim fuere, neque enim niſi principes viri, aut qui rerum geſtarum gloria nobiles euaſerant, ingrediebantur. Inſtitutumque apud Germanos antiquiſſime obſeruatum autumo, ex quo & ſtrenuiſſimus quisque ſummam laudem reportabat, imbelles autem dedecore afficiebantur. Adde quod ſi quispiam vel regiæ vel mediocris conditionis, qui quidem aliquid perperam ignominioſeque aut vecorditer ante patrauiſſet, ludo miſcuiſſet ſe, ita omnes illum ipſum vel clauis vel frameis inſectabantur, vt lege militari impune necarent. Nam militem germanum ab omni labe remotum ali volebant, quæ militum diſciplina vt conſtanter

Hippomachia antiqua origo.

Torniamentum cur à Germanis obſeruatum.

ſtanter ſeruaretur, huiusmodi certamina, ad quæ ingredi glorioſum erat, non ingredi turpiſſimum, à maioribus inſtituta fuerunt, quæ nunc mitius delectationis gratia à noſtris exercentur. Igitur cum ſeparatim ſeptum ingreſſi ſuerunt, qui priores hoſtes in pugnam prouocabat. Itaque ſingulis paribus ab initio, diuiſis turmis, pugna inita eſt. Primi mucronatis lanceis Wilhelmus Bauariæ dux, Caſymirusque Marchio-Brandenburgenſis concurrerunt, haſtisque perfractis, exertis ſe inuicem machæris aggreſſi ſunt cæſim) neque enim fetire punctim licet) cum in longum certamen protraxiſſent, dirempti ſunt. Secuti ſunt Georgius Margraphius item Brandeburgenſis, & Albertus Dux de Meckelburg, qui cum lanceas fregiſſent, verſis repente frenis, ad vulnera irrupere (neque enim ioco credas actum eſſe) ſed incaleſcente (vt fit) martiali animo, non ſolum ſcuta inuicem frameis diſſipauerunt, ſed etiam enſibus, crebris adactis percuſſionibus fregerunt. Itaque cum nimio pugnandi ardore intumeſcerent, & ipſi dirempti ſunt. Tertium certamen Comitibus de Henneberg, & de Montfort, datum eſt, qui cum ſtrenue diu multumque certauiſſent, reliquis paribus locum ceſſere. Sic ab omnibus, quorum nomina excidere, tum haſtis, tum parazoniis fortiter pugnatum eſt. Finitis vero parium pugnis, vtraque vtrinque acies, vt ſimul concurreret ſignum expectabat. Claſſico igitur dato, infeſtis hinc inde telis irruerunt. Ita forum cum fractorum telorum fragore, tum cadentium armorum ſtrepitu, crebrisque quadrupedantum equorum hinnitibus reclamabat, vt non ludicram exercitationem, ſed verum certamen fuiſſe crederem. Vt diremptus pugnandi ardor, recenſiti pedites ſunt. At Cæſar, quoniam in Diui Stephani, vbi prius conuenerant, inſignibus militaribus omnes qui expetebant, donare non potuit; in pegmate, Regibus etiam aſſidentibus, reliquos equites creauit, quorum Rutheni plures fuere, ex noſtris autem vt numero impares, ita & rebus geſtis, & doctrinis, & ſtudio nullis poſtponendi: quos inter Stabium meum, virum eruditum, mihique & litteris, & amicitia coniunctum, Cæſar à quo ſummopere diligitur, militari etiam ornamento prouehi voluit, quod non minori gloriæ Cæſaris tribuo, quam Scipioni, qui Ennii
p.367 ſtatua vt ſuo ſepulchro imponeretur iuſſerat; aut Pollioni, qui Varronis Polyhiſtoros imaginem in libraria, quam erexerat poſuit.

Paria certamina.

Stabius equo creatus.

Poſtero die, Hippodromum celebratum eſt, Nicolai Comitis de Salm victores equi Scypho aureo à Viennenſibus Patritiis, Ciuitatis nomine donati ſunt. Sequentes dies cum chirographis, ſyngraphisque, ac diplomatibus conficiendis, vademque vtrinque & prouinciarum & Principum, præſtando præterire intelligerem; Epithalamium quod ego in Ludouici Regis, ac Mariæ matrimonio, multo ante triduo effuderam, Vladislao patri Regi obferendum cenſui, ingreſſusque eius aulam, cum fratre Sarmatiæ Rege ſubinde loquentem, ita breui affatus ſum. *Quæ in laudem matrimonii Sereniſſimi Ludouici, ac Mariæ, tuæque Maieſtatis multo ante triduo exaraui, vt hilari vultu accipias, rogo atque ſupplico. Hæc enim ſi tibi placuiſſe intelligam, ſi quid dabitur ocii, rebus à te ſapienter fortiterque geſtis, præluſiſſe videbuntur. Interim & tuæ Maieſtatis, & dulciſſimi filii felicitatem opto. Tu vt illi diu ſuperſtes ſis, Ille tui ſimilis, & vitæ inſtitutis, & rerum geſtarum gloria, videatur.* His breuiter dictis Verſiculos cum Epiſtolii præfatione, obtuli ſubſcribendosque putaui.

Curſus equor.

SERENISSIMO PRINCIPI, VLADISLAO BOEMIÆ ET PANNONIÆ REGI, RICCARDUS BARTHOLINUS HETRUSCUS PERUSINUS FELICITATEM.

VT aliqua in parte ſalutandi officio, quod apud Perſas peculiariſſimum fuit, fungerer erga te Sereniſſime Rex Vladislae, quæ triduo à me, & tempuſculo ſubinde interpo-

interpolato, in matrimonio Sereniſſimorum principum Ludouici & Mariæ (quod fauſtum felixque ſiet) effluxerunt; tuæ celſitudini offerenda cenſui. Atqui carmen in Laudem tanti coniugii maturius fortaſſe cenſes à me exaratum fuiſſe oportere. Haud profectò inficior, ſed latitia, quam ex tantorum principum futuro hymenæo conceperam, ita afficiebar, vt multa ſuccurrerent, quæ ne mihi quidem impenſius cogitanti oblata fuiſſent. Tamen hanc meam meditatiunculam, quæ quam tenuis ſit, non ignoro, ſatis placituram cæteris intelligam, ſi tu iucundiſſime Rex placato vultu accipiens, non aſpernabere.

IDYLIUM IN MATRIMONIO SERENISSIMORUM PRINCIPUM, LUDOVICI REGIS, AC MARIÆ REGINÆ.

Dum caligantes terrarum ſummus habenas,
Aſpiciet genitor, ſceptrique cupidine mundum
Diſtractum vario, & tenui pro limite clades
Exortas miſeris mortalibus, armaque vbique
Feruere, ſanguinei reſeratæque limina Jani
Errores hominum varios, curasque reuoluens
Humani generis, ſecum ſic Juppiter orſus:
Poſtquam informe chaos, nec non elementa viciſſim
Æternum confuſa, in corpora nexa redegi,
Scilicet vt medio penderet in aera tellus,
Vaſtaque nec fremeret extra ſua littora pontus,
Aurea ætas. *Et calidis purus candeſceret ignibus æther,*
Limitibusque ſuis conſtaret mobilis aer;
Omnia ſic ſtatui paſſim vt communia terris
Eſſent, vt pingues fœtus, & copia rerum
Caſtam alerent hominum, nullo diſcrimine, vitam.
Tempore quo aggreſti ſtillabat ab arbore nectar,
Incolaque è ſcopulis hyblæus mella legebat,
Sponteque ſollicitis tellus non peruia raſtris
Ædebat partus cereales, quamque Iyeum
Ferrea ætas. *Malebant gentes Acheloia pocula priſca*
Paulatim vero lapſa eſt, & decolor ætas
Quod fuerat commune datum mortalibus ægris,
Partiri cœpit, fallaxque & auarus habendi
Auaritia. *Creuit amor, paruoque repertus limes agello eſt*
Hic, mea ſunt, inquit, ne tranſi, neue recide
Orbis partitus. *Hunc lucum, inter nos fluuius tu terminus eſto.* p. 368
Inde orbem inuaſit, Nihil diſcrimine longo
Seiunxit Lybiam, atque Aſiam, Tanaimque bicornem
Europa voluit fines dare, protinus ipſa
Sic natura gradus hominum, non conſcia recti
Struxit ad imperia, & vigilem ad præcordia curam
Iniecit. Creuere arces, & mœnibus alta
Oppida muniri, & foſſis cœpere profundis
Indigetesque patres, atque aurea deſit atas.
Vnde Nini imperium eſt, hinc bello illo tenus orbi,
Ignoto Babylonque furens, & concita Perſis,
Cœpit in externos armis prorumpere fines.
Quotque etiam memini Rex imperitauit Amaſis
Vrbibus Ægypti, ſed ne ſequar omnia, tellus
Sic diuiſa modo eſt, regni ſic aucta libido

Vt quicquam certi non ſit, iubet ire peracta
Enganea gentis, bello quas occupat vrbes
Illato, atque ignes ſtupeo quos Auſtria paſſa eſt
Clam miſſos, & tecta dolis flagrantia miris.
Sic nusquam iam tuta fides, communeque fallax,
Ne fraterna quidem ſeruat concordia, regnum.
Ergo iucunda via eſt, qua tot diſcrimina rerum
Tollantur, meliusque orbis terræque regantur.
Pax cœlo æterna eſt, quando Iouis omnia, mundo
Solus ego imperito, ponto Neptunus; Auernum
Dis regit, hoc ſupereſt vt & hæc mortalibus ora
Conceſſa, vnius Domini quoque geſtet habenas.
Sic fore decretum eſt, vnum gens omnis adoret
Sit ſecum, voluitque modum, luſtratque potentem
Regnatorem Aſiæ, ſceptrumque Sophitidos aulæ
Ægyptique vrbes magnæ, dirumque Serapim,
Inde ſub occiduo Tarteſſia littora ſole,
Gallorumque minas regum, ditesque Britannos
Complectens animo, Belgarumque inclyta regna,
Germanosque acres bello, ſedesque potentis
Auſtriadæ, mox Pannoniam, gelidaque recurrens
Sarmatiæ populos, & quos alit ora Scytharum.
Pannonium in puerum tandem defixus inhæret:
Hic placet, hunc animo totum complectitur, alto
Qui magnas orbis terrarum flectat habenas.
Hæc ſecum, & regiis Belgarum à ſedibus vnam
Coniugio elegit ſtabili, cui mater Ibera
Cæſar auus, fraterque ingens, quo ſanguine Regum
Præclaro quisquam non ſurgit maior in orbe.
Quicquid in occaſu eſt, quicquid per littora portus
Geſoraci refugum tangit mare, & alpibus altis
Clauditur interne, illius ſub iura futurum.
Interea abſoluet Latialis munia belli
Auſtriades, tumidumque Adriæ victricibus armis
Frenabit pontum, maioraque ſceptra parabit.
Sic etenim creſcens, regnisque potentibus auctus
Inuenient poſt fata viam, qua ſumere faſces
Terrarum poſſit, & gentibus imperet orbis.
Dumque ergo imperio mundi, maturior ætas
Creſcit, erunt olli magni per fœdera Reges
Jungendi, inque vicem celebranda iugalia ſacra.
Nec mora Junonem, atque ortam Tritonide ripa
p.369 *Arceſſit, coramque Deis ſic talibus infit.*
Cura puella mihi Maria eſt fata rege Philippo,
Pannonio vt puero pulchro iungatur, & altas
Magna Vladislai incedat Regina per aulas.
Chara faue coniunx, tædasque exprome iugales;
Tu Pallas puero incumbe, & virtute parentum
Imbue, daque armis nullus ſit fortior vsquam
In terris, nullique Deum pietate ſecundus:
Cui ſum terrarum atque orbis ceſſurus habenas.
Annuit his Juno, at contra ſic talia Pallas,

Perfidia mortalium.

Carolistus.

Alludit ad poema ſuum.

Tu quacunque iubes pater omnipotentis Olympi,
Perficiam; ſiquidem Auſtriados pepigiſſe recordor;
Cum domitos vidi magno ſub Cæſare Boios,
Me fore præſentem rebus dextramque futuris.
Hæc in vltimo Auſtriados libro ſcribuntur. *Nulla mora his dictis, ſeſe ad penetralia confert*
Iuppiter, & ſecum quæ ſint peragenda volutat.
Agnoſcebat enim, cauſis ingentibus ipſum
Ambiri Auſtriadem, hinc mors Galli, hinc Itala bella
Diſtractum motu vario curaque premebant.
Gurcenſis pudet. *Tunc mentem in Langum vertit, quem candida mater*
Incrementum ingens, ſelici prodidit aluo.
Atque ait, hic meus eſt, hunc alta ad culmina rerum
Ab ortu. *Prouexit virtus, nam quid memorare neceſſe eſt*
Felicemque ortum, & primæ incunabula vitæ
Diuino progreſſa gradu, quod mentis acumen
In puero eluxit? ſtudiorum quantus in illo
Præmaturus amor? quantum profecerit, ipſa
A ſtudiorum genere. *Miratur Pallas, ſiue aſtra polique rotatus,*
Seu vim ſigniferi, ſeu res præceptaque morum
Inquirat, terraque amnes atque æquora ponti,
Quæque ſub occaſu gentes ſint, quæque ſub ortu.
Vt fluat Oceanus, quam longo margine tellus
Claudatur, qua parte gelu coit, æquor, & vnde:
Nigris inuentus deſcendat Nilus ab Indis,
Diſſerit hoc mèlius nemo. Suadela, Venusque
Seſſitat in labris, quo fante pependit in æthra
Ales ſæpe, ſuosque oblita eſt incuba nidos,
Diuinique animi ſtupuere, vndasque ſilentes.
A præſentia. *Firmatas vidi, atque auritas currere quercus.*
Os etiam ſublime datum, poſitusque ſub alta
A rerum experientia. *Maieſtate decor, grauitas, præſentia, motus,*
Diis ſimilem efficiunt, quanta experientia rerum
Scit Latium, cui frena dedit, ſcit Gallia, Iberus
A fide. *Germanique Duces. Verum ſub Cæſare longe*
Eſt viſum melius, cui tot labentibus annis
Imperii adiutor magni, fidusque laborum
Eſt comes. Hunc ergo tanta ad molimina, ſolum
Eligere eſt animus, ſic fatus abusque Lyceo
Mercurium accerſit, mandatque hæc protinus olli.
Inate, & cœlo ſumptis talaribus alto
Labere, & Auguſti ſacras te confer ad aulas
Cæſaris, Hinc præpes (nusquam mora) Pannona Regem
Vladislaon adi, qui connubialia ſacra
Inter ſe celebrent. Nubat Maria inclyta pulchro
Virgo Ludouico, tædisque vndaque iugali
Ipſe adero præſens Diuum pater, & bona Iuno.
Sed Lango pia cura meo data numine fido
Tractandi hoc munus, tamque alta negotia Regum. p.370
Sic Iouis imperio magnos affare Tyrannos
Dixeras, extemplo Cyllenius alliger Alpes
Feſtinus petiit gelidas, & nunciat ipſis
Regibus, in ſomno patris mandata Tonantis.

Nec mora, vtrumque ſubit, tædis coniungere regna
Irrequietus amor, ſtabilique innectere vinclo
Hic Mariam poſcit, contra ſibi Cæſar habendum
Eſſe Ludouicum, nodoque augenda iugali
Regna putat, pariterque inceſſit corda cupido.
Et iam tempus erat, quo lex & fœdera tanti
Coniugii firmanda forent, expoſcit vterque
Magnanimi curam peragenda ad munia Langi.
Exequitur mandata celer, fidusque miniſter
Flumine Danubii lata rate vectus, in alto
Vela dedit ventis, coeunt hinc Sarmata, & inde
Pannonius, Reges magni, quorum alter anhelat
Tela inter Moſcos vibrare, acresque Rhutenos,
Et magni tumidas ſuperare Boryſthenis vndas:
Alter Turcarum, Myſorumque agmina fundens
Pacatum ſtatuit regnum, nuperque ſenile
Oſtendit robur, rabiem qui marte prophanam
Bellaque victrici ſtrauit ſeruilia dextra.
Langum ambo excipiunt, faciem mirantur amœnam,
Atque graues pariter geſtus, gratique verendam
Maieſtatem oris, linguæque arcana diſerta,
Interea paucis res eſt transacta diebus
Coniugiique fides vtrinque eſt pacta futuri.
Belgica Pannonio eſt ſic iuncta puella marito.
Creſcite iam pueri, coniuncti viuite Reges.
Iam nitet omnis ager, ridet iam Dædala tellus:
Clarius it cœlum, riui lætantur & amnes:
Horreſcunt plantæ, diſtillant balſama ſaxis,
Danubii dant nectar aquæ, pacatus abundat
Ambroſia Drauus, & vernantes Carpathus vmbras
Extollit, duroque fluunt è robore mella.
Creſcite iam pueri, coniuncti viuite Reges.
Non ſic tardipedi viſa eſt ſibi Creſſa puella
Fluctiſona in Dia, ſic nequidquam Artemiſai
Annua coniugii celebrant ſolennia Cares:
Non ſic turrita, felicia vincla Cybelles
Grata Deis, minor Alcæo quoque creditur Hebe
Iuncta, nec Iaſio maior virgo Attica nupſit.
Creſcite iam pueri, coniuncti viuite Reges.
Pannon fronde comas, & vernis nectle corollis,
Intorque Germane comas, & nectle corollas:
Feſcenninorum libertas prodiga paſſim
Regales intret thalamos, iam Syrmius hoſpes
Muſta cadis relinat, ſpument Carcheſia Baccho
Auſtriaco ſaliant iuuenes, & ter pede dextro
Propulſanto ſolum læti, tria nomina fantor,
Quæ cœlum, pontumque regunt, terrasque profundas.
Creſcite iam pueri, coniuncti viuite Reges.
En mundi noua ſigna meant, nouus erutus ordo.
Neſcio quid maius cœlum promittis, habenis
Vladislae tuis, iam canos vngue capillos
Et tadas adole pingues ſeruileque bellum

Excidat ex animo, quod tu virtute tuoque
Sedaſti ingenio, pauloque relaxior inſta
Latitiæ, & thalamum tua concinat aula, futurum.
Creſcite iam pueri, coniuncti viuite Reges. p.371
Frater ades ſacris, & bello ſolue phalanges
Sarmaticas, patere indomitos errare Agathyrſos,
Da veniam Moſco, Scythicosque relinque Rhutenos
Pauliſper, dum læta dies, dum lætior annus,
Dum ridet cœlum, atque aer nigra nubila ponit,
Frater ades, tædæque ſacræ pius omnia firma.
Creſcite iam pueri, coniuncti viuite Reges.
Per te etiam Cæſar, pugnax dum parturit ingens
Bellum animus, Venetumque minas dum cura domandi
Maturatur, eat lux formoſiſſima, Diuûm
Munere conceſſa, & magnos paritura triumphos.
Liberior, ſceptri nec maieſtate retentus.
Indulgeque iocis, mellitaque pocula ziti
Spumantesque hauri nigro crateras Iacho.
Creſcite iam pueri, coniuncti viuite Reges,
Vos ambo, quorum Diis magnis cura remanſit.
Virgo, puerque, tuum factis imitabere patrem,
Tu prior, ipſa tuæ videare ſimillima matri.
Juno faue dictis, tibi vincla iugalia curæ
Atque maritales ſit Regum adoleſcere tædas.
Currite felices Parcarum, currite fuſi.
Sit lætus quicunque dies nucibusque relictis
Dum iuuenilis amor feruet, dum pronuba Juno
Aſpirat, caſtamque Venus ſecat aurea zonam,
Alma puella, puerque ô terque quaterque beati
Caſte adeunto thorum, & caſte celebranto hymenæum.
Sic nati natorum, & qui naſcentur ab illis,
Perpetuo regno ſolioque fruantur auito.
Currite felices Parcarum, currite fuſi.
Ecce noua imperia, & rerum incrementa parantur,
Sub veſtrum, quæcunque videt Sol aureus ortu
Quaque ſub occaſu, ſceptrum ventura, Deorum
Auguror officio. Venient ſene patre Alitambi,
Incultique Scythæ, Parthique, & diſcolor Indus
Obſequio, cum ſceptra potens ſua Cæſar ad vnum
Transferet, illiusque manu tractabitur orbis.
Ergo dum rerum creſcit maturior ætas,
Currite felices Parcarum, currite fuſi.

Damnat Principes ſui temporis.

Itaque hoſce verſiculos cum obtuliſſem, Adorcos abii nugæ, nam Principum fores pedibus (vt aiunt) non manibus pulſandæ. Jam ſextæ Auguſti Calendæ aduentabant: Iam feliciſſima albicabat dies, & nitido ſignanda lapillo, qua pax æterne, fœdus perpetuum, affinitates immortales promulgarentur. Itaque cum Cæſar ſemper Auguſtus, Vladislaus Pannoniæ, Sigismundus Sarmatiæ, Ludouicus Boemiæ Reges, in arce conueniſſent, atque interim de rebus magnis ſermo haberetur, fœderis promulgatio ad veſperam dilata. Quamobrem accenſis cæreis ſic res acta eſt. Cardinales Strigonenſ. Gurcenſisque aderant, ſed Strigonenſi ob ætatem munus impoſitum, vt fœderis verba faceret: qui ita exortus eſt. *Sacratiſſime Cæſar, Sereniſſimi Reges, Feliciſſimus dies tandem aduenit,*

Dies fœderis promulgati.

Strigonienſ. verba pro fœdere.

uenit, in quo inter vos perpetuum fœdus, immortalisque amicitia confirmaretur. Itaque quod fauſtum & felix ſit, vobisque, regnis veſtris, & Chriſtianæ reip. profuturum, ſi pax, fœdusque vt inter vos tractata ſunt placent, & verbis nunc confirmate, & dextras inuicem complectimini. Cum ergo lætis animis & annuiſſent & confirmaſſent, ita dextras coniunxerunt. Cæſaris dextram primus Vladislaus complexus eſt, inde Sigismundus, tertio Ludouicus Reges. Rurſus Vladislai dextram Sigismundus frater & Ludouicus filius complexi ſunt. Tertio Ludouicus Sigismundusque dextras coniunxere. Tanto omnium applauſu hæc acta ſunt, vt neque cogitari, neque referri gaudium poſſit. Hæc paulò ſecretius. Inde vt omnes, qui auidiſſime expectabant, palam Cæſaris Regumque fœdus
p.372 intelligerent, ex Podio Syngraphum & Latine, & Germanice ſic recitatum eſt. *Quod fauſtum felixque ſiet Nobis, ac Chriſtiano orbi, Sacratiſſimi Maximiliani Imperatoris, Sereniſſimorumque Regum Vladislai, Sigismundi, ac Ludouici, fœdus perpetuum, amicitiamque contra infideles, atque hoſtium communium internicionem initam confirmatamque denunciamus.* Quibus perlectis, ferit aurea ſydera clamor, tympana perſtrepunt, tubæ clangunt, ſenes, iuuenes, innuptæque puellæ; tum ciues, tum exteri, feliciſſimo rerum exitu lætabundi per vrbem diſcurrebant; feſta vbique diuerſarum gentium gratulatio haberi videbatur. Poſtero die Cæſar, Regesque mutuis inuicem muneribus certauerunt. Gureenſem Sarmatiæ Rex Megaloprepes Scyphis Anaglipticis tribus, duobus crateris aureis, totidemque Zebellinorum quadragenis (ſic enim appellant) donavit; omnesque præterea Oratores, virosque à ſecretis, amanuenſeſque Cæſareos, aut holoſericis, aut peeunia proſecutus eſt. Contra nulli aulicorum Pannoniæ, Sarmatiæque, quin prius à Cæſare baſilice donati fuerint, receſſere. Verum hæc proſequendi nec meum inſtitutum eſt, nec ſi vellem, præ multitudine munerum ac magnitudine compos incepti operis herem. Tantum hoc tradendum memoriæ eſt, Cæſarem Mariæ Nepti Crucem (cuius ſuperius memini) viginti millium ducatorum elargitum eſſe. Regem vero Sarmatiæ zebellinorum pellibus trium millium ducatorum pretio Imperatorem donauiſſe: quis vaſa aurea, argenteaque? quis ſcyphos, gutturnios, Anciliaque toreutice figurata arte enumeret? quis veſtes purpureas, dibaphas, latosque principum virorum clauos, puellarum patagia, militariaque paludamenta feliciter proſequatur. Quare ſit ſatis hoc in vniuerſum meminiſſe, Cæſarem qui & Reges ſuis aluit ſumptibus ſupra ducenta millia Rhenenſium impendiſſe. Itaque rebus auſpicatiſſime confectis, perendino die Imperator & Ludouicus Rex graui ambo armatura tecti nouam ciuitatem, quo cæteri Reges poſtridie venturi erant, petiere; illuc ſequente die eum omnes conuenirent, biduum inſumptum eſt, compoſitisque examuſſim rebus, abeundi tandem vtrimque venia impetrata eſt. Vbi tot lachrymæ effuſæ ſunt, vt minus Niobem in Sypilo lachrymari crediderim. Nam Vladislaus Annam filiam, delicias ſuas, ſolatiumque ac ſenectutis præſidium relinquere grauiter ferebat. Illa effuſis iam deuicta lachrymis, non ſolum paterni doloris ac ſenii miſereſcebat; ſed & crebro fratris qui paulo ante dixerat, *malle mori quam ſine ſorore viuere*, ſingultu ac mœrore ita afficiebatur, vt tota in lachrymas euaneſcere videretur. Sic cum diu manſiſſent, datis mutuo dexteris Vladislaus, Ludouicusque Reges, relicta apud Cæſarem Anna, in Pannoniam rediere; Sigismundus Viennam, vt inde paulo poſt in Sarmatiam abiret, reuerſus eſt.

Formula item fœderis.

Dona Cæſ. Regumque.

AD LECTOREM.

QUOD *pollicitus ſum ab initio, in parte me præſtitiſſe arbitror. Tamen non inficior, tanta rei magnitudinem, & vberius, & ſublimius dictionis genus poposciſſe. Nam ea, quæ magnifice, excellenterque geſta ſunt, niſi eorum dignitatem, atque*

atque amplitudinem verborum cultu, atque ornatu proſequare, idem contingat neceſſe eſt, vt pro Elephanto Culicem depingas, atque ea dum leguntur magis riſum quam admirationem afferunt, ac tantum abeſſe arbitror, vt res illuſtres, inerudite, incompteque ſcribi debeant, vt etiam cultiſſimus in iisdem ornatus requiratur. Alioqui & nos iudicio caruiſſe cenſeremur, & facta dictaque memoratu digna in tenebras à nobis coniici, nedum illuſtrari viderentur. Qua quidem in parte video complures errare, quippe qui magis vernaculis ſuis & iisdem indoctis, non citra famæ iacturam conſulere, quam rerum præſtantia ſumma cum laude proſequi velint. Sed de hoc eruditi iudicent. Interim lectorem admonitum volo, ne minutiſſima quæque, à quibus non ignarus pedem retraxi, & iisdem immorari, non niſi ingenio abutentis eſt, requirat. Nomina autem (vt alibi præfatus ſum) vt cuiusquam lubido erit, reſarciendi, mutandiue edicto publico libertas eſto. Nam ipſam rerum ſeriem, quam propriam quoruncunque Nomenclaturam proſequi maluimus.

Caſpar Vrſinus Velius.

Quam bene Mæonius celebrauit Homerus Achillem,
Quam bene & Æneam cantat vbique Maro.
Tam canit Auſtriadæ bene Cæſaris acta Ricardus,
Scribendi graphice cultus vtraque via.
Felix Æacides, ſelix Anchiſiades Tros, p.373
Felix Auſtriades terque quaterque pius.
Contigerunt merito magnis, magno ore locuti
Vates, aterni carminis artifices.

Joachimi Vadiani Heluetii.

Cæſaris & Regum ſi quid monimenta merentur,
Quæ Ricarde tuus tollit ad aſtra labor:
Juſta tibi fama merces accedet, & addent
Priuato meritum grandia geſta decus.
Lecta adeo rebus componis verba, ſuoque
Quodcunque eſt nusquam non ſinis eſſe loco.
Arte quidem: nam ſæpe ſolent parua illa videri,
Verborum incompta quæ leuitate fluunt.

Rudolphus Agricola Junior.

Hoc lege lector opus, non hoc eſt verius vllum,
Quodque animo poterit gratius eſſe tuo.
Siue ſtilum videas, ſeu geſta negotia regum,
Omnia vel Criticis ſunt placitura malis,
Ad malum ſiquidem vere exorditur ab ouo,
Et docte & propriè ſingula facta docet.

GRAVA-

GRAVAMINA NATIONIS GERMANICÆ.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

MUlta Germanicæ gentis a ſeculo potiſſimum XV. contra Papalis antea attentata exorta fuerunt grauamina, maxime, dum per Jo. Wiclefi & Jo. Huſſi doctrinam, lux euangelica paullatim inualeſceret. In Concilio equidem Conſtantienſi Sigismundo Imp. an. 1416. iamdum quædam Grauamina exhibebantur, inde *Auiſamenta Conſtantienſia* adpellata, * quæ hoc effecerunt, vt in eodem Concilio inter Martinum Papam V. & Nationem Germanicam Concordata de Eccleſiæ vniuerſalis adminiſtratione conſtituerentur. ** Inde eidem Sigismundo an. 1427. Moguntiæ noua exhibita fuerunt Auiſamenta. *** Inſecuta quidem fuit an. 1436. Sigismundi Imp. Reformatio, per ipſius Conſiliarium, Fridericum a Landskron compoſita, **** ſed parum proualuit. In Concilio Baſileenſi quidem ad Grauamina Germanicæ nationis fuit reſponſum, ***** neque tamen hoc ipſo iisdem ſatisfactum. Mortuo Eugenio IV. Papa, dum ipſi ſuffectus eſſet Nicolaus V. Comitia in diem S. Margarethæ 1447. Aſchaffenburgum indicebat Fridericus III. Imp. ****** *Diſceptatum* ibidem *eſt, quonam pacto Pontifici Nicolao parendum eſſet. Erant, qui decreta Baſileenſis concilii omnia ſuſcipienda contenderent, illisque ſaluis, Papæ obediendum. Contra legatus apoſtolicus eius concilii legibus, quod Romana ſedes refutaſſet, nullam ineſſe vim aiebat. Alii, quibus media ſententia placebat, verum Baſileæ concilium aliquando eſſe affirmabant, eiusque temporis conſtitutiones hautquaquam reiiciendas eſſe putabant. Poſtremo eo modo concordiæ locus fuit, vt ſententia quorundam decretorum Baſileenſis concilii reciperetur, reliqua vero eius ſtatuta reiecta viderentur.* ******* In iisdem quoque Comitiis Aduiſata fuerunt exhibita. ******** Tandem vero XVII. Februarii 1448. cum Johanne Cardinali S. Angeli & Legato a latere ſuper Collatione Beneficiorum Eccleſiaſticorum certa erecta fuerunt

---

* Reperiuntur iſta apud Goldaſtum *Tomo vno Conſtit. Imp. p.* 391. & inter Reſcripta & Statuta Imper. *Tom. I. p.* 149. & apud Hardüum *Prolegom. Concilii Conſtant. Tom. I. c. XV.*

** Extant iſta in Leibnitii *Cod. Jur. Gent. diplom. Tom. I. p.* 384.

*** Extant apud Goldaſtum *in Stat. & Reſcriptis Imper. Tom. I. p.* 155.

**** *c. l. p.* 170.

***** Apud Goldaſtum *Stat. & Reſcript. Imper. p.* 202.

****** De his Jo. Gobellinus *in Comment. Pii II. lib. I. p.* 24. & Müllerus *im Reichs-Tags Theatro P. I. c. XXVII.*

******* Verba ſunt Æneæ Syluii in Apologetico ad *Martinum Meyerum.*

******** Extant iſta apud Müllerum *c. l.*

fuerunt concordata, quæ XIV. Cal. Aprilis eiusdem anni a Nicolao V. Papa fuerunt confirmata.* Hæc tamen obtruſa potius fuerunt Nationi Germanicæ, dum pauciores ſtatus iſta adprobarent. Neque tamen his, quæ Sedi Romanæ admodum erant proficua, contenti Pontifices, maiora adhuc attentabant. Mortuo igitur an. 1455. Nicolao V. Papa, *fuerunt non pauci, qui Cæſari ſuaſerint, nunc tempus eſſe coërcendi Apoſtolicam ſedem, ne tantum in Germania poſſet: Conuentiones quæ cum Eugenio factæ fuerant, diminutas eſſe, nec prius obediendum Rom. pontifici, quam ea concederet, quæ natio Germanica optaret, ancillam eam videri libertatem aliquando mereri. Atque hoc ipſum Jacobus Treuerenſis archiepiſcopus obnixe requirebat, qui ex lite lucrum aliquod expectabat. Contra Æneas non eſſe e re Cæſaris aiebat, Romani pontificis auctoritatem reprimere, vt populi gratia iniretur, quæ ſui natura inconſtantiſſima eſt: nec multitudini relinquendas habenas, quam noſſet principatibus inimicam: inter principes aliquando amicitiam inueniri, inter plebem, & regem odium immortale. Papam Imperatoris & Imperatorem Papæ auxilio indigere: Stultum eſſe illi nocere, cuius expectes opem; cum Pontificatus nouus initur; tunc Romani præſulis gratiam beneficiis emerendam. Quod ſi ab iniuriis incipias, difficile in beneuolentiam patere aditum: mittendam more maiorum obedientiam, fœdusque cum nouo præſule honeſtum ineundum, eoque pacto Germanos Imperatori obedituros. Vicit Æneæ ſententia atque ipſe miſſus eſt, qui ea perageret, quæ ſuaſerat, & cum eo profectus Joannes Inderbachius Juriſconſultus.*** Electores tamen, præ cæteris Rhenenſes, de Papæ attentatis ſæpius querebantur. Patet hoc ex Martini Mayeri, qui Cancellarius erat Moguntinus, Epiſtola ad Æneam Syluium ſcripta, quæ hic inſeritur, ex Aſchaffenburgo ſcripta,**** qua ipſi non ſolum de Cardinalis dignitate gratulatur, ſed etiam quæ Nationis ſint Germanicæ contra ſedem Papalem Grauamina aperit. Ad ſingula tamen diuerſis epiſtolis reſpondet Syluius,***** ſingularem etiam confecit Apologiam, quam inſcripſit *de Ritu, ſitu, moribus & conditione Germaniæ*,****** quam Antonio tituli S. Chryſogini S. R. E. presb. Cardinali Epiſcopo Verelenſi deſtinauit. Ipſe quoque Calixtus III. Papa ſe de Germanorum Grauaminibus diuerſis vicibus excuſat.******* Ad dictam vero Syluii Apologiam ex mandato Maximiliani I. ſingulari ſcripto reſpondet Jacobus Wimphelingius Sletſtadienſis, hic erat Presbyter Spirenſis Eccleſiæ, qui etiam in

* Extant iſta cum quæſtionibus quibusdam per Georgium Branden edita, *Coloniæ* 1610. 4. apud Goldaſtum *Statut. & Reſcr. Imper. Tom. I. p.* 207. Acceſſerunt Schilteri Inſtitutionibus Juris Canonici & reperiuntur apud Leibnitium *Cod. Jur. Gent. diplom. P. I. n. CLVIII.* Müllerum *im Reichs-Tags Theatro P. I. c. XXVII.* §. 7. Commentati in eadem fuerunt Henricus Linckius & Adamus Cortreius.

** Verba ſunt Jo. Gobellini *Comment. de Geſtis Pii II. lib. I. p.* 25. Extat etiam Æneæ Syluii Oratio, qua Calixtus III. Papæ Imp. nomine obedientiam offert, inter alia Eius Opera *ep. CCCXCV.*

*** Datum huius epiſtolæ apponitur *pr. Cal. Septembris*, 1457. Sed cum Æneæ Syluii *ep. CCCLXIX.* quæ ad eandem reſponſoria ex Roma ſcripta ſit die VIII. Auguſti MCCCCLVII. errorem quendam commiſſum eſſe arbitramur.

**** Facit huc Epiſtola Æneæ Syluii ad Martinum Mayerum *CCCXXXVIII. CCCXLV* Alia ad Joannem Leſurem *CCC XLIX.* ad Decanum Wormatienſem *CCCLVI.* Pleraſque Theatro ſuo Comitiorum ſub Friderico III. inſeruit Müllerus *P. III. c. VIII.* §. 3.

***** In editione quidem Operum Æneæ Sylnii quæ *Baſileæ* 1551. *f.* prodiit, qua ipſe vſus ſum, hæc ipſius Apologia non reperitur, extat vero in Bzouii Annalibus *Tomo XVII. p.* 186.

****** In epiſtola ad Ladislaum, Vngariæ Regem inter epiſtolas Syluii *CCC XXXI.* ad Henricum Leubing *ep. CCCXXXV.* ad Nicolaum S. Petri ad vincula Cardinalem *ep. CCCXXXVII.* & ad Fridericum III. Imp. *ep. CCC LXXI.*

Heidelbergenſi Academia docuit. * Hunc autem Maximilianus elegit, quod non ſolum vario doctrinæ genere eſſet refertus, ſed etiam abuſuum Cleri cenſor acerrimus, ** qui alias pro Eccleſiæ immunitate ad Cardinalem Tornicenſem ſcripſerat. Hæc igitur Wimphelingii Apologia, cum aliis ſcriptis, Grauamina Nationis Germanicæ concernentibus, in hac continetur Collectione. Adiectæ ſunt duæ Orationes, altera a Legatis Leonis X. in Comitiis Auguſtanis 1518. *** habita pro colligendis decimis contra Turcas, altera eſt diſſuaſoria ne Principes in easdem decimas conſentiant Nomen quidem huius Oratoris non exprimitur, ſed in fine eiusdem hæc verba reperiuntur: *finis Orationis Vdalrici (vt fertur) Hutteni*, qui illuſtris nominis cenſorque cleri erat acerrimus. Interfuiſſe autem ipſum hiſce Comitiis Hiſtoria Vitæ ipſius teſtatur. **** Aſt, licet Huttenus diuerſis ſcriptis contra Papam & Romanos eſſet clarus, dubium tamen mihi mouent vltima huius Orationis verba, quo minus eidem hanc tribuam Orationem, dum ſe a Laurentio de Bibra, Herbipolenſi Epiſcopo ſacerdotum Collegio decoratum fuiſſe ſcribit, quod de Hutteno dici nequit. Proponit autem auctor quisquis ſit, quod Papa ſub prætextu ſaltim belli Turcici decimas à Germanis exigat. Inde pallii abuſus reprehendit, dicens: *prouenit Pontifici ex ſua terra vectigal, quantum nulli Regum Chriſtianorum: & tamen Pallia emimus, & tamen aſinos auro onuſtos Romam mittimus, patibula Chriſti erigimus, munera promittimus aurum pro plumbo mutamus, negligentius (hem lapſo calamo) indulgentias paſſim admittimus.* Inde quantum lucrum Julius II. ex collectis ad Baſilicam S. Petri factis fecerit, enarrat, qua ratione Laurentium Medicem ducem Florentinum voluiſſet conſtituere. Demum cum laude Laurentii de Bibra, Epiſcopi Herbipolenſis concludit. Omnia hæc ſcripta partem XXIII. conſtituunt inter Politica Imperialia Goldaſti. *****

---

* Vitam ipſius & ſcripta exponit Bernh. Herzog *Elſaſſ. Chronic. lib. VII. c. XXI.* Voſſius *de Hiſtor. lat. lib. III. p.* 640.

** Teſtatur de eo S. Langius *Chron. Citic. p.* 886. ſcribens: *Jacobus Wymphelingus, ſacerdos & theologus vita & doctrina alioqui conſpicuus, ſed ſcribendo plurimum acerbus & ſpinoſus, paſſim caterorum & vitam & ſcripta cynice taxando. Qui cum in libello ſuo de integritate mores religioſorum & ingenia etiam antiquorum patrum taxaſſet, librumque de ſcriptoribus eccleſiaſticis Joannis Trithemii abbatis & quondam præceptoris mei, temere & inſipienter reprehendiſſet, noſtroque ordini tres præſtantiſſimos eccleſiæ doctores, Gregorium videlicet magnum, Alquinum Caroli magni magiſtrum, ac venerabilem Bedam ſubtraxiſſet, eos cucullatos ſiue religioſos extitiſſe ſcriptim negando; ſicque alios ordinibus feciſſet quibusdam, iuſſu ac inſtinctu memorati abbatis Trithemii, viri vndecunque doctiſſimi, ſub cuius tunc certo tempore militabam obedientia, in archiſterio prope Herbipolim, ſcripſi contra eum, immo eius deliramenta, opus bipertitum in laudem & defenſionem clauſtralium omnium. Edidit inſuper idem Jacobus & plura alia opuſcula parua, qua impreſſa venduntur palam.*

*** Inſcriptio Freheri præferebat annum 1519. Verum dum Comitia an. 1518. fuiſſent habita & finitis iisdem Maximilianus ineunte anno 1519. fuiſſet defunctus ita emendauimus. Agit de iisdem Comitiis Chytræus Saxon. p. 201. *præcipua de Bello Turcis inferendo, deliberatio fuit, qui ſuperiore biennio, Campſone, Syriæ & Ægypti Rege, ad Singam fluuium, cum Mamaluchis cæſo, vniuerſam Syriam, Paleſtinam & Ægyptum, in ditionem ac Imperium ſuum redegerunt.* Gerh. a Roo. lib. XII. p. 603. *Imperator quoque in Turcicum bellum animatus, conuentum ordinum Auguſtæ Vindelicorum egit, ad quem Principes, ſolito frequentiores, venere.*

**** Repetitur iſta cum Catalogo Scriptorum Hutteni in Halenſium Teutſchen Anmerckungen *Tom. III. Obſ. V.*

***** Idem Goldaſtus in *Conſtit. Imp. Tom. II. p.* 119. eadem habet, & Germanico ſermone *in Reichs-Satzungen p.* 215. ſed non omnia.

GRAVA-

GRAVAMINA GERMANICÆ NATIONIS, CUM REMEDIIS ET AVISAMENTIS AD CÆSAREM MAXIMILIANUM, ET IMPERATORIS IPSIUS EDICTO.

GRAVAMINA CONTRA SEDEM ROMANAM, NOMINE NATIONIS GERMANICÆ ET SACRI ROMANI IMPERII, DECEM.

I. QUod ad ſeruandas bullas, pacta, priuilegia, & literas, ab anteceſſoribus absque omni derogatione conceſſas, ſucceſſores Pontifices teneri ſe non arbitrantur; imo per crebras diſpenſationes, ſuſpenſiones, reuocationes ad cuiuscunque etiam vilis perſonæ inſtantiam contraueniunt.

II. Quod electiones Prælatorum, quandoque reiiciuntur.

III. Quod electionibus præpoſiturarum, quas quarundam Eccleſiarum capitula multo ære impetrarunt, contrauenitur. Spira ſcit & Haſela, cuius bulla de eligendo præpoſito eneruata eſt, eo adhuc ſuperſtite qui dederat.

IV. Quod beneficia & dignitates maiores, Cardinalibus & Protonotariis reſeruantur.

V. Quod expectatiuæ gratiæ absque numero conceduntur, & multi interdum ad vnum collatorem. Vnde ſurgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur. Tum illæ, quæ pro bullis gratiarum quæ nunquam effectum ſortientur, expoſitæ ſunt. Tum illæ, quæ pro litibus deducendis conſumuntur. Inde apud quosdam ortum eſt prouerbium: *Quisquis gratiam expectatiuam ab Vrbe extraxerit, centum aut ducentos aureos nummos in ciſtam ſimul ad ipſam gratiam reponat, quibus ad proſequendam litem opus habebit.*

VI. Quod annatæ absque dilatione, & ſine miſericordia, etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis, exiguntur. Interdum plus quam debeatur, extorquetur, propter noua officia, & nouos familiares. Exemplum de Moguntina & Argentinenſi eccleſiis.

VII. Eccleſiarum regimina minus dignis (Romæ videlicet) committuntur, qui ad mulos magis, quam homines paſcendos & regendos eſſent idonei.

VIII. Indulgentiæ nouæ cum reuocatione aut ſuſpenſione veterum (laicis contra Clerum murmurantibus) ad corradendas pecunias conceduntur.

p.374 IX. Decimæ ſub prætextu expugnandorum Turcarum exiguntur, nulla expeditione ſubſequuta.

X. Cauſæ, quæ in Germania (in qua etiam docti & iuſti iudices ſunt) terminari poterant, ad tribunalia Romana indiſtincte trahuntur. Quod ſanctus Bernhardus ad Eugenium Papam ſcribens, valde reprobare videtur.

REMEDIUM CONTRA GRAVAMINA NATIONIS GERMANICÆ.

SI Cæſareæ Maieſtati conſultum viſum fuerit, proponatur ſummo Pontifici, & ſacro ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quod graue immo intollerabile ſit nationi Germanicæ, à modo tantas expenſas & moleſtias pati; tantas pro confirmatione Archiepiſcoporum & Epiſcoporum inferre annatas, præſertim quæ in quibusdam epiſcopatibus ſucceſſu temporis auctæ, in quibusdam duplicatæ eſſe dicuntur. Nam ſedes Moguntina (vt dicitur) olim ſolum dedit decem millia florenorum, quæ cum quidam illic electus dare renueret, ſicque vsque ad mortem ſuam perſiſteret, electus poſt eum, confirmationis cupidus ſe opponere timuit ſedi Apoſtolicæ offerens antiquam ſummam, puta decem millium florenorum. Is nec confirmationem impetrare potuit, niſi & reliqua decem millia ſimul redderet, quæ adhuc extabant à ſuo prædeceſſore nondum perſoluta. Atque ſic cogebatur dare viginti millia florenorum, quæ tunc indubie in regiſtrum Cameræ ſignata ſunt, & vsque ad noſtram ætatem à ſingulis Archiepiſcopis exacta, & nedum viginti millia, ſed & viginti quinque, propter noua officia, & nouos pontificum familiares. Tandem excreuit ſumma, vsque ad viginti ſeptem millia. Quæ Archiepiſcopus Jacobus cogebatur nuper perſolucre, vt retulit Vicarius in ſpiritualibus Moguntinenſis. Sicque in vita vnius hominis ſepties viginti quinque millia à ſolo Archiepiſcopatu Moguntino pro confirmatione Archiepiſcopi Romam peruenerunt. Et cum Archiepiſcopus Jacobus vix quatuor annos ſediſſet in archiepiſcopatu, mox poſt eum electus dominus Vriel, ad minus quatuor & viginti aut viginti quinque millia coactus eſt perſoluere; quorum partem mutuo forſan accepit à mercatoribus, ſed vt illis ſatisfaciat, imponere coactus eſt ſubſidium aut exactionem in ſuos populos & pauperes agricolas, quorum aliqui nondum ſatisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio à ſuo prædeceſſore Jacobo impoſitæ. Sicque non ſolum euiſcerantur noſtrates, & ad extremam inopiam rediguntur (qua de re Reuerendiſſimo domino Bernardino S. Crucis Cardinali & nuper Legato conſtat) verum etiam incitantur ad rebellionem, & quærendam vtcunque libertatem, & vbi poſſunt, inter ſe ſuſurrant de ſæuitia in clerum.

Admonendus etiam videtur ſummus Pontifex, quod per varia bella terræ Germanorum paſſim deſolatæ ſunt, ac per crebras mortalitates numerus viuentium diminutus. Sicque ob paucitatem cultorum, agri pro magna parte inculti iacent, & ipſa telonea diuerſis euentibus attenuata, & venæ minerales exhauſtæ ſunt, pereuntque indies prouentus, ex quibus Archiepiſcopi & epiſcopi (aliis etiam honeſtis & neceſſariis impenſis grauati) ſedi Apoſtolicæ annatam perſoluere poſſint. Non ſine cauſa, Jacobus Archiepiſcopus Moguntinus [illegible] fere moriens dixit, *ſe de morte ſua non adeo dolere, quam ob id, quod ſubaui ſui pauperes, iterum pro pallio grauem exactionem dare cogerentur.*

Mitius ergo ſummus Pontifex, velut pius pater, filiorum ſuorum amator, ac fidelis & prudens paſtor, cum filiis ſuis Germanicæ nationis agat, ne propediem vel in vniuerſos Chriſti ſacerdotes perſequutio ſuboriatur, vel inſtar Bohemorum plerique ab Eccleſia deficiant Romana. Mitius ſaltem agat, quotiens Archiepiſcopus aut Epiſcopus ad pancos annos rexerit, ſicut de Epiſcopis Bambergenſibus accidit, quorum tres intra paucos annos mortui ſunt. Quid de aliis multis epiſcopatibus? Siquidem Germania (Ænea Syluio teſte) ſupra quinquaginta epiſcopatus habet. Quid de Abbatibus, quorum aliqui Romæ confirmantur? Eſto, quod in Germania maiores eſſent ex agris, ex mineris, ex teloneis obuentiones, indigeret tamen Cæſarea Maieſtas, & cæteri Principes, theſauro & neruo belli contra hoſtes, præcipue infideles, & ad conſeruandam in Germania pacem, atque ad iuſtitiam vnicuique miniſtrandam. Ad quod, conſiſtorium Regalis Cameræ cum magnis impenſis ſancte inſtitutum, maxime deſeruit.

deſeruit. Præterea opus habet Cæſatea Maieſtas pecuniis, ad comprimendos imperio rebelles, & ad exterminandos ſicarios atque latrones, quorum nonnulli Eccleſiis nocere, earum bona diripere, immo in clericorum perſonas ſæuire atque graſſari non erubeſcunt.

p.375 Demum natio noſtra non ſolum pro reparatione Eccleſiarum & monaſteriorum auro indiget & argento, ſed etiam pro hoſpitalibus, pro pueris expoſititiis, pro viduis, pro puerperis, pro orphanis, pro filiabus pauperum (ne ſtupro cadant) deſponſandis, pro domeſtica inopia laborantibus, pro annoſis & effœtis, pro valetudinariis, ac pro poſtulatis, quorum (proh dolor) plena eſt Germania, alioqui etiam populoſa, vti ſexum minime faſtidiens muliebrem.

REMEDIUM PRO CIVITATIBUS IMPERII ET ANIMARUM SALUTE.

SI ſolicitante Cæſarea Maieſtate, à ſede Apoſtolica impetraretur (quod Vriel Archiepiſcopus Moguntinus impetrauit) ne quis deinceps in ciuitatibus imperii ſimul poſſit habere canonicatus aut vicarias, in diuerſis eiusdem ciuitatis Eccleſiis, ſed vt ſingulæ in ſingulas diſtributiones deſeruirent: Tum minuerentur lites. Respublica magis ſentiret commodum, plures docti, imperio & fidei vtiles promoueri poſſent, plures miſſæ legerentur, & omnis diuinus cultus alacrius & laudabilius perageretur. Sicut de Baſilea & Spira exemplum adduci poſſet. In vtraque enim ciuitate, nullus ſimul in diuerſis Eccleſiis plures canonicatus aut vicarias ex ſanctiſſima conſuetudine poſſidere poteſt. Ideoque vtrobique religio & diuinus cultus egregie floret. Et ſummi Pontificis (Æneа Syluio teſte) intereſt curare, vt honoretur DEus, & illi laudes atque hymni canantur.

Expediret Rebuspublicis & animarum ſaluti, ſi ſummus Pontifex immurabiliter ſaneiret, vt in quolibet collegio duæ ad minus eſſent præbendæ, gratiis non ſubiectæ, ad quas duo Theologi aut vnus Theologus, & alter Canoniſta duntaxat promoueri poſſent.

Atque vt idonei puta Philoſophiæ, Canonum, & ſacræ paginæ docti, eo promptius curas ſubirent animarum, expediret, quod auctoritate Apoſtolica, monaſteria & collegia parochiis, quas ſibi incorporatas tenent, ſufficientia & certa emolumenta inferre cogerentur. Hoc enim (ſi Æneæ creditur) Papam decet curare, vt Euangelium Chriſti, quod eſt optimum animæ pabulum, omnibus ſyncere prædicetur, vt omnes errores, omnis blasphemia eradicetur, vt bella ſopiantur, vt furta, rapinæ, incendia, homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, odia & rixæ de medio tollantur. Ad harum rerum perſuaſiones, Theologi & Canoniſtæ magis idonei, quam Curtiſani auari eſſe videntur. Immo & Theologi docti, concionibus apti, Summum Pontificem, reuerendiſſimosque dominos Cardinales in honore & auctoritate, ſermonibus ſuis commodius tueri & conſeruare poſſent.

AVISAMENTA AD CÆSAREAM MAJESTATEM.

SIcut regnum Franciæ Pragmaticam habet ſanctionem, cui in conferendis beneficiis innititur, ſic imperium Romanum habet concordata principum, vtque ea illæſa conſeruentur, intereſt Cæſareæ Maieſtatis. Raro tamen hactenus per ſummos Pontifices violata ſunt: & auditores Rotæ iuxta illud hucusque fertur iudicaſſe. Et ſi aliquis curialium per quancumque diſpenſationem conaretur illa infringere, quod Epiſcopus, vel Princeps vel ſenatus eiusdem loci (principiis obſtando) in faciem ei concordata inculcaret, pie exhortans, ne contra veniat, quoniam audacia ſua ſuſtineri nequaquam poſſet, cum & Turcæ & Judæi pacta fidemque ſeruent. Quis Curtiſanorum tam inſolens aut ſtultus eſt, vt contra voluntatem Epiſcopi, Principis, aut totius alicuius communitatis in aliqua ciuitate habitare præſumat.

Poſſet

Posset etiam Cæsarea Maiestas, per literas aut oratores, facile in regno Franciæ experiri, quomodo illic beneficia conferantur, & quam auctoritatem in conferendis beneficiis habeat summus Pontifex. Secundum hoc posset moderamen fieri in imperio Romano, & frenum inexplebili auaritiæ Curtisanorum adhiberi. Si præclaræ vniuersitates, præcipue facultas Theologica Parisiensis approbauerit modum illum, qui de disponendis & conferendis beneficiis in Francia seruatur, nemo dubitet Cæsaream Maiestatem & principes Germanos, si se isti modo conformauerint, apud DEum tutos fore & excusatos. Præsumendum enim est, quod tanti Prælati, tanti Doctores, tam probati viri, qui in regno Franciæ ac in studio Parisiensi viuunt, nihil approbent, quod contra DEum aut contra iustitiam committeretur.

Prouideat tamen Cæsarea Maiestas, ne Archiepiscopi Electores in hoc san- p.376
cto instituto à se dissentiant, sibique non adhæreant, propter censuras apostolicas quas timebunt, & populus interdictum diu non sustinebit.

Prouideat etiam Cæsarea Maiestas, ne Fratres Mendicantes contra ipsam prædicent, qui sedi Apostolicæ libenter deferunt, timentes perdere priuilegia sua, vtinam Christo & naturæ innixa; quamuis iustissimam causam dudum habuissent contra tantam auaritiam, tantosque abusus prædicandi.

Timeat Cæsarea Maiestas, ne Papa mandet electoribus, vt ad electionem noui regis Romanorum procedant: Sicut contra Fridericum secundum Landtgrauius Thuringiæ, & Guilhelmus Hollandiæ comes iubente Papa fuerunt electi.

Timeat Cæsarea Maiestas, omnes Prælatos Ecclesiarum, præcipue Præpositos, qui ex iuramento tenentur auisare Papam.

Timeat Cæsarea Maiestas, ne S. D. N. Papa, obedientiam à subditis auferat, & circumiacentes populos prouocet, vt in terras Cæsaris, seu archiducatus Austriæ irruant, quod isti homines sub colore obedientiæ Apostolicis mandatis præstandæ, promptissimo animo sunt facturi.

Timeat Cæsarea Maiestas censuras Apostolicas, à quibus S. D. N. Papa non abstinebit.

Timeat Cæsarea Maiestas, ne Papa argutissimis locis rudi populo persuadeat contra Pragmaticam, seque excusans, simplicium beneuolentiam captet, allegaturus, quod Ecclesiam sancti Petri in Vrbe magnis impensis instauret, & certis in locis contra Turcas ædificet, quodque bellis suis, nulli vnquam fecerit iniuriam: quoniam recuperet terras ad ecclesiam, siue patrimonium sancti Petri pertinentes, ad quod ex officio teneatur. Circumspiciat ergo & deliberet Cæsarea Maiestas, qualiter sapientissimo suo consilio omnibus illis Romanorum subtilitatibus, (si necessitas exegerit) sit responsura.

CONCLUSIO ET PIA EXHORTATIO AD CÆSAREAM MAJESTATEM.

NIHIL sanctius, nihil Deo gratius, nihil sempiterna memoria dignius efficere poterit Cæsarea Maiestas, quam vt tantas Germanicæ nationis molestias & exactiones moderetur, vt Laicis clerum persequendi occasionem auferat, vt parochias (quarum aliquas Episcoparus Italicos Æneas æquare scribit) ex faucibus Curtisanorum, concionari, consulere & consolari nescientium eripiat; vt diuinum cultum augeat, vt auaritiæ & impietati Curtisanorum frenum imponat; & ius patronatus Laicorum in vtrisque, & nominationes Canonicorum, collationesque ecclesiasticorum in ordinariis mensibus conseruet; vt multorum Illustrium, nobilium, & ciuium filiis in Germania consulat, qui in Vniuersitatibus ab adolescentia diuinas & humanas literas discunt, vt & ipsi extra curiam Romanam, absque inquietissimis vexationibus, sumptuosissimique interdum etiam indignis litibus, ad præbendas ecclesiasticas ascendant, qui & imperio Romano consiliis, & toti Ecclesiæ orationibus suis opem ferre possint. Neque enim

enim minima cauſa eſt, cur tantopere floreat Franciæ regnum, niſi quod tantos tamque præſtantes in omni bona doctrina viros multos habet. Si Cæſar hanc impietatem eneruauerit, ſi Germaniam tributo graui oppreſſam, in priſtinam libertatem vendicauerit, ſi doctis & honeſtis ad præbendas aditum fecerit, tum vero liberator Germaniæ libertatisque reſtitutor: tum vere Pater Patriæ, perpetuo ab omnibus paſſim poterit appellari: nec minorem ſibi gloriam, Germaniæque fructum afferet, quam ſi prouinciam aliquam bellicis ei viribus adieciſſet. Sicque non minores vni Maximiliano gratias debebit, quam his omnibus, qui translato ex Græcis in Germanos imperio, multis antè temporibus regnauerunt.

P. RÆSTERISCUS, D. JACOBO WIMPHELINGIO, DIVINARUM LITERARUM LICENTIATO. S. D.

REMITTO *ad te, vir ornatiſſime, fido cum hoc commenſali meo, medullam illam Pragmaticæ, per quam ſcite ſyncereque abs te exceptam, vna cum prudentiſſima Cæſareæ Maieſtatis inſtructione. Faxit* DEus *Optimus Maxim. vt aquila*
p. 377 *noſtra circumſpectiſſima oculatiſſimaque, ipſam è ſummo culmine (perinde vt liſtatus princeps) eripiat, conſeruetque; ne ſcilicet poſthac beneficiorum iſti harpagines, vniuerſam hanc nobilem Germaniam medullitus exenterent, eneruentque. Negotium ipſum, me Herele, commodiſſimum atque diuinum ſummopere commendo. Nec non cum tuam ea in re diligentiam, tum Cæſareæ Maieſtatis ad rempublicam Germaniæ Zelum haud immerito maximi facio, mirificeque laudo. Nihil prorſus demendum in ipſo facto, adiiciendumve (hac præſertim tempeſtate peſtifera, proindeque nobis inquietiſſima) operæ pretium duximus. Æneam Syluium de Germaniæ ſitu propediem aut ipſe reducam, aut fido cum tabellione ad ſuum remittam authorem. Vale fauſtiſſime Raſteriſcoque tuo, tametſi ſcabro & inculto, vtare pro tua ſynceritate, vt voles. Datum feſtinanter & ex tempore, vrgente contubernali hoc meo probatæ vitæ viro, quem tuæ humanitati commendo. Calend. Decembr. Anno Chriſti* M. D. XI.

SERENISSIMO ROM. CÆSARI AUGUSTO MAXIMILIANO, JA. REGIUS FAMILIARIS.

AUdiens nuper, ſacratiſſime Cæſar, Maieſtatem tuam Romæ adeundæ accinctam, ſcripſi Joanni Collauro à ſecretis, vt Cæſaream Maieſtatem tuam de nonnullis commoneſaceret, quæ ad ſplendorem nominis tui, Germaniæque decus non parum attinere videbantur, vt ea à ſacroſancta ſede Apoſtolica tecum referres. Nihil enim credidi impetrare te non poſſe, quod à Julio II. Pont. Max. à tua Cæſarea Maieſtate ſalutando eſſes petiturus. Inter cætera vero Joannem Collaurum de vno ſingulariter reddidi certiorem, quod ſel. recordationis prædeceſſor tuus Henricus Romanus Cæſar, præbendam quandam (quæ ob id Regia vocatur) in Argentinenſi Eccleſia fundauerit, cuius omnes in Imperio Romano ſucceſſores iure fundationis procul dubio collatores fuerunt, & adhuc eſſe deberent, ſicut & hodie Cæſarea tua Maieſtas duarum ſimilium præbendarum, quas progenitores tui in templo Spirenſi de ſuis erexerunt, ius patronatus habet. Quomodo autem ab eo iure erga præbendam Argentinenſem (forte propter interregnum) Romanus Rex ceciderit, & ad Præpoſitum illic deuolutum ſit, prorſus ignoro. Hoc tamen multis perſuaſum eſt, Cæſaream tuam Maieſtatem, ius illud patronatus à ſummo Pontifice denuo in vtroque menſe ex æquitate facile conſequi poſſe, vt à modo ad DEI laudem & Eccleſiæ decus, vir quiſpiam ſcientia & vitæ honeſtate conſpicuus, tuæque Maieſtati cognitus, non inutile quoddam beſtia aut equina mancipium, ſed neque leno, neque eatamitus, liber & alienus à ſcientiis & pietate, eidem præficeretur. Tuæ enim Maieſtati, cunctisque tuis in Imperio Romano ſucceſ-

ſoribus, mores & merita perſonarum longe clarius, quam exteris gratiarum diſpenſatoribus poterunt eſſe manifeſta. Sed & hoc quoque DEO gratiſſimum, animabus ſalutiferum, tua autem Maieſtati in primis honorificum viſum eſt, ſi à ſacroſancta ſede Apoſtolica de quorundam abuſibus erudienda, inuiolabili lege impetrares, ne deinceps quicunque vel natali obſcurus, vel omnium bonarum literarum indoctiſſimus, contra diuinam naturalemque legem, contraque ſacratiſſimos canones, duo aut tria ſacerdotia ſub vno tecto, tres aut quatuor prabendas aut canonicatus in diuerſis collegiis intra eadem Romani Imperii mœnia ſitis, totidemque pingues parochias, qualicunque diſperſatione (ne dicam diſſipatione) à ſummis Pontificibus eſſet conſecuturus, cum tot canonicatuum aut eccleſiarum parochialium qualibet alterius aut vtriusque iuris ſacræve paginæ Licentiatum, imo Doctorem honeſto ſtatu nutrire poſſet, adeo vt ſinguli ſingulis eſſent contenti, & in animo tranquillo. Hac re vix aliquid DEO gratius, Germaniæque vtilius Maieſtatem tuam arbitror efficere poſſe. Taceo quod hoc pacto pii adoleſcentes, qui in Gymnaſiis multo labore, bonarumque literarum amore, patrimonium ſuum expenderunt, parte eccleſiaſtici ſtipendii nacta, eohæredes in hæreditate paterna ad rerum publicarum augmentum releuare, Chriſtoque ſeruire, & pro totius imperii ac Imperatoris ſalute preces effundere poſſent. Sic quoque per ſingulas Eccleſias miniſtri inſtituerentur idonei ſacra paginæ, ſacrorumque canonum docti, prabendas facilius conſequerentur, ac cæteri literis, virtutibus praditi, ad Chriſti patrimonium aſcenderent; occaſio deſiderandæ mortis alienæ tolleretur, neque eſſent tot lites totque contentiones, cum magno rei familiaris per totam Germaniam detrimento, neque eſſent tot fraudes; non vexarentur inſontes ab eis, qui nihil niſi contendere, acceptare, inquietare, vexare norunt. Non quibus proximum circumueniendi maior aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit vberior, ſub inuolutionibus prærogatiuarum, antelationum, regreſſuum, & laqueis inſtrumentorum à propriis ſeruis ſcriptorum, tot fraudes, tot deceptiones permitterentur; adoleſcentibus, qui literarum ſtudio virtuoſisque operibus intendere deberent, non daretur anſa vagandi, nec per litium anfractus turbarentur. Non confunderetur eccleſiaſticus ordo, non fineretur vnus ſolus ad nullam rem Deo gratam, aut fidei noſtræ vtilem idoneus, turpiter occupare ſtalla & loca in omnibus Eccleſiis, intra eandem imperii ciuitatem ſitis; ſicque parochiis per barbaros, quandoque mercenarios prouiſis, ſalubrius per doctos conſuleretur; nec diminueretur diuinus cultus nec animarum ſuffragia omitterentur: non eſſent vacua ſtalla, non eaſſarentur voluntates vltimæ, minus perderentur litera monumentaque beneficiorum, non periret hoſpitalitas, non eleemoſyna, non domus & ædificia cætera eccleſiarum corruerent, non bona & prædia alie- p.378
narentur, non eſſent tanta murmura & odia vulgi in eunctos fere ſacerdotes, propter paucos auariſſimos ac inſatiabiles. Neque ego primus ſum, cui tanta ſacerdotiorum multiplicandorum cupiditas ſtomachum mouet. Nam & Franciſco Petrarchæ viro probatiſſimo hæc impietas admodum diſplicuit, qui nec expauit ad Vrbanum quintum in modum ſequentem perſcribere: Audiebam te ambitioni antiquæ, quæ priorum licentiâ in immenſum creuit, frenum ponere, & vt vno aut paucis pro dignitate virtutis ac ſcientiæ, beneficiis contenta eſſet edicere, iuſte (inquam) grauiterque. Nam quid turpius, quam vnum aliquem, parta forſan fædis artibus copia, nauſeantem cernere, multis hinc inde melioribus penuria, fameque laborantibus. *Et ſapientiſſimus Gregorius Nazianzenus his verbis aſtipulatur:* Religioni ac doctrinæ noſtræ opprobrium naſcitur, quod ſacerdotia ambitione potius & gratia quam meritorum iudicio deferuntur. *Et Franciſcus Picus Princeps illuſtris in Oratione ad Concilium Lateranenſium, lamentatur ſacras ædes & templa leonibus, eatamitis & lupis fuiſſe commiſſa. Cætera ſunt plurima tibi, ſacratiſſime Cæſar, pro tua ſumma prudentia proculdubio cognita, qua Cæſaream Maieſtatem tuam ad huiuscemodi auaritiæ, cæterorumque vitiorum frenum & moderamen à ſacroſancta ſede Apoſtolica impetrandum permouere poſſent. Dominus Deus tuæ Cæſareæ Celſitudini ad felix imperii regimen, Chriſtianæque religionis amplificationem propitius opem ferre dignetur.*

MAXI-

MAXIMILIANUS IMP.

Summum Eccleſia paſtorem, & omnem clerum, exemplo chariſſimi patris noſtri, Friderici Romanorum Imperatoris tertii, hactenus venerati, non paruos dignitatum & eccleſiarum parochialium prouentus ex terrarum noſtrarum finibus, clericis & prælatis abſentibus clementer inferri permiſimus. Quos etiam clam pro humana fragilitate delinquentes, cum Conſtantino prædeceſſore noſtro chlamyde operire non dedignaremur. Verum eum ex noſtra largitate diuini cultus decrementum profluat, vnde diuinæ laudis, pſalmorum & miſſarum amplificatio debuerat proficiſci; noſtra intereſt, qui abſque meritis in ſolium Romani imperii electi ſumus, vt inter cæteras maximas pacis & belli occupationes, vigilanter quoque circumſpiciamus, ne eccleſiæ pereant, ne religio labaſcat, ne diuinus cultus diminuatur, & ne animabus defunctorum, qui Eccleſiis & ſacerdotibus de ſuo patrimonio benefecerunt, contra vltimas ipſorum voluntates tardius ſuccurratur. Quod manifeſtiſſime experti ſumus, & indies experimur, ex ineffabili atque à nullo diſpenſabili quorundam auaritia prouenire, qui in beneficiis aſſequendis nullum finem conſtituunt, per quorum abſentiam (cum in vno ſolo perſonaliter reſideant, & diſtributiones deſeruiant) diuinus cultus diminuitur, vltimæ benefactorum voluntates caſſantur, defunctorum animæ tardius ex igne purgatorio eripiuntur, ædificia labant, eccleſiæ decreſcunt, eccleſiaſtica libertas læditur, litteræ & monumenta perduntur, hoſpitalitas & eleemoſyna minorantur, patrimonia parentum & nerui rerumpub. ex erebris huiusmodi auarorum colligationibus euaneſcunt; clerici pro doctrina ſua & virtute beneficiis digni, ſuaque prudentia eccleſiis in temporalibus & Spiritualibus vtiles, à præbendis repelluntur, impediuntur, indigne vexantur, iniuſte eis lites mouentur, ſcandala laicis præbentur, ipſorumque odium & murmur in reliquos honeſtos ſacerdotes excitatur atque augetur. Eas ob res ex officio Cæſareæ Maieſtatis, ex amore incrementi cultus diuini, ex zelo reipublicæ hortamur & requirimus, ne quisquam à modo in vna noſtrarum, noſtrique Romani imperii ciuitate Canonicatum aut vicariam poſſidens, in altera eiusdem ciuitatis Eccleſia, aliam præbendam occupet, niſi primam intra anni ſpatium in perſonam idoneam ac eccleſiæ vtilem ſit dimiſſurus. Neque alium in beneficiis aſſequendis per iniuſtas lites aut ambages indigne vexet, aut circumueniat, nec quemcunque qui non ſit de numero deſcriptorum familiarium (iuxta concordata Principum, & pacta nationis Germanicæ) falſo familiarem fuiſſe fingat, in ordinariorum collatorum præiudicium. Nec laicis ius patronatus auferre tentet, nec exiles præbendas, potiſſimum vero curatas eccleſias penſionibus grauet. Nec in adipiſcendis beneficiis & bullis, quacunque fraude, dolo, falſis inſtrumentis, corruptis teſtibus, ſymonia etiam palliata vtatur. Neque regreſſum aut alia ſacris canonibus inimica, contra ius, æquum, honeſtum, & rectam rationem impetrare præſumant, ſub pœna criminis læſæ Maieſtatis & grauiſſima noſtra offenſæ. Quam non ſolum ipſi ſic contra DEum & omnem honeſtatem exorbitantes, ſed & omnes eorum fautores, auxilium, conſilium, hoſpitium & mutuum dantes, omnesque nuntios, curſores, ſolicitatores, notarios, procuratores, fideiuſſores & reliquos amicos incidiſſe volumus, condignam pro tantis iniquitatibus & noſtri huiusmodi mandati contemptu pœnam acepturos. Ex Oeniponte.

APPENDIX.

PRÆMISSIS admonitionibus, nedum imperio, ſed & Eccleſiæ ſalutaribus, ac ad mutuam pacem & concordiam deſeruientibus, poſſet etiam inter alia multa adiungi, ſummusque Pontifex certior reddi, de lapſu & ruina domorum, cæterorumque ædificiorum ad eccleſias & ſacerdotia pertinentium, ſiquidem
P.379 (exempli cauſa) vnus ſupra triginta annos, ex parochia patriæ noſtræ ſummis Pontificibus hactenus deuotæ, multa & magna emolumenta in abſenti & in portatis (vt eorum verbis vtar) corraſit & aſſumpſit, nec tamen ad docendum

populum ſuæ curæ creditum cancellos vnquam aſcendit, nec quicquam in domo egregium illic ædificauit. Argumento ſunt & publice teſtantur miſcrabilia trium rei diuinæ miniſtrorum cubicula, quæ minimus fratricellus aut opilio forte aſpernaretur. Sed neque præſentias aut diſtributiones quotidianas in aſſe aut dupondio auxit, nec vniuerſariam ſaltem ſuiipſius memoriam inſtituit, nec ad Bibliothecam templi parochialis minimum quidem libellum ex teſtamento legauit, nec eleemoſynam pro pauperibus fieri procurauit. Cæterum adiici poſſet, quod vnus Curtiſanus ineptus & barbarus, ad pſallendum & ad ſacrificandum non magis aptus quam onager, immo aſinus, palam à ſuo notiſſimo & amiciſſimo appellatus, in otio viuens, plura vtcunque conquirere poteſt ſacerdotia, quam eximie doctus, ad rem diuinam, ad contentiones, ad conſultandum, ſacroſanctamque Eccleſiam Romanam rationabiliter defenſandam, non mediocriter accommodatus. Præterea, quod piſtor, aut cocus, leno aut nebulo, imo (cum venia) catamitus, opimas præbendas & parochias occupans, plus emolumenti ex Chriſti patrimonio abſorbet, quam laborioſiſſimus & fideliſſimus magnæ parochiæ cuiuspiam populoſæ rector, cum ſuis vigilantiſſimis adiutoribus, imo etiam capellanis, qui eosdem ad tutores in miniſtrandis ſacramentis, audiendisque confeſſionibus occupatiſſimos, in horis canonicis, miſſis & vigiliis cantandis adiuuant & releuant. Huiuscemodi relcuamen & adiutorium per ſex capellanos in patria noſtra perpetuo continuandum ſperamus, poſtquam vnione facta ex benignitate ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ius capellanias iſtas conferendi in conſules Reipublicæ noſtræ in vtrisque menſibus translatum eſt, qui nullis à modo conferent, niſi eis qui perſonaliter reſidentes, diuinum officium impleturi, & vltimis fundatorum voluntatibus ſunt ſatisfacturi. Multum quoque ad inſtitutum Cæſareum conferre poſſe videtur Chriſtianiſſima Reuerendiſſimi domini Erhardi Leodienſis Epiſcopi admonitio habita in conuentu principum Auguſtano, Anno decimo octauo poſt milleſimum & quingenteſimum.

MAXIMILIANUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA, ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, HONORABILI, DEVOTO, NOBIS DILECTO, JACOBO WIMPHELINGO SELESTADIENSI, S. THEOLOGIÆ PROFESSORI, FAMILIARI NOSTRO.

HOnorabilis, deuote, dilecte, mittimus in præſentiarum ad te Secretarium noſtrum, cum Pragmatica ſanctione regni Franciæ, commiſimusque ei tibi noſtro nomine nonnulla referenda. Quæ cum ex mente noſtra proficiſcantur, cupiamusque omnino interueniente opera & induſtria tua, in talibus nobis ſatisfieri: ideo hortamur te, & per tuam in nos & ſacrum Romanum Imperium obſeruantiam, (quam opuſculis & lucubrationibus tuis iamdudum habuimus compertam) requirimus, vt non modo Secretario noſtro indubitatam adhibeas fidem, ſed te eum in his, quem etiam non requiſitus à nobis præſtitiſti, exhibeas. Cupimus autem dictum Secretarium noſtrum (quoniam eius opera diutius carere non poſſumus) cum hoc voto noſtro ad te expeditum, quam primum ad nos remitti. Datum in oppido noſtro Imperiali Vberlingen, die XVIII. menſis Septembris, anno Domini M. D. X. Regni noſtri XXV.

INVI-

p.380 INVICTISSIMO DOMINO NOSTRO IMPERATORI MAXIMILIANO, JACOBUS WIMPHELINGIVS SELESTADIENSIS, HUMILLIMAM COMMENDATIONEM.

VIctorioſiſſime Cæſar, lecta Cæſareæ tuæ Maieſt. epiſtola, moxque accepta à Secretario inſtructione, totis ad id viribus me accinxi, vt id, quod Cæſarea tua Maieſtas deſiderat (quoniam cum Deo, & absque conſcientiæ vulnere fieri poteſt) efficiam. Ab ineunte enim ætate omnem operam meam tuæ Maieſtati, deinde Germanicæ nationis & ſacri Romani Imperii amplificationi denoui atque dedicaui. Quamuis me voto tuo & inſtituto longe imparem ſciam, & multi ſint in aula tua, qui hoc munus abſolutiſſime implere valeant, quibus maior eſt eruditio, maiorque rerum iſtarum communium experientia. Sunt & apud reliquos Principes, & apud Senatus Rerumpub. optimi doctiſſimique viri, qui Germaniam exornare, & ad pacem concordiamque vniuerſalis eccleſiæ, atque totius cleri ad Chriſtianam diſciplinam reducendi famam & gloriam perſuadere poſſent. In qua re non modo tua Maieſtas, ſed & tui in imperio prædeceſſores, Carolus Magnus, eiusque filius Ludouicus Pius, Otthones, denique, Conradi, Friderici, & Henrici, nouiſſime autem Sigismundus ſumma induſtria operam nauarunt, impellente ipſos indubie zelo & charitate in Deum Opt. Max. & gratitudine in Chriſtum, pro ipſius in humanum genus beneficiis, præcipue autem amariſſimæ paſſionis. Neque enim Chriſtus pauper pro nobis factus eſt, vt nos in omni rerum opulentia & luxu de ipſius patrimonio cupiditatem noſtram & ambitionem prodamus. Neque famem pertulit, vt nos ingurgitemur: neque labores, caſtimoniam, & dira tormenta ſubiit, vt nos in otio, in laſciuia, inque omnibus delitiis & voluptatibus verſemur. Neque hi quibus res Eccleſiaſtica ſua debet incrementa, quantum ad ditionem temporalem attinet, huc reſpexiſſe videntur, vt in otio tantum clerici degerent, omnibus rebus ad vota fruentes, citra tamen laborem. Alia certe cauſa fuit, cur illi ſeque ſuosque nonnunquam ſpoliantes, eccleſiam ditandam conſueuerint: nimirum vt commodius diuinis officiis vacare poſſent, absque ſolicitudine defuturi victus, quem ex agris, nemoribus, pratis, ac aquis facile colligere liceret: & vt pauperibus Chriſti, viduis, orphanis, & ſenibus, quos robur corporis prorſus deſtituit, ac ægrotantibus eleemoſynam liberius impertirent. Sic enim in Inſtitutionibus canonicæ profeſſionis, quas auſpicio Imperatoris Ludouici Pii conſcriptas putamus: & ab Epiſcoporum concilio comprobatas, ſic inquam legitur: *Res eccleſiæ (ſicut à ſanctis Patribus traditur, & in ſuperioribus capitulis continetur) vota ſunt fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore, & Chriſti amore ſuccenſi, ob animarum ſuarum remedium, & cœleſtis patriæ deſiderium, ſuis propriis facultatibus ſanctam locupletem fecerunt Eccleſiam, vt iis & milites Chriſti alerentur, Eccleſia exornarentur, pauperes recrearentur, & captiui pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac ſolerti cura prouidendum eſt his, qui eius facultates adminiſtrant, ne eos in ſuos ſolummodo vſus conuertant; ſed magis, iuxta poſſibilitatem rerum Chriſto famulantium, immo eorum in quibus Chriſtus paſcitur & veſtitur, curam gerere penitus non negligant.*

* *Reformatio Ludouici Pii Imp.*

Subſcribit huius ſententiæ Proſper aſſerens, *viros ſanctos res eccleſiæ non vendicaſſe in vſus ſuos, vt proprias, ſed vt commendatas pauperibus diuiſiſſe. Nam hoc eſſe poſſidendo contemnere: non ſibi, ſed aliis poſſidere, neq; habendi cupiditate Eccleſiæ facultates ambire, ſed eas pietate ſubueniendi ſuſcipere. Quod habet*, inquit, *Eccleſia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, nec aliquid inde eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, erogare debet, quando nihil aliud eſt habentibus dare quam perdere.* Hactenus aliena retulimus.

Proinde cum omnes Chriſti religionem profeſſos eidem ſeruatori noſtro gratos eſſe expediat, magis tamen id peculiares eius miniſtros, hoc eſt ſacerdotes ſacris initiatos, & de liberalitate tanta Imperatorum & procerum cæterorumque fidelium affatim prouiſos, vt ab aratro & manuum laboribus alieni ſimus, tantorum beneficiorum decet meminiſſe, quo noſtra vita populo bilem non moueat, nec ad oblocutionem & odium præbeat anſam: ſed vt ædificentur laici, amicitia mutua floreat, offendicula & ſentes euellantur, reuerendi Antiſtites cum clero pietati dedito ſint in ſua veneratione, & in ipſum quoque ſummum Pontificem, ſacroſanctamque Romanam Eccleſiam, vniuerſorum filialis affectus, & in ſpiritualibus obedientia fulciatur. Quapropter Sereniſſime Cæſar, celſitudini tuæ, quæ tam honeſto & ſancto negotio Chriſtianiſſime affi- p. 381
citur, non potui non morem gerere, collectis tumultuarie nonnullis, quæ dedita opera & apud diuerſas eccleſias, & in conuentibus præſtantium virorum partim vidi, partim ex fide dignis audiui, quæ mihi, ſi tollantur, ad Germaniæ commodum, & ad diuini cultus amplificationem plurimum conducere videntur. Et eo ad id abſoluendum, tuæque Maieſtati in omnibus obſequendum promptior fui, primum quod nepotem meum Jacobum Spiegel, tuæ Maieſtatis Secretarium, ex labore meo maiorem tuam in ſe benignitatem aſſecuturum confiſus ſum, deinde quod ſub Imperio Rom. natus & alitus, merito vti natura, ſubditus tuæ inſeruio voluntati: poſtremo vt hac opera patriam meam Maieſtatis tuæ patrocinio commendatiorem facerem. Seleſtadium enim natale mihi oppidum, omnibus terris charius, in Alſatiæ meditullio ſitum, prouinciis Auſtriacæ ditionis paruo ſane interuallo cingitur. Quantum enim Briſages abſunt? quantum Sungauii? quantum vallis Albertica in Vogeſo? vt de minutioribus locis taceam. Si igitur Seleſtadium vel à Gallis, vel ab aliis hoſtibus (quod abſit) premi contingat, quis illi melius ſubuenire poſſit, quam princeps Auſtriacus? ſiquidem vicinus vicino DEus eſt. Et ſolet nonnunquam ingentis beneficii eſſe cauſa paruum obſequium in tempore exhibitum. Ex Argentorato. Calend. Nouembr. M. D. X.

Jacobum Spiegel.

CAPITA OPUSCULI.

Epitome in Proœmium Pragmaticum.
Additio ad pragmaticæ proœmium.
De electione.
De reſeruationibus.
De Parochialibus eccleſiis ſic prouideant ordinarii.
De numero Cardinalium, &c.

Reliqua vt nimis prolixa, hoc loco omiſimus, videat lector, cui iſta curæ, auctorem ipſum.

JACOBI WIMPHELINGII SELESTADIENSIS, DE GERMANICÆ NATIONIS ET IMPERII GRAVAMINIBUS CONTRA SEDEM ET CURIAM ROMANAM, AD ÆNEAM SYLVIUM SENENSEM TUNC TEMPORIS EPISCOPUM.

Replicæ.

Epiſtola autem, quæ huic diſputationi cauſam primo dedit, ita habet:

MArtinus Meyr Cancellarius Moguntini præſulis domino Æneæ Cardinali Senenſi, patri optimo S. P. D. Cognoui ex literis amicorum te Cardinalem eſſe

eſſe creatum, congratulor & tibi, qui pro tua virtute digna conſecutus es præmia, & mihi cuius amicus in ea dignitate conſtitutus eſt, in qua me meosque neceſſarios aliquando iuuare poterit. Illud mihi moleſtum, quod in ea tempora incidiſti, quæ ſedem Apoſtolicam afflictura videntur. Nam domino meo Archiepiſcopo frequentes afferuntur de Romano Pontifice querelæ, qui neque Conſtantienſis, neque Baſilienſis concilii decreta cuſtodit, neque ſe pactionibus anteceſſoris ſui teneri arbitratur, nationemque noſtram contemnere, & prorſus exhaurire videtur. Conſtat enim electiones prælatorum paſſim reiici, beneficia dignitatesque cuiusuis qualitatis, & Cardinalibus & protonotariis reſeruari. Et tu quidem ad tres prouincias Teutonici nominis ſub ea formula reſeruationem impetraſti, quæ hactenus inſolita eſt & inaudita. Expectatiuæ enim gratiæ ſine numero conceduntur. Annatæ ſiue medii fructus, absque vlla dilatione temporis exiguntur, & plus etiam quam debeatur, extorqueri palam eſt. Eccleſiarum regimina, non magis merenti, ſed plus offerenti committuntur, ad corradendas pecunias nouæ indulgentiæ indies conceduntur, Decimarum exactiones inconſultis Prælatis noſtris Turcorum cauſa fieri iubentur.

p. 382 Cauſæ quæ tractandæ terminandæque in his partibus fuerant, ad Apoſtolicum tribunal indiſtincte trahuntur; excogitantur mille modi, quibus Romana ſedes aurum ex nobis, tanquam ex barbaris, ſubtili extrahat ingenio. Ob quas res natio noſtra quondam inclyta, quæ ſua virtute, ſuoque ſanguine Romanum imperium coemit, fuitque mundi domina ac regina, nunc ac inopiam redacta, ancilla & tributaria facta eſt, & in ſqualore iacens, ſuam fortunam, ſuam pauperiem multos iam annos mœret. Nunc vero quaſi ex ſomno excitati optimates noſtri, quibus remediis huic calamitati obuiam pergant, cogitare cæperunt, iugumque prorſus excutere, & ſe in priſtinam vendicare libertatem decreuerunt. Erit hæc non parua iactura Romanæ curiæ, ſi quod cogitant, Germani Principes effecerint. Quantum itaque de tua noua dignitate lætor, tantum commoueor & angor tuo tempore hæc parari. Sed Dei fortaſſe alia eſt cogitatio, & illius profecto ſententia obtinebit. Tu interim bonum habeto animum, & quibus repagulis fluminis impetus coherceri poſſit, pro tua ſapientia cogitato; & vale optime. Ex Haſchaffenburga, pridie Calend. Septembr. 1457.

Hiſce literis Æneas Cardinalis reſpondit duabus epiſtolis, quæ inter ipſius epiſtolas leguntur, num. 338. 339. tum deinde libello peculiari, quam Germaniam inſcripſit. Ad quem poſtea iſtam Replicam Wimphelingus compoſuit.

REVERENDISSIMO, INCLITISSIMOQUE PRINCIPI ALBERTO BRANDENBURGIO, MOGUNTINÆ, ET MAGDEBURGENSIS ECCLESIARUM ARCHIEPISCOPO DIGNISSIMO, SACROSANCTI ROMANI IMPERII PRINCIPI ELECTORI, AC PER GERMANIAM CANCELLARIO, EJUSDEMQUE PRIMATI, DOMINO MAGNIFICENTISSIMO, COLENDISSIMOQUE JACOBUS VUYMPHELINGIUS DE SELETSTADIO, SACRARUM LITERARUM LICENTIATUS, SE TOTUM SUBJICIT, ATQUE COMMENDAT.

REuerendiſſime Pater, & Princeps excellentiſſime. Æneas Syluio multis annis in Germania verſato, Germanicoque fauore, & Imperatoriæ maieſtatis intuitu ad dignitatem Cardinalatus aſſumpto, Martinus Maior Theodorici Erbacenſis prædeceſſoris

ſoris tui epiſtolarum magiſter, nonnulla Germaniæ grauamina patefecit, quæ Principes imperii perferre nequirent. Æneas vt Italus, noſtrum veritus aurum ſuæ nationi ſubduci, Martini querelas multis verbis confutat, ac Germaniæ blandiens eius vrbes, templa, familias, nobiliſſimas præcipue domos, dulcibus præconiis exornat. Tuum in primis auum Albertum Brandenburgium (quem Teutonicum Achillem vocat) ſummis de prudentia & re militari laudibus affici. Principum ac magnatum, ſiue comitum & Baronum filios, ad Epiſcopatus aſſumendos eſſe aſſeuerans. Noſtrates tamen etiam Pontifices, & eorum contribules tum luxus, tum ſacrilegii arguens, aurum noſtrum ſitire videtur.

Quod igitur Martinus, ſi ſuperſtes foret, indubie facturus erat, id oneris amicorum ſuaſu deſumpſi, Germanus pro Germano, Heydelbergenſis pro Heydelbergenſi, imperii filius pro imperio: vt ſicuti Martino Æneas, ſic ego Æneæ per replicas (vti vocant) reſponderem. Quas nulli potius dedicandas quam ampliſſimæ tuæ magnificentiæ, excellentiſſime Princeps, iudicaui: vt ſicut ab aurea Moguntia per Martinum Cancellarium conqueſtiones Germanorum exorta ſunt, ſic ad eam mea qualiscunque confirmatio, à ſacris litteris iureque pontificio nequaquam aliena, reuertatur. Quam tua magnificentiſſima paternitas, pro ineffabili tua virtute & doctrina, apud me clariſſimi cuiusdam Comitis ore probatiſſimorumque hominum litteris ſæpe prædicata, pie ſuſcipere, clementer audire, ac felici auſpicio tutari dignetur. Neque enim p. 383
ad excitandam rebellionem Æneæ reſpondebo, qui ſemper inobedientiæ oſor fui, quæ omnem eccleſiæ & imperii ordinem turbat, factiones ſuſcitat, diſciplinæ reſiſtit, & ſacris literis inimicam vendicat libertatem. Nec Æneæ dicta refellere cœpi, vt cogitem ad almæ vrbis miniſteria reſtringenda: in qua ſi quispiam ex noſtratibus bonarum literarum cultor, apud honeſtum prælatum, vitæ ſuæ ac honori ſufficientiſſimum nactus ſacerdotium huc redeat, eiusque fundationi & fundatoribus, totiusque eccleſiæ ſaluti, pſallendo, ſacrificandoque reſpondeat, cenſuumque ac monimentorum curam habeat, ne (vti in patria mea) obliterentur, quisnam illum non & adiuuare, & ſingulari amore proſequi dignaretur? ſicut neque te clariſſime pater, non ab omnibus virtutum amatoribus coli, diligi & obſeruari, mihi vnquam perſuaderi poteſt: qui licet clariſſimus, clariſſimi Principis Electoris ſis filius, te tamen nec veſtis, neque muneris pontificii piget aut pudet, neque maiorem equorum, canum, ferarum, & fiſci quam animarum & pauperum habes rationem. Animarum, inquam, quæ vitiorum diſſimulatione ac ſynodorum defectu pereunt, in quibus ſanctiones prouinciales ſæro iuri innixæ, & à ſacro ſancta ſede Apoſtolica confirmata repeterentur, admonerenturque à Latinis oratoribus, ſi qui ex Chriſti patrimonio viuunt, amaſias & notbos, pauperibus & conſanguineis præteritis, ſub Chriſtiana ſepultura carentia, ex teſtamento nequaquam inſtituere hæredes. Pauperum inquam, quos diuinæ & pontificiæ literæ canunt, non ſolum ex eccleſiaſticorum (vt boni ſint diſpenſatores) abundantia paſcendos, ſed & pontificibus ſingulariter debere eſſe commendatos. Qui ſanctorum Patrum decretis & Euangelio fidem habent, noſtris contra Æneam replicis haud ſeſe laſos arbitrabuntur, quibus omnes ſana doctrina, veraque Chriſti religione pollentes confidimus aſtipulari. Dominus DEus clariſſimam tuam Celſitudinem, ad felix eccleſia tua nobiliſſima regimen, ad ſacroſancti imperii Romani incrementum, ad totius cleri gloriam, & libertatem conſeruandam longæuum conſeruet. Ex Eremo 14. Cal. Junii, anno virginei partus 15. poſt 1500.

RESPONSA ET REPLICÆ AD ÆNEAM SYLVIUM. AD SALUTEM ET DECOREM SACROSANCTI ROMANI IMPERII, AMORE PATRIÆ GERMANICÆQUE NATIONIS.

GERMANIAM exaltatricem ſuam Æneas Syluius iure laudat: Italus vero ipſe nationi ſuæ vehementer (vt decuit) affectus, ne ad eam aurum ſegnius mittamus, nobis de culmine regio à Græcis in nos translato, mellitis verbis blanditur,

blanditur, quod maiores noſtri ſuo ſanguine & ope Romanis exhibita peperẽrunt, blanditurque de domeſticis noſtris eccleſiaſticisque opibus ac ornamentis. Etſi Germania labore partis aur frugalitate floreret opibus, an quidquam ſuperuacanei poterit quotidianis vſibus ſupereſſe, ſi noſtra templa, ſi DEI cultum, ſi noſtras vrbes, ſi vias & Respublicas, ſi patriam ab hoſtibus, ſi xenodochia, ſi pupillos, ſi puerulos expoſitos, ſi viduas, ſi puerperas, ſi morbo Gallico ſiue puſtulis aut lepra infectos, ſi cæteros valetudinarios & mendicos, quorum porticus templorum plenæ ſunt, vti Chriſtiana pietas exigit, ſeruaturi ſumus? Quod Æneas religionem à ſuis ad nos profluxiſſe gloriatur, inquiens, *Roma vobis Chriſtum prædicauit verum DEum, cuius religio barbariem omnem generi veſtro deterſit.* Fatemur ingenue Chriſtum à clauigero, & diſcipulis eius ad nos Roma miſſis nobis prædicatum, at ab eodem, à quo omne datum optimum, ad fidem Roma ipſa illuſtrata eſt, quo Germania, ideoque non minus pro accepta religione ad gratitudinem (cuius nos Æneas vult memores eſſe) Roma Chriſto, quam Germania Romæ obnoxia eſſe videtur. Nam & Petrus natione Judæus, ex Palæſtina veniens Romanis Chriſti fidem prædicauit. Eadem ergo radice, ne ingrati, acceptique à Judæis beneficii immemores eſſe arguantur, aurum argentumque quotannis in Syriam, ſi Chriſtum profiteretur, eſſet transmittendum. At diceret Æneas, *Petrum ſedem Romæ non Hieroſolymis habuiſſe.* Cui reſponderi poſſet, eam prius Antiochiæ fuiſſe cathedram.

Veruntamen gratitudinem amplecti geſtimus, eam vero quæ non tam ſplendore ſeculari & externis ceremoniis, quam imitatione morum, caſtimonia, humilitate, modeſtia, diuitiarum & delitiarum contemptu, liberalitate in pauperes, cœleſtium rerum amore, & deuota commiſeratione in Chriſti crucem & paſſionem exhibetur: Atque his virtutibus ab eccleſiæ exordio, ab primis paſtoribus, aurum haud emulgentibus Germaniæ prædicatis (in quibus iux-
p. 384 ta Roterodami Moriam verus eſt cultus, longeque cælitibus gratiſſimus) ingratitudinis vitium euadere confidimus. Fatemur enim nos Chriſto multa debere: quocirca illi templa, ſacella, aras, & cultum inſtauramus, & maiores noſtri ad eius honoris augmentum ſacerdotia fundarunt.

Addidit Æneas, *ante baptismi gratiam nihil immundius, nihil tetrius, nihil ſpurtius natione noſtra fuiſſe;* tanquam ſoli Germani ante Chriſti fidem falſos Deos, obſcœnaque vitia ſectati ſunt. At non de Germanis ſatyrici Latini cecinerunt: Nec Paulus immaniſſima & execrabiliſſima Germanorum flagitia in 1. ad Romanos capite taxauit. Quod autem Æneas priſcis Germanis maximum de filiis Cacodæmonilitatis crimen obiicit, id Cicero in oratione pro M. Fonteio Gallis tribuiſſe videtur. Et ſi Germani tum gentiles ab hac impietate dudum liberati ſunt, beneficium hoc (Ænea teſte) in Adrianum Cæſarem eſt referendum. Quotquot in nos magna & ſingularia beneficia à Romanis collata Æneas iactat, totidem & forte vix minora noſtrates Cæſares ope Germanorum in eos contulerunt. Carolus magnus quid egerit pro eorum ſalute; quid Otthones victorioſiſſimi; quid magnificus Sigismundus, quid Fridericus III. pacificus; quid pia eius proles Maximilianus; qui niſi Romam coleret, Julius ſede ſua pulſus fuiſſet, quid reliqui multi Germani, ex tritis hiſtoriis pueri probe norunt. Neque nos religionem accepiſſe parui pendimus, pro qua nos Æneas Romæ multa debere contendit: licet è diuerſo nobis illa pro nobiliſſimæ excellentiſſimæque artis impreſſoriæ, per noſtratium, Argentini cuiuspiam & Maguntini, ſagaciſſimam ac vigilantiſſimam induſtriam inuento nonnihil debere videatur. Hac enim arte omnes optimæ & fidei & morum doctrinæ, diuerſis etiam linguis conſcriptæ, in vniuerſum orbem propagantur. Hac arte literæ ſummorum Pontificum quæ mandata, quæ auctoritatem, quæ ſumme neceſſaria Romanæ ſedis religionisque negotia continent, vna die à duobus aut tribus, ad dignitatem ſacroſan. ſedis Apoſtolicæ conſeruandam magis magisque multiplicari ac diſſeminari poſſunt, quam à librariis ducentis tota hebdomade ſcri-

bendo fatigatis. Cum itaque religioni, ſacroſanctæque Rom. Eccleſiæ maximum fructum atque leuamen artulerimus, cum Chriſtianam religionem in nullo vacillantes profiteamur, cum pro eo ſanguinem fundere (Ænea teſte) proni & parati ſimus; indigne pro noſtra ſinceritate, qua mandata (vt par eſt) recipimus, condonationes ſuſcipimus, vrbem petimus, æs mittimus, Barbari vocamur. Si enim iuxta Æneam religio barbariam deterſit, & nos religionem colimus & amplectimur, immerito & iniuſte fœdo barbarorum titulo, vt ſclaui & mancipia, à quibus aurum emulgendum ſit, contaminamur. Veruntamen Æneas illuſtriſſimam patriam noſtram, vrbesque noſtras, & ſacras ædes munificis laudibus extulit, vt præconiis forte dulcibus illecti ad fideliſſimas, ſuæque nationi profuturas admonitiones benignius aures noſtras accommodaremus, & ad profundendam in exteros rem familiarem ſimus beneuolentiores.

Quapropter conſtitutionem Baſilienſis concilii (pro quo vel ipſe Æneas ad Agrippinos ſcripſerat) à ſapientiſſimis iuſtiſſimisque patribus ſacroſancti ductu flaminis conditam eneruare ſtuduit, ne nos eidem ſicut cæteræ Chriſtianiſſimæ nationes, innixi, conſtrictis marſupiis ad expendendum aurum ſimus tardiores. Nempe ſanctio Baſilienſis Synodi ab Eugenio indictæ, ſtomachum Æneæ mouet, veluti ad hoc tendat, ne Germanica natio iuſſionibus Apoſtolicæ ſedis obedire, & ne quid pecuniarum ad Romanam curiam deferre cogatur. At ego neminem vel Pontificum, vel Principum noſtratium eſſe crediderim, qui prohibeat pecunias ſummo omnium noſtrum paſtori & patri debitas transferri. Pergunt nihilominus, illue noſtrates quotidie peregre, pro reſeruatis gratiis & diſpenſationibus aurum expenditur; cauſæ etiam profanæ, nedum per appellationes illuc trahuntur. Condonationes, in quibus vel ſedes apoſtolica, vel ordo ſcriptorum parte ſua gaudet, nulla natio promptius ſuſcipit quam Germanica. Epiſcoporum & Abbatum quorundam noſtratium confirmationes nunquam vacuis ad nos manibus reductæ ſunt. Quod ante hæc ſæcula noſtri præſtitere maiores, quod legitimum eſt, quod iuſtum, quod tolerabile eſt, id à modo præſtitum iri nemo noſtratium refragabitur. At plus æquo à nobis emungi, Corinthiorum ſimiles nos facit, ad quos arguendos electionis vas intonabat, *Suſtinetis, ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit.*

Tametſi Bononia, Peruſini, Eccleſiæ vicarii & reliqui populi Eccleſiæ Roman. ſubiecti aut nihil aut quantum velint (quod Æneas lamentabiliter meminit) conferant, ideone nos noſtra immoderatius elargiri vlla lege cogemur? Quo autem Roma tot & fere innumeros miniſtros, diuerſisque muneribus præfectos habet (vt Æneas ait) quos indies multiplicari dicunt, eane de cauſa res familiaris Germanorum exhaurienda eſt? Operoſum ſane eſt Romam omnium cauſarum iure fori pertractandarum pondera ſolam ſuſtinere. At ſunt (præter imperatoriam iurisdictionem) in noſtris quoque terris clariſſimæ metropoles, iurisprudentia & integritate iudicum ſuffultæ, ad quas à noſtris cathedralibus (quæ proximam iudicandi ſedem habent) ſi quippiam ſe oppreſſum ratus fuerit, per appellationem refugium habere poſſet. Quemlibet autem noſtratium vel profanum proximo ſuo iudice contempto, pro re leuiſſima, ex vindictæ quandoque liuore, & propria in perſona (vti expertus ſum) ad Romanum tribunal trahi, æquum eſſe diuus Bernhardus * nequaquam iudicabat. In arduis tamen & grauiſſimis cauſis Romam appellandum (vbi ſuprema & maxima poteſtas, vbi ſumma prudentia iuſtitiaque viget) inficias ibit nemo. Quocirca ſi Cæſari, ſi noſtris reuerendiſſimis Archiepiſcopis, ſua iudiciaria poteſtas inconcuſſa maneret, ſacroſancta ſedes Apoſtolica tanto laborum pondere ac moleſtia nequaquam obrueretur. Nam neque Germanis ſtudium ac integritatem deeſſe, vltro Æneas illis aſtruit verbis: *Vidimus iudicia veſtra, & conſiliis veſtris quæ de republ. gerebantur ſæpe interfuimus: omnia & prudenter & grauiter adminiſtratis. Nec facile à recto tramite deflectimini, nec vobis ciuiles leges, nec iura deſunt pontificalia, literæ quoque & omnium bonarum artium ſtudia apud vos florent.* Nec video cur nam

P. 385

* *In de conſider. ad Eugen.*

lex

lex Baſilienſis tantopere ſpernenda confutandaque ſit. Quippe quæ nihil (mea ſententia) continet, niſi quod DEI gloriam fouet, quod ratio ſuadet, quod æquitas poſtulat, quod naturæ lex ſuggerit, quod canones mandant, quod religioni & honeſto conſentaneum eſt. Commemorat enim quinam Eccleſias etexerint, ſacerdotia dotauerint, in eisque idoneos miniſtros inſtituerint ad propagandam fidem, ad bonos mores, & exempla virtutum, ſicut & Clemens V. iuſtum eſſe conformiter decreuerat his verbis: *Cum eccleſiæ quibus præficiuntur perſonæ minus idoneæ, ſcientia, moribus, vel ætate grauia propter hoc (vt docet experientia) perferant in ſpiritualibus & temporalibus detrimenta*, & reliqua. Quamobrem Clemens, vt bonus ouium Chriſti paſtor, prudensque & fidelis ſacerdotiorum diſpenſator, Epiſcopis diſtricte iniungit, vt ſtatuta canonica ſuper præficiendis perſonis, & obſeruent, & faciant à ſuis obſeruari, ſi diuinam offenſam, & ſedis Apoſtolicæ debitam vitare velint vltionem. Nonne idem eſt noſtra ætate DEus? nonne eadem ſedes Apoſtolica, quæ fuit tempore Clementis, quorum offenſa & vltio ſit pertimeſcenda? Haud ab re igitur pia ſanctio ſynodi Baſilienſis (cui ſapientiſſimi ac præſtantiſſimi patres interfuere) narrat à ſanctis patribus ſanctos canones conditos eſſe, pro felici regimine ſtatus eccleſiaſtici; quodque quandiu canones illi obſeruati fuere, in DEI eccleſia floruerit honeſtas, diſciplina, religio, pietas, charitas, & pax, & quod ex ambitione & auaritia, quæ patrum decreta contemnit, ſubſecutæ ſunt

Motum corruptiones atque deformationes.

Status Eccleſiaſtici dehoneſtationes.

Vſurpationes grauiſſimæ.

Præſertimque hæc fieri, per prælaturarum & dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum reſeruationes, & per

Gratiarum ad vacatura beneficia expectatiuarum à iure valde exorbitantium multiplicationes, & per

Innumerabiles conceſſiones, grauiſſimaque & importabilia onera.

Quibus eccleſiæ & perſonæ eccleſiaſticæ afflictæ, oppreſſæ, & quaſi ad internecionem redactæ his diebus conſpiciuntur. Nam

Eccleſiarum & beneficiorum pecunias indigni exterique occupant.

Maiores dignitates, opulentioraque beneficia perſonis conferuntur incognitis & non probatis.

Pauci in eccleſiis reſident, quia cum ſint plurales, vbique reſidere, & præſidentias deſeruire non poſſunt, vultusque commiſſi ſibi gregis non agnoſcunt.

Animarum cura neglecta, temporalia lucra ſolummodo quæruntur.

Chriſti cultus diminuitur.

Animarum cura negligitur.

Subtrahitur hoſpitalitas.

Eccleſiarum iura depereunt.

Ruunt ædificia.

Populi deuotio attenuatur.

Clerici ſcientiis & virtutibus effulgentes, qui in ædificationem plebis vacare poſſent, & qui pro animarum & eccleſiæ publicis forent conſiliis opportu-
p.392 ni, diuinarum humanarumque ſcientiarum ſtudia deſerunt, propter promotionis ad beneficia ſpem eis ablatam.

Votum alienæ mortis oritur.

Lites infinitæ, contentiones & rixæ, rancores & odia inter Chriſti miniſtros ſuſcitantur, nutriuntur atque fouentur.

Pluralitatis beneficiorum execrabilis ambitio fouetur.

Pauperes clerici cum rerum ſuarum diſcrimine per calumnioſos cauilloſosque opprimuntur.

Beneficia per litium anfractus iniuſte ſæpius occupantur.

Beneficia in officiata relinquuntur.

Beneficia ſymoniace acquiruntur.

Iuuenibus bonæ indolis euagandi licentia præbetur, qui literis & virtutibus intendere deberent.

Prælatis & cæteris ordinariis collatoribus ius ſuum atque miniſterium auferetur.

Ordo Eccleſiæ hierarchicus confunditur.

Plurima aduerſus diuina atque humana iura in animarum pernitiem, & eccleſiarum oppreſſionem & conculcationem perpetrantur.

Cum pace & venia Æneæ Syluii, diſcernant boni & æqui iudices, qui ſaltem enixe penſicularunt, ſi non eccleſiis parochialibus, ad quas gratiæ Apoſtolicæ & reſeruata ſe non extendunt, dum vacauerint, de idoneis paſtoribus celerius & maturius prouideatur, quam his quæ ſub reſeruatis aut gratiis cadunt: quippe quæ interdum propter diuerſos collitigantes, variasque ipſorum ſolertias aut vafricias ad biennium aut triennium certo & idoneo paſtore caruerunt: cumque vix tandem aliquis collitigantium, victor aliorum in parochia aliqua vtcunque euaſerit, vel in ea perſonaliter non reſidet, vel ſi reſidet non prædicat, nec cancellos aſcendit, vt ſaltem pro ſummo Pontifice, & pro ſacroſancta Eccleſia Romana, proque Cæſarea Maieſtate, aut contra Turcas, ad DEum preces à populo fieri exhortetur. Non ſic vſu venit de Eccleſiis quibusdam parochialibus, ad quas contentioſi per gratias apoſtolicas aut reſeruata non aſpirant, ad quas omnes, cum vacant, e veſtigio de idoneis rectoribus ſalubriter absque lite, absque multa pecuniarum effuſione, prouidendas vel vniuerſitates, vel Senatus, vel eccleſiarum tutores, vel deputati, vel capitula ſtatim deliberant, & ad DEI honotem, animarumque ſalutem bonos ac doctos viros eisdem absque controuerſia & litibus præficiunt, qui perſonaliter reſidentes, perſe ipſos Euangelium prædicant populum verbo & exemplo ædificant, ac ſuas oues in viam ſalutis vt veri paſtores dirigunt. De quo ſanctiſſimi in Chriſto patres, ſummique cunctorum fidelium paſtores & fructum ſpiritualem conſcientiarum ſuarum maiorem tranquillitatem & pacem animarum ſuarum coram Deo iuſtiſſimo iudice releuamen conſequuntur, quippe qui de animabus omnium Chriſti fidelium exactiſſimam domino Deo rationem in extremo & horrendo iudicio ſunt reddituri. Sicut & Julius II. in exordio Bullæ ſuæ contra Joannem Bentiuolum armis (vtinam in Turcas conuerſis) Bononia pulſum ingenue confitetur: & Platina recenſet in Cæleſtino. Eſt etenim (Æneæ teſte) Pontificis Maximi proprium munus, Chriſti oues vbique exiſtentes paſcere. Paſturam autem eam eſſe oportet, quæ in caulas Domini, hoc eſt in viam ſalutis omnes (ſi poſſibile ſit) perducere conetur. Conuenit ergo Romanum Pontificem, magnum ſacerdotem, curare, vt Euangelium Chriſti, quod eſt optimum pabulum, omnibus ſincere prædicetur, vt omnes errores, omnis blaſphemia, omnis plantatio, quam Chriſtus non plantauit eradicetur, vt pellantur à finibus Chriſtianis impugnatores noſtræ religionis, vt ſchismata remoueantur, vt bella ſopiantur, vt furta, rapinæ, incendia, vt homicidia, adulteria, ebrietates, crapulæ, contentiones, ſimultates, odia, rixæ de medio tollantur, vt pax & iuſtitia oſculentur, vigeatque concordia, vt honoretur DEus, & illi laudes atque hymni canantur.

Ad remouenda vero ſchismata, ad blaſphemiam, ad bella, ad furta, &cætera quæ recenſuit Æneas, flagitia diſſuadenda, ipſis ſummis Pontificibus efficaeius cooperaturi ſunt nou epheebi; non malorum duces, non citationum inſinuatores, ſed iuris Pontificii diuinarumque literarum periti, tum in concionibus, tum in expiandis in auriculari confeſſione conſcientiis. Bono nimirum ſpiritu lex Baſilienſium decreuerat, tertiam præbendarum partem ſacrarum literarum doctis eſſe conferendam. Sciebant enim optimi patres, doctos, & exemplares Theologiæ profeſſores, ex ſacris literis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ dignitatem tueri, & plebem ad officium inflectere poſſe. Sicut Dominus præpoſi- p. 387

tus

tus Gabriel Biel, (ab ingenioſo Theologo Joanne Eckio ſic vocatus in ſchiſmate Maguntino) ſubtiliter ſcribendo & conſtanter prædicando accuratiſſime fecit. Et extant hodie qui ſummi Pontificis maximam auctoritatem, reuerendiſſimorumque patrum Cardinalium glotiam ac omnem libertatem eccleſiaſticam ſcriptis, lectione, diſputationibus, piis monitis, concionibus rationabiliter defendere extollereque poſſent. Siquidem hac noſtra ætate ad obedientiam, ad pacem, ad virtutes populus ſacra doctrina, piis monitis, ſecretis conſiliis, ac bono vitæ exemplo & concionibus facilius inducitur, quam acrimonia, pompa, minis, terroribus, armis aut cenſuris. Sacroſanctæ igitur Romanæ eccleſiæ, ſummisque pontificibus non ſolum in aula, in cubiculis, in penu, in coquina, in piſtrino, in equorum carceribus apud Tybetim, ſed etiam in Aquilone à diuinarum pontificiarumque literarum cultoribus poteſt fideliſſime vtiliſſimeque inſeruiri. Quicquid de aliis ſacerdotiis à Roma (quæ Æneа teſte ſacrarium eſt veritatis, & vnicum religionis domicilium) actum fuerit, circa tamen illa, quibus animarum cura cohæret, vt ſunt Decanatus, & parochiæ, tempeſtiuiſſima circumſpectiſſimaque per bonos viros moribus & doctrina probatos, quorum Germania ſcatet, nedum in gymnaſiis, quorum non pauca poſt Æneam erecta ſunt, prouiſio & Deo gratiſſima, & ſummis pontificibus maxime decora, animabusque mortalium ſaluberrima eſſe videtur, ne ſit populus Domini ſicut oues absque paſtore. Cum vtique honeſtius ſanctiusque ſit, ouibus Chriſti in Chriſtiana vita fideliter inſtituendis, de bonis idoneisque paſtoribus prudenter conſulere, quam barbaris & indoctis, ſolum paſtorum nomen habituris, de lana, lacte, Cerere & Bacho, auro, argento, in luxu ac otio paſcendis ex carnali affectu, aut vilis obſequii contemplatione prouidere. Et inuenirentur in Germania non turpium fabularum, ſed omnis nobiliſſimæ philoſophiæ, Chriſtianarumque literarum, ac iuris Pontificii apprime docti ſine tamen penſionibus, prouinciam parochiarum ſtudioſe regendarum, ſi vocarentur, onus ſubituri, quibus ad eas alioquin, ſicut neque ad canonicatus, nihil loci patere poteſt. Studii enim æſtuantes amore, iuuentutis florem vel in penetralibus, vel in mulorum carceribus apud extetos deliteſcendo ignauiter conſumere recuſarunt, ſiquidem eos genius ſuus à lucro traxit ad virtutem, à diuitiis ad diſciplinam, ab otio aut turpi miniſterio ad honorificas literas, quas ad ornatum animæ, ad conciliandam DEI gratiam, ad ædificationem morum, & inſtructionem ſimplicium, ad dignitatem ſacroſ. ſedis Apoſtolicæ tutandam, ad concionandum, ad parrocinia pauperum, adminiſtrandam iuſtitiam, & ad Chriſtianam religionem plantandam accommodatiſſimas eſſe cognorant. Quod ſi ingenio adhuc vegeto diſcurrerent, ſi labores ruſticos perferrent, ſi ſcriptionibus, ſi gratiis, ſi reſeruatis, ſi penſionibus, auro quandoque numerato redimendis, intenderent, ad munus indies eccleſiaſticum, diuinis laudibus & animarum ſaluti, ſummisque pontificibus ac toti eccleſiæ profuturum ſteriles forſitan efficerentur. Cum autem nullum DEO gratius ſacrificium ſit, rememoratione Dominicæ paſſionis, ſi docti & modeſti, ad ſacrificandum prompti præbendas acciperent, ſi plura ſufficientia ſacerdotia in plures ſacerdotes ſæpius quam vnus aut pauci ſacrificantes, iuxta veram iuſtitiam diſtributiuam diuiderentur, tum Pontifices Maximi, Cæſareaque Maieſtas plures ſortirentur pro ſua ſalute interceſſores, imo & excelſus reuerendiſſimorum patrum Cardinalium cætus ac totius eccleſiaſticæ dignitatis ſplendor multorum doctrina excellentium, conſilio, eloquentia, & ſapientia felicius in ſua celſitudine conſeruari poſſet. Hoc eſt (ni fallor) quod lex Concilii Baſilienſis intendit, vt Euangelium Chriſti omnibus ſincere prædicetur, vt à multis honoretur DEus, vt à DEo laudes atque hymni decantentur: hoc eſt quod & nos ipſi volumus, vt multi ſint qui Deo ſeruiant, Deum laudent, ſinguli in ſingulis ſufficientibus ſacerdotiis Deum honorent, atque ſacrificent, vt & ſummi Pontifices & Imperatores totaque Eccleſia de illo ſacrificio (quo nullum efficacius) fructum acquirat, hoſtes vincat, pacem

Gabriel Biel.

pacem & incolumitatem accipiat, gratiam hauriat, & gloriam conſequatur ſempiternam. Et quoniam Lex illa Baſilienſis religionem à Romanis acceptam cupit propagari, diuinum cultum augeri, animarum ſalutem procurari, officia à ſacerdotibus impleri, vltimas voluntates expleri, vitia euelli, virtutes inſeri, non vsque adeo veluti ſacrilega vltra Sauromatas explodenda eſſe videtur. Lex inquam, cuius editioni inter ampliſſimos conſtantiſſimosque alios patres, Julianus S. Angeli Cardinalis, Cuſanus item noſter, & Ludouicus Arelatenſis (quem miraculis claruiſſe perhibent) interfuere: quam & totum Franciæ regnum doctiſſimis & integerrimis refertum ſuſcipit, amplectitur, fouet, eique innititur, ex eaque ſecuritatem & innocentiam ſua opinione deſumens, primatem ſuum colit, ſeu patriarcham, quali nobiliſſima Germania non caret, cuius magna eſt auctoritas, nam & ei vel archiepiſcopi obedientiam debent: *Retineat*, in- p. 388
quit Gregorius, *Apoſtolica ſedes proprium vigorem, at à te conceſſa aliis ſua iura non minuat.* Quæ quia mater eſt, non nouerca, & (vt Æneas teſtatur) tutus portus afflictorum, & dulce refugium miſerorum, ſciensque ex Gregorio ad Marianum Epiſcopum Rauennatem, non plus pecuniæ quam animabus ſtudendum (quoniam redemptor noſter á ſacerdotis officio non quærit aurum ſed animas) Chriſtianiſſimam & obſequentiſſimam Germaniam maternis tandem alis complectatur. Quæ cum (Ænea teſte) hoſpitalis ſit, humaniſſima ſit, & quæ pauperibus, quæ pueris & liberis (feminas non faſtidiens) plena eſt, leuiorem ei tolerabilioremque ſarcinam imponat. Gregorii magni exemplo, qui ſuſceptis à Patricio Galliarum quadringentis ſolidis immortales gratias egit. Germaniam ergo benigniſſima noſtra marer, & ſacroſancta ſedes Apoſtolica (apud quam ſumma conſtantia, ſumma veritas, ſumma religio) hac ſaltem pietate, largitionumque moderatione dignetur, vt Archiepiſcopis noſtris & Epiſcopis intra paucos annos è vita hac miſera ſublatis, mitius clementiusque cum ſucceſſoribus agatur. Quod enim illi præſtant, idipſum plerumque à miſerrimis agricolis & ciuibus, cleroque, maxime rurali, corraditur & emungitur, quo perſæpe patresfamilias pro liberis educendis, ipſique ſacrificuli (quorum beneficia nonnunqnam opulentiſſimis incorporata ſunt) pro vita ſuſtentanda opus haberent: ne ſeditio tandem vulgi ſæpe de hac re murmurantis, vt his auribus (DEum teſtor) audiui, in eccleſiaſticos ſuboriatur, neque Bohemicum virus (quod abſit) latius ſerpat. Haud abs re Leo II. Platina auctore, & Ludouicus Galliæ Rex inter Diuos relatus largitiones iſtas interdixerunt. Durum equidem eſt non quadringentorum, quibus Gregorius gratias agens ſatiabatur, ſed viginti, aut eo amplius, millium aureorum nummum exactione clero & plebi nuper impoſita, & ea quidem nondum diſſoluta, propter nouum Archiepiſcopum aliam & æqualem propediem popularibus & Chriſti miniſtris impoſitum iri. Potiſſime, cum veterem pro pallii vſu iam pridem præſtitam ſummam, decem duntaxat millium fuiſſe memoriæ proditum ſit, quæ quia à prædeceſſore reddita non eſt, ſucceſſor ſuam decem, & anteceſſoris æqualem diſſolui neglectam, tradere cogebatur. Quibus in ſcrinium ſeu regiſtrum ad poſteritatis memoriam forte conſignatis, viginti millia, vsque ad noſtram ætatem ab omnibus archiepiſcopis exigi dicuntur. Conſideret quoque pia mater noſtra, proter noua officia indies, vt fama eſt, excreſcentia, pro confirmationibus ſummam augeri; telonia principum Electorum declinari, prouentusque diminui, proprer bella & bellis equos multam tellurem iacere incultam; venas montium mineralium, quos Æneas, tanquam terrarum noſtrarum explorator, egregie recenſet, eſſe exinanitas: concordatisque Principum, quibus edendis Æneas adfuit, exemplo Caliſti, ipſo teſte, pia mater non contraueniat, Stygios regreſſus nonnunquam falſos & fictos, quod in me ipſo expertus ſum, ordinariis collatoribus intolerabiles eneruet: Per ampliſſima reſeruata, curialibus etiam moleſta, non vsque adeo & tam crebro Germaniam grauet, nec innumeras ad vnum collatorem gratias in terris eccleſiæ Rom. non ſubiectis concedat, quod

20000. fl. pro pallio.

non

non ſolum lex Baſilienſis, verum etiam Æneas ipſe illegitimum iudicauit. Lex enim præter damna in Prooemio recenſita, alia etiam oriri incommoda narrat, ex multiplicatione gratiarum expectatiuarum. Primo, quod clerici in gratiis confiſi patrimonium & parentum opes exhauriunt. Secundo, quod ii quibus aut maior proximum circumueniendi aſtutia, aut ad litigandum facultas ſuppetit vberior, beneficia ſibi vendicant. Tertio quod ſub inuolutionibus prærogatiuarum aut antelationum, & aliorum gratias eiusmodi concomitantium plurimæ fraudes committuntur. Æneæ autem verba hæc ſunt: *Verum eſſe fatemur, huiusmodi gratias non eſſe omnino probabiles, eisque fortaſſe moderatius eſſet vtendum. Nam paſſim concedi quibusuis hominibus, & ad vnam collationem multos concurrere, haudquaquam probamus. Nec ambigimus, diuum Caliſtum, ſi paululum à moleſtia Turcarum requieuerit, huic rei prouide occurſurum qui & hanc gratiarum conſuetudinem ab initio ſui pontificatus abolere voluit.* Ecce quomodo Æneas defert huic Baſilienſi conſtitutioni. Et ego nihil hic impium, nihil improbandum, nihil deteſtandum, nihil à ratione alienum video: Tametſi Ludouicus Delphinus, in ſacroſanctum conſilium Baſilienſe dirimendum, Platina teſte, cum maxima patriæ parentumque meorum iactura, ab Eugenio ſit laceſſitus. Impetrare igitur ſtudeat natio noſtra, de ſede Apoſtolica non male merita, ne concordata Principum caſſentur, ne preces regiæ in menſibus ordinariorum reiiciantur, ne ordinariis collatoribus per reſeruata, aut regreſſus ius ſuum auferatur, quod neque Æneas probauit. Cuius profecto hæc verba ſunt: *Sicuti indignum eſt ordinarios cuncta ſibi retinere, pari modo deteſtabile cenſemus Apoſtolicam ſedem vel nihil, vel parum illis dimittere.* Impetret quoque na-
p.389 tio noſtra à matre ſua, quæ ſubditos ſuos (iuxta Æneam) vt filios non vt ſeruos habet, ne ſeculares ſuo iure patronatus priuentur, per quod cæteri à ſacerdotiorum fundatione abſterreantur, ſicut in cathedralibus, aliisque Germanicæ eccleſiis, à Regibus, á Principibus, à magnatibus, à proceribus à ciuibus rebus publicis ſacerdotia fundata ſunt, quorum merito gauderent eſſe patroni & collatores. Impetret quoque natio noſtra, ne familiares fuiſſe impune mentiri liceat eos, qui nunquam fuerunt; ne noſtrates gratiis & priuilegiis proximorum ſedis aut pontificis familiarium & alienigenarum innixi, principum (etiam electorum) filios in aſſequendis præbendis antecedant, cum non oriundos ex Germania Sixtus IV. ad Germaniam habere expectatiuas prohibuerit. Impetret etiam, ne ſacerdotia pinguia poſſidentibus ſenio vel morbo confectis, iniquiſſime lites moueantur, ſub quarum pendentium typo verſipelles nullo iure freti in præmortuorum beneficia vel iura ſubrogentur, per quod afflictis addatur afflictio. Ne conſumptis & conſummatis gratiis precibusue regiis, in maximam aliorum pauperum iacturam denuo liceat vti. Ne canonicus diues per interpoſitam illuſtrem perſonam, gratiam ad aliam eiusdem eccleſiæ præbendam impetret, eamque tantiſper occupet, donec in ſuam vtilitatem conuertat: ne quisquam duos aut tres canonicatus in diuerſis vnius & eiusdem vrbis collegiis, & in cathedrali vicariam ſimul, omnium corpora rapiens & abſorbens (propterea nullum locum pro penſione alteri, quantumuis docto & bono, ceſſurus) ſecluſis officiis, dignitatibus, parrochiis, capellaniis, penſionibus in maximum Dei contemptum, animarum benefactorum, & rerum publicarum, ciuiumque & pauperum iacturam, (vt de pernitioſiſſimo ſcandalo taceam) vſurpet. Impetret quoque natio noſtra, ne per temerarias ac diuturnas lites tanti ſumptus & impenſæ excreſcant, quantis vel nouum ſacerdotium erigi, vel cenſus ad vitam, quantos beneficium, pro quo certatum eſt, infert, emi potuiſſent. At ne in ſacerdotiis opulentiſſimus quisque panem ab ore pauperum reſecans, tota vita pro nouis ſacerdotiis contendat, ac per fas & nefas intret: vti ex Philippo Agrippino Archiepiſcopo, ſuperiori menſe (heu) vita functo (qui & eccleſiæ & ſacroſancto Romano Imperio Princeps fuit vtiliſſimus) audiui; & pridem ex altero quodam prælato his auribus accepi, quosdam auariſſimos,

riſſimos, qui multas penſiones, multos canonicatus, multas eccleſias, innumeras capellanias poſſederant, multique pauperibus lites indignas mouerant, in ius traxerant, per concuſſionem à beneficiis eiecerant, ſi hodie adhuc ſuperſtites eſſent, propter fraudes & aſtutias quibus vſi ſunt, & iam demum in lucem prodeunt, flammis in cinerem, & fauillas eſſe exurendos. Quod ſi technas, mutuasque circumuentiones, quas alter de altero illius generis hominum, nouem pene luſtris, vltro me præſente & audiente conqueſtus eſt, ſcribere vellem vel poſſem, vtriusque ferme inſtrumenti paginam æquarent. Quod grauius bellum nobiliſſimæ Germaniæ, ſacroſanctoque Rom. Imperio indici poſſet, quam ab auariſſimis vix vmbra fucati iuris quandoque ſuffultis, iniuſtiſſimas & ſumptuoſiſſimas lites concitantibus quibus pauperes nonnunquam obruunt, & patriam exhauriunt? Quippe qui domeſticorum curam non habentes, ideoque infidelibus deteriores, ac ferme patriæ proditores, eam ad inopiam redigi floccipendunt, dummodo ipſi multas pingues præbendas ac dignitates, in luxu, ocio, pompa victuri aſſequantur: per quorum in explebilem auaritiam, & ambitioſiſſimam ſacerdotiorum, malis etiam artibus, coaceruationem (quam etiam Æneas in noſtratibus manifeſtiſſime taxat) profani ſua vitia, & equites, qui è ſella viuunt, ſuas rapinas attentuare, palliare, imo excuſare nituntur. Taceo de condonationibus quarum diuerſam concionibus interpretatio, plebeculam vel perplexam, vel frequentia ad mala procliuem reddere poteſt. Earundem vero & confeſſionalium non per duo aut per tria æra (vt Æneas refert) ſed hebdomadali ſumptu redemptorum ſuſpenſio, quam moleſta, quam amara ſit popularibus; perſæpe pudore ac metu perculſus ex eis intellexi.

Huiuscemodi maioraque Germaniæ grauamina (quæ ad ſedem Apoſtolicam Æneas vult eſſe referenda) Bertoldus Hennenbergenſis, Pontifex & princeps Maguntinus ſapientiſſimus, cum ſæpe ac multum animo reuoluiſſet, audiens cum ſolido gaudio Franciſcum Senenſem ad ſumma ſedis Apoſtolicæ faſtigia pro meritis nuper exaltatum, ſciensque eum nobiliſſimæ nationi noſtræ vehementer affectum, mox propria manu pleraque conſignare cæpit, quorum ab eius ſanctitudine vel remedia vel leuamina, pro diuini cultus, noſtræ nationis incremento ſeſe impetraturum confidebat. Ego itaque inſtituti & voluntatis tanti Archiepiſcopi tantique Principis Electoris conſcius, ad reſpondendum Æneæ vice Mattini laceſſitus ſum. Impulit & me amor Imperii ac nationis, amor ſtudii ſacrarum literarum, quarum ii qui cum labore & patrimonii detrimento docti eccleſiæque vtiles euadunt, ſacerdotia difficile conſequuntur. Impulit & me commiſeratio in pauperes agricultores, quos Hebræi vexant quan- p.390
doque ac tyranni premunt, quorumque egeſtatem Apoſtolici legati nuper experti ſunt. Affectus quoque me coegit in populum Dei (qui mandauit vnicuique de proximo ſuo) per rectores doctos & honeſtos ſalubriter prouidendum. Impulit & me Leonis X. moderni pontificis ſumma ſanctimonia, maxima iuſtitia, flagrantiſſimusque religionis Chriſtianæ Zelus, quo iuxta munus proprium ab Æneæ repetitum, ad fidem exaltandam ſua ſanctitas æſtuans, deſiderat non ſolum ephebos à ludi literarii magiſtris in bonis motibus, ac in his quæ ad regionem pertinent, (feſtis præcipue diebus) erudiri, diuturno poëticæ ſtudio prohibito, vt hoc ordine Chriſtiana diſciplina (Joanne de Gerſon aſtipulante) felicius reparetur: verum etiam ad diuini cultus augmentum, animarumque ſalutem, nonnullos eccleſiaſticis reditibus in aliorum damnum aut ſcandalum repleri, conformiter ad conſtitutionem Baſilienſem indignum iudicauit. Quonam pacto prudentius aut ſalubrius Leo noſter optimus maximus, piis in eccleſia moribus reducendis conſulere potuiſſet, quam luxum & auaritiam, ſuo ſanctiſſimo decreto, primum à ſtatu excelſiore dignioreque præditis eliminando. Populus enim (quem verba minus quam opera mouent) exempla virtutum, in clero frugali conſiderans, facilius omne honeſtum ſuopte ingenio amplectetur. Sicque priſca diſciplina reflorere poſſet, & à religione Chriſtiana, noſtrisque

ſacris

ſacris ſuſcipiendis infideles minus abſtraherentur, & paucíores è noſtris ad inferos properarent, vbi ductu Leonis in eccleſiaſtico, ſicut in Reipublicæ corpore, vt totum ſaluum ſit, quiequid eſt peſtiferum, fuerit amputatum. Nec omnibus tamen Æneæ locis (quorum plerique facile repelli poſſent) ſed paucis ſolum tumultuario & feſtinato per cæteras occupationes ſtylo reſpondimus, in nullius profecto contemptum aut iacturam; ſed vt Æneæ futurus lector ex noſtris reſponſis, veluti præmonitionibus, inſtar Vlyſſis à dulci Sirenis cantu caueat; ne ſuauiſſimis eius laudibus, quibus Germaniam proſequitur, facilem aurem præbens, atque delinitus, res aduerſas calamitatemque Chriſtianiſſimæ Germaniæ, ingraueſcentem negligens, ſalutis ac dignitatis propriæ nationis & patriæ, decoriſque ſacroſancti Romani Imperii amplificandi minorem habeat rationem.

SINCERA ADDITIVNCVLA AD REPLICAS, PRO MARTINO MAJORE, CONTRA ÆNEAM SYLVIUM.

QUI Æneam ſedulo relegerit, ſiorumque verborum pondus accurate introſpexerit, mea reſponſa grauiter non feret. Imo Æneas, ſi ad nos redire, ætatisque noſtræ mores cernere poſſet, nobis indubie adſtipularetur. Primum pro eximio ſuo in Germaniam amore, quam veluti patriam ſuam duxit: deinde pro zelo in Chriſtianam religionem, pro qua vel ſenio grauis bellum in Turcas mouere tentarat; poſtremo pro ſua laudabili frugalitate, qua ad cardinem orbis terrarum exaltatus, reſeruatumque ſuum excuſans, paucis ſe contentum eſſe poſſe Martino reſcripſit: & iam dudum à ſacroſancto Concilio Baſilienſi (cui & Abbas Siculus, Ludouicus Pontanus, Joannes Lucas, cuiusdam patroni mei præceptor interfuerunt) in auxilium Hildeboldi ſenioris indigne vexati, huc orator miſſus, vrbe perſpecta eiusque collegiis, Diui ſc Thomæ præpoſituram, maiora non deſideraturus, exoptare cuidam dixit in ponte Bruſcæ ſibi adſtant. Weſtphalo, ex quo Joannes, & Symler Breidenbachius ſeſe audiuiſſe mihi aliisque perſæpe retulerunt. Accedit huc, quod cum voto meo, de in habitanda ad mortem Eremo fruſtratus eſſem, vitam in patrio ſolo finiturus, ſtatim loci ex cleri ſecularis paucitate pertæſus ſum. Nam etſi in pueritia & adoleſcentia mea plures illic honeſti ſacerdotes in baptismali ſacræque communionis templo DEum coluiſſent, hoc tamen tempore, quo grandæuus patriam reuiſo, præter curatum, ſuosque myſteriorum diſpenſatores, vnum duntaxat ſacellanum gemens offendi. Licet enim Eccleſia plures habuerit capellanias à ſecularibus fundatas, illæ tamen interim (qua forte neſcio) ab opulentis & maiora ſacerdotia tenentibus obtentæ ſunt, qui dum in opimis alibi beneficiis, aut apud Tyberim pinguiora venaturi moram habuere, exiguis, quos in abſentia perceperunt, prouentibus contenti, ſacerdotia patriæ, quæ ſingula frugalem ſacerdotem ſuſtentare poterant, ad inopiam vergere neglexerunt: ſicque beneficia patriæ diminuta, cultus Dei labefactatus, & parochia clero ſeculari deſtituta eſt. In patria (inquam) mea & quidem populoſa, inque præclaro ſacroſancti imperii Romani vico, apud quem Carolus Magnus natalis Dominici diem (Reginone teſte) eum principibus glorioſiſſime quondam celebrauit. Cuius calamitatis gratia ex Eremo in patriam accerſitus, cum honeſto ſenatu, aliisque zelo Dei flagrantibus ad id nitimur, vt duæ aut tres ſacellaniæ ignauiter ad miſeriam redactæ, in vnam alimenta reſidenti, & cum Eccleſiæ rectore DEum honoranti, ſuppeditaturam ſacroſanctæ ſedis Apoſtolicæ fauore, & auctoritate conflari & coniungi poſſint. Cuius rei Guilhelmus Antiſtes noſter pientiſſimus, digniſſimique prælati, & capitulum ſuum fundamenta iecerunt. Quo minus vereor me bonis ac Chriſtianis viris bilem concitaturum, quando certo ſcient, me non animi morbo noua moliri, ſed iuſto diuini

Anno DCCLXXV.

p. 391

uini cultus, patriæque amore. Martini Maioris querimonias pro Germania dudum ab eo factas, cum exaggeratione confirmasse. Vt enim de Deo terribili (qui maior est omni laude) taceam; non tamen minus æquum, minusque decorum mihi visum est, Germanum suæ, quam Italum Italicæ nationi & patriæ fuisse affectum. Quod autem Æneas haud ad gloriam nostratium Episcoporum, hæc verba suo tractatui inseruit: *Quod si vnum Romanus Pontifex, minus dignum presbyterio donauerit, supra mille inuenias rudes, ignaros, hebetes, & prorsus ineptos ab ordinariis esse promotos:* id ad honorem & excusationem Antistitum Germaniæ nuper in Diatriba confutani.

ORATIONES DUÆ,

ALTERA HABITA A LEGATIS LEONIS X. PP. CORAM INVICTISSIMO IMP. MAXIMILIANO, IN PRINCIPUM CONVENTU, PRO COLLIGENDIS DECIMIS IN EXPEDITIONEM CONTRA TURCAS, ANNO M.D.XIIX.

ALTERA VIRI CUJUSDAM CLARISSIMI ADHORTANTIS, NE PRINCIPES IN DECIMÆ PRÆSTATIONEM CONSENTIANT.

Oratio Legatorum.

BONI adsumus nuntii, Illustrissimi principes. Leo pontifex Maximus post Apostolicam benedictionem, Romanum Christianum, idemque vestrum imperium occupatum à Turcis, restitutum vobis in vestra ae Christianæ reipublicæ virtute & opera cupit, disponit, primum à vobis petit. Memoria siquidem cum repetimus maiorum vestrorum gloriam, animi magnitudinem, & ea quæ fortiter ae strenue gesserunt pro Republica, si Ecclesiæ præsertim religionisue causa ageretur, non possumus læti atque hilares nos ipsos continere. Cum non intra nos dicamus, non admiremur, non coniiciamus, non extimemus, sed ipsis (vt aiunt) oculis conspiciamus, quanto sitis animo, quantis viribus ad Christi rempublicam ac religionem capessendam, priscorum vestigiis insistentes accersiti. Ita vt qui annis prope septingentis Romanum imperium eteptum à Græcis, receptum à Gallis, summa fide Apostolicæ Eccleſiæ seruastis, idem qnoque nunc sit non modo non diffidendum, sed quacunque orbis patet vestra quoque virtute ac fide propagandum; Italia omnis si quam spem reliquam habet, si quam victoriæ lucem videt, in Germanis videt. Germanos Christiani huius belli auctores, ae duces, eosdemque confectores sibi pollicetur. Nullibi enim tanti Christiani nominis ac fidei patrocinium, quantum in Cæsare & Germanis principibus, esse & residere arbitratur. Nec vos degeneres futuros ab Ottonibus, Henricis, & id genus alüs, in periculo præsertim religionis & imperii, sibi persuadet. Nolite itaque pati, vt quam tantam de vobis opinionem conceperunt, irritam ae inanem fuisse postea fateantur; præsertim eum præsidere DEum optimum Maximum vestris ductibus sciamus. Cum enim causa hæc agitur, Dei causa agitur, cum in nefarium impurumque Turcam acies instruitur, pro Deo pugnatur. Cum in hoc genus mortis itur, pro Deo eadimus. Felicissimæ profecto mortis genus, quo vita comparatur, & ea æterna. An forte timendum vobis est Germani, vt hostibus cedatis, qui ipsas quoque Romanas legiones, alias inuictas, profligastis? Etsi enim, qui imminet hostis, late dominetur, ne dicam regnet, licet Syriam & Ægyptum nuper subegerit; si tamen ad mentem reuocemus, cum quis pugnam manusque conseruerit,

ruerit, nihil eſt quod vltra admiremur, quam ſi imbellis quisque deuiciſſet. Cum Orientalibus quippe pugnatum eſt: ſinite, ſinite enm Germanis congrediatur, inueniet legitimos milites, experietur inuicti roboris viros, ſentiet omnipotentis Dei in vobis manum. *Proſequimini enim* (vt diuinum vſurpem oraculum) *inimicos veſtros, & corruent coram vobis. Proſequentur quinque de veſtris centum alienos, & centum ex vobis decem millia. An forte abbreuiata eſt manus Domini, vt ſaluare nequeat? In promptu eſt vnde conuertatur DEus & ignoſcat.* Dabunt ſiquidem tot millia hominum nomen in Chriſti militiam, ſignum eru-
p. 392 cis eulparum omnium expiatiuum, tanta multitudo ſuſcipiet, criminaque noſtra paſſim piis in ſanctam hoc opus largitionibus redimemus, vt procul dubio factus caro & frater noſter DEus, non ſæuiat in ſuos: qui cum non niſi dominus humani generis eſſet, pugnauit pro externis. *Agite quod veſtra intereſt, & venite, & arguite me, ſi deero vobis*, dicit DEus optimus Maximus. Bella non vsque quaque extincta, ne tam neceſſario diuoque operi impedimento ſint, ſomnum interdiu capere, & Apoſtolicis (vt par eſt) mandatis obtemperando, quinquennalibus induciis tolli rogamus. JEſu Chriſti proprium admiramur, veneramurque opus, efficere in terra pacem bonæ voluntatis. Nobiſcum bene agitur, ſi aliquantula fiet quies iniquo animo retento. Bello autem ſuſcipiendo, quæ via, quisque modus habendus ſit (licet quot capita, tot ſenſus) probata eum plurimorum ſapientum ae principum conſilio ſententia fuit, oportere imponere ſacris initiatis Decimas, plebeis quinquageſimas, cuique domui ſtipendium vnius militis, diuitibus annui eenſus, ac lucri viceſimam. Nec vos terret, Decimæ, viceſimæ aut quinquageſimæ inſuetum, nouumque nomen; horrenda quoque nobiſcum (hæc affirmanerimus) ſi nnda oceurrerent. Verum cum quinquageſimas, viceſimas, decimasque non ſoluere, ſed deponere, idque turiſſime, vt ea lege debeant, vt niſi definito tempore in expeditionis iſtius opus conferantur, illis qui depoſuerint reſtituantur, pium, ſanctum, optabileque cuilibet fore Chriſtiano cenſebitis. Quocirca trepidare timore, vbi non eſt timor, deſinant, ferentes expeditionem hanc fucatam eſſe, auri ſacram ſubtegere famem. *Nos* (inquam) *Turcæ fumus, quibus expellendis incumbitur, in nos expeditio tota ſæuiet.* Vacate & videte, quæſo, quam ſupertuacaneus eſt metus, ac timor iſte, percipite quam pie, quam ſancte, & cum ſacris initiatis, & populis vniuerſis agatur. Nolumus nos theſaurarii, aut exactoris officio fungi. Non eo tendimus, vt in noſtram poteſtatem æra redigantur. Veteres reuoluite hiſtorias, inquirite ſi vllo vnquam tempore ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales de latere legati, interdictis etiam à iure facultatibus ad Pontifices, eorumque rem pertinentibus, vt in præſentia eernitis, prodierunt? & animaduertite omni exceptione laudeque dignam maiorem Leonis P. M. pietatem, atque liberalitatem, ex propriis tot per regna legatis opportuna conferentem. Non quærit profecto veſtra, qui ſua pro vobis ſponte magnificeque largitur. Sed quid Pontificii animi argumentis immoramur, re ipſa comprobare operæ pretium eſt. Inuenite vos ipſi, inueniant metuentes ipſi modum quempiam, quo quicquid auri argentine collatum fuerit, tutum adeo ſit, vt nec in exactorum cuſtodumue ſtipendia aliquid cedat, ſed integra vniuerſa, aut ad expeditionis huius vſum eedant, aut ad eos qui dederant, redeant. Non quærimus Germanum ærarium in Italiam transferre, ar in Germanorum militum ſtipendia erogare euncta ſummus pontifex vult, atque præcipit, nullum dolo fraudiue locum relinqui, quia & vos clara luce videtis, quod Chriſtiana ſe Reſpublica, religio, regnum, templa, vrbes, oppida, in veſtra ſe propugnacula contulerunt, veſtram opem implorant, veſtris genibus aduoluuntur. Si illos deſtituitis, vos ipſos Germani deſtituitis, quando omnes in Maximiliani aquilas reſpiciamus, nec aliunde quam à Romano imperio auxilium expetamus, quando res veſtra non minus quam aliarum regionum agatur. Contermina ſi quidem Turcis Germania præ aliis eſt. Italia enim, quamuis Turcarum claſſi

magis ſit peruia, prius tamen quam in Italiam Turcarum copiæ terreſtri inuadant exercitu (in quo conſtat vim omnem belli victoriæque ſitam eſſe) Germaniam oppetere oportet, niſi Carinthiam, Styriam, Croatiam & Vngariam Germaniæ moenia eſſe inficiati fuerimus. Clementiſſimus Leo pontifex, dici non poteſt quantis vigiliis in rem hanc incumbat. Non dies, neque noctes ab hac cogitatione auelli poteſt; non ſi comedat, aut bibat, aliud pectore agitat. Non ſua iam, ſed ſeipſum, ſanguinem & vitam pro Chriſtiana religione & imperio geſtit exponere. Supereſt, vt Cæſareus hic ſenatus expeditionem in Turcas indicat, efficiendamque ſuſcipiat. Expectat Romana eccleſia, vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ capita & membra, in ſereniſſimum hunc conuentum ſuſpiciunt. Si definitur nunc nihil, ſi in alium conuentum differtur, confundemur omnes in expectatione noſtra. Caucte ne dilatio hoſti componendi cum Perſis, finitimisque aliis tempus præbeat, Germanos principes linguarum morſibus exponat, Chriſtianisque populis deſperationem inducat. Animaduertite grauiſſime iſtum conuentum fundamen eſſe, ſuper quo tanta moles expeditionis erigenda eſt. Contantibus qnippe vobis, Chriſtiani principes reliqui retrahent proculdubio animum, & manum ab hac expeditione; *ſi Germania* (aiunt) *cuius primum intereſt, quia Romani Imperii dignitate gloriaque illuſtratur, cui Eccleſiæ defenſio eſt tradita, verba dat, deque conuentu in conuentum definitionem transfert, quid nobis agendum ſit diſcimus facile ab exemplo.* Sicque veſtra Chriſtianæ reipublicæ mora (quod abſit: ruinam pariet. Cauſabuntur multi abſentum liber- p. 393
tatem, *Jureiurando* (aiunt) *noſtris tenemur Eccleſiis, nihil contra earum commoda illis inconſultis agere, non eſt nobis delegata poteſtas abſentes colligendi. Ibimus illos conſultum atque hortatum, referemus deinde altero in conuentu.* Verba (cum bona iſtorum venia dixerim) ſunt hæc non multum diſſidentia ab inficiis. Impoſſibilia à nobis petit nemo, fidem violari horremus, quam & hoſti ſeruandam eſſe didicimus. Quod veſtra intereſt, & quod in veſtra ſitum eſt poteſtate, poſcimus decerni, ſcilicet nunc expeditionem in Turcas, definire modum comparandi nummos nullius cum iniuria. Jureiurando demum ſpontaneo præſentes aſtringi, *daturos ſe bona fide operam, vt heic definita exequutioni demandentur.* Non ſunt hæc contra iusiurandi cultum. Non excedunt hæc veſtræ limites poteſtatis, non obſunt hæc abſentum libertati. Tollite itaque moras, ſemper nocuit differre paratis? Anno parata ſunt omnia ad expeditionem indicendam, quando vniuerſa oblata ſunt? Quid amplius enim à Romana Eccleſia exigitur? Quid vltra ab externis petitur, quando ſe, & ſua omnia dedunt? Felix initium ſereniſſimi Caroli Regis, feliciore nos auſpicio trahat. Turcarum imperium ille adhuc adoleſcentulus nuperrime in Aphrica extinxit, pellite vos Europa. Nec longe adſunt Maxima quæque præmia. Etenim cupidine gloriæ ardet animus, numquam honeſtior, numquam facilior ad ſummam gloriam via vobis patuit. Capeſſentibus quippe Germanis expeditionem in Turcas, ſi quæ à nobis dicta ſunt, fient, ſuprema vos belli auctores & duces gloria manet. Sin vero (quod DEus nolit) irrita eſſe contingat, parta iam vobis in dicta expeditione gloria, integro apud eos ſplendore fulgebit, nullo accepto incommodo. Si regnum appetitur, de propagando veſtro imperio agitur, ſi terrarum orbis non ſufficit, paratum vobis à conſtitutione mundi cœleſte regnum adeſt. Si in ius cauſa deducitur, aſtricti eſtis pro Chriſti nomine ac fide bellum inire, quandoquidem prior ipſe Rex Regum aereas proprio ſanguine ac cruce poteſtates debellauit, vt nos de perenni captiuitate in libertatem filiorum Dei referret. In manu igitur veſtra populorum libertas atque ſalus cum poſita ſit, exaudite benigniſſimi Principes, nos Apoſtolico nomine pro vniuerſa eccleſia ſupplicantes. Miſeremini ſimul tam vaſtæ multitudinis, absque Baptiſmi gratia in æternæ mortis interitum præcipitis. Si quod vni ex minimis ſit factum, ſibi factum cenſet Chriſtus Dominus, quanti facturum putatis illum, quod innumeris ſuis Eccleſiis tam ingens beneficium collatum fuerit. Vobiscum igitur

quia

quia partiri curas, & rerum molem ſummus Chriſti ouium paſtor deſiderat, ab vtrisque par eſt, vt oues protegantur, & lupi arceantur, ab illo cruce, à vobis gladio, quo ſub vtraque protectione quietam & tranquillam vitam tranſigamus. DIXI.

DISSUASORIA.

SI vnquam Germaniæ principibus prudentia, conſilio, concordiaque pro defendendo honore & omnium vtilitate opus fuit, Alemani proceres excellentiſſimi, in primis indigere mihi viderentur hoc tempore, quo in prædam Romanæ auaritiæ deputantur, ac dedecoroſam ſeruitutem, ita blande propoſitam, vt illâ homines priusquam intra viſcera penetrauerit, ſeſe captos non ſentiant; Eſt enim modus fallendi adeo vafer, vt his cæptis verſutiis (quid enim non excogitat auaritia?) exiſtiment acuti homines fraudem à nemine poſſe deprehendi, præſertim à vobis Germanis ducibus, quos cibo ſemper refertos, & vino madidos arbitrantur, & publice declamant; Et ob id ad decipiendum liberius aggrediuntur. Præbuerunt præterita tempora fallacibus hominibus conſtantiam in ſpe præſenti. Quando enim non eſt aſſenſum illorum malis artibus? Cum ſaltem adfuerit, qui vel mediocriter didicit fraudi fucum adpingere. Conſtat profecto, nullam partem Chriſtiani orbis ab huiusmodi prodigorum genere non eſſe eallide tentatam, multos Reges & Principes fraudulenter deceptos. Sed ſingula ſecum reputanti occurret, nullam gentem ſæpius illuſam habitamque ludibrio, ac noſtram. Non ô inclyta Germania, ad libros relego, vt geſta hominum cognoſcas legendo, ſatis ampla, quæ memoria huius ætatis tenet. Quo magis vereor, ne inſcitia temporis præteriti ſucceſſum præbeat malo incumbenti. De quo breuem tibi Germania ſermonem ſubiiciam; quanquam nil noui à me audies, quod per inclytos tuos principes non melius noris.

Quadriennium habitum Romæ conſilium, primum de republica Chriſtiana: quanquam legitime Jurisperiti & Theologi diſputent: nondum erat finis, tamen de colligendis Decimis omnium aſſenſu decretum eſt. Volutus erat lapis ad locum ſuum. Placuit ergo, reiecto reliquo negotio, tanquam parum vtili, inuocato ſancto Spiritu, concilium dimittere. Gratiæ agendæ Deo, per quem operationes noſtræ incipiuntur, & cœpta recte finiuntur. Porro impium eſt, quod Concilio placuit, id putare diſplicere Deo, quo hæc aguntur auctore. De pace agitur inter Reges, qua firmata, viſum omnium ſuffragiis Aſiatico hoſti coniunctis viribus bellum inferre. Euomuntur è veſtigio quatuor legati (niſi ob quintum collegium & ob computum errauerim) ad nationes Chriſtianas, vt Reges & principes ad expeditionem inſtigent, ipſi vero pecuniam mulgeant. Quibus forte dicebatur: Ite in orbem vniuerſum, prædicate dicentes: *Qui crediderit, & Decimas ſoluerit, ſaluus erit.* Quorum nuper, cum Bononiæ eſſemus, tres ingredi vidimus tanta pompa atque apparatu, vt ſapientes ad eorum errorem allicerent. *Dilatate inclyti Germani imperium Chriſtianum. Frangite vires hoſtis impuriſſimi. In hoc omnibus neruis incumbite, quo nomen Chriſti extendatur.* Res pia & ſancta eſt, vt à nemine poteſt deprehendi, niſi quis malit Turcæ, quam Chriſto ſeruire. Verum ſub hoc prætextu per hanc fictam pietatem, ſub hoc vmbrato nomine explorare imperitiorem populum, ſugere lac gentium, inebriari mammona Regum, dico ſcelus multo eſſe probabilius, quam quæ à Turca inferuntur. Non quod tanti faciam pecunia priuari: (quam ſceleratus citius quam probus habere poteſt:) ſed quod nullo pacto ferre debemus, quantum in nobis eſt, quod Angelus Sathanæ transfiguret ſe in Angelum lucis, & poculo pietatis propinet impietatis venenum; vt populus ſe rem ſacram facere Deo exiſtimet, auaritiæ ſacrificet, quæ mater eſt falſæ religionis. Falli, errare, labi, decipi, vbique turpe eſt, per religionem vero turpiſſimum: quam vnam nobis contra noxios mores contulit diuina bonitas. Hæc abſolu-

p. 394

tam artem pietatis nobis proponit. Primum, Deum amare omnibus viribus, ptoximum deinde vt nos ipſos. At quando illum amabimus, cum videmus eius ſacroſancta præcepta manifeſte pollui. Nec tamen occurrendo, ſed potius conniuendo opem ferimus impietati. An ille proximum ſyncere amat, qui in incommodo illius remouendo nihil eſt occupatus? Nolo amicum nihil ſolicitum de ſalute mea. Inimicus mihi habeatur, qui à me non propulſet iniuriam, ſi poteſt: & tamen illa non legimus, non audimus, ſed quotidie fieri videmus, nullo hominum præluctante, ſed vel patientes ad omnem ignominiam, quaſi non potius contumelia ſit Deo, quam obſequium, ſtulta patientia. Vtinam tam facile poſſint iſta euitari, quam reprehendi. Et principes noſtri nollent perpetuo conniuere; ſed tandem aliquam partem, ſi non totum, peruerſæ conſuetudinis præcidere. Quanto æquabilius res tam prophanæ quam ſacræ ſe haberent. Ego enim ſic exiſtimo, imperia his artibus melius retineri, quibus acquiruntur. At imperium Chriſtianum non armis, non gladio comparatum eſt; ſed pietate & optimis exemplis viuendi. Quæ poſtquam paſſim abierunt, omnia bona retro lapſa ſunt. Multa imperia perdidimus, quoniam artes, per quas parta erant, non retinuimus. Amiſſa eſt pietas, retinuimus nomen. Salutamur in vita Sanctiſſimi, & poſt mortem nemo nos dignatur nomine ſanctitatis. Ab hac parte paulatim cœpit proſerpere virus exitiale. Deinde cæteri proceres ſequuti ſunt non ſegniter. Ergo mirum non eſt, quod à nobis alienatur cœleſtis ſauor, & nos non cognoſcit amplius, atque prædæ relinquit improbo hoſti. Pontifices vero Romani poſtquam cœperunt prophana cum ſacris coniungere, imo relictis ſacris ſolum prophana admirari, quam bene conſultum fuerit reipublicæ Chriſtianæ, quam bene placuerit ſuperis ipſorum inſtitutum, euentus comprobauit. Amiſſis externis, interna infinitis ſeditionibus conturbantur; Diuina deſpiciuntur, venditur Chriſtus, lana ouium tondetur, de cuſtodia ſtudium nullum. Omitto hic Hiſpaniam, Gallias, Orientem cum occidente, quantum pro palliis, ſimilibusque figmentis, ætate duorum Principum Friderici & Maximiliani, vna effudit Germania? Si Roma, vt inſtitutum eſt, in fiſcum collegiſſet, vel Germania (veluti par erat) in vnum contuliſſet, haberemus iam neruos Reipublicæ abunde ſufficientes bello Aſiatico: Nec opus foret orbem iam fatigare Chriſtianum, & nouis onerare (ne dicam exenterare) eius quotidie pauperes tributis, & ex eo errore pauperes facere.

Prouenit Pontifici ex ſua terra vectigal, quantum nulli Regum Chriſtianorum: & tamen Pallia emimus, & tamen aſinos auro onuſtos Romam mittimus, patibula Chriſti erigimus, munera promittimus, aurum pro plumbo mutamus, negligentias (hem lapſo calamo) indulgentias paſſim admittimus. O auaritiam immenſam carentem fundo, canum impuriſſimorum neſcientium ſaturitatem, vt eſt apud prophetam Danielem: Certe emere pallia ſanctum duco, modo id proſit aut pietati, aut valeat ad conſeruandam communem vtilitatem. Sed cum vtrumque horum tot ſeculorum experientia refutet, & Pallia tantum extiterint ſimulata inſtrumenta perdidiſſimæ auaritiæ, ſurgat iam aliquis, aut iuſtam cauſam dandi proferat in medium, qui timeat pontificis fulmen. Probus Epiſcopus aliquis, concordiâ fratrum, puraque conſcientia electus, non faciet puto, ſed concupiſcens multis mediis aureorum emere Romanum centonem. Non probat Paulus Apoſtolus, qui nos deſerant, qui in faciem cædunt, qui nos in ſeruitutem redigunt. Quandoquidem non Chriſtianam charitatem, ſed meram tyrannidem illi præ ſe ferunt, foris facto fuco in pellibus ouium, intus lupos rapaces agunt. Mihi iuſtus dolor eſt, ob nefariam auaritiam totum mundum ſub vmbra religionis pollutum. Quem enim locum, quantumuis obſcurum illa contagione non contaminatum oſtendas? Quæ respub. non multa amiſit? Qui princeps ius auctum ſeruat integrum? Quæ ſacerdotum collegia non ſunt contaminata? Quis peſſimos mores (nomen apud noſtros maiores abhorrendum) induxit in Germaniam? & quæ honeſte nominari non poſſunt, docuit?

Pallia Romæ empta.

p. 395

cult? Qui fœdarunt hominum ſocietates? Qui norunt egregie fallere, decipere, peierare, teſtamenta ſupponere, diuina & humana prophanare, miſcere lites, quietos perturbare, denique cœlum cum terra confundere? Nonne Romana, Italicaque proluuie iſta ſentina ſeſe in orbem terrarum effudit? Adeo vt ne ſaltus & ſyluæ, vbi luſtra ferarum tantum eſſe dixeris, hoc malo careant. Epiſcopos merito ſacroſanctos eſſe dicimus, ſed prodeant, quibus eſt illæſa ſua auctoritas. Et hunc veluti bonum valde, & rarum merito ſuſcipiemus. Non ſunt longe petenda exempla. Sermoni meo concordant res veſtræ. Sed quid ego iſta commemoro, quæ declamationis exempla ſuperant? Ad inſtitutum ſermonem redeo. Turcam profligare vultis. Laudo propoſitum: ſed vehementer vereor, ne erretis in nomine. In Italia quærite, non in Aſia. Contra Aſiaticum quisque noſtrorum Regum, pro finibus ſuis defendendis, per ſe ſatis eſt. Ad alterum vero domandum, totus orbis Chriſtianus non ſufficit. Ille cum finitimis quoque tumultuans, nobis nondum nocuit. Hic vbique graſſatur, & ſanguinem miſerorum ſitit. Hunc Cerberum nullo modo ſedare poteſtis, niſi aureo fluuio. Nihil armis, nihil exercitu opus eſt. Plus valebunt Decimæ, quam equitum turmæ, & militum copiæ. Duplex mihi videtur via propoſita, dum rem diligentius conſidero. Vnam quæ iubente ſuperſtitione, aurum petit: Altera renuentibus Pontificis fulmen minatur. Vtram vultis ingredimini. Sed ô ſtultam & ſuperſtitioſam opinionem credentium, cœleſte numen, omnia æquis oculis intuens, ad nutum Florentinorum flecti & reflecti: iraſci non danti, & rurſum largienti placari. Non eſt Chriſti vicarii fulmen contemnendum, ſed non ſemper ad illius iactum pertimeſcendum, præſertim cum res agitur pro humanis affectibus. Chriſti indignationem vereor, Florentinorum non vereor. Jam vero Florentiæ negotium agitur, non Chriſti. Superiori æſtate ſumptu non debili bellum geſtum eſt contra Franciſcum ducem Vrbinatem, quo regno eiecto, ſed prius placato aureâ gratia, Laurentius Medices in locum ſucceſſit. Ibi non ſatis prouidus fuit Julius II. Quod non plus auri reliquit. Ergo inuenta fuit quædam fraus noua, quicunque plura dare potuerint Cardinalium, hi inuenti ſunt conſpiraſſe in necem Pontificis. Horum bona fiſco ſcribebantur. Subſequuta eſt diſcordia Fratrum cordigerorum: quæ quantum lucri attulerit rabulis Florentinis, rem pro voluntate in omnes partes flectentibus, quid attinet narrare, cum fidem ſuperet largitio mendicorum. Non libet narrare erectas cruces Saluatoris per cuncta oppida, ad menſuram dantis propitias. Prætereo ſcenam de æde Petri, & riſus, & indignationis plenam. *Templum Domini, templum domini, templum domini* clamat Propheta, ſed non eſt templum Domini. Laurentius ædificat, non Petrus. Lapides noctu migrant. Nihil ſic fingo, electiſſimi principes Romani imperii. Orbis quid ſolicitatur pro æde Petri, in qua duo tantum opifices operantur, & alter claudus, niſi quod nuper in frequentia peregrinorum concitabatur tumultus artificum, currebatur, clamabatur, videbantur ſtulti, & picti Angeli excipientes munera largientium, ferentesque in ſublime. Ridere poteratis mecum commoti ob præſtigias aucupii. Sic riſit olim venerabilis pater Cyprianus præ indignatione, viſo Chriſto pedibus & auribus aſininis depicto. Deflere libet fortunam ſeculi corruptiſſimi, ob ſupremam negligentiam Epiſcoporum atque Principum, permittentium populum ſuum ita nequiter decipi. Omnes illas artes inuenit fraus Florentina, & propediem nefandiores excogitabit. Animaduertite modo. Quisque modo dies nouam pariet curam. Tuetur; ne corpus Pontificis craſſum immaturâ morte perturbet conſilia. Fugato duce Vrbinate, ſimilem fortunam minatur Principi Ferrarienſi. Quo pariter eiecto, regnum conſtituemus, & Regem Thuſciæ ſalutabimus Laurentium Medicem ciuem Florentinum. Sed quia noſtra fortuna mirabilis eſt, & citius poteſt mori Leo decimus, quam iſta optatum finem conſequantur: & fieri poteſt, vt Leonis ſucceſſor diſcedere cogat Laurentium ex alienis regnis: Ideo contra

aduerſum

aduerſum aduentum ducenda eſt vxor Laurentio in Gallia cuiusdam potentis Ducis filia, emendusque ibi principatus, parandum aduerſus fortuitos caſus præſidium, ſicut decet ſapientem virum duobus regnis profugum. Facta emptio, ſignatæ tabulæ, dati fideiuſſores. Satis diu Medices fuimus; Principum, p. 396
Regumque fortuna ambienda eſt. Habetis iam breuiter caput Decimarum, & inſidias Turcæ, duce ſuperſtitione in viſcera veſtra latrocinatis. Quamobrem reſiſtite nefando conatui. Nolite aſſentiendo contaminari impietate: quod rectum eſt, quod ratio ſuadet ſequimini. Si natum eſt lumen vultus tui Domine ſuper nos, illud errare nolentes non ſinit. Mementote vos eſſe Germanos, hoc eſt populum ante alios naturâ liberiorem, ſicut hoſtes veſtri de vobis ſcripſerunt. Nolite alicubi eſſe vectigales, ante omnes vero Florentinis. Proferant ſe in iudicium noſtri Epiſcopi, indignum ſeruitutis iugum à ceruicibus ſuis abiicientes. Sed verentur omnes, muſſitant quidem, quod dicere non didicerunt, alii metu fulminis, non nulli ſpe noui honoris. Vnus omnium mihi venerabilis Laurentius * ſeſe erigit, qui ſæpenumero grauem imbrem conſilio & prudentia ſua à repub. Franconica amouit. Atque ideo coronâ aureâ merito laureandus: Auguſtiore vero, ſi hanc quoque tempeſtatem remouerit. Ad quem honorem ſtudium omne conuertat alacriter diuino monitu. Nos, qui ab eo ſacerdotum collegio decorati ſumus, audentius deprecari volumus, Oremus pro pontifice noſtro. Dominus conſeruet eum, & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in manus inimicorum eius. In manus inimicorum traditur, quando audire contemnit eum qui dicit: *Ego Dominus amans iudicium, & odio habens rapinam*, qui ſit in ſecula ſeculorum benedictus. Amen.

* *Laur. de Bibra. Epiſc. Herbipol.*

FINIS ORATIONIS VDALRICI (UT FERTUR) HUTTENI.

JACO-

705

JACOBI MANLII
HISTORIA
COLLATÆ CARDINALITIÆ DIGNITATIS IN ALBERTUM MOGUNTINUM.

Digitized by Google

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

Nter ſeculi XVI. Scriptores diuerſi reperiuntur, qui Manlii nomen ferunt, ex quo haut exigua oritur eorundem confuſio. Reperitur enim Maximiliani I. temporibus Jacobus Manlius, ſiue Manilius, Brigantinus Doctor,* qui nomen ſibi peperit Chronico Epiſcopatus Conſtantienſis, quod Brigantiæ anno 1519. abſoluit die XIX. Auguſti, primus in lucem protulit Jo. Piſtorius.** Sub finem ſeculi XVI. viuebat Jacobus Menlius, qui iuſſu Maximiliani II. vt ipſe in procemio ſtatim teſtatur,*** conſcripſit de Diui Maximiliani II. Rom. Imp. Maioribus vita pie defunctis libellum.**** Vtrosque confundit Jo. Ludouicus Schönleben***** & cum noſtro Jacobo eosdem fuiſſe putat. Aſt, licet non plane denegare auſim, priorem Manlium, Conſtantienſis Chronici Scriptorem eundem eſſe cum hoc noſtro, cum eodem tempore vixiſſe videantur: idem tamen de poſteriori Menlio minime erit dicendum, qui vel integro ſeculo poſt priorem illum vixit. Erat iſte JACOBUS MANLIUS Friburgenſis ex Brisgouia, Juris Doctor, Maximiliani I. Imp. Conſiliarius & Hiſtoricus, qui iuſſu Maximiliani I. perluſtrata omni Germania, perquiſitisque litterarum documentis, ipſi decem libros exhibuit, magna voluptate ab ipſis exceptos. Hic Princeps ſententiæ, quæ Habsburgicos a Francis ducit, quem deinde plures fuerunt ſecuti.****** Videtur hoc ſcriptum eſſe, de quo Lambecius: ******* *volumen chartaceum in folio oblongo, quo continetur Jacobi Menlii,* ******** *ſeu, vt alias*

* De hoc Voſſius *de Hiſtor. lat. lib. III. p.* 651.

** Inter Scriptores Rer. German. Veteres VI. *p.* 615.

*** Sic enim ſcribit: *cum mihi Doctori Jacobo Menlio hoc negotii dediſſet potentiſſimus Rom. Imp. Maximilianus II. ſemper Auguſtus, vt luſtratis vniverſis monaſteriis & collegiis, euolutis omnibus annalibus inſpectis cunctis ſepulchris & Epitaphiis, aliisque variis monumentis obſeruatis, colligerem. &c.*

**** Prodiit Georgii Barreutteri ſumptibus, *Auguſtæ* 1593. 4. liber perquam rarus.

***** *De Domus Habsburg. Orig. Proleg. P. I. c. IX. p.* 96.

****** Hæc nos docet Fuggerus *Speculo Honoris lib. I. c. II. n.* 1.

******* *Comment. de Bibl. Cæſar. lib. II. c. VIII.*

******** Hic Lambecius in margine: *in fine eiusdem Voluminis ſubſcripſit ipſe nomen ſuum hoc modo, Jacob Memel D.*

alias apellatur, Manlii, Chronologia Imperatorum Romanorum Germanica, propria ipſius manu exarata, & Imp. Carolo V. tunc temporis adhuc Archi-Duci tantum Auſtriæ peculiari quadam Præfatione An. 1513. dedicata, cuius titulus Kayſerart. De eodem Opere ita iudicat Friſius: * *Jacobus Manlius ſcripſit vitas Imperatorum & Pontificum, in quibus hæc ſeptem indicat: Annum quo imperium acceperint, Progeniem & nomen, Morum proprietatem, Tempus quamdiu regnarint, Ætatem quamdiu vixerint, Genus mortis, rerum geſtarum magnitudinem.* De eodem in vita Maximiliani loqui videtur Cuſpinianus, ** dicens: *noctu autem, quia graui inſomnio laborabat, audiuit Jacobum Manlium res ſuas & maiorum ſuorum geſtas prælegentem quibus oblectabatur: erat enim & hiſtoriarum ſtudioſiſſimus. Et cum familiam ſuam præclaram Auſtriæ, diu in tenebris obſitam ac iacentem, in lucem reduxiſſet, afficiebatur plurimum, ſi in pulchram redacta ſeriem ſcripta ei prælegebantur.* Singularis autem eſt, hæc, quæ nunc exhibetur, Hiſtoria. Dum in Comitiis Auguſtanis Cal. Auguſti 1518. Leo X. Papa per legatum ſuum, Thomam Caietanum Albertum Moguntinum Archiepiſcopum ex Brandenburgica ſtirpe Cardinalis dignitate ornaret, & Maximiliano gladium pileumque conſecratum mitteret, cuius cæremonias hic prolixius deſcribit. De quo etiam Fuggerus *** & Stengelius **** teſtantur.

---

* Bibliotheca, voce *Jacobus Manlius.*

** *Pag.* 491.

*** *Spec. Honorum lib. VI. c. XIX. p.* 1359.

**** Rer. Auguſt. P. II. c. LXIV. *in iisdem Comitiis Albertus Brandenburgicus Moguntinus Archiepiſcopus, Auguſti Cardinalis inauguratus eſt cæremoniis & ſacris in ea re conſuetis.*

P.397 # JACOBI MANLII FRIBURGENSIS, CÆSAREI HISTORIOGRAPHI ET CONSILIARII HISTORIOLA DUORUM ACTUUM AN. M. D. XVIII. AUGUSTÆ HABITORUM. I. INVESTITURÆ CARDINALITIÆ DIGNITATIS ALBERTO BRANDEBURGICO ARCHIEP. MOGUNT. COLLATÆ. II. GLADII ET PILEI PER PONTIFICIS LEGATUM MAXIMILIANO IMP. DONATI.

Ad Reuerendiſſimum in Chriſto Patrem, & Illuſtrem Principem, Fabricium de Carreto, ex Marchionibus Finalis, Sacroſancti Militaris ordinis beatiſſimi Joannis Baptiſtæ, magnum magiſtrum Rhodi, &c. Jacobi Manlii Friburgenſis Brisgaudii doctoris, diui Maximiliani Cæſaris Auguſti Hiſtoriographi & Conſiliarii, &c.

EPISTOLA.

QUEMADMODUM *fortiſſimi olim fratres Machabei, veri Dei cultores contra turpiſſimos idololatras diuinique cultus contemptores acerrime pugnare ſolebant: ita nunc ſtrenuiſſimi fratres militaris ordinis ſancti Joannis Baptiſtæ præcurſoris Domini veræ fidei defenſores contra ſpurciſſimos Catholicæ Eccleſiæ hoſtes pugnare ſolent. Quo fit vt terra marique non altior fortuna eis arridere poſſit, quam cum duos gladios, quorum Saluator in Euangelio meminit, ſibi in auxilium venire ſenſerint. Quapropter Reuerendiſſime in Chriſto pater & princeps digniſſime, in omnipotentis Dei conſeruatorisque noſtri, ac omnium cælitum laudem & honorem, ac denique nobiliſſimæ & bellicoſiſſimæ Germanicæ nationis decus, atque perpetuam rei memoriam, tuæque R. P. & optimorum fratrum tuorum gaudium atque incrementum, hoc de præclariſſimo atque in Germania rariſſimo munere, quo ſanctiſſimus Leo decimus Pontifex Maximus Diuum Cæſarem Maximilianum Romanorum Regem & Chriſtiani nominis Imperatorem Auguſtum, nec non Albertum miſeratione diuina ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ tituli S. Criſogoni presbyterum Cardinalem, Sanctæ Moguntinæ ſedis, & Magdeburgenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, ſacrique Romani Imperii per Germaniam Archicancellarium, Principem Electorem & primatem, Eccleſiæ Halberſtatenſis adminiſtratorem, Marchionem Brandeburgenſem, Stettenſ. Pomeraniæ, Caſuborum & Schlauorum Ducem, Burggrauium Nurembergenſ. ac Rugiæ Principem, ad Chriſtianæ Reipublicæ augmentum decorauit, familiari ſtylo hiſtoriam conſcribere placuit.*

HISTORIA.

PAteat igitur R. P. tuæ, vt feliciſſima poſt feſtum Pentecoſtes Dominica nona, quæ anni milleſimi quingenteſimi decimi octaui primus dies Menſis Auguſti erat, Apoſtolicæ commiſſioni ſatis faciendi cauſa. Reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Thomas tituli S. Sixti presbyter Cardinalis, ſanctiſſimi Leonis decimi Pontificis Maximi Legatus à latere, vir quidem omni virtutum genere cumulatiſſimus, circa ſextam eiusdem diei horam ante meridiem, in ciuitate Auguſtenſi Palatium vna cum familia pedes exiens, & reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus Matthæus S. Angeli ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Diaconus Cardinalis, Gurcenſ. Princeps, Coadiutor Salisburgenſ. ac Apoſtolicæ ſedis in Germania Legatus de latere, collega ſuus, Reuerendiſſimi in Chriſto patris & principis Alberti, noui Cardinalis, &c. ædes pedeſtres petierunt: quo per dictum principem comperto, mox illis ad fores vsque obuiam venit, eosdem dulciſſime ſuſcipiendo: & deinde omnes tres vna ſimul earundem ædium facellum intrauerunt, ibique ſupranominati Reuerendiſſimi D. Legati à dicto Cardinali ſummi Pontificis nomine iuramentum, quale ſingulis ad Cardineum apicem tranſcendentibus præſtari ſolet, receperunt. Quo facto eiusdem noui Cardinalis cancellarius, vir quidem multa laude dignus, palam voce alta ſanctiſſimi domini noſtri breue ad prælibatum Cardinalem miſſum legit, cuius tenor de verbo ad verbum eſt, vt ſequitur.

LEO PAPA X.

DIlecte *fili noſter: ſalutem & apoſtolicam benedictionem, fraternitatem tuam,* p.398 *quæ ex illuſtri Brandenburgenſi proſapia & in Germania vetuſtiſſima magnique ponderis familia ortum ducit, quæque clariſſimorum progenitorum ſuorum ſancta veſtigia ſecuta de nobis ſanctaque Apoſtolica ſede bene mereri ſemper ſtuduit, ad ſummum Cardinalatus honorem, quo nullus maior à Chriſti vicario concedi poteſt, & ipſam per ſe digna, & à chariſſimo in Chriſto filio noſtro Maximiliano E. Imp. nobis per literas ipſius: & nuncios ſæpe ac vehementer commendata promouere ſtatuentes: id vt nacta temporis atque rerum oportunitate faceremus. Ex quo noſtro deſiderio & tuæ fraternitatis dignitati atque decori magis conſultum videretur: ea nunc nobis viſa eſt huius temporis non ſolum commoda & honeſta, ſed etiam laudabilis occaſio, in qua de expeditione ſanctiſſima contra ſalutifera crucis hoſtes agendum eſt: & fraternitas tua tanto honore ornata magis de nobis Chriſtianaque religione propaganda benemereri poſſit. Itaque hæc noſtra nunc de te promotio non ſolum grata, ſed etiam periucunda tibi longe magis eſſe debet: quod circumſpectionis tuæ fide, religione & deuotione erga nos & dictam ſedem exigentibusque tuis meritis & præclaris virtutibus te ſolum non in magno numero Cardinalem ereauimus. Nos quoque in bonorum omnium operum fatore, & te ſpem locauimus: quod ſi ante hac de nobis ſancta Apoſtolica ſede & republica Chriſtiana bene mereri ſtuduiſti, iam iam eo maiore alacritate animo tuo officio atque noſtris piis deſideriis ſatisfacere poteris, quo hoc ſacratiſſimo digniſſimo munere ornatus eris. Te igitur ad omnipotentis Dei & totius curiæ cæleſtis laudem & gloriam, perſonæque tuæ ornamentum, clariſſimæque Marchionum Brandeburgenſ. proſapiæ perpetuum decus & amplitudinem, hac die 24. Martii in conſiſtorio noſtro ſecreto de aliorum venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio pariter & aſſenſu in Cardinalem ereauimus. Supereſt, vt tu qui ex Moguntinenſi Elector imperii, & Magdeburgenſi eccleſiis Germaniæ primas, in Eccleſia & agro domini magnus & dives eras atque es, nunc Cardinalatus onere atque honore decoratus, quid dignitas ea ſibi velit, quid DEus ipſe abs te poſtulet, intelligas: & ſedulo mediteris, quid te deceat: atque etiam dilectum filium noſtrum Thomam tituli S. Sixti presbyterum Cardinalem legatum noſtrum de ſanctiſſima & perneceſſaria contra perfidiſſimos fidei noſtræ hoſtes & Chriſtianorum ſanguinem deletionemque ſitientes*

tes pertractaturum & nostro nomine curaturum, eiusque pias & optimas persuasiones & sana consilia, qua nostra sunt, audias: eaquoque executioni debitæ mandes: vt qua pulchrior totius orbis Europæ pars iam parua conspicitur, non solum diebus nostris ab impiorum manibus seruetur, sed illorum imperium sauaque potestas vel ad sanctam fidem conuertatur, vel eruatur. Qui vero nos & sancta piaque vota nostra sequentur, rectam viam ingressi, promissa felicitatis æternæ præmia consequentur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die 8. Maij, M. D. XVIII. Pontificatus nostri anno sexto.

Lecto breui, reuerendissimi domini Legati vna cum venerabili domino Felice Turphino Ceremoniarum magistro, viro quidem moribus ac literis ornato, ipsi nouo Cardinali cardineum rubri coloris habitum, quem vulgo cappam vocant, imposuerunt. Insuper vnanimiter sacellum ædesque egredientes, & medio nouo Cardinali R. tituli S. Sixti à dextris, & C. S. Angeli legati à sinistris, ad inclitissimæ beatissimæque Mariæ virginis Cathedralem ecclesiam Augustæ ibant. His quoque sic ingressis, cum dextera Cæsari dicata esset, ipsi siniſtram chori partem occupauerunt: vbi nouus Cardinalis primam, legatus vero tituli S. Sixti secundam, & S. Angeli Legatus tertiam occupauerunt sedes.

Cum itaque præfati C. P. Cæsaris aduentum prope esse perciperent, tunc C. ti. S. Sixti locum suum relinquens maius eiusdem chori altare accessit. Vbi mox missæ celebrandæ gratia se (vt fieri solet) accinxit. Et inter accingendum Sacratissimus Cæsar, & nonnulli principes tam Electores quam alii, ingenti comitatu dictæ ecclesiæ chorum petierunt. Cui sane Cæsari summa quadam dexteritate, S. Angeli Legatus, & nouus Cardinalis obuios se dederunt. Cæsar vero heros omni maior laude, postquam glorioſissimis gestibus ac moribus Moguntino principi tanquam nouo sponso congratulatus est, cum hilari fronte ad læuam accipiens vnaque chorum ingressi Cæsar dextrum illic supremum (vt debuit) aureis ornamentis locum fulgentem occupauit. Secundum vero Cardinalis Moguntinus. Tertium autem illustrissimus princeps Ludouicus comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ princeps elector. Quartum illustrissimus princeps Fridericus Dux Saxoniæ, &c. princeps elector. Quintum illustris princeps Casimirus Marchio Brandenburgensis. Sextum illustris princeps Friderieus frater Casimiri. Septimum illustris princeps Joannes Albertus alter frater. Octauum illustris princeps Joannes Comes prouinciales de Leuchtemberg. Nonum denique illustris Lotharingiæ Ducis Antonii oratores.

In alio vero latere ex oppoſito primus extitit Reuerendissimus S. Angeli
p. 399 Catdinalis Legatus de latere. Secundus vero Marinus Carractiolus sanctissimi domini nostri Papæ protonotatius, ad Sereniſſimum Cæsarem Nuncius, tertius R. in Christo pater illustrisque princeps Christophorus Archiepiscopus Bremensis & collegii Verdensis Administrator confirmatus, Dux de Braunſwig & Luneborgk. Quartus R. in Christo pater & prineeps Georgius Episcopus Bambergensis. Quintus R. in Christo pater & princeps Gabriel Episcopus Aichstetens. Sextus R. in Christo pater princeps Christophorus episcopus Augustensis. Septimus R. in Christo pater illustrisque princeps Joannes administrator Ratisponensis Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ. Octauus R. in Christo pater & illustris princeps Arnestus Administrator ecclesiæ Patauiensis Comes Palatinus Rheni vtriusque Bauariæ dux. Nonus R. in Christo pater princepsque Heinricus episcopus Ratzenburgensis. Decimus & vltimus R. in Christo pater & princeps, Petrus Bonomus Episcopus Tergestinus, Cæsareæ Maiestatis Consiliarius. His itaque principibus eo quo ostendimus ordine locatis, sedato populo, impoſitoque silentio, R. tituli sancti Sixti Legatus rem diuinam exorsus est. Domesticus vero eius sacrificulus ad altaris latus, vbi Euangelium legi solet, crucem: & à tergo Aulicus quidam ex illustrissima Vrsinorum familia ensem & Galerum seu galeam tenentes steterunt. In latere vero vbi epistola legitur, Magister domus ex legati fratre nepos, qui pro nouo Cardinali rubeum pileum

erecta

erecta tenuit manu. Deinde perfecta re diuina, cum verum ſit quod idem nouus Cardinalis ab Apoſtolica ſede XXIV. die menſi Martii proxime præterito Romæ in Cardinalium numerum receptus fuerit, Tituli ſancti Sixti Legatus eundem, habito prius ad ſacratiſſimum inuictiſſimumque Cæſarem & electores imperii aliosque Principes ſermone, ad Altare vocauit. Cuius ſermonis tenor talis eſt:

Sereniſſime Cæſar Leo X. pontifex Maximus Maieſtate tua intercedente præclarum proindeque in terris rarum opus nunc efficit, ſiunt ſæpe cardines orbis egregio aliquo ſplendore fulgentes. Verum hominem inueniſſe vnum omni ex parte probatum non facile. Aſciuit ſiquidem in ſacroſancta Romana Eccleſia presbyterum Cardinalem Albertum Moguntinæ eccleſiæ præſulem, primatemque Germaniæ gentis, fortunæ, corporis, animique bonis non mediocribus ornatum. Is namque illuſtriſſimus genere, corpore vegeto atque pulchro, ætate florida, ingenio, mentis acumine, ſacris literis, diuitiis, dignitate, poteſtate, auctoritateque præſtans. Continentiæ quoque religionis eccleſiaſticæ & reformationis radiis ſit ſplendet, vt luceat lux ſua coram omnibus hominibus. Accedit ad hæc quod dum Imperatoris ſummique Pontificis vnus atque idem elector excellit, & vos pontificii, & vos Cæſarei electoris gloria illuſtramur, commune itaque ornamentum, decus, atque beneficium communis lætitia comitetur. Surge igitur illuſtriſſime princeps, & obſeruandiſſime domine, & Cardineæ dignitatis inſigne tuis debitum virtutibus ſuſceptum veni.

Eo itaque veniente, & humiliter flexis genibus coram altari conſtituto, idem legatus, quid nam dignitas ea ſibi velit, quid DEus ab eo poſtulet, ac etiam quid eum contra truculentiſſimos fidei noſtræ hoſtes Chriſtianum ſanguinem perniciemque ſitientes, ac ipſius ſummi Pontificis nomine pro virili parte curare deceat, declarauit. Et cum ipſe ad ſingula propoſita ſe tanquam obedientiæ filium promptum atque paratum exhibuerit, Legatus caput eius pileo rubro decorauit: quo peracto nouus Cardinalis nouo apice inſignitus, in Faldiſterio ante altare, genu flexus perſtitit, donec canticum diui Auguſtini & Ambroſii per cantores Cæſ. maieſtatis (qui & totam miſſam ſolenniter cecinerunt) ſolenni ritu cum organis decantaretur; Deinde perlectis certis collectis & orationibus per Legatum ſedis Apoſtolicæ, nouus Cardinalis ſurrexit: & eum maxima tam corporis quam mentis præſtantia de altari ante diui Maximiliani Cæſaris aliorumque principum conſpectum venit, vbi de multiplici eadem die exhibito honore per doctiſſimum virum Laurentium Zcochen vtriusque iuris Doctorem dicti noui Cardinalis cancellarium, viua altaque voce gratias perſoluit hoc modo:

Maxime deceret, ſacratiſſime Cæſar, Reuerendiſſimi in Chriſto patres ac domini S. R. E. de latere legati, illuſtriſſimique principes, hominem ſumma eruditione ac non mediocri facundia præditum in hoc ſplendidiſſimo ac pene diuino veſtro conſpectu verba facere. In quo eſſet ea dicendi vis, ea loquendi copia, quæ Maieſtati veſtræ, rei magnitudini, & loci huius dignitati conuenire poſſet. Ego autem cum nihil harum rerum in me agnoſcam, iure vererer ne aut vicio mihi dari poſſit, aut temeritatis incuſarer: ſi vel mea ſponte, vel meo ipſius conſilio hanc prouinciam ſuſcepiſſem. Verum cum Reuerendiſſimi in Chriſto patris, Illuſtriſſimi principis & domini, domini Alberti ſanctæ Moguntinenſ. ſedis & Magdeburgenſis eccleſiæ Archiepiſcopi, principis Electoris, primatis, & nunc ſanctæ Rom. Eccleſiæ denunciati presbyteri Cardinalis auctoritas & voluntas me ad id coegerit, vt in præſentiarum gratias agere debeam; etſi hoc meam imbecillitatem longe ſuperat, quod & eruditiſſimi Demoſthenis & eloquentiſſimi Ciceronis oratio conſequi poſſit, tamen in ſacra Maieſtatis & Reuerendiſſimarum Do. veſtrarum clementia confiſus non temerario auſu, ſed magis obediendi voluntate: breui oratione ea perſtringam, quæ Reuerendiſſimi domini principis mei p.400

erga

erga ſacratiſſimam Maieſtatem, dominationesque veſtras Reuerendiſſimas grati animi teſtimonia argumentumque perhibeant: Prius autem quam id quod mihi in mandatis eſt peragam, vnum quod iamiam in mentem ſubiicit, paucis exponam. Reuerendiſſimum dominum & principem meum ampliſſimæ hunc Cardineæ dignitatis apicem minime ambiuiſſe, quoniam dominatio ſua Reuerendiſſima non clam habuit, maximum & laborem & animi ſollicitudinem ſibi adeptam dignitatem expoſtulare, exactamque pro tam locupleti tradito talento dandam ſibi eſſe rationem: non ignorans Cardinales ipſos in ſanctorum Apoſtolorum vicem ſuccedere, eademque ab ipſis requiri qua illi virtute multa præſtiterunt, cum autem ſua amplitudo S. D. noſtri liberaliſſimum & pientiſſimum in ſe animum perſpexerit, in ea dignitate ſibi deleganda, pro qua ſacra Cæſarea maieſtas plus ſtudii, quam dominus ille meus reuerendiſſimus animi, pro peculiari qua illum amplectitur clementia adiecit: voluit ſua reuerendiſſima paternitas hanc ſibi oblatam dignitatem, ſimulatque omnem curam & ſollicitudinem illi coniunctam modeſte agnoſcere ac amplecti, & tam officioſis amantibusque votis obtemperare. Igitur pro hoc immortali beneficio in primis Deo vni & trino, poplite flexo, non quas debet, ſed quas poteſt maximas agit gratias ſuaque nunquam ſatis laudata matri virgini, ac toti cœlitum coborti: eius ſummi Dei clementiſſimam maieſtatem deuotiſſime imploranſ, quo his diuinis muneribus atque ſuſcepti officii dignitati ad ſanctæ Catholicæ fidei ſuæ profectum ſatisfaciat, atque ac par eſt reſpondeat, propitius ſibi adeſſe velit: tum Beatitudini ſanctiſſimi domini noſtri & ſacræ Cæſareæ Maieſtati veſtræ immortales dicit & habet gratias, quod D. ſuam reuerendiſſimam hoc ampliſſimo munere ornare dignatæ ſunt. Quicquid enim ſua reuerendiſſima D. vel honoris vel dignitatis ex hoc conſequuta eſt, id totum Sanctitati & Maieſtati veſtris, vobis reuerendiſſimis dominis de latere legatis, ac ſacroſancto ſenatui tribuit, quod D. ſuam reuerendiſſimam in ſplendidiſſimum ordinem ſuum aſciri, alboque ſuo præclariſſimo conſcribi annuerint: offerens ſe omneque ſtudium ſuum & beatitudini Pontificis, & ſacræ Cæſareæ veſtræ Maieſtati, veſtrisque dominationibus reuerendiſſimis ex animo propenſum, precaturque vt DEus Opt. Max. & beatitudinem Pontificis, & ſacram veſtram Cæſaream Maieſtatem, vos atque ampliſſimos reuerendiſſimos dominos legatos, pro ſacroſanctæ Eccleſiæ ſuæ beneficio & amplificatione dierum longitudine & omni bono replere, atque poſt exutam carnem immortali corona pro ingentibus meritis & glorioſis actibus coronare dignetur.

Qua gratiarum actione finita Cæſareæ maieſtatis nomine per Reuerendiſſimum principem Petrum Bonomum ita reſponſum fuit.

Non erant, reuerendiſſime in Chriſto pater ac princeps illuſtriſſime, ſacratiſſime Cæſarea Maieſtati à reuerendiſſima P. V. agendæ gratiæ, quod ea apud ſanctam Apoſtolicam ſedem huic ſuſcepta ſuæ dignitati partes ſuas adhibuerit, quodque ſe licet inuitam & detrectantem ad Cardinalatus apicem ſuo ſtudio, ſua induſtria & auctoritate prouehi curauerit. Licet enim veſtra reuerendiſſima P. ſua ſingulari modeſtia eum honorem effugere, ac tanti cardinis ornamenta euitare conſtituiſſet. Arbitratus eſt tamen Cæſar, non parum officii ſui intereſſe non id tantum perpendere quod erat modeſtiæ veſtra reuerendiſſimæ P. proprium, quam quod erat imperialis ac Cæſarei culminis peculiare, & non quod ipſa modeſte renuebat. Sed quod religio, quod ſanctimonia, quod frugalitas, quod cetera dotes & virtutes eius expoſcere videbantur, id totis viribus proſequi ac procurare niterctur. Quidquid igitur à ſanctiſſimo domino Leone X. Pontifice maximo, quidquid à ſacro Cardinalium collegio in reuerendiſſimam P. V. collatum eſt, id non ſtudio, non auctoritati ſacratiſſimæ Cæſareæ Maieſtatis, ſed virtutibus & meritis eius eſt conceſſum. Ea igitur ſibi conceſſa merito dignitate in annum felix ac ſoſpes perfruatur, non tantum pro ſuo honore: ſed pro vniuerſa Chriſtiana reipublica commodo: & in æternam laudem ac gloriam totius Germanicæ nationis: ſibi hoc de Cæſare perſuadeat, quod ſi etiam nullis progenitorum ſuorum ac

illuſtriſſima ſua proſapia meritis inuitatus eſſet, à quibus ſe maximis commodis & honoribus exornatum profitetur, poterat tamen ſolius veſtræ reuerendiſſimæ P. intuitu ad multo maiora permoueri. Cui etiam in poſterum pro honore & dignitate ſua conſeruanda adaugendaque omnem opem, induſtriam, & auctoritatem perpetuo pollicetur.

Poſtea dominus legatus quasdam literas Apoſtolicas manibus ſuis in publicum protulit & Cæſari Auguſto honorificentiſſime tradidit: quæ tunc clara voce per eximium iuriſconſultum Jacobum Spiegel Cæſareæ Maieſtatis ſecretarium & conſiliarium lectæ fuerunt, quarum tenor ita ſe habet.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO p.401
MAXIMILIANO, IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO, SEMPER AUGUSTO.

LEO PAPA X.

CHariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Venienti ad Maieſtatem tuam dilecto filio noſtro Tho. tituli S. Sixti ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbytero Cardinali noſtro & ſedis Apoſtolicæ de latere legato, ob eas cauſas quas ad vniuerſam ſalutem Chriſtiana reipub. pertinentes, per alias noſtras literas, & eo ipſo Cardinali interprete tibi ſignificauimus, non putauimus alienum, enſem & pileum præclaro & ſolenni anniuerſario natali domini noſtri JEſu Chriſti nocte noſtris manibus conſecratos idem legato tradere tibi conſignandos: quanquam non ſumus ignari, maieſtatem tuam hoc excellenti munere à Romanis pontificibus ſæpenumero iam honeſtatam fuiſſe: ſed cum argumentum huiusce doni miſterium contineat eccleſiaſticæ poteſtatis, cuius tutela ac defenſio tibi præcipue incumbit, vt qui ſanctæ Eccleſiæ aduocatus exiſtis: voluimus nos quoque in hoc nunc munere noſtrum excitare: & virtutis tuæ iudicium & egregiæ in fidem Chriſti voluntatis teſtimonium: quum præſertim nullo vnquam tempore iuſtius quam hoc, quo Chriſtiana reſp. impiis conatibus crudeliſſimorum hoſtium in diſerimen vocata tuam pietatem, ſapientiam, tuam auctoritatem animique magnitudinem maxime requirit, huiusmodi ſacroſancta arma maieſtati tuæ data fuerint ac donata. Ac ſemper quidem te pro amplitudine auctoritatis tuæ accinctum gladio eſſe decuit ſuper femur tuum: vt eſſes promptus ac paratus tum coercere improbos, tum bonis præſidio eſſe, vt eſſet in tua præſtantiſſima dignitate, & tutela æquitati, & iniuriæ pœna conſtituta. Sed nunc non tam eo accinctum eſſe quam eum diſtringi iam & vibrari oportet potentiæ tuæ dextera. Quæ enim non modo cauſſa verum etiam occaſio maior eſſe poteſt, quam ea qua nos non in mediocres aut de longinquo metus ſed in maximum & præſens periculum vocamur, non modo dignitatis noſtræ, ſed etiam ſalutis amittendæ: niſi concordibus animis principum tuoque imprimis Chriſtiana reſp. fuerit fulta præſidio. Hæc vero nos vehementius Maieſtatem tuam aut ad hoc præclariſſimum opus ſuſcipiendæ in fidem tuam publicæ ſalutis hortati fuimus, aut illi tantam gloriam tantumue nomen optauimus, quam ipſa non nobis ſolum ſed cuncto orbi Chriſtiano ſuam operam, fidem, auxilium & literis & nunciis iam dudum pollicita eſt. Quibus quidem tuis promiſſionibus quam in ſpem & expectationem ab omnibus ventum ſit, quanta alacritas animorum in omnium fidelium cordibus fuerit conciliata, libenter ſcriberemus, niſi Maieſtatem tuam nihil latere fideremus. Quare cum res ita ſe habeat, cape arma manu princeps fortiſſime: & ſacri gladii quem tibi mittimus, aciem aduerſus Dei hoſtes atque tuos exercere appara dux belli ſanctiſſimi, defenſor gentium verum DEum colentium, vltor Barbararum: quibus enim titulis honoratior, aut quo genere curæ atque laboris illuſtrior eſſe potes, quam ſi Auguſtam iſtam dignitatem qua polles, ac ſingularem virtutem, qua præditus es, in his rebus collocaueris, quæ maximi & Catholici Imperatoris pietatem poſtulant, & præſtantiſſimi ducis virtutem. Nos quidem, quod offi-

cii

cii noſtri & amoris erga Maieſtatem tuam fuerit nullum locum tempusue pratermittemus teſtificandæ atque illuſtrandæ tum pietatis & magnanimitatis tuæ, tum noſtræ in te ſummæ perpetuæ beneuolentiæ; Erit autem tuæ illius nobis nota, omnibus laudatæ ſapientiæ, animaduerſa occaſione & opportunitate temporum periculoque (quod niſi obuiam eatur, omnibus imminet) dare operam & efficere, vt tua eximia virtus ac dignitas tibi glorioſa, orbi terrarum ſalutaris fuiſſe videatur. Datum Romæ, apud S. Petrum ſub annulo piſcatoris, die 5. Maij eſt 18. pontificatus noſtri anno ſexto.

Quibus literis perlectis Cæſar exhortatione legati ad altare domini tranſiit: ibique ſacroſancta arma enſem videlicet & galerum ſeu galeam, quæ eccleſiaſticæ poteſtatis miniſterium continent, velut fideliſſimus Catholicæ fidei Dux, tutor, & protector accepit. Legatus vero ad dictum Cæſarem orationem habuit talem:

Petrum Apoſtolum, ſereniſſime Cæſar, conſtat gladios habuiſſe duos: alterum omni ex parte ſuum, alterum ita ſuum vt à te educendus ſit. Idem nunc in ſucceſſore ſuo Leone 10. pontifice maximo illius in Terris vicario: cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Enſem iſtum euangelicæ veritatis defenſorem nuncupatum, qui & Apoſtolicæ poteſtatis ſuper gentes & regna ſacrum eſt myſterium, & diuinæ nihilominus in JEſu Chriſto nato, quamuis ſecundum carnem paruulo quieſcentis, omnipotentiæ eſt Sacramentum, Maieſtati tuæ offert: vtpote de Romano & de apoſtolico trono, deque ſedente in illo optime meritæ: adhæc fortitudinis, magnanimitatis, pietatis, religionis, iuſtitiæ, ſapientiæque ſplendoribus effulgenti. Et iure quidem maieſtati tuæ enſis iſte debetur: tuus enim eſt: tuum eſſe ritus ille ſatis comprobat, quo tu Cæſar inter ſacra pontificia anniuerſario die natalis dominici ſi te contingat intereſſe, eductum hunc de theca gladium, galeaque hac adopertus, dum euangelium Joannis cantatur, euangelicæ veritatis aſſertor & tutor vibras. Solus namque Eccleſiæ defenſoris aduocatique nomen accepiſti. Tuum eſſe atque fore noſtra hæc tempeſtas expoſcit: quando Chriſtianorum omnium oculi in te ſperant domine, vt aperias ma-
p-404 *num tuam ad enſem hunc capiendum ſtringendumque inque Chriſti hoſtes educendum. Sume Cæſar inuicte Spiritus Sancti galeam, in columba gemmea: vt recondita animi mentisque ſedes abſque dolo & fraude tranquilla & fœcunda à ſpiritu Sancto in columba ſpecie donante ac protegente ſeruetur. Non enim Chriſtianiſſimum Imperatorem gentilium tyrannorum decet ferinos imitari mores: verum ita ſe iuſtum, fortem magnanimumque victorem exhibere vt columbina manſuetudine mitis, ſerenus ſemperque Auguſtus perſeueret. Accipe & gladium hunc tuum quo myſtice non ſolum iuſtitia & iudicium, præparatio ſedis tuæ tribuuntur: ſed euangelicæ veritatis profeſſores vniuerſi ſub tua protectione locantur. Firmetur itaque manus tua, & exaltetur dextera tua contra Turcarum rabiem atque feritatem: fauſtum autem felixque ſit quod hodiernus his ſacris obtigerit dies communis primo Ro. pontifici primoque Auguſto. Petro ſiquidem Apoſtolorum principi dies hic dicatus eſt:* ſed & Octauius deuictis hodie Cleopatra & Anthonio orbis terrarum monarchia potitus eſt, auctaque vehementer reſpublica Auguſti nomen accepit, ſextilique menſi dedit. Feliciſſimo igitur hodierno hoc enſe poſt Conſtantinopolim Hieroſolimamque partam Ro. Imperium Apoſtolicamque eccleſiam ad fines vsque orbis terrarum propagare Maieſtati tuæ ſemper Auguſte largiatur JEſus Chriſtus dominus noſter.*

* Cl. Auguſti enim hoc factum qui dies S. Petri Vincula.

Poſtquam quidem orationem ſacrorumque armorum ſuſceptionem, Cæſaris iuſſu Epiſcopus Tergeſtinus gratias egit hoc modo.

Sacratiſſimus Imperator, Reuerendiſſime in Chriſto pater, munus hoc nomine ſanctiſſimi domini noſtri Leonis decimi pontificis maximi à paternitate veſtra reuerendiſſima ſibi oblatum gratiſſimo animo ſuſcepit: offertque ſe pro ſancta Apoſtolica ſedis

gloria proque vniuerſa Chriſtiana reipublicæ neceſſitate non modo opes & facultates ſuas, ſed vitam ipſam & ſanguinem vti ab ineunte ætate ſemper concupiuit: quandocunque ſe occaſio obtulerit expoſiturum. Cuius quidem rei magnitudo, & ſi viridem magis iuuentam, & fortius corporis robur quam in eo nunc ſit expoſcere videatur, ſpiritus Sancti galea ac fidei clypeo frameaque protectus, vbi vires deficient, conſilio tamen ac imperterrito animo Chriſto auſpice & ductore huic ſancto propoſito, ac neceſſaria in hoſtes fidei expeditioni nunquam defuturus eſt.

Peractis demum pulcherrime rebus omnibus Legatus ad altare ſtans populo benedixit, & deinde ſacerdotalibus veſtibus exutus ſeſe Cardineis veſtiuit ornamentis: & tandem ſimul cum Cæſare ac aliis principibus Cardinalibusque eccleſiam exiuit. Cæſar autem cum ambobus legatis ac etiam nuncio Apoſtolico, principibus electoribus aliisque imperii proceribus, nouum Cardinalem ad palatium vsque ſuum reduxit. Deinde vero vtrumque Legatum verſus eorum hoſpitia comitatus eſt.

Et poſtremo Cæſar atque alii principes ad ſua quisque tecta redierunt. Ita nobiliſſimus ſplendidiſſimus actus huiusmodi abſolutus eſt: approbante DEO optimo maximo cui ſit honor & gloria in ſecula. Actum in vrbe Auguſta. Anno Chriſtiano milleſimo quingenteſimo decimo octauo. Calend. Auguſti.

712

IO. FABRI, GEORGII SAUROMANI ET VDALRICI ZASII. ORATIONES.

IN MORTEM MAXIMILIANI I. IMPERAT.

LECTORI SALVTEM!

BURCARD GOTTHELF STRUVE.

POſtquam Maximilianus I. pr. Idus Januarii 1519. Welſii, Auſtriæ oppido eſſet defunctus,* poſitus dehinc in lectum, vt iuſſerat, ab vniuerſa plebe vrbis Welſii eſt cum dolore conſpectus: nonnullis vlulatum emittentibus præ dolore. Incluſus deinceps feretro, primum in templum de more delatus, parentatum eſt ei. Dehinc per villas ac oppida Viennam allatus XXIV. eiusdem menſis in Diui Stephani templo, aſtante vniuerſa Auſtriæ nobilitate, & Viennenſi antiſtite Georgio ſacra celebrante, exequiæ peractæ ſunt cum maxima omnium aſtantium triſtitia. Poſt triduum in Nouam ciuitatem delatus, ſub ara Diui Georgii ſepultus, a Philippo Gundelio profeſſore humanitatis Viennenſi, elegantiſſima oratione funebri ac artificioſiſſima decoratus eſt, prout Cuſpinianus ** teſtatur. Prior igitur parentatio, Welſii, dum ipſi exequiæ fierent a Jo. Fabro habita, hic exhibetur. Erat hic natione Sueuus, ex oppido Algoiæ Leutkirch, *** factus inde Doctor Theologiæ, Auguſtæ Prior apud Dominicanos, & a Confeſſionibus virginibus Monialibus D. Catharinæ, **** quare etiam Auguſtanus ſæpius fuit dictus. Poſt mortem Maximiliani Ferdinando Regi factus a Confeſſionibus, atque an. 1531. Epiſcopus Viennenſis. ***** Mortuus tandem 1541. Vinobonæ, ibidemque in Templo Cathedrali S. Stephani fuit ſepultus. ****** Hæc autem

---

* Confirmant hunc mortis diem ipſe Faber, haut procul a fine dicens: *mortuus eſt infra tertiam & quartam horas die XII. menſis Januarii, Anno ſalutis M D XIX. Poſteaquam vixiſſet annos LIX. menſ. IX. dies vero XIX. Regnaſſetque annos XXXIII.* Ipſius etiam Epitaphium, Oeniponti a Ferdinando I. erectum apud Lambecium *lib. II. c. VIII. pag.* 697. Sequuntur Gerh. a Roo. *lib. XII. exeunte* & Cuſpinianus in vita *pag.* 492. Male igitur Fugger. *lib. VI. c. XX. n.* 3. diem XI. Januarii ponit.

** *c. l.*

*** Cruſius *Ann. Suev. lib. XI. P. III. pag.* 618.

**** Cruſius *Ann. Suev lib. X. P. III. c. V. pag.* 555.

***** Cruſius *lib. XI. P. III. pag.* 618. Latzius *Chron. Vienn. lib. II. c. IV.*

****** De hoc Lambecius Comment. de Bibl. Cæſar. lib. I. p. 33. *hoc tantum nunc addo, illius* (Wolffgangi Latzii) *ætate egregio auctam fuiſſe incremento Bibliothecam Cæſaream translatis in eam pleriſque tam manuſcriptis, quam impreſſis voluminibus inſignis Bibliotheca illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Domini Joannis Fabri Epiſcopi Vindobonenſis, qui die 21. Maij, An. 1541. vitæ, inter acerrimas velitationes pro Catholica Eccleſia tranſactæ, beatiſſimum finem impoſuit. Candidus profecto ille Vir fuit & religioſus; cuius rei ſi alia non extarent argumenta, ſola*

autem Oratio tota eſt in virtutibus Maximiliani, quem potiſſimum laudat a pietate, & quod vnitatem eccleſiæ conſeruare ſtuduerit, dicens: *omnes adhibuit vires, omnem denique diligentiam appoſuit, quatenus Julius II. Pont. ſummus in ſua ſede conſeruaretur, nullaque in Dei Eccleſia fieret ſciſſura.*

Commendat dein eundem, quod Præcepta Dei ſeruauerit, diuinis frequens interfuerit, templa & monaſteria fundauerit. Sequitur inde Temperantia & modeſtia, quod bella, non niſi inuitus intulerit, liberalis fuerit, odio habuerit latrones & hypocritas, benignus in bonos, maxime eruditos, quorum multos recenſet, qui a Maximiliano ad dignitates fuerint euecti. Commendat inde artem ipſius & peritiam militarem. Progreditur ad mortem ipſius atque tradit, quod mortem ſemper habuerit ante oculos, Sarcophagum apud ſe conſeruauerit, mortem ſuam ipſe prædixerit, quam etiam poſtquam conuentum Prouincialium celebraſſet, in Auſtriæ oppido Wels conſtanti animo pertulit. Hinc locum ſepulturæ exprimit* in Noua Ciuitate Auſtriæ, in Capella a Friderico III. ſumptuoſiſſime extructa. Concludit tandem cum laude Caroli & Ferdinandi, qui Maximiliani nepotes.

Succedit GEORGII SAUROMANI *Oratio*, diuerſaque in Maximilianum defunctum Epicedia. De quibus ſic loquitur Pontus Heuterus: *Varia ac docta Cæſari Maximiliano Epitaphia ac Elogia a viris litteratis fuere ſcripta, quod eius tempore politiores literæ diſciplinæque omnes e cœlo detractæ, & ab inferis excitatæ, Europam exornant: nullaque non erant pauto elegantiora ingenia, quæ non ad eloquentiam ſub liberalibus Mæcenatibus ſe exercerent.* Georgius Sauromanus Gesnero** Eques dicitur Germanus, de quo ſic loquitur Jouius: *** *hic in Italia, quum iuris ciuilis ſtudio operam dediſſet, eamque facultatem ſine forenſi agitatione parum nobilem, nec fructuoſam eſſe fateretur, ad humaniores literas ingenium traduxit, adeo feliciter, vt duabus orationibus in laudem Caroli Cæſaris publicatis, totius Academiæ iudicio, Longolio plenior atque terſior cenſeretur. Ob id ciuitate Romana donatus eſt, egitque tenerum ſodalem apud Academicos, exuta quidem omni vocis, moris, atque habitus aſperitate per aliquot annos, dum minuta Cæſaris negotia procuraret, Leoni, Hadrianoque, & demum Clementi eloquentiæ nomine non ingratus. Sed in tumultu captæ vrbis ab Hiſpanis, omnibus fortunis exutus, ne in tormentis expiraret, a Germanis ita ſeruatus eſt, & non multo poſt graſſante peſtilentia, cum filio, concubinaque perierit.* Plenius vero hoc ipſius fatum exponit Jo. Pierius Valerianus*

ſola ſufficeret Inſcriptio Codicibus Bibliothecæ Cæſareæ paſſim inſerta, qua ſolemniter teſtatur, ſe illos emiſſe, non ex ea pecunia, quæ prouenuſſet ex reditibus & cenſibus Epiſcopatus, ſed ex ea, quam honeſtiſſimis laboribus ſuis alunde accepiſſet. Idem Lambecius *addit. XIV. ad lib. II. p.* 1011. tale ipſius adducit Epitaphium.

D. M. S.

Joan. Faber e Leutkirch Sueuiæ opp. oriundus, diui Ferdinandi Cæſaris, Rom Hung. Boem. que Regis a conſiliis & ſacris confeſſionibus, Grauiſſimus hæreſeon, perſecutor inclytus Euangelii Chriſti præco, Epiſcopus Viennenſis qui poſteaquam toto decennio ex hoc loco bonus paſtor ſalutari verbi DEI pabulo ſuum gregem refecit, obdormiit in Domino annum agens LXIII. a nato ſeruatore M D XLI. XII. Cal. Junii.

* *Rer. Auſt. lib. VII. c. XVIII.*
** *In Bibliotheca, voce Georgius Sauromanus.*
*** *Elog. Doct. Vir. num. C XVIII.*

rianus * ſcribens : *Miſerabilis eſt Georgii Sauromani exitus, qui vir natione Germanus ita litterarum Latinarum nitore ingenium expoliuerat, vt in Academia noſtra viri bene elegantis nomen aſſecutus fuerit, cuius rei ſcripta eius non pauca, quæ in hominum manibus habentur teſtimonium exhibent. Is quoque in Germanos ſuos Romæ prædatores illapſus, atrociter exceptus, exſpoliatusque bonis omnibus, cum nullum haberet, qui eius inopiæ ſubueniret, contactus inſuper peſtilentia eſt, vt, eo impeditus incommodo, non potuerit ſeſe ex eo incendio alio profugiens liberare. Mendicabundus itaque, & morbo confectus, vno tectus linteo, eoque lacero indumento, dum panem oſtiatim fruſtra flagitat in via media vi peſtis, & famis impotentia exanimatus concidiſſe repertus eſt.* Fuiſſe autem illum antea Gymnaſiarcham Bononienſem, præfatio huic Orarioni præmiſſa, teſtatur. Hæc ipſa Oratio, Gesnero teſte,** cum Panegyricis aliquot veterum impreſſa Baſileæ apud Jo. Frobenium an. 1520. Iſta vero virtutem potiſſimum Maximiliani militarem commendat, eiusdemque bella & victorias recenſet. Tandem cum Epilogo ad Carolum & Ferdinandum directo concludit.

Subſequuntur quædam in Imp. ſcripta *Epicedia*, cum potiſſimum Jacobi Spigelii congeſta, qui Sletſtadienſis patria, a Jo. Fabro inter eos relatus, qui a Maximiliano dignitatibus fuerint ornati. Factus ſiquidem ipſius Conſiliarius, prout ipſe infra in ſcholiis, ſe in aulicum munus adſcitum fuiſſe ſcribit. Apud Argentoratenſes vixit, magnæ præcipue auctoritatis. *** Primum eſt PETRI ÆGYDII, qui Antwerpienſi Reipublicæ a libellis, **** Threnodia, quam dum Antwerpiæ iuſta Maximiliano perſoluerentur, ſcripſit, quæ alias cum Epitaphiis aliquot & Epigrammatibus prodiit *Antwerpiæ 1519.* 4. Subiiciuntur ſcholia quædam Spiegeliana, & Ægidii quædam Epitaphia Maximiliano ſacrata. Hæc excipit JO. GEYLERI DE KEYSERSBERG, qui Argentoratenſi Eccleſiæ a ſacris erat Concionibus, ad Jacobum Wimphelingium, Sletſtadienſem Theologum, qua ipſi narrat, quod ad Cæſarem vocatus, benigne ab eodem fuerit exceptus. Succedit WIMPHELINGII *epiſtola ad Jacobum Spiegelium*, qua Cæſaris mortem luget & prudentes atque eloquentes Cæſareæ aulæ miniſtros recenſet. *Oratio Germaniæ*, quæ ſubnexa eſt, conqueritur de Franciſco I. ad Imperium adſpirante, qui tamen moribus plurimum diſſideat, Germanisque ſemper fuerit contrarius. Succedit *Dialogus Cæſaris, & Cardinalis Gurcenſis*, aliusque cum Poëtis & Jo. Piniciani Epitaphium Maximiliani.

His de nouo adiecimus VDALRICI ZASII *Orationes in obitum Maximiliani & Blancæ Mariæ* eodem anno Friburgi habitas, quæ poſt ipſius Epitomen in vſus Feudorum fuerant adiectæ, quas in Authorum Syllabo promiſerat Freherus.

---

* *De infelicitate litteratorum pag.* 377.
** *c. l.*
*** De hoc Bernh. Herzog *Elſaſſ. Chronic. lib. VII. pag.* 34.
**** De hoc Val. Andreæ Bibl. Belgica voce *Petrus Ægydius.*

ORA-

ORATIO FUNEBRIS IN DEPOSITIONE GLORIOSIS. IMPER. CÆS. MAXIMILIANI AUGUST. P. F. IN OPPIDO WELS AUSTRIÆ, PRÆSENTIBUS ILLUSTRISSIMO PRINCIPE, REVERENDISSIMO DOMINO MATTHÆO CARDINALE TITULI S. ANGELI, ARCHIEPISCOPO SALTZBURGENSI, REVERENDISSIMO DOMINO EPISCOPO TERGESTINO, ALIISQUE PRÆLATIS ET NOBILIBUS QUAM PLURIMIS: PER FRATREM JOHANNEM FABRUM AUGUSTANUM, THEOLOGUM ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM, HABITA ANNO CHRISTI M. D. XVIIII. DIE XVI. JANUARII.

Reuerendiſſimo in Chriſto Patri ac Illuſtriſſimo Principi & Domino Matthæo, S. Angeli Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinali, Archiepiſcopo Saltzburgenſi, &c. Frater Joan. Faber Auguſtanus, Theologus, ord. fratrum Prædicatorum ſeſe humillime commendat.

QUAM *diebus ſuperioribus orationem funebrem, Reuerendiſſ. D.V. iubente ac plane demandante, in depoſitione Imp. Cæſ. Maximiliani Aug. P. F. cum omnium luctu multis quidem lachrimis declamaui, domi continere non iniuria ſtatui: qui longe ſatius arbitrabar eſſe informem fœtum in abſcondito recondi, quam ſi in medium proferretur ignominioſum iudicari, noſtra maxime ætate, qua & vberrimo ingeniorum prouentu, & viris omnifariam eruditis locupletetur. Quorum cenſuram cum vix effugiant qui terſius ſcribunt, quam aleam*
p.403 *ſortitura ſint mea, facile colligere potui. Nolui tamen eam diutius in tenebris & abſcondito latitare: aliorum potius ſubiturus quantumuis graue iudicium quam hanc Cæſaris Chriſtianiſſimam mortem, qua nimirum omnibus Chriſtianis principibus exemplar ac perpetuum ſpeculum eſſe debet, non deferre in publicum. Maxime autem hoc tempore, cum omnis noſter debeat ceſſare luctus, omnes abeſſe lacrimæ, quod DEI Opt. Max. pietate ac prouidentia in locum huius, de quo loquimur, demortui pii ac felicis Imp. Cæſ. Maximiliani Aug. communibus votis atque omnium ſuffragiis electorum principum Germanorum, potentiſſimus Carolus huius noſtri Cæſaris ex Philippo filio nepos, Hiſpaniarum Rex, atque Auſtriæ archidux &c. in Romanorum regem, mox Cæſar atque Imperator futurus, ſit electus. Cui electioni fauſtæ atque (vt ſperamus) Reipub. Chriſtianæ omnium fructuoſiſſimæ, Reuerendiſſima D.V. vna cum aliis principibus atque Catholici regis commiſſariis, tanta prudentia, fide, atque dexteritate ingenii affuit, vt omnes qui diuinæ huic aduerſari voluerint electioni (fuerunt autem hii quam plurimi & magni) cum ſumma confuſione ac perpetua nota diſceſſerint.*

Eam igitur orationem qualis ac quantulacunque ſit, D. V. Reuerendiſſimæ offero atque dedico, quod eius mandato ac iuſſu ac ſe præſente coram ſit habita, quoque tutior in lucem prodeat, atque aliorum ſubeat iudicium. Quis enim improbabit, quod à principe doctiſſimo ac omnium rerum expertiſſimo fuerit approbatum? Approbauit autem eam ſane Reuerend. D. V. dum in oppido Welſs fuiſſet recitata. Accipiat ergo eam ipſam Reuer. D. V. à familiari ſuo ſibi deuotiſſimo, atque iam diu antea perpetuo addicto. Sique aliquando per otium licuerit, (ſit autem id raro, ob ingentia atque innumera negotia) vel horam in lectione eius abſumat. Quam & pro Reipubl. Chriſtianæ communi ſalute atque ſuæ eccleſiæ Saltzburgenſ. cui iam B. M. præeſt, proſpero ſucceſſu DEus Opt. Max. diu felicem ac ſoſpitem conſeruet. Cui & me ſumma humilitate commendo. Datum Auguſtæ Vindelicorum. M. D. XIX. die XII. Julii.

NIhil minus ſuturum ſperaſſem vnquam, Illuſtriſſime princeps, Reuerendiſſimi domini, magnifici, nobiliſſimi ac præſtantiſſimi viri, quam vt vnus ego ex tot millibus hominum ſacratiſſimi diuinique Cæſaris Maximiliani acerbiſſimam mortem primus hoc in loco publico declamarem. Cuius etenim vitam deſideraſſem quam maxime, huius ego deplorabo mortem? Sed inanis eſt atque irridenda noſtra omnis humana prudentia atque cogitatio, quatenus velimus nobis certi quidquam incertiue polliceri: qui quod mortales ſumus, omni mutabilitati, corruptioni, atque imbecillitati ſubiecti ſumus. Itaque non poſſum non miſereri & conditionis humanæ, & mei ipſius, qui in id miſeriarum inciderim, vt eius ſim funus deploraturus, in cuius vita certiſſimum Reipubl. Chriſtianæ portum, mihi quoque firmum præſidium collocaram. Egone te laudaturus mortuum accedo, ſacratiſſime Cæſar Maximiliane, qui ob innumerabiles tuas diuinasque virtutes dignus eras, vt non morte ſolum, ſed mortis etiam omni ſuſpicione ad longa tempora vacares? Nam quo magis animo ipſe mecum repeto ſingulares ac heroicas virtutes tuas, quam fueris videlicet mitis, placidus, lenis, prouidus, æquus, humanus, patriæ pater, magnanimus, pecuniæ contemptor, nemini magis quam tibi ipſi imperans, voluptates ſubiiciens, affectibus nullis prauis obnoxius, magna cogitans, pro nobis quibus imperabas ſollicitus, ad beneficentiam omnium promptiſſimus, ad vindictam lentus; propenſior ad iuſtitiam, facilis aditu, comis in congreſſu, cunctis (alioquin volentibus) blandus, ſtrenuè bella agens, nullum tamen per te affectans, pacis amantiſſimus, cuius & tenax eſſes, & quidem natus viſus es ad bene merendum de genere humano, ac humani generis vt eſſes delitiæ. Hæc (inquam) quanto magis cogito, tanto reddunt attonitum magis, vt ab omni conſolandi oratione mentem deterreant. O quanta & quam grauis ad nos calamitas ex morte tua peruenit? Heu quam noſtri nos cogitatus de tua diuturnitate fefellerunt? vt cuius vitam quam longiſſimam fore ſperaremus, ac communi deſideraremus voto, omnium repentina mors inopinate abſtulit. Sed quo feror? quo me meus præcipitem fert atque rapit intolerabilis dolor? indulgebitis mihi pauliſper, Principes ac viri celeberrimi, vt quo poſſim conſolari alios, ipſe prius tantiſper mœrori inſudem, quo menti parumper ſolatii adferatur. Quo pacto enim ſolabor alios, qui maxime omnium ſim mæſtus? Vnde vero conſolationem vel vobis vel mihi accipiam, non video, niſi ex vita, virtutibus, atque præclaris geſtis huius noſtri præclariſſimi Cæſaris: quæ & tales tantæque fuere, vt nequaquam nobis mors eius tantum attulerit mœroris, quantum hæ ipſæ conſolationis adferre. Hinc igitur initium ſumamus, quod cum Cæſar noſter Max. homo fuerit, ac princeps, & is Chriſtianus, quod videlicet in ſingulo horum talem ſe præſtiterit, ac ita ſe geſſerit, vt inde conſolationis, gaudii, ac ſpei ingentis nobis, imo & omnibus qui Chriſti nomen excolunt aut venerantur, accreſcere poſſit ac debeat. Nos videlicet talem habuiſſe principem, qui non modo bene, Chriſtiane, innocentiſſimeque imperauerit; ſed & qui omnibus mortalibus qui in id faſtigii culminis ſunt aſcenſuri, ſpeculum ſit

Virtutes Cæſ. Maximiliani.

Tria in Cæſare, princeps, Chriſtianus princeps, Chriſtianus homo.

datus

datus quem imitentur, quemque ſibi præ oculis perpetuo reponant. Proſequemur igitur pro viribus ſingula non quod æquabimus dictis noſtris facta huius ſacratiſſimi Cæſaris, quæ innumera ſunt, ſed vt conſolationis mæſtiſſimis nobis ſaltem afferamus quidpiam.

Multum intereſſe puto, Prineeps illuſtriſſime, Reuerendiſſimi domini, magnifici ac nobiliſſimi viri, vt quis ſe principem ſolum, aut quod & Chriſtianum ſe principem gerat. Multa etenim principi etiam iuxta approbatorum philoſophorum doctrinam (ne dicam improbi vulgi, qui omnia ad fortunam metitur) licent, imo in ipſo laudantur, approbantur, ſummis in cælum extolluntur laudibus, quæ Chriſtianum principem neque decent, ſed neque Chriſti lex ei permittit. Quantum etenim Chriſtianus homo ab Ethnico homine diſtat, tantundem Chriſtianus princeps ab Ethnico principe, & longe amplius diſtare debet. Neque enim putes, quisquis ſueris Chriſtianus princeps, delicatam Chriſti profeſſionem, niſi forte leue putes ſacramentum quod æque cum aliis Chriſtianis in Baptismo iuraſti, renuntiare ſcilicet omnibus quæ Sathanæ placent, Chriſto vero diſpliceant: diſplicent vero Chriſto quæcunque ab Euangelicis decretis abhorrent. Id enim Chriſtus in Matthæo ita expreſſit: *Qui non eſt mecum*, inquiens, *contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit*. Non minus igitur Chriſti doctrina tibi quam ſacramenta cum cæteris Chriſtianis communis erit. Non in Julii certe, aut Alexandri, ſeu etiam Octauiani Auguſti, ſed Chriſti JEſu verba iuraſti. Chriſti igitur, non Julii aut Alexandri, aut horum cuiusvis mores, regulæ, atque doctrina tibi imitanda. Chriſtiani igitur principis in primis cenſeo eſſe partes, vt Chriſti legem, Chriſti inſtituta, Chriſti diſciplinam calleat: iuxtaque eam vitam mores, atque iudicia inſtituat. Puto & id principis Chriſtiani (maxime veto qui Imperium Chriſtianum gerat) partium eſſe, vt vnitatem Sanctæ Dei eccleſiæ conſeruet atque pro viribus tueatur. Et ſi quid ſeu in moribus, ſeu capite aut membris lapſus fuerit minata, ſummo conatu ne vitus ſerpat obſiſtat: Juxta id quod à ſanctis ac vere orthodoxis principibus actum atque traditum eſt. Tertio quoque loco muneris Chriſtiani principis eſſe puto, vt ſuam videlicet atque ſubditorum vitam ad Chriſti legem faciat atque inſtituat conformem. Quod ſi quid vel inſcitia, paſſione ſeu malitia in Euangelium delinquatur, caſtiget, puniat, apponatque medelas, quantumque in ſe fuerit. Leges nullas, conſuetudinem item nullam, præſcriptiones aut id generis quidpiam inolere ſinat, quibus Euangelicæ legi fiat iniuria, memor omnium ſe rationem redditurum, quæ ſibi ſunt commiſſa; dum & ſibi crux ſua poſt Chriſtum ferenda eſt. *Qui enim crucem ſuam non baiulat poſt me, non eſt me dignus*, inquit CHRISTUS. Dices & quæ crux mea cum ſim potens princeps? Dicam & libere quidem. Hanc quisquis fueris Chriſtianus princeps, ſcito crucem tuam eſſe. Quod rectum eſt ſequi. Nulli vim contra ius æquumque inferre. Populum vltra æquitatem ac ius non expilare. Magiſtratus communes in populi pernicicm non vendere. Muneribus non corrumpi. Reipublic. conſulere. Iniurias nonnunquam potius perferre quam magno ſubditorum periculo vlciſci. Neque priuato amore ſeu vxotis, ſeu conſanguineorum, ſiue dilatandi imperium deſiderio, ad bella inferenda moueri. Sed Dei potius timor, isque reſpectus potius, quod omnibus æque mors ipſa immineat, quod DEus iudex iuſtus, dictorum factorumque omnium exactam habiturus ſit rationem, ipſum moueant. Quod ſi ſubditos tibi vel læſeris, vel nihil eorum obmiſeris, ob quæ ad internitionem ipſi deleantur; quid obſecro tum Chriſto iudici reſpondebis: dicenti *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis?* Id (inquam) Chriſtianum principem longe quam priuatus amor ad parcendum atque nonnunquam iniurias proprias perferendas potius quam ad vindictam ſumendam, & moueat & perſuadeat. Quod ſi exigit iuſtitia atque ordo rationis expoſtulet, vt bellum aſſumat aut indicat, ſi aliter regnum aut ſubditos ab iniuria tueri non poſſit, vitam etiam ipſam pro ſuis ponat. Quem-

I. II. III.

Orat. Chriſtiano principi poſt Chriſtum ferenda.

admodum & plurimi egregii viri aliquando pro patria, pro parentibus, pro legibus ſuis fecere. Teſtes erunt Decii, Brutus, Caſſius, Cherea, Codrus Athenienſ. Teſtes Themiſtocles atque Lycurgus & alii innumeri, quos enumerare ſuperuacaneum duxi, ſi tamen Spartium & Bulidem Lacedæmonios non obmiſero, qui voluntarie ad mortem pro patria ſe tradidere, quo per eos apud Xerſem ſcelus caduceatoris contra ius gentium apud Lacedæmonios interfecti expiaretur. Quos tamen plurimum collaudatos ad propria Xerſes remiſit, poſteaquam apud ipſum amore patriæ remanere noluiſſent. Nec arbitreris te Chriſtianum principem agere, ſi hæc (debitis loco ac tempore) non feceris. Adulantium turbam, ſi quando tibi perſuadere velit, *te* CHRISTI *legibus non teneri, ſed alios qui minores ſint quam principes*, ne audias. Caue obſecro ab hiisce hominibus: ſibi enim, non tibi conſulunt: O princeps, quo te ſcilicet p.405
ſibi faciant propicium, quo tui dimercentur gratiam, quem forte exploratum habeant in iis rebus oblectari, quæ Chriſti legi atque doctrinæ ſunt contraria.

Remedia contra adulantium aſſentationes.

Cogitabis & longe præſtantius, quod quem admodum ex eadem corruptionis maſſa, ſpurcoque ſemine, ſicut & cæteri mortalium es genitus, quemadmodum non ſecus ac alii mortalis es, ac in cinerem redigendus, eisdem ſicut & cæteri ſacramentis initiatus Chriſtiano more, neque ſingulare aut præcipuum quiddam tibi præ cæteris; ita & te vna cum aliis Chriſti doctrinam, Chriſti leges, Chriſti Euangelium ligare. Sed quid verbis opus? Nunquid non Chriſtus apud Matthæum, Chriſtianum principem plane depinxit, cum inquit, *Principes gentium dominantur eis, & qui poteſtatem habent, exercent inter eos: inter vos autem non erit ſic.* Dominari igitur ac poteſtatem exercere, Ethnicorum ac gentium principium eſt, non Chriſtianorum, quorum dominium adminiſtratio eſt, & regnum beneficium. Nec ob id te putes minus Chriſti lege ligatum, quod videas nonnullos, qui cum non modo Chriſtiani ſint ſed & ſacris (vt aiunt) initiati, atque cum de pinguedine crucifixi alantur, nec tamen Chriſti doctrinam aut leges ſequuntur, immo neque approbatorum philoſophorum doctrinam ſuis moribus adæquant. Hæc (inquam) te aut admodum parum aut nihil moueant, quo minus te putes Chriſti lege obſtrictum. Qui enim de eo ſunt grege, maleque ac perperam agunt, ipſi viderint: tu quid te dignum ſit, cogita. Accedit quod & retroactis temporibus ac etiam hoc præſenti ſæculo plures ac præſtantiſſimi ex eo genere atque turba hominum fuerunt atque ſunt, qui non obſtante omnium rerum abundantia atque opulentia, Chriſti tamen legem adamuſſim & verbo & opere ſunt ſectati. Paucorum aurem (ſi qui forte ſint) prauorum exempla te à ſalute propria, à virtutis via atque tramite non amoueant.

Aliorum ſceleſtus te non excuſat.

Cumque iam quoad potuimus Chriſtianum principem depinxerimus, puta quod legem Chriſti calleat, quod vnitatem eccleſiæ pro viribus conſeruet, quod ſuam ac ſubditorum vitam iuxta euangelicam legem inſtituat, ſi quid vero in contrarium conſuetudinis inoleuiſſet, ſumma poteſtate abroget, quodque in eorum numero ſæpius recogitet ſeſe repoſitum, qui morituri ac omnium æquiſſimo iudici reſponſuri ſunt; reſtat videamus, quem qualemque Chriſtianum principem Cæſar noſter Max. ſe geſſerit. Et quidem (vt nonniſi vera dicamus) Chriſti legem adamuſſim ſciebat, literas ſacras quantum deceat principem, ac ſi longis ſæculis diligentiſſimam dediſſet operam, adeo nouit; vt cum quouis homine etiam doctiſſimo ac exercitatiſſimo de his potuerit ſane conferre. Quid vel arcani vel myſterii in diuinis literis comprehenſum, quod ipſum latuiſſet? Voluit maieſtas ſua (dum adhuc viueret) neſcio quæ arcana, paucis aut nullis hactenus pandita, in lucem prodere. Habito ſuper hoc nonnullorum doctiſſimorum hominum conſilio, inter quos & ille omnium literatorum ac literarum optimarum decus & gloria Conradus Peutinger Auguſtanus Jurisconſ. Maieſtatis ſuæ tum à conſilio atque arcanis ex præcipuis erat, adeo animus ille ſacri Cæſaris noſtri diuinorum ſcatebat noticia, vt & alios effundere ſummo teneretur deſiderio.

Cæſ. Maxim. legem Chriſti ac ſacras literas ſciebat.

Conradus Peutinger Aug. I.C.

Quis

Quis vero Eccleſiæ Romanæ vnitatem hoc noſtro Cæſare conſeruauit magis? Ad hoc quippe omnis ſuus conatus, cogitatus item omnis, ne multa in Dei eccleſia orirentur capita. Et vt pauca ex multis afferamus, eo tempore quo Julius ſecundus Pont. Max. Reges Chriſtianos in Venetos pene omnes concitaſſet, ob id quod vrbes multas plurimaque oppida & caſtra ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, atque ſacri Romani imperii occupaſſent, noluiſſentque occupata reſtituere, iamque plane res Venetorum deploratæ eſſent & de ipſis actum; ex Cardinalibus nonnulli à Julio II. Pont. Max. deſciuere, atque concilium Piſis ei indixere, vt vel illic coram patribus iuxta iuris formam (vt ipſi aſſerebant) ad obiecta reſponderet, aut iuxta ſanctorum Patrum decreta de ipſo iudicium ac pœna ſumeretur. Et cum illic quam multa eſſent peracta, Cæſ. Maximilianus timens, ne ſcisma omnium peſſimum in Eccleſia Dei ſuboriretur, omnes adhibuit vires, omnem denique diligentiam appoſuit, quatenus Julius II. Pont. ſummus in ſua ſede conſeruaretur, nullaque in Dei Eccleſia fieret ſciſſura. Quod & feliciter ſucceſſit, atque iuxta optatum obtinuit plane. Diſſipatum namque fuit concilium non modo Piſis, vbi eius fuerat initium, ſed & Mediolani atque Lugduni, ad quæ loca ſeſe hi qui à Julio deſciuerant, ob bellorum motus contulerant. Eſt iudicio meo ſancta ſedes Apoſtolica huic ſacratiſſimo Cæſari, Auſtriæque familiæ perpetuo obnoxia, quod tantam calamitatem quanta iam præ oculis verſaretur, tam prudenter, tamque modeſte auerterit. Nec dicere pudet, ſi Maximiliani conſilia, fauores, promptiſſimumque ingenium, tum non affuiſſent, ſcandala, ſciſſuræ, ac id generis mala infinita exorta fuiſſent, quæ forte multa ſæcula vix deleſſent: & forte longe periculoſiora, quam vel tempore Regis Theodorici inter Symachum & Laurentium, aut inter Sergium & Formoſum quamuis ſcandaloſiſſimum illud eſſet, aut inter Benedictum IX. Silueſtrum tertium atque Gregorium ſextum; ſeu etiam inter Paſchalem & ſibi aduerſarios tempore Heinrici quarti; vel inter Alexandrum tertium & Victorem ac ſequaces, tempore Friderici primi Barbaroſſæ, quod tamen per annos ſedecim durabat; vel quod omnium fuit pernitioſiſſimum per annos durans quadraginta, quodque nonniſi generali concilio Conſtantienſi expiari poſſet, quod initium habuit per Vrbanum ſextum atque Clementem ſeptimum. Nam magna pars Chriſtiani populi Julio II. Pont. Maximo adhærebat. Non contemnenda quoque pars aduerſariis conſentiebat: & eo maxime tempore, quo alias omnia in combuſtione eſſent apud Chriſtianum populum. Vtebatur in his rebus Cæſar ſacratiſſimus opera atque induſtria prudentiſſimi ac ſane omnium optimi principis Matthæi tunc Gurcenſis epiſcopi, nunc vero Cardinalis Saltzburgenſ. tituli S. Angeli: cuius & ingenium, fides, atque in agendis rebus experientia eo tunc maxime enituit. Eum enim tum ſe præſtitit, quem ſummæ præ cæteris mortalium ob rerum experientiam atque dexteritatem ingenii Julius II. fuerit admiratus. Dignus vero vel ob hoc (vt interim innumeras eius virtutes ac erga ſanctam Petri ſedem ergaque diuum Cæſarem noſtrum Max. merita obticeam) quem ſancta ſedes Petri, ſacratiſſimus quoque Cæſar ad hunc euheret celſitudinis gradum. Quod vero ſuorum, imo & ſui ipſius vitam diuinæ legi euangelicæque doctrinæ Cæſar conformem inſtituerit, quam nihilque contrarium (quantum in ſe eſſet) Chriſti legibus aut ipſe peregerit, aut vero aliis indulſerit, ſequentibus videamus. Diuinam vero legem dicimus, quæ à Deo Opt. Max. rationali creaturæ primo quidem per manum Moyſi, demum per JEſum Chriſtum tradita eſt ac pie conceſſa, qua & mortales ad aliqua facienda ſeu omittenda voluit oligare, quo eos à morte perpetua præſeruaret, præſtaret vero eam obſeruantibus vitam perennem. Oportuit enim præter naturæ legem diuinam quoque mortalibus dari. Lex etenim naturæ (ſi nil ſuperaddideris diuini) longe eſt manca, atque hominibus ad perpetuam felicitatem inſufficiens. Neque enim homines niſi ad naturalem finem dirigit: cæcurientes quoque homines (in priuatis maxime actionibus) permittit, vt vix quid ac-

Vnitatem Eccleſiæ conſeruauit, Cæſar.

Concilium Piſis indicitur Iulio.

Sedes Apoſtolica tenetur Cæſ. Maxim. & familiæ Auſtriæ.

Matthæus Card. Saltzburgenſ.

Exodi, 20. Matth. 5. & alibi.

Aug. in de lib. arb.

ceptandum quidue reſpuendum, in plerisque rebus ea lege homines ſcirent. Nec ob ſingula ſcelera pœnam ſeu mulctam imponit, quin potius ne maiora ſubſequantur incommoda minora mala admittit, vt plærunque in matrimonii rebus, adulterii quoque ac concubinatus crimine & his ſimilibus facile videri poteſt. Secretiora hominum item facta, cogitatusque peruerſos non curat. Lex vero diuina homines ad perpetuum ſupernaturalemque finem, in quem creatus eſt (fruitionem ſcilicet Dei Optim. qui ſummum bonum eſt) dirigit ac plane deducit, iter rectum monſtrans, ac media quibus eum finem promereantur, mortalibus iubet atque deſignat. Hac ipſa lege diuina hominibus quoque plane conſtat, quid Dei intuitu quidque eius amore acceptandum, quidue reſpuendum. Ea lege diuina mortalibus manifeſtum fit, vt ſi ſcelera vel magna vel parua commiſerint, etiam ſi humanæ legis effugerint mulctam, non tamen Dei ſeuera iudicia ſe euaſuros. Sed nec ſi ſecretiſſima fuerint delicta, ob id DEum iudicem effugies. De hac diuina lege Pſalmiſta loquens, ait, *Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis.* Vbi ea quæ diximus, Regius propheta clare expreſſit. Hæc (inquam) diuina lex in duobus conſiſtit, tanquam omnium aliorum principiis, à quibus & ſingulæ leges dependent, cunctaque iuſta decreta defluunt. Quorum primum eſt, vt Deum Optimum Maximum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, denique ex omnibus viribus noſtris diligamus. Secundum autem huic ſimile: quatenus proximum ſicuti & nos ipſos adamemus. *Ex corde toto*, ob id dixit legislator, quod carnis amor maximopere à Dei obedientia ac cultu (vel ipſa experientia teſte) nos retrahit atque retardat: eiusque amoris illecebris initia ſint, ſenſus atque ſenſuale deſiderium ſeu appetitus: quibus ſi principatum relinquas, iam iam de diuinis actum eſt. Cor autem iuxta approbatorum Philoſophorum doctrinam fons ſit vitæ, ſenſuum atque appetitus. Non immerito nec inepte legislator dixit, *vt DEUM ex toto corde diligamus:* hoc eſt, ſubiiciamus prorſus ac omni ex parte ſenſibiles vires voluntati noſtræ, quatenus & illa pari ordine ad DEUM tendens, nulla in re ab ipſa ratione Deique lege diſſentiat. Verum cum crebro absque rationis ductu, ſoleat aberrare voluntas, adiunxit, *vt ex tota anima ipſum diligamus*, hoc eſt, tota voluntate ad hunc finem directa. Anima ſiquidem vitæ eſt principium, vnde motus profluit, ex quo ab inanimatis quæ animata ſunt diſcernuntur. Animata etenim ſeipſa mouent quod his quæ anima carent minime conuenit. Cum igi- p.407
tur voluntas ſingulas rationalis animæ partes moueat, recte per ànimam legislator voluntatem deſignauit. Mandat ergo vt voluntas integra cum omnibus motibus atque operationibus ſuis in Dominum feratur, vt illum videlicet amet, illum deſideret, in illo ſupra omne bonum oblectetur: ſi quid vero huic ſit aduerſum, fugiat atque ſummopere deteſtetur. In omni opere denique DEUM glorificet, cuius & voluntati vt pote omnium rectiſſimæ quæque in nullo aberrare poſſit, in omnibus ſe ſubiiciat. Quando vero ex ſe omnium rerum eſt inſcia voluntas, cum nihilominus eius obiectum ſit cognitum bonum, (inuiſa enim amare poſſumus, incognita autem nequaquam) quo ratio ſeu intellectus voluntati in his omnibus continuo adſit, legislator denuo ſubiunxit, *vt ex tota mente DEUM diligamus*, mente intellectum ſeu rationem deſignans, quæ ita ſcilicet in DEUM Opt. Max. vna cum voluntate feratur, vt nihil intelligat, nihil ſcire deſideret, niſi DEUM, aut quæ in DEUM ac diuina referri queant, vt ſcilicet neque alta neque profunda ſapiamus, niſi quibus DEUS honoretur atque glorificetur; ſimulque cum Apoſtolo Paulo quæ ſurſum ſunt ſapiamus, non quæ ſuper terram. Finem autem absque menſura ſeu termino amamus, vt qui ob ſeipſum ametur: quæ vero ad finem ſunt, eatenus amamus, quatenus ad finem ipſum proportionem habent. Neque enim in ſanitate ipſa, verum diætis ac medicina menſuram ponimus, ob idque legislator ſapienter adiecit, *vt ex omnibus viribus* ad DEUM Optimum, qui finis noſter

& ob

Legis diuinæ perfectio.

Matth. 22. Luc. 10.

Bonum cognitum obiectum voluntatis.

Auguſtin. Ex tota mente amare quid.

& ob id absque mensura amandus est, toto conatu, omnique nisu tendamus; nullæque sint in nobis vires, seu intrinsecæ seu extrinsecæ fuerint, quæ non omnimode DEO obtemperent ac subiectæ sint. Id autem vt hac in miseriarum valle fiat, DEI donum, quod precibus ac lacrimis facile ab ipso obtinetur, quodque DEI gratiam appellamus, nobis est perneceſſarium. Nec enim hoc DEI mandatum ex naturæ dotibus te adimplere posse arbitreris: sed potius cum Aurelio Augustino dixerim, DEI gratiam in hoc requiri, non solum vt ipsa monstrante quid faciendum sit sciamus, verum etiam vt præstante ipsa faciamus cum Dei amore ac dilectione, quæ scimus facienda, quodque cum peregerimus, in nobis tum perfectis atque consummatis glorificabitur DEUS, quemadmodum causa quælibet in sui effectus perfectione laudem ac gloriam adquirit. Fiet autem id facile nobis volentibus. Quid enim facilius amore adquiritur? quidque leuius, quam id desiderare quod suapte natura est optimum? Id quod etiam saluator in Matthæo dicit, *Iugum meum* (inquit) *suaue est, & onus meum leue.* Ex hoc itaque primo omnium legum ac mandatorum principio non modo quo pacto DEum, verum quo & nos ipsos debeamus amare, apparet. Perpetuo enim ordine ita illi vni affici tenemur, ac subiici, idque totum quod viuimus, quodque agimus, ad eius gloriam ordinare, quatenus in nobis tanquam suo opere ad instar suæ imaginis ac similitudinis facto, glorificetur ac magnificetur DEUS, nomenque suum iugiter in nobis atque per nos sanctificetur. Quo vero pacto proximus esset diligendus, non tam erat manifestum, vt cuius amor non esset tam naturalis homini quam sui ipsius. Noluit legislator hoc in ambiguum reponi, adiunxit ob hoc secundum mandatum seu mandatorum secundum principium dicens: *Proximum tuum diliges sicut teipsum.* Hoc est, ad eum quem teipsum diligis finem. Honor enim DEI ac eius gloria cum noster finis sit, in perfectione vero effectus longe amplius artifex quam diminutione honoretur, longe in hominibus perfectis summeque beatis DEUS amplius magnificabitur, quam in sceleratis impiisque. Si igitur DEUM diligendo illius glotiæ vsque quaque nos sollicitos esse oporteat, pari fine quoque ad quem anhelamus (beatitudinem scilicet supremam) proximum diligamus necesse erit: vt quemadmodum in nobis, ita & in illo diuinum opus reluceat simul ac laudetur. Quid quæso his principiis seu mandatis verius? quid rationi consonum magis? quid diuinis dari potuit? in quibus & diuina iura, & humanæ societatis fœdera, ac demum legum omnium atque institutionum perfectio continetur. *Hinc* (ait Veritas) *pendent leges omnes ac prophetæ.* Quicquid igitur his consonat, ex hisue resultat, à quocunque homine, quouis tempore, in quacunque etiam schola seu secta traditum sit, fides CHRISTI suscipit, sanctum ac venerandum reputat. Quodcunque vero his repugnat aut obsistit, prophanum iudicat ac perpetuo abiiciendum. Rationi itaque consentanea hæc duo principia duabus tabulis Moysi DEI manu sunt exhibita, quarum altera ad DEUM, altera ad proximum mortales recto calle dirigit atque instituit. Homo enim cum ciuile sit animal, communitatisque alicuius pars, ad vitæ eius rectam rationem attinet, vt erga vniuersorum principem primo, demum erga suos conciues bene ac iuste se habeat. At cum Christianus quilibet Reipublic. Christianæ pars sit, bene se habeat necesse est, primo erga eum, qui homines regit & qui Christianitatis vniuersæ est caput, erga Deum scilicet qui omnium rector est ac gubernator, ergaque IEsum Christum DEum ac hominem, qui caput nostrum est. Peropportune vero iusteque erga DEum IEsum Christum quoque se gerere, si (vt diximus) ex omnibus viribus ipsum adamauerit. Primum vero atque præcipuum, quod communi omnium principi inter multa quæ ei à subiectis debeantur, fidelitas est, qua inuiolata ipsi fides in omnibus obseruetur, nec quisquam ab illo ad hostes vllo pacto deficiat. Primum idcirco primæ tabulæ præceptum est *vt vnum mortales colant DEum, alienos vero neque venerentur sed neque admittant*: Ob nullumque commodum ad Dæmones pessimos

August. in de correct. & gratia.

Quo modo proximus diligendus.

Matth. 22.

Præceptorum 10. decalogi ratio.

p.408

Apostolus Ephes. 1.

Primum præceptum.

Secundum præceptum.

peſſimos (quos vulgo Deos exiſtimarint homines) quoquo pacto diuertant. Principi ſecundo loco reuerentia ac honor debetur: id ſecundo primæ tabulæ mandato præcipitur cum inquit, *Nomen Dei tui in vanum non aſſumes.* DEum etenim prorſus inuiſibilem mortales honorare cum deſiderent, in his maxime quæ ipſum repræſentant, cuiusmodi voces ſunt quæ ad eum deſignandum ſeu laudandum ſunt inuentæ, honorare debent: omninoque quod huiusmodi vocibus ſeu quibusuis rebus aliis DEum repræſentantibus in Dei dedecus ſeu ignominiam (qua-

Tertium præceptum.

lia ſunt blasphemiæ, periuria) vergeret, abiiciendum. Principi quoque tertio ac poſtremo loco obſequium debitum præſtare tenemur. Id altero primæ tabulæ mandato expreſſum eſt cum dicitur; *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices;* quo externus qui ceremoniis & ſacramentis, internusque qui fide, ſpe, & caritate peragitur, ſimul DEI cultus mortalibus DEO ſineeriſſime exhibendus demandatur. Quæcunque ad DEI Optimi Maximi cultum, obſeruantiam atque honoris exhibitionem pertinent, his tribus primis mandatis expreſſum eſt. At & proximus ſicuti & nos ipſi à nobis diligendus cum ſit, diligere vero ſit alteri bonum velle, eique nolle malum: quo ei bonum velimus, primo mandato ſecundæ tabulæ legislator exprimit, cum inquit, *Honora patrem tuum ac ma-*

Quartum præceptum.

trem, &c. Quo omnis exhibitio honoris, beneficiorum gratitudo, in pauperes pietas, ac id generis quæcumque proximo exhibenda ſunt, ſane depromuntur, mala vero proximo ne inferamus, opere, lingua, ac corde caueamus oportet. Opere vero, non modo in propriam atque coniunctas perſonas, ſed & in res ſuas contiguas, ab omni iniuria proximi abſtinendum eſſe cenſuit DEUS: vt absque quauis noxa atque iniuria nobiſcum viuere ac conuerſari queat, ob hoc

Quintum præceptum.

alterum item ſecundæ tabulæ mandatum ſubinfert, *Non occides*, inquit. Quo omnis iniuria in perſonam proximo inferenda inhibetur. Bella quoque & quæ ex bellis oriuntur, deuaſtationes, ſeditiones, ac id generis infinita, quæ proximo vitam adimere poſſent. Vxorem vero, quæ altera eſt ipſe maritus, proximi ne polluas fædusque inter eos initum ne violare præſumas, tertio loco ſubiungitur; *Non mœchaberis*: quo & omnis ſpurcitiæ atque pollutæ libidinis fræna mortalibus ſtringuntur. Cupit enim DEUS nos mundos eſſe: quoniam *beati mundo corde, eo quod DEUM ipſi videbunt.* Bona quæ fortunæ dicimus extrinſeca; Famam item proximi ne contra ius & fas contingeres aut deprauares, duobus inde mandatis inhibuit dicens, *Furtum ne facias*, *Falſum quoque teſtimonium contra proximum tuum non dicas:* quibus omnis fraus, omnisque illicitus contrahendi modus, quibus proximus in ſortunæ bonis lædi poſſet, prohibetur. Mendacium item omne, detractio, ac id generis mala, altero mandato inhibentur. Tam vero lex hæc diuina hominum profectioni inuigilat, vt non ſolum operis, vt reliquæ leges, ſed & mentis rectitudinem depoſcat. Vnde & cordis inordinata deſideria, maxime autem circa Venerem ac fortunæ bona, vt quæ homines etiam cogitatu delectent vehementer duobus vltimis mandatis inhibentur. Ex his igitur mandatis, omnia alia iura, leges item omnes aliæ defluunt in illaque omnia reducuntur; iuſta quoque aut iniuſta omnia ex his ſunt iudicanda. Nihil enim quod ad bonos mores pertinet, illis contrariatur ſiue repugnat, quin potius quæcunque iuſta, quæ ſancta, quæ impolluta

Sextum præceptum.

Matthæus

Septimum præceptum.

Octauum præceptum.

Vltima duo præcepta.

ſunt, in hæc tanquam principia reiiciuntur, ac vltimo reſoluuntur. Quæ vero bonis ac ſanctis moribus ſeu inſtitutis ſunt contraria, & his maximopere repugnant. Ob id & Chriſtiana religio, quæ hanc legem amplectitur ac præ cæteris mortalibus obſeruat, quicquid de virtutibus ac moribus philoſophi * ſeu doctiſſimi viri ſcripſerunt, facilius, vberius, ſanctiusque complexa eſt: quæ vero ab illis ignorata, vel prætermiſſa, ſeu diuina ſeu humana eſſent, exquiſite ac cumulatiſſime tradidit & auxit. Conſilia quoque lex diuina ſeu Euangelica addidit, quo facilius per ea præcepta obſeruentur. Cum Chriſtiana enim vita ad nihil æque ac diuini amoris perfectionem tendat, quæ absque puritate cordis, terrenarumque affectionum purgatione nequeat haberi: quibusdam DEI mandatis

** Ariſtotel. in ethicis & politicis.*

Conſilia Euangelica.

Aſſertiua. Negatiua.

datis puritas cordis inducitur, aliis vero terrenarum affectionum purgatio. Af-
p 409 fertiua dicuntur, prima, Negatiua vero, altera. Conſilia autem vtrunque reſpiciunt; neminem tamen ad ſui obſeruantiam niſi volentem ac ſua ſponte illa acceptantem, vel ligant vel obſtringunt. Neque id conſilium omnes obligat: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, &c.* Vt cælibem quis atque continentiſſimam ducat vitam: ſeu etiam religioſi alicuius patris obedientiæ ſe ſubdat, quo facilius ſcilicet à cupiditatis, gloriæ, faſtusque omnis, necnon voluptatis & rerum exteriorum ſeſe affectibus procul amoueat atque emundet, conſilium eſt, non præceptum. Simul id quoque, vt diuino cultui quisquam in perpetuum ſe dedicet, quotidie diuinas celebret laudes, ſæpiſſime oret, plurimaque alia peragat: ad quæ nemo aliam ob rem obligatur, niſi vt magnum perfectionis apicem caritatisque peramplum augmentum attingat. Hæc, (inquam) & his ſimilia neminem niſi volentem ligant: mirum tamen in modum auxilio ſunt mortalibus vehementer DEum amandi, ipſumque faciliter attingendi. Nam charitatis venenum eſt ſola cupiditas, quæ his ſane excludi videtur atque omnino abiici. Demonſtrauimus his (vt puto) paucis quidem, diuinam euangelicamque legem ordinate ſapienterque in eunctis procedere: ita vt nihil incompoſitum, nihil inordinatum admittat; nullamque philoſophorum, neque Platonis, nec Stoicorum, nec Epicureorum neque Pytagoricorum, ſed nec Peripateticorum ſcholam, nullam denique ſectam ſeu religionem aliam, imo vero legislatorem nullum, ſeu Mercurium Trismegiſtum qui Ægyptis, ſeu Solonem qui Athenienſibus, ſeu Licurgum qui Lacedæmoniis, ſeu Phoroneum qui Argiuis, ſeu Pytagoram, qui Italis, ſeu etiam Numam Pompilium qui Romanis legem rulit, ciraueris, eiusmodi attuliſſe doctrinam, omni ex parte tam rationi conſonam, nihilque quam æquum & iuſtum admittentem: quinimo tantum ab hac noſtra diſtare, quam terræ centrum à ſummo diſtat cœli conuexo, quamue tenebræ ab ipſa clariſſima luce.

Conſilia non obſeruauit acta Cæſar.

Reſtat videamus quam Cæſ. Maximilianus (de quo ſermo eſt) hanc DEI Opt. legem ſeruauerit, ac ſuam ſecundum hanc vitam inſtituerit. Conſiliis quidem omnibus vſus non eſt, cum & mundo nonnunquam adhæſerit, in mundo conuerſatus fuerit, orbique imperauerit. Neque tamen adeo mundum illecebrem excoluit, vt mentem ipſius ſereniſſimam à Deo Opt. potuerit auellere. Si ſorte tamen aliquando, vt eſt inter homines praui inclinatio, atque à iuuentute ſenſus ad malum quam proni, non eſt malis immoratus Cæſar, neque malo addictus, ſed quam primum ad ſe reuerſus DEum quam deuotiſſime & excoluit atque in priſtinam reſtituit amicitiam. Præceptis diuinis ita ſe accommodauit, vt princeps an homo priuatus Deo quam maxime addictus eſſer, non facile diiudicaſſes. Quæ enim (vt per partes ſingula dicamus) ad Dei Opt. Sanctorumue cultum, ad diuini item nominis honorem attinent, nemo hoc Cæſare noſtro ſeruentius & perſoluit, attentiusque peregit: quantæ fidei atque ſpei amoris quoque in DEum fuerit, paulo poſt dicemus. Diuinis ſingulis diebus interfuit, Myſteria diuina nullo die prærermiſit: aderat illis tanta deuotione, tam animo recollecto, vt nil niſi diuinum, nil præter Chriſti mortem, cuius myſteria in miſſa ſciebat tractari, pro tunc cogitaret. At ſi ſorte (vt fit) mens ſibi nonnunquam ſubriperetur, dilabereturque prorſus ad alia, quibus ſorte tum deditus eſſet magna Imp. negotia, ſtatim vt perpendit ad ſe reuerſus iterum in DEum ferebatur. Nec id coniecturis, ſed vera experientia edoctus loquor. Vnde & militaribus fratribus S. Georgii inter cætera id quod quaſi præcipuum dedit ſtatutum, *vt quam attentiſſime ſingulis diebus diuinis interſint, nec quantumuis eis immineat negotium, ad alia quam diuina eo tempore eorum mens feratur.* Teſtantur & deuotionem huius ſacri Cæſaris Sanctorum plurimi, in quos magno ac feruido ſemper ferebatur amore: præcipue in Diuum Andream, Georgium, atque alios plerosque, quorum & feſta tam exacte, tam ſincere ſingulis annis peregit, vt putaſſes nil præter Sanctorum feſta ſibi fuiſſe menti. Di-

Præcepta Dei obſeruauit. Cultum diuinum auxit atque dilexit.

Diuinis frequens interfuit.

Militares fratres S. Georgii. Patroni Cæſaris inter ſanctos. Feſta coluit Sanctorum. S. Leopoldum inter duos reges curauit.

Templa & monaſteria Honoris diuini feruens Zelator.

uum quoque Leopoldum Auſtriæ quondam ſanctiſſimum principem, conſanguineum ſuum ob præcipuam in eum deuotionem inter diuos referri curauit. Templa atque monaſteria quamplurima deuotionem eius ac in DEum & ſanctos deuotum cultum teſtantur, quibus cum emolumento tum ornamento fuit deuotio Cæſaris.

Blaſphemus nunquam fuit. Ieiunia eccleſiæ obſeruauit.

Nominis vero diuini tam feruens Zelator, vt nusquam vllo tempore vel Dei vel Sanctorum quisquam blasphemum audierit. Imo nec vnquam in vanum nomen Dei aut Sanctorum aſſumpſiſſe, teſtes locupletiſſimi omnes qui viro die noctuque aſtiterunt. Sed nec blasphemum vllum etiam ſi alias ſibi chariſſimus eſſet, apud ſe paſſus eſt: experti id plerique malo ſuo edocti. Ieiunia ab Eccleſia inſtituta pie ſemper ac religioſe obſeruauit. Non potuit tamen (vt dicebat) non eommiſereri miſeræ plebeculæ Chriſtianæ, cui neque ad victum cibus, nec alia quæ ad ieiunium requirantur in Germania ac ſeptentrionali plaga ſuppeterent neceſſaria. Inſtetit ob id magnis apud Pont. Max. Leo- p.410
nem X. precibus vt miſero miſertus popello, ne magis hæc de ieiunio Chriſti, fidelibus præcepta atque mandata ſint in præcipitium ſeu ruinam quam ſalutem occaſio, quatenus ieiunii tempus, quod quadrageſimale dicimus, in plures diuideretur anni partes; ciborumque iuxta regiones haberetur exacta ratio atque diſcretio, quo omnibus quos ligaret huiusmodi præceptum, eſſet ieiunandi facultas. Verum inſtigatione quorundam id interruptum eſt conſilium, quo minus Pontifex aſſenſerit, quos Hypocritas nominare ipſe fuit ſolitus, vt qui magis propriæ gloriæ quam animarum ſaluti conſuluiſſent. In parentes piiſſimus fuit, vt qui ab ineunte ætate ardentiſſime & patrem Federicum tertium, ac matrem Leonoram Imperatores Aug. ſemper veneratus ſit, colnerit atque ſummo proſecutus amore; vt Coriolani erga Veturiam matrem, Claudiæ Veſtalis, Cimonis Athenienſ. Antigoni Macedonum regis erga parentes amorem, aut æquauerit, aut certo longe exuperauerit. Amorem eius maximum erga parentes ſuos teſtantur monumenta, patri Fedetico in Wienna Pannoniæ, matri in ciuitate Noua, tanto appatatu, tantis ſumptibus conſtructa, vt cum per annos iam amplius quam viginti multi continuo adſint artifices, magnæque indies habeantur impenſæ, neque tamen ob magnitudinem atque excellentiam operis adhuc in finem perduci potuerunt. Continentiæ quoque incompatabilis

Maria Burgunda vxor Cæſ. prima.

ac pudicitiæ fuit, cum Mariam Burgundam Caroli clariſſimi illius principis Burgundionum filiam primo in vxorem duxiſſet, ita apud eam matrimonii iura conſeruauit, vt pauci admodum continentiores ipſo ſeu puriores, nedum inter huius noſtræ ætatis, ſed neque vetuſti ſæculi ptincipes facile reperiantur. Poſtea veto quam ex ea filios duos ſuſcepiſſet, Philippum qui poſt tempus aliqnod Hiſpaniarum Rex fuit deſignatus; atque Franciſcum qui iuuenis admodum ab hac luce migrauit, nec non Margaritam filiam, inter mulietes huius noſtræ ætatis fœminam omnium rariſſimam, aduerſa fortuna equi caſu collapſa diem

Blanca Maria vxor Cæſ. ſecunda.

obiit extremum. In cuius locum Blancam Mariam Mediolanenſem principem traduxit vxorem, quæ tamen absque ſobole ex hoc ſæculo migrauit. Vtranque adamauit vniee, caſtoque amore dilexit, puto quod neque Graccus Corneliam Rom. neque Julia Pompeium Magnum adamauerit magis. Continentiæ (inquam) ac modeſtiæ talis ac tantæ, vt nullo vnquam tempote quiſquam audierit ab ipſo nec ingenuas, ſed neque inferioris ſortis virgines pollutas. Vt maiora interim taceam, matronarum puta ſeu virginum raptus, aut inceſtus, ſeu id generis multa, quibus (proh dolor) Reges nonnulli ac ptincipes huis noſtræ ætatis (vt fertur) plærique dant operam. Abhorruit ob mentis (puto) perpetuam puritatem, nedum veterum vt Neronis, Caligulæ, Tiberii, Arthoxerſis, Darii, filii quorum notæ hiſtoriæ atque polluta labia, ſed & quorumcunque ſuorum maxime, ineontinentiam. Vnde ſi ex eis de adulterio aliquem notaſſet, ſemper toruis (vt aiunt) oculis, ac ſiniſtra mente reſpexit. Teſtantur & puriſſimam eius mentem, decreta fratribus militaribus S. Georgii per eum tradita, quibus ipſos inter cætera plurimum ad continentiam à venereque

abſtinen-

abſtinentiam adhortatur, oſtendens ac plane demonſtrans quot inde mala, quanta infamia, quam praua ſubinde exempla apud mortales oriantur.

In bellis inferendis tardus, vt qui damna irreparabilia, quæ ex bellis euenire ſolent ſemper præcogitarit: pertulit ob id à plerisque iniurias multas per longa etiam tempora, maiori etiam quam humana nonnunquam patientia vſus, priusquam bellum inferret. At vbi ſecus fieri non poſſet, magno animo bella & indixit & proſecutus eſt. In miſericordiam tamen ac pietatem ſemper procliuior, Vnde & ſæpius victorias, quæ iam in manibus haberentur & eſſent, cum ſe hoſtes recognoſcerent ad pedesque proſtraſſent, elabi paſſus eſt. Multos exercitus & ſi fuderit ad internitionemque deleuerit, hoſtesque ſimul habuerit truculentiſſimos, nunquam tamen humanæ conditionis ac fragilitatis immemor, omnibus quantum in ſe erat ad parcendum fuit paratus, vt viſus ſit cum Julio Cæſare omnium præterquam iniuriarum memor. Experti ſunt id quamplurimi ſuorum hoſtium, quos enumerare facile eſſet, ſi aliorum contumeliis Cæſaris noſtri laudem quæreremus. Sed id neque inſtituti, neque noſtræ mentis propoſitum. Faſtum mentis ac elatum animum ſemper abhorruit, nec quosuis quam ſuperbos magis habuit deſpectui. Gallos ego ob id atque Venetos apud ſe fuiſſe inuiſos crediderim, quod tam erga omnes & ſint ſemperque fuerint animi elati. Nil in hoc Cæſare noſtro niſi modeſtum, nil quod non ſummam modeſtiam redoleret ac præ ſe ferret. Habitus, inceſſus, geſtus, omnia in eo modeſtiam quandam redolebant. Si quando tamen vel locus vel tempus expoſtularet, & principem magnanimum ſimul ac Imperatorem Romanum vultu & geſtu ſeſe magnanimiter demonſtrabat. Cibi atque vini
p411 temperatiſſimus, vt qui vltra neceſſarium naturæ nihil nec cibi nec potus ſumeret. Parciſſimi fuit potus, vt qui raro vltra quam ter in prandio aut cæna potum ſumpſerit: infra prandium vero ac cænam quam rariſſime bibiſſe viſus eſt. Germanorum principum more bis in die cibum ſumpſit: determinatas horas cibum ſumendi non obſeruauit, verum iuxta importunitatem negotiorum differebat aut præueniebat horam conſuetam. Neque in ſe ſolum temperans fuit is Cæſar noſter, verum & eos maximo proſequebatur odio, quos vino ſe ingurgitaſſe notaſſet, Legem etiam ſeueram pluries contra eos qui intemperate nimis vino abuterentur, eſſentque immodeſtiſſimi, promulgari fecit, ac nonnunquam quos deliquiſſe comperiſſet, iuxta legem vel curia ſua depulit, vel alia pœna mulctauit. Diximus iam, quo pacto Cæſ. Maximilianus iuxta Chriſti doctrinam ac Dei mandata vitam inſtituerit propriam. Nunc videbimus quid de aliis curauerit, quibus moribus ſeu inſtitutis vitam traducerent. Natura inditum eſt vt ſimile ſimili oblectetur, ſitque ſimilitudo in rebus ratio amoris, in animantibus ac aliis rebus id ſane videmus. Cumque Cæſar noſter adamuſſim iuxta CHRISTI legem vitam ac proprios mores inſtituerit, quod neque hoſtes Cæſaris negabunt, quodque CHRISTUS DEUS Opt. Maxim. hoc genere moriendi, quod Cæſari ab alto eſt conceſſum teſtatus eſt. Neque enim facile fiet, vt qui male viuant, tam bene, tam Chriſtiane, tamque religioſe, vt Cæſar hic, ab hoc ſæculo migrent. Quid niſi ipſe omnes percupierit iuxta CHRISTI legem & vitam atque mores inſtituiſſe, & ſi de priuatis id quam longiſſime conſtet. Quotiens enim in conuentibus Imperialibus, quos plures celebrauit, regulas, decreta, ac leges ſanxit, quibus ſancte atque inconcuſſe viuerent omnes. Nihil tamen indoluit magis vir ille optimus, quam quod totiens verba fuerunt habita de neſcio qua Chriſtianorum reformatione atque priſtinæ innocentiæ Chriſtianæ ad normam reductione, cum tamen nullus vnquam ſubſecutus fuerit effectus. Sciebat Cæſar, pluriesque replicabat, quod inanis eſt medela, ac plane fruſtra apponitur cura pedibus, niſi capiti, brachiis, ac cordi prius abunde fuerit prouiſum. Vnde vniuerſalem ſemper deſiderauit collapſorum morum reformationem; non quidem fictam, non verbis palliatam, cui nihil ſubſit operis, ſed ſynceram, ſed veram ac integram, quemadmodum

Bella inuitus intulit Cæſar.

Faſtum mentis abhorruit.

Abſtinens ac temperatus.

Aliorum vitam iuxta Chriſti legem inſtitui curauit.

Multa decreta ac leges ſanxit in dietis imperialibus. Reformatio verbalis.

dum & ſibi in DEUM atque eccleſiam mens erat vera, integra atque ſyncera.

At quia vir ſanguinum viſus eſt eſſe, cum quantumuis ex ſe vir pacis eſſet, tantus ſuo tempore quo præfuit Imperio Romano effuſus ſit ſanguis Chriſtianus; noluit forte DEUS Maximus ob id, ſicuti neque ab altero Dauid à Cæſare Maximiliano ſibi conſtrui templum: ſed cum Solomone id quo perficiatur ac plane in finem bonum deducatur, potentiſſimo regi Carolo Cæſaris nepoti ac filio reſeruatum eſt. Alieni æris nunquam cupidus, vt qui ſui eſſet largiſſimus ac in erogando profuſiſſimus. Si quando enim aderat copia (vt apud potentiſſimos principes crebro eſt) liberaliſſime erogauit. Maximo odio proſecutus eſt eos qui latrocinia exercerent: ſi quosque deprehendiſſet, capitis ſupplicio affecit. Dici vix poteſt quam etiam eorum nomina nedum perſonæ ſibi fuerint inuiſa. Non minus abominatus eſt eos ac plane odio habuit, qui ſub ſpecie religionis hypocriſi laborarent, vtque hominibus placerent, parum quo DEum offendant ipſi timent: hos (inquam) nec videre neque coram audire voluit: aliquando in eos iocatus, *lupos ſub ſpecie ouina eſſe* dicebat. Nihil niſi apertum, nil niſi integrum atque ſyncerum amauit aut coluit. Principem quoque ſe geſſit optimum. Cum inter tyrannum enim ac bonum principem hoc interſit, quemadmodum Ariſtoteles * in ethicis atque politicis deſcribit, quod videlicet princeps bonus, omnibus conſulit, nihil ei antiquius, nil dulcius republica, animus in omnes plusquam paternus, omnium vita charior quam ſua, nihil neque noctes neque dies agit nititurque quam vt omnibus ſit optime, apud eum præmia parata bonis, malis (modo ſeſe ad frugem melioris vitæ referant) venia, patriæ commodum, ſuum ducat eſſe lucrum, ſemper vigilat, quo cæteris liceret altum dormire, nusquam ſibi otium, quo patriæ liceat in otio vitam agere, At tyrannus ſequitur quicquid in animo collibuerit, diuitias ſubditorum anhelat, vi atque armis imperium acquirit, atque conſeruare conatur. Cui ii omnes ſuſpecti qui prudentia, virtute, atque autoritate pollent, ſimiles ſibi ſceleſtiſſimos tum officiales tum conſiliarios parat ac deligit, & quos præpollere videt nititur ad internitionem vltimam delere. Et cum hæc (vt diximus) & boni principis & tyranni ſint partes, quis maiori animo, ingenio meliori, boni principis quam Cæſar noſter partes peregit? quis tyrannicas magis eſt auerſatus? Et quia res ſole clarior nihil his immorabor, ſi tamen id vnum non ſiluero. Quo enim nobis, qui ſub impetio ſumus eſſet quam optime, liceretque altum dormire, hic Cæſar vigilauit ſemper, noctes atque dies pene vigilando abſumpſit, vt mirum etiam hoſtibus ac exteris ſit viſum quod homo quispiam huiusce ac tantas perferre potuerit vigiliarum moleſtias: tribus aliquando vix horis, ad ſummum vero quatuor aut quinque quieti indulſit: reliquam noctis partem in negotiis verſatus duxit inſomnem. Labores itineris quis enumeret? Cum tot tantique fuerint, vt vel gregario militi exitiales eſſe potuiſſent: paucæ enim in Germania prouinciæ, paucæ vrbes, quas pro temporum atque negotiorum oportunitate ipſe præſens non adierit. Nullum habuit vel temporum vel locorum diſcrimen: niues quales habet Getmania maximas, etiam inter Alpes altiſſimas, vbi nonnihil periculi & ſibi & ſuis aliquando eſſet, ſuperauit crebro. Seu frigora ſeu calores forent immenſi, modo prodeſſe poſſet, ab itinere nunquam deſtitit: & quidem nonnunquam tanta velocitate iter emenſus eſt, vt tabellario fuiſſet ſupra quam ſatis. Experti ſunt quæ dico, qui eum ſequerentur.

Liberaliſs. Cæſ.
Odio habuit latrones. Abominatus hypocritas Cæſar.

* 8. ethi. 5. polit.

Vigilantia Cæſaris.

P. 412

Cum autem multa ſint quæ regem ſeu principem decorent, nihil tamen æque ac clementia: per eam enim non coniungit modo ſed deuincit ſibi populos non ſolum ſuos ſed & exteros. Reges enim Iſrael clementes fuut; Alias in principe admiramur virtutes, hanc amamus atque obſeruamus vnice, quod in Pompeio Magno viſum eſt cum Armeniæ regem Tigranem in regnum reſtituiſſet, neque poſt cruentiſſima bella quæ cum populo Romano geſſerat, coram ſe diutius iacere ſupplicem paſſus eſt: ſed benignis eum adhortatus verbis, diadema

dema in caput ipſius reponens & regnum & imperium reſtituit, æque pulchre iudicans & vincere reges & reſtituere. Verum quia pacis ac belli ſunt ſua tempora, præclarosque principes pace liberalitas deceat atque (vt diximus) clementia, bello laborum tolerantia atque fortitudo; vtrobique Cæſar noſter Maximilianus ita excelluit, vt in ambiguo ſit alterutrum fuerit præſtantius. Clementiam in eo atteſtantur, innumera ipſius benigniter acta, qui (vt prius diximus) omnibus etiam hoſtibus, modo voluerint, benefacere, delinquentibus quoque parcere ſi ad melioris vitæ frugem reuerti voluerint conſueuerit. Natiua tamen hæc Auſtriæ domus virtus eſt, vt eius principes humanitate potius mites ac placidi quam ſeueritate auſteri ſint. Quod cum in aliis Auſtriæ principibus ſæpius fuerit viſum, in hoc tamen noſtro Cæſare peculiare erat, vt homines longe magis patrem atque parentem quam dominum in ipſo ſe habere teſtati ſint. Liberalitatis tantæ, vt nemo qui huic Cæſari honeſte integreue inſeruierit, non ſatisfactus ac bene pro rei dignitate remuneratus ab eo diſceſſerit. Et vt verum dicam, eo vsque liberalitas huius viri ſacratiſſimi proceſſit, vt hoſtes ac æmuli prodigum eum fuiſſe fuerint perbelle iocati. Nec ſilentio tradere poſſum, quod cum ex magnatibus ſuis quidam aliquotiens eum admonuiſſet, ne tam profuſe ſua effunderet, ob id enim nonnunquam Maieſtatem ſuam & paſſam, paſſuramque æris inopiam: ſibi potius cordi ſeu exemplo eſſet Princeps quidam, quem tum referebat, qui cum rerum ac cenſuum eſſet perexiguus, omnia tamen abunde apud eum eſſent, ob id vel maxime, quod non tam vbertim ſua effunderet: *Quin abi tu potius*, reſpondit Cæſar, *neque poſthac de his mecum conferas. Meminiſſe enim te oportet, me Auſtriæ non alterius familiæ eſſe principem. Hactenus Auſtriæ principes longe liberalitate ſua plura quam alii, tenacitate ſeu mauis auaritia ſua acquiſierunt.* At ille omnium maximo qui adeſſent riſu diſcedens, nunquam deinceps de his allocutus eſt Cæſarem. O vere magnanimum principis ac Imp. animum. Sit vel liberalitatis eius teſtimonium permaximum, quod cum aliquando Cæſar religioſis domibus, ſeu etiam priuatis perſonis aliqua dari dona iuſſiſſet, hi vero qui his præeſſent, aut negligentia aut alia ratione quadam in ſoluendo fuiſſent tardiores, nonnunquam etiam pertæſi, tanquam ſi nimis multa in huiusmodi erogaret, idque reſciſſet Cæſar, pluries duplum dari iuſſerit, nonnunquam triplum. Nemo qui aliqua ſingulari arte, aut doctrina eſſet præditus, modo reſciret Cæſar, ab epiſcopo absque ſingulari munere diſceſſit. Poëtæ, Oratores, ſeu cuiusuis doctrinæ homines, ab eo quam multi & ad honores publicos euecti, & plurimis eorum abunde prouiſum. Teſtes huius erunt quam locupletiſſimi Reuerend. Dominus Card. Saltzburgenſ. Dominus Petrus epiſcopus Tergeſtinus, Dominus Georgius Epiſcopus Vien. Dominus Ludouicus Marlianus Epiſcop. N. medicus quondam Diui Cæſ. Regis Philippi atque potentiſſimi Caroli Rom. atque Hiſpaniarum regis, Dominus Petrus de Motta Epiſcopus Pacen. Balthaſar præpoſitus de Waltkirch, Paulus præpoſitus Vienen. Jacobus de Bannisis Decanus Trident. Sebaſtianus Sperantius præpoſitus Brixinen. Maximilianus Tranſiluanus Secretarius Ro. regis Caroli N. Cancellarius Ro. ac Catholici regis, Conradus Peutinger Jurisconſ. Erasmus Roterodamus, Joannes Reuchlin, Jacobus Spiegel, Stephanus Roſinus, Joannes Stabius, Joannes Cuſpinianus, Zaſius quoque noſter Friburgenſis. Hos omnes (vt plures alios taceam) & fouit & ſingulari quadam animi beneuolentia proſecutus eſt. Militares, nobiles, exercituum ductores, qui eſſent bellorum gnari, plures ab hoc Cæſare caſtris, oppidis, & agris donati ſunt. Et vt ſummatim dicamus, hæc illa ſua liberalitas ex hoſtibus amicos, ex alienis pene domeſticos, ex infidis fidos fecit: paſſimque omnes etiam peregrinos ad ſe amandum atque colendum traxit. Militari diſciplina adeo excelluit, vt nemo ei ſuo tempore par fuerit, nedum ſuperauerit quisquam. Diſciplinæ ſuæ militaris documenta ſatis humana nobis reliquit. In milite enim non philoſophorum auſteritatem, ſicuti nonnulli duri militaris modeſtiæ exacto-

Clementia Cæſaris.

Auſtriæ domus naturalis humanitas.

Liberalitas Cæſ.

Qui ob bonas literas à Cæſ. ad dignitates euecti.

Diſciplina militaris viri à Cæſ.

p.413

res, ſed ciuilem modeſtiam ac virtutem ad res gerendas requitebat. Quam ob rem longinquo hoſte, liberiora militibus diſciplinæ fræna remittebat, vt poſtea propinquior factus, cum ita militum animos viresque recreaſſet, promptioribus diligentioribusque aduerſus hoſtem vteretur. Prælii aut expeditionis raro tempus militi prædicebat, vt horis omnibus eſſe præſto ſe debere atque in mediis deliciis, ſi iuberentur, deſcendendum in prælium ſcirent. Quæ nota & ei plurimas peperit victorias atque perpetuam gloriam, & hoſtes in magnas deduxit ſæpius calamitates. Militarem ſeditionem ſiue militum contumaciam, aut ſi quando accidit ad hoſtes defectionem (quæ militaris diſciplinæ venenum ſunt mortiferum) ſeuera animaduerſione caſtigauit. Et vt ſummatim perſtringamus, neque Julio Cæſare, nec Octauiano Auguſto, inferior erat Cæſar hic in militari arte: qui & nouum genus bellandi, nouum quoque militum genus (quos *Landsknecht* appellant) ipſe inſtituit atque fouit primus. Bello vero tanta inſignitus claritate atque gloria, vt quicquid de hoc dixerim minus illud à laude & gloria ipſius eſſe videatur. Nam ſi enumerare voluero, quo inuicto labore iuuentutis annos militari puluere exercuerit, dies deficiet, frigora, æſtus, cæteraque incommoda quanta animi perſeuerantia pertulerit, non ſomnum, non quietem, non cibum, non potum, ſibi indulſerit; dum optimi ducis atque imperatoris munus ipſe expleret. Neque vero enumero quanto animo, tot periculoſa, tot horrida bella inter primos non ſolum adierit, ſed & nonnunquam anteierit. Gallos in iuuentute pene totiens proſtrauit, quotiens eis congreſſus. Fuit autem id ſæpius, poſteaquam Carolus Burgundiorum Dux diem obiiſſet vltimum, vellentque armis Galli nonnullas terras & prouincias, quæ hæreditario iure Maximiliano pertinerent, ſibi vendicare: quibus magno animo, maiorique fælicitate Cæſar glorioſiſſime reſtitit, atque ſæpe ſæpius de ipſis triumphauit: eousque tum Gallos floccipendit, vt ſemel in pugna etiam atrociſſima lacertis denudatis bellum animoſe inferret, ad internitionemque exercitum Gallorum deleret. Multis tum annis nusquam à caſtris ne quidem pedem digrediens, bella grauiſſima cum Gallis (vt diximus) Sicambris, Batauis, atque etiam Morinis geſſit, ſæpe eos profligauit atque confecit.

Diſciplina militaris.

Landsknecht.

Gallos ſæpe proſtrauit.

Cum quidam ex principibus Germanis magnus quidem ac præpotens* non ſatis obedire Cæſari videretur, Maximiliani Cæſaris manu in ordinem eſt redactus. Bohemi quoque viri omnium bellicoſiſſimi, qui pluries ſola nominis ſui fama exercitus fugarunt, cum neſcio quid ſiniſtri aduerſus Cæſarem hunc molirentur, eſſentque auxilio his qui non ſatis obedire viderentur, parua militum manu accepta (neque enim exercitum ſuum, qui magnus eſſet, expectare voluit) apud Ratisponam ab hoc Cæſare noſtro proſtrati ſunt atque profligati. Nemo eorum ſaluus remanſit, niſi quem innata clementia Cæſaris conſeruauit, quos & in verba ſua iurare coegit. Nemo poſthac Cæſarem magis dilexit, admiratus eſt quam viri Bohemi, quos & ob eximias ſuas virtutes ac integritatem animi Cæſar ſummo in pretio deinceps habuit, ipſisque in bellis vſus, magnam eorum expertus eſt fidem. Veneti vero (qui ſe á multis iam ſæculis inuictos atque inſuperabiles eſſe exiſtimarent) cum Cæſarem Maximilianum quam maxime riderent, omniaque ipſius facta ſubſannarent, ita contudit ac fregit, vt niſi maioribus rebus occupatus (traductioni ſcilicet Caroli nepotis potentiſſimi in Hiſpaniam) iam plane eos confeciſſet, actumque proculdubio fuiſſet de his viris. Cum enim ipſi Veneti per longa iam tempora vniuerſam pene Italiam miris ſuis artibus ſubiugaſſent, animique eſſent quod reliquum erat Italiæ, atque (vt ipſi dicebant) Europæ (nam monarchiam ſibi pollicebantur) poſt hoc occupandi, à nullo Cæſarum poſt Federici Barbaroſſæ tempora nedum expugnati, ſed neque aditi fuerunt; quos Cæſar noſter, cum non vulgaribus iniuriis eum affeciſſent, magno animo, maiorique prudentia aggreſſus, ad internicionem pene deleuit. Mirum vero de hoc Cæſare, quem præ cæteris mortalibus Vencti deſpectui habuerunt, quod eos ita expugnauerit, ita contuderit, vt antea eum

** Rupertus Palatinus. Bohemi victi.*

Veneti à Cæſ. debellantur.

eum nullus. Sed hæc DEI iudicia, quæ ſunt abyſſus multa, ne glorietur ſa- *Dei opus.*
p.41 piens in ſapientia ſua, ſed neque fortis in fortitudine: verum ſciant homines, quia omnis caro fœnum & tanquam flos agri quæ emarceſcit. Sintque omnes ſubiecti manui Dei, qui quos vult humiliat, quos vult exaltat. Principem igitur optimum nihilque tyrannidis olentem geſſit Cæſar.

Qualem autem ſe hominem Chriſtianum habuerit, reſtat videamus. Chriſtianum autem hominem ex his maxime agnoſcas; Si feruidi in DEum Maximum ſit amoris; Si fidei arcanis (quæ omnem humanum ſuperant intellectum) firmo adhæreat animo; Si ſpem atque omnem fiduciam in DEum diuosque reponat; Si denique mortem ſuam præ oculis crebro habuerit. Nihil enim æque mundum contemni, quod maxime Chriſtianum decet, deſiderareque facit ac mortis continua imago. *Facile etenim* (inquit Hieron.) *omnia contemnit, qui crebro cogitat ſe eſſe moriturum.* Quod hæc Cæſar noſter peregerit (ſi præ lacrimis potuero) iamiam dicemus. Amoris in DEum erat feruentiſſimi, isque Dei amor ipſum inter aduerſa quibus pene per omnem vitam ſuam premeretur, tam patientem, tam mitem, tamque conſtantis animi fecit, vt cum alrero Job veræ patientiæ cunctis mortalibus viſus ſit à DEO datus exemplar. Hanc vero æquanimitatem ſuarumque aduerſitatum tolerantiam Dei amor, qui fortis eſt vt mors, in Cæſare noſtro operatus eſt. Inter proſpera quoque quæ plura ſibi contigere, tam modeſtum, tam ſui non oblitum is Dei amor reddidit, vt difficile fuerit cognitu, proſpera ne an aduerſa vteretur fortuna: tam ſibi ſemper idem, tam vniformis in omni fortuna. Et hoc Dei amore tam pius, atque in paupetes miſerosue compatiens & largus ſibi animus, Xenodochia quoque decem quæ in paupertum JEſu Chriſti vſum conſtrui, atque ex ſuo ære prouideri, vltimo teſtamento quam liberaliſſime iuſſit atque voluit, hunc etiam in DEum eius atteſtantur amorem. Hineque arbitror emanaſſe vt cum (Chriſto atteſtante) *ei multa dimittantur, qui plurimum diligit, charitasque multitudinem peccatorum cooperiat;* Si quando Cæſar vt mortalis, humanisque paſſionibus ſubiectus nonnunquam deliquit, facile ſibi DEus id indulſerit, ob eximiumque illius in ſe amorem miſericorditer remiſerit: & cum *bene ſibi conſcia mens quaſi inge ſit tonuiuium*, quis hilarem ac ſemper lætum Cæſaris vultum admirabitur? Facile enim qui ſibi ab intra boni conſcius eſt, de foris ſubridebit. Qui enim DEUM diligunt, ſicut Sol ſplendet in ortu ſuo, ita ipſi fulgebunt. Spei quoque ingentis in DEum Optimum Maximum erat, vt qui inter aduerſa quibus crebro per omnem vitam (vt diximus) premeretur, etiam quibus humano conſilio aut ingenio reſiſti non poſſe videretur, magna fiducia dicere ſolitus fuerit; *ſpem in alium non poſui præterquam in te Domine.* Ob id inſanias ac vanitates falſas, in quibus nonnunquam homines ſpei quidpiam reponant, deriſui habuit.

Signa 4. Chriſtiani hominis.

Amor in DEum.

Luc. 7.
Proverb. 10.

Proverb. 15.
Iudicum 5.
Spes magna erat Cæſ.

Cum reſciret, *Beatum eſſe virum, cuius eſt nomen Domini ſpes eius*, DEUM Optimum Maximum omnibus in rebus ſuis præpoſuit, rerumque ſuarum ſemper à diuinis ſumpſit initia. Vnde & eum DEus nunquam dereliquit, ſed in finem vsque protexit. Affuit in tribulatione ſibi cum ad eum clamaret, ab hoſtiumque incurſibus miſericorditer liberauit atque defendit. Quis eum enim à tot tamque potentiſſimis, quos ipſe pertulit, hoſtibus liberaſſet, vt nec beneficio, nec gladio, ſeu alia quadam fraude pet tot annos, quibus & regnis & imperio præfuit, circumueniretur? Cum & eos ipſe habuerit hoſtes, qui his malis artibus longe plus quam gladio bellare didicerint atque conſueuerint. Quis iuuenili ætate, cum totiens inter Gallorum verſaretur impetus? quis in mari, cui aliquotiens etiam exigua manu ſe commiſit? quis inter Heluetiorum tumultus? quis à Geldrenſium fraude tot annis? quis inter Hungaros atque Bohemos? Et quod omnium eſt maximum) quis a Venetis & Gallo, per quos etiam nonnunquam (vt dicitur) proditiones ac id generis ſibi parata eſſent, niſi DEus Optimus Maximus, in quem ſpem ſuam repoſuit, eum conſeruauit atque protexit? Non enim manus noſtra, ſed brachium tuum & illuminatio vultus

Pſalmus.

Pſalmus.

Pericula à quibus liberatus Cæſ. diuina opt.

Pſalmus.

tus tui domine DEus hæc fecit : quoniam complacuiſti in ſeruo tuo, qui ſpem ſuam non in homines aut creaturas quæ fallaces ſunt, ſed in te qui verax, qui fidelis, qui potens es, plene repoſuit. Spes quoque quam habuit maximam in DEum, in vltimo quoque vitæ ſuæ luce clarius patefacta eſt, vt paulo poſt dicturi ſumus. Fidei quoque fuit ſinceriſſimæ, ac plane totus (vt dicunt) catholicus. Diuinis laudibus affuit frequens, Diuina myſteria ſingulis diebus videre & audire voluit, tantaque illis interfuit deuotione, tanta animi ſui recollectione, vt nil tum præter diuina cogitaret : & ſi mens ſibi (vt fit) ſubriperetur, in aliaque ferretur, ſtatim vt perpendit ad cor reuerſus, rurſus in DEUM, atque CHRISTI paſſionem (cuius eſſet deuotiſſimus comtemplator) ferebatur. Nec id coniecturis refero, ſed certa experientia in hoc edoctus hæc dico. Et cum reſciret CHRISTUM dicentem; *Qui vos audit, me audit : quique vos ſpernit, me ſpernit.* Dei miniſtros atque diuinorum ſacerdotes tanto habuit in honore, eriam ſi minimæ eſſent ſortis, quanto ante eum principes pauci. Teſtes erunt de hoc quotquot ei affuerunt frequentes. Solebat Cæſar (cum per otium liceret) de diuerſis miſcere ſermones; at pluries, etiam de diuinis, & eo libentius quo ſibi aut rariora aut ſolidiora afferrentur. De fide autem & eius veritate : & ſi nullum (vt dicebat) ſcrupulum vnquam habuerit, magna tamen animi voluptate ſolida ſtabilia fundamenta illius auſcultabat. Recolo me ſemel ac iterum apud Maieſtatem ſuam fuiſſe, ac inter cætera quibus me alloqueretur, etiam de huiusmodi fidei noſtræ veritate ac ſolidis fundamentis verba plura habuiſſe. Cumque iuſſiſſet, hæc Maieſtati ſuæ tum adduxi : *Et ſi fides noſtra iamdudum & JEſu Chriſti verbis atque factis, ſacratiſſime Cæſar, Apoſtolorum item ac innumerorum Martyrum ſanguine confirmata ſit, atque cunctis mortalibus (qui obicem DEO non ponant) plane eius pateat veritas, multaque ſint doctiſſimorum hominum in eam ſcripta : poſtea tamen quam Maieſtas veſtra ita iubet, pauca de his ſubiungam. Si fides (inquam) noſtra ſacratiſſime Cæſar, vera non eſſet, Chriſtus JEſus (prout aſſerit fides hæc) DEus quoque non eſſet : ex ſola enim hac fide ipſum aſſerimus DEum. Ergo credere ac confiteri ipſum fore DEum, ſumma eſſet blaſphemia, ac deteſtationis genus. Si igitur nos per JEſum Chriſtum obſecramus DEum patrem, quem cum ipſo & Spiritu Sancto credimus vnius eſſe diuinæ naturæ, quomodo DEus tantum errorem ex ignorantia & ſimplicitate conceptum indecenter, tanto tempore ſuſtinuit, atque hodie ſuſtinetur? & ſolita bonitate ſua, ſupplicantibus & illum toto cordis affectu quærentibus non ſuccurrit, quatenus à tanto errore liberentur? maxime cum id in primis ab eo petamus, vt nomen ſuum ſanctificetur per nos : cuius maxime contrarium fieret ſi JEſus Chriſtus pro eodem Deo vna cum Patre & Spiritu S. adoratur, ipſe vero DEus non eſſet. Aut ſaltem cur (vt diximus) huic errori & impietati tantundem faueret DEus, dum plurima & ampliſſima dona quæ omnis natura excellunt limites ac poſſe, impartiens illos proculdubio clementer exaudit? Et vt id plane conſtet, Petrus Thabitam viduam oratione à morte ad vitam reuocauit, Paulus Euticum, Joan. Euangeliſta Druſianam. Oratione deuota Theodoſius Chriſtianiſſimus Imp. Eugenium tyrannum profligauit, atque vna cum exercitu ſuo interfecit. Oratione Alexander patriarcha Alexandrinus Arrium potentiſs. hæreticum & vicit & confudit. Oratione diua Maria Magdalena ſepties in die in aera à ſanctis Angelis eleuabatur, cæleſtique ſplendore illuſtrabatur. Dies me deficiet ſi enumerare voluero, quæ homines Dei oratione deuota impetrauerint. Diuus Dominicus Hiſpanus precibus obtinuit fratrum ſuorum inediam depelli, panè è cœlo ſibi allato. Apollonius vir in heremo ſanctiſſimus cum nihil cibi adeſſet, fratribus nihilominus iuſſis vt menſam pararent, oratione abundantiam ciborum impetrauit. Et vt ſummatim dicamus, orantibus Apoſtolis in nomineque Chriſti deprecantibus Spiritus Sanctus viſibiliter miſſus eſt. His donis quid maius, quidue glorioſius excogitari poſſet? Quare igitur DEus Optimus Maximus his Chriſti cultoribus tam magna conferret, qui ſummam ſibi per Chriſtum inferrent contumeliam ac blaſphemiam. Fides igitur Chriſtianorum vera. Anima inſuper noſtra veritate in primum delectatur, nihilque adeo abhorret ac mendacium, in quo ex natura*

Fidei magnæ fuit Cæſ.

Diuinis deuote interfuit Cæſar.

Luc. 10.

p. 415

Actor. 9.

Actor. 20.

Eccleſ. hiſtor. 14. Hiſtor.

Diuus Dominicus.

Apollonius heremita.

Actus Apoſtolorum.

tura ipſius nullo pacto quieſcere poteſt. Chriſti autem fide falſa, abſurdior ac peſtilentior nulla abuſo inueniri poſſet: quomodo ergo innumeri homines (præcipue vero iuſti ac ſapientes) in ipſa Chriſti crucifixi contemplatione vsque adeo exarſerunt, vt non ſolum humana omnia deſpiciant, ſed inediam, labores, æſtus, improperia, minas, verbera, carceres, ac demum ſæuiſſima quæque tormenta libenter etiam pertulerint ſeu perferunt, ſed etiam ſi deſint, ardenter exoptentur? Id innumera atteſtantur & martyrum & ſanctorum heremitarum, Antonii Pauli, ac aliorum geſta. Jacobus quoque interciſus id atteſtatur. Is enim cum omnia ſibi ob Chriſti confeſſionem præſinderentur membra, ad corque iam tortoris manus ſæuiſſet, ipſe eleuata mente in cœlum dixit; Domine JEſu, ſi mille adhuc mihi eſſent corpora, omnia pro te vt eruciarentur, exponere paratus eſſem. O animum in JEſu Chriſti amorem transformatum. Vnde igitur tanta animi firmitas ac quies, ſi fides vera non eſſet? Certe digitus Dei eſt hic. Ab exordio item noſtræ religionis ad hæc vsque tempora ex archiuis, atteſtationibus, & exemplis tam priſcorum quam recentum patrum & quotidiana experientia nouimus, quod hunc cultum diuinum Chriſtianum extrinſecum, qui in ſacramentis ac ceremoniis conſiſtit; pie ac fideliter exercentes, & qui pluries ſacramenta diuinaque myſteria aut tractant aut ſumunt, quam prius non habuerant, perfectionem acquirunt, & indies admirabili ſanctitate fiunt diuiniores. At e contra qui ſine fide atque religione his familiariter aſſueſcunt, efficiuntur cæteris hominibus longe nequiores. Experientia enim etiam noſtris temporibus in plærisque clericis atque religioſis id teſtatur. Si enim hi ipſi boni fuerint, nemo eis melior: Sin vero mali, nemo peior inuenitur. Illi enim poſt poſitis omnibus, deſpectaque præſentis vitæ fœlicitate, honoribus mundi, voluptatibus illicitis, ad id generis, ſoli Deo placere ſatagunt, lectionibus diuinis incumbentes, DEum ac Sanctos frequentiſſimi ſumma deuotione excolunt. Eregione vero alii, p.416 *ſuperbia, faſtu, auaritia, multisque aliis vitiis obruti, eo deueniunt, impietatis, vt non modo emendare vitam nolint: ſed (quod omnium peſſimum atque periculoſiſſimum eſt) quod quibus cæteri reſpiſcunt, admonitione ſcil. reprehenſione, adhortatione, ac bonis exemplis, ipſi magis atque magis exacerbentur. Hæc cum nemo negare poſſit (vtpote quæ præ oculis ſingulis videmus horis) quærenda eſt tam diuerſorum effectuum in eiusdem ſortis hominibus, qui eadem ſacramenta contingunt, eisdem vtuntur ceremoniis, ſufficiens cauſa. Duos enim contrarios effectus ab vna eademque cauſa prouenire, propter contrarias ſibique repugnantes materiæ diſpoſitiones, philoſophiæ non repugnat. Terra etenim ſolaribus radiis induratur, & glacies ſoluitur in liquorem. Arbor vero fixis humi radicibus, virtute cœli flores pomaque producit, eadem rurſus eiuſſa pari influxu penitus exareſcit. Cum igitur hi duo effectus adeo ſibi ſint oppoſiti, vt alter eorum optimus ſit, in his, qui recte (vt diximus) ſacra myſteria venerantur; alter vero in his, qui ſacris abutuntur, ſit peſſimus, non poſſunt ab inani aut falſa (quæ nulla eſſet) prouenire cauſa. Cumque id in alio genere hominum minus appareat, aliam eorum cauſſam dare non poſſumus, niſi diuerſum contrariumque in illis Dei colendi habitum. Si enim Chriſtiana religionis cultus exterior ab ipſo Deo non penderet, virtutemque ac diuinam virtutem in ſe hoc modo non contineret, quo inſtrumenta ſcilicet virtutem continent principalis agentis, nequaquam excellentiſſimum Chriſtianæ ſanctitatis effectum producere, fouere, & conſummare poſſet. Per ſe enim hæc producere non poſſet: Chriſtiana enim vita (cum ſpiritualis ſit penitus, in parteque intellectiua conſiſtat, à corporeis inſtrumentis nequaquam prouenire poteſt. Quid enim ad excolendum animum, aquæ ablutio, oleiue, ac balſami delibutio, thuris fumigatio, panis ac parum vini ſeu calicis oblatio: quid denique altaria, togæ, ac huiusmodi extrinſeca ſpirituale conferrent, niſi ſuperioris alicuius inſtrumenta eſſent. Nam ſi hæc humano commento vel diabolica fraude ad ſuperſtitioſum ritum introducta eſſent, nunquam à tam prauis & vanis illuſionibus tam ſancta vita proueniret. Dices forſitan, huius aut bonitatis in bonis, aut malitiæ in peruerſis, non cultum huiusmodi cauſam eſſe, ſed virtutum exercitationem; & hominum credulitatem, qua illum diuinum eſſe credunt. Hi enim cum vitia fugare conentur, bonis aſſidue operibus incumbentes eiusmodi imaginatione ac exercitatione indies magis magisque proficiunt. Reſpondeas quæſo quisquis fueris: Quare nam*

Ant. Paulus heremita. Jacobus interciſus.

Cultus Chriſtianorum extrinſecus.

alii probitatis & disciplinæ moralis studiosi, qui aut hæc sacramenta non colunt, aut ab eis per interuallum temporis abstinent, longe ab illa integritatis meta differuntur? Profecto si huiusmodi cultus inutilis aut falsus esset, quanto quis longius ab eius celebratione recederet, à se ipso illum abiiciens, tanto in virtutum exercitatione moralium proficeret magis. Sacerdotes quoque ex eius irrisione ac contemptu non deteriores, sed longe meliores efficerentur: cuius rei contrarium singulis diebus experimur. Quæ si addideris, DEum summam esse veritatem, quantoque eius luce quis magis perfunditur, tanto fit DEO propinquior: quanto autem mendaciis & erroribus magis impletur, tanto fit ab illo remotior. Scimus autem eos qui hæc mysteria pie ac religiose frequentant, diuino cultu vehementer oblectari, vt sæpe etiam extra se positi perstent, attonitis membris immobiles. Horum etiam immutata facies radiis sanctitatis elucens, ipsos cunctis amabiles ac venerabiles reddit. Immo & feroces animos aliorum nonnunquam cum stupore, ac summa omnium demiratione deponit & mitigat. Patet in Attila Hunnorum rege potentissimo ac simul immanissimo, quem nulla arma, nullus exercitus, sed beati Leonis Pont. Max. oratio ab Italia ac hominum cæde abstinere fecit. Sic diuus Benedictus Totilam Gothorum Imp. sic Theodosium S. Ambrosius Mediolanensis sua sanctitate compescuit ac moderatos fecit. Vnde igitur hæc vis? vnde hæc extasis? vnde sedula & iocunda meditatio? vnde feruor ille ignitæ spiritus? & calida suspiria dulcesque lacrimæ defluentes? atque in hymnis & canticis suaue sonantis Ecclesiæ ineffabilis iubilatio? Profecto nisi hic cultus à Deo esset, ac subinde verus, nusquam plura deliria ac mendacia reperirentur. Vir igitur præsertim sapiens & perspicacis ingenii, ex horum sacramentorum meditatione tam mirabiliter ad rerum diuinarum contemplationem non tolleretur, neque tot ac tantis cœlestibus deliciis repleretur. Ex mendaciis enim (vt paulo ante diximus) incertior fit obtusiorque intellectus, & per ea à Deo semper amplius recedit. A contrario igitur effectu Christianam fidem nostram atque eius cultum extrinsecum dicimus verum esse. Fuit Christianus fidelis, atque totus crucifixi domini seruus, vt merito *Christianissimi Cæsaris* sit adeptus nomen: Et quia Deo credidit, reputatum est ei ad iustitiam & fideli seruo suo ostendit Dominus mirabilia sua. Maiora enim atque plura sub hoc Cæsare signa miranda, quibus hæc sancta fides est roborata Dominus ostendit, quam sub vllo quouis Cæsare. Cruces, atque singula pene passionis Christi insignia M. D. III. è cœlo in vestes ac hominum corpora visibiliter ac in prospectu cecidere. Tunica Domini inconsutilis per hunc Cæsarem in ciuitate Treuerensi, cum illic conuentum ageret principum, cum innumeris Sanctorum reliquiis anno salutis M. D. XII. reperta est. In oppido Werd sex miliaribus Germanicis ab Augusta distante, spina coronæ Domini, quæ per Cæsarem magna deuotione illic in cœnobium S. Crucis ordinis diui Benedicti fuisset deportata, in die Veneris sancti, anno penultimo ætatis suæ in præsentia plurium fide dignorum per Cæsarem ad hoc quam diligentissime deputatorum, Balthasar vi- p.417
delicet Wolff præfecti in Werd, Abbatis S. Crucis, Erhardi Almauer sacellani Cæs. Prioris atque conuentus dicti cœnobii (qui & id literis atque sigillis suis, quas penes me iussu Cæsaris conseruo, testati sunt: taceo plures alios vtriusque sexus, qui idipsum suis viderunt oculis) sanguinem sudauit. Et si omnia enumerare voluero, prolixior ero quam mei sit instituti. Sed hæc sat sint testimonii, quod Dominus seruum suum, qui sibi toto corde crederet, grandem atque magnum effecit: Fide enim tanquam alter Moyses grandis est effectus.

Quod vero præ oculis habuerit mortem Cæsar noster, post hac dicturi sumus: neque proferemus in medium, nisi quæ certo certius constant. Anno quinto priusquam diem obierit vltimum, quantumuis in magnis versaretur, & Imperii & regnorum negotiis, essentque sibi tum Gallus tum Veneti quam molestissimi, sarcophagum cum omni ea suppellectili, quæ mortuo ad sepeliendum foret necessaria, per se quam diligentissime ordinauit. Eo enim tempore in Insprugk regio oppido Tirolis, cum palatium amplissimum ac plane Cæsare dignum fabricaret, nescioque quid erroris artifices commisissent,

Christianissimus fuit Cæsar Gen. 15.

Tunica domini.

Sanguis ex spina coronæ profluxit 1518.

Paulus Apostolus Hab. 11.

Mortem Cæs. continuo habuit pro oculis.

miſiſſent, ad Matthæum (quem ſeniorem appellant) qui primus eſſet inter eos qui cubiculo præſunt, ſecretius in aurem ſuſurrans dixit: *Nihil hi faciunt quod gratum ſit. Ego vero domum mihi conſtruam, quæ placeat*, eaque die ſarcophagum cum ea qua diximus, ſuppellectili fieri luſſit. Et clanculo quidem, ne ad hominum oſtentationem id feciſſe videretur. Secretiſſime apud ſe quinque illis annis, vbicunque locorum eſſet, etiam dum Mediolanum contra Gallos proficiſceretur, quam diligentiſſime ſingulis noctibus ſemper conſeruauit ac reponi iuſſit. Arbitrabantur quidem homines, etiam quibus rerum magnarum demandata eſſet cura, theſaurum aliquem illic detineri ac conſeruari? alii nonnihil librorum, quibus hiſtoriæ veteres continerentur, alii aliud magni quidpiam eo deferri. Cæſar vero ſibi conſcius, in quem ſecum deferret vſum, vt ſemper hilaris erat, ſubridendo *in rei cuiusdam ſibi omnium chariſſimæ vſum id ſecum deferri dicebat.* Quis obſecro ſimile inter priuatos, ne dicam Reges & Imperatores vnquam fecit? Quis tam ſedulo ac frequens mortem ante oculos repoſuit, vt neque dies neque noctes ſepulchrum ſibi abeſſe voluerit. Vnicus quem ego meminerim, Saladinus Ægypti atque Syriæ rex, & is quidem Sarracenus, cum morti proximus eſſet, mandauit in ſui funeris pompa quatenus interior lineus amictus, quo indui ſolebat, haſtæ prælongæ impoſitus per caſtra portaretur; & is qui eum deferret, magna voce diceret omnibus; *Saladinum Aſiæ domitorem ex tantis opibus quantas pepererat, vnum hunc lineum amictum ſecum in morte deferre.* Sapienter quidem, ſed ſero, humanæ miſeriæ commonitus. At Cæſar noſter non ſemel tantum, vt Saladinus, ſed iugiter; non morti proximus, ſed quinque annis priusquam diem obierit, mortis ſuppellectilem (vt dixi) diligentiſſime parari fecit. Tam bene, tamque Chriſtiane mortuus eſt, vt ſi ex fine ſit metienda vita reliqua, bona fnerit ne an mala. Non dubium quin ex hoc mortis genere facile Cæſaris vitam fuiſſe optimam ac ſane Chriſtianiſſimam diiudicabimus. Dii boni, quanta patientia, quanto ordine, quam prouide mortuus eſt Cæſar. Poſteaquam enim in anno ſalutis M. D. XVIII. circa initium anni inſignem conuentum celebraſſet prouincialium, cui in oppido regio Tirolis Inſprugk adeſſent ex hæreditariis ſingulis Auſtriæ terris nobiles ac ſenatores, multaque illic futura, quæ ſe mortuo pro pace ac conſeruatione patriæ atque prouinciarum Auſtriæ neceſſaria forent, iam diſpoſuiſſet, Auguſtam Vindelicorum petiit, illic prineipes electores, cæterique Germaniæ principes, primates, Epiſcopi, prælati, reſpublicæ ac innumeti nobiles conuenerant. Aderant quoque Pont. Max. Leonis X. legatus Cardinalis: Regum item Hiſpaniarum, Franciæ, Hungariæ, Poloniæ, atque Bohemiæ Oratores. Celebrauit dietam omnium celeberrimam, multa rebus imperii prærudens, ac de futuro Romanorum rege deligendo cum electoribus conſultans. Adeo hercle vt ex his duabus dietis pene coniecturari liceat, Cæſarem noſtrum mortem ſuam iamdudum præſciuiſſe, tam enixe circa ea inſtetit, quæ ſe mortuo Imperio atque prouinciis neceſſaria forent. De bello quoque in Turcas aſſumendo, deque bellorum apparatu, atque (vt dicunt) bellorum neruo multa per Cæſar. & principes, in primisque per legatum ſanctiſſimi D. N. Cardinalem S. Sixti tractata fuerunt. Auguſta (poſteaquam conuentus ille principum eſſet diſſolutus) diſcedens Inſprugk reuerſus, demum oppidum Kopffſtain petiit: illic per aliquot moratus dies cum magiſtratu, qui prouinciæ Tirolis præeſt, nonnulla commentatus. Adiit illico eum magnæ apud ſe fidei cocus peculiaris, qui à cibis decoquendis pro Cæſare eſſet primarius, euiusque fidem per annos amplius quam XXXVIII. inconcuſſam ſemper fuiſſet expertus: veniam à Cæſare petiit, quo ſibi vxorem ac liberos qui eſſent in Inſprugk inuiſere liceat:
p. 418 Jam enim ſe eis abfuiſſe diebus quamplurimis: ſi vero Maieſtati ſuæ ita viſum eſſet, ſe ad curiam quantotius reuerſurum. Cui tum Cæſar reſpondit. *Nec tu ſane domum hoc tempore aſcendes, ſed mecum potius perges, ſepulturæ me traditurus.* Abhorrente viro dictum, longeque aliter imprecante: *Quin tu optime Cæſar*, inquiens, *per longos atque multos nobis viuas annos. Ita erit vt dixi*, reſpondit Cæſar,

Sarcophagum apud ſe conſeruauit.

Saladinus moriturus.

Bene & Chriſtiane mortuus Cæſar.

Prædixit mortem ſuam Cæſ.

tu mecum deſcendes, meque ſepulturæ trades, nam breui moriturus ſum. Affuerunt multi, cum hæc diceret Cæſar, qui hæc ex ore Cæſaris audierunt. Is quoque idem, cui magiſter Joannes nomen eſt, publice ac coram magnatibus multis, & mihi quidem lachrimis multis, ſæpe ſæpius teſtatus eſt. Per Heni itaque fluuium nauigio Cæſar deſcendens, ad Wels oppidum Auſtriæ peruenit: illic aut aucta, aut certe cœpta infirmitas. Per dies aliquot dum adhuc in Auguſta eſſet Cæſar, priusquam aduerſa valetudine laboraret, vocauerat ad ſe Carthuſienſem, ex Friburgo Brisgaudiæ, dominum Gregorium Reiſch, magnæ famæ ac doctrinæ hominem, quo ſe in oppido Wels conueniret: illuc cum veniſſet, ſtaretque coram Cæſare perhumane ab eo ſuſceptus; *Bono*, inquit, *pater veniſti omine atque tempore, qui mihi auxilio aderis quo cœlos petam.* Reguli vero nonnulli, qui tum forte Cæſari aſtarent, ſubriſerunt, nihilminus quam Cæſatis mortem fore propinquam credentes. At Cæſar conſtantiſſime affirmauit, *breui ſe moriturum.* Somnus inde ſibi per dies ac noctes ademptus, valetudoque aduerſa indies aucta. Adhibiti medici doctiſſimi, domeſtici primo, deinde etiam exteri ex Vienna Pannoniæ. Qui licet omnem ſuam operam quam diligentiſſime apponerent, nihil tamen profecerunt. Conuentum tum prouincialibus Auſtriæ è nouo indixit, vt ſi quid imperfectum anno altero in Inſprugk eſſet relictum, illic ad finem deduceretur. Sed indies valetudine creſcente nihil actum. Nec tamen etiam lecto decumbens à publicis curis abſtinuit, maxime autem quæ concernerent bellum aduerſus Turcas aſſumendum. Aduenerant ex Croatia oratores viri magni contra Turcas, qui ceruicibus ſuis imminerent, ſubſidia atque auxilia ſubnixe poſtulantes. Quibus perbenigne reſpondebat, ſe eis non defuturum, pecunias ſubminiſtrans, ſpe plenos ac bono animo abſoluit. Quo ſe Chriſtianum verum atque deuotum oſtenderet, ſemel atque iterum peccata ſua Chriſtiano ritu ac more confeſſus eſt. Die enim XXVIII. Menſ. Decembr. Ex monaſterio Gleinck ord. Benedicti fratrem ad ſe accerſiri fecit, cui & magna humilitate ac ſumma peccatorum ſuorum contritione deuote confeſſus eſt. Demum infirmitate iam plane plurimum aucta, Die VIII. Januarii, ſecundo eſt confeſſus. Sequenti veto luce, quæ erat IX. dies Januar. corpotis ac ſanguinis Chriſti ſacramentum tanta ſuſcepit denotione, tantis lachrimis ac reuerentia, vt ex circumſtantibus affuerit nemo (aderant autem quamplurimi, nam volnit ſuos adeſſe omnes) qui non collacrimans cum magna deuotione diſceſſerit. Teſtamentum non obſtante graui qua laboraret infirmitate, per ſe confecit atque perfecit, adhibitis viris DEum timentibus, ac plærisque nobilibus qui id exequi curarent. Multa illic (vt audio) ordinauit, quæ ſi (vt ſane ſpero) dabuntur executioni, DEO Opt. Max. laus, hominibus vero (maxime autem pauperibus) vtilitas ingens inde ſequetur. XI. die Jan. ſummo etiam diluculo, vti Chriſtianus ac optimus Catholicus, extremæ vnctionis ſacramentum per ſeſe deuotiſſime expetiit atque poſtulauit. Quo deuotiſſime ſumpto coram ſe, per religioſum virum Abbatem monaſterii Kremsminſter, qui tum ſemper Cæſari adhæreret, diuinis celebratis, Chriſti ſacramentum maxima, qua præ infirmitate potuit, reuerentia deuotiſſime inuiſit: Crucis per ſe ſigno facto, omnibus qui tum aderant valedixit. Cumque à lachrimis nemo aſtantium ſe continere poſſet (quis enim tam ferret animi durique cordis, qui tali ac tanto principe tam grauiter decumbente, ſiblque tam paterne valedicente ſe à fletu contineret.) Aderant ex magnatibus ſuis plærique, qui cum & ipſi irremediabiles emitterent lachrimas, eosque Cæſar coram vidiſſet ipſos alloquitur: *Quid me ploratis*, inquit, *cum ſim mortalis, moriturum hominem? Ite potius, virorum officia peragite: lachrimæ enim huiusce mulierculas decent, non tales quales vos eſtis viros.* O vocem principe dignam, ô generoſum magnanimum, fortemque animum. Neque inter mortis anguſtias quid viros deceat oblitum. Extaſes deinde plures paſſus, vt ab his qui aſtarent, nonnunquam pro mortuo iam haberetur. Accenſam interim iuxta Chriſtianum morem candelam, ſibique vti

Gregorius Reiſch.

Medici Conuentus prouincialium.

Oratores ex Croatia. Confeſſus Cæſar.

Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſit. Teſtamentum confecit.

Abbas de Kremsminſter.

Valedixit omnibus Cæſar moriturus.

Extaſes patiuntur.

moriturо

morituro allatam, ad ſe reuerſus, ſua ſponte manu prædendit. Clericis qui tum adcrant, ſibique momentis ſingulis aſtarent, vt ſe Deo, Virgini glorioſæ, diuo Georgio vti patrono vnice à ſe amato commendaret, exhortantibus: contraque inuiſibiles hoſtes fortiter dimicaret, quemadmodum dum licuiſſet contra viſibiles ſuos hoſtes ſæpius feciſſe, reſumptis viribus, clare (quantum poterat) reſpondit; *Id toto corde ac animo & deſidero & depoſco.* Poſt pauxillum tem-
p.419 poris ad circumſtantes clericos ſubiunxit: *Singula ne perfeci, quæ Chriſtianum hominem moriturum decent, an quidpiam adhuc reſtat vt faciam?* O Chriſtianum hominem. O vere religioſam mentem. Reſpondentibus his qui aſtabant: *Omnia plene per Maieſtatem veſtram ſunt peracta.* Statim extento brachio candelam, quam hactenus in manu reſeruauerat benedictam, aſtantibus reſtituit. Hora inde eius diei ſeptima orationes publice vt poſtulauerat coram ſe habitæ. Voluit autem vt Pſalmi (quos dicunt pœnitentiales) Orationes item diuæ Brigittæ tum alta voce legerentur. Mortem ac paſſionem Domini JEſu Chriſti, iuxta id quod Euangeliſtæ deſcribunt, fecit coram ſe continuo recitari; nec voluit vt ea lectio vnquam intermitteretur. Aderant tum Maieſtati ſuæ quamplures: maxime autem ex clero, Abbas de Krembsminſter, Carthuſienſis, Friburgenſis, Sacellani quoque domeſtici pene omnes; præcipui vero dominus Thomas Krieger, atque dominus Wilhelmus Waldner, qui paſſionem & Chriſti mortem crebro coram eo recitabant. Hora octaua infirmitas plurimum aucta, vt vires iam pene deficerent. Ad Georgium Vogel, qui à cubiculo eſſet, Cæſar tum dixit: *Pergam ego ſane pauco ab hinc tempore.* Et quo perget Maieſtas veſtra? Georgio reſpondente; *Ad DEum optimum, Dominum meum JEſum Chriſtum pergam*, reſpondit: *Nam ad id iter (Dei munere ac gratia) plene ac perfecte ſum paratus.* O ſincerum animum. O fiduciam ingentem quam in DEum repoſuiſti, Cæſar Chriſtianiſſime. Obdormiuit deinde pauliſper, qualis iamiam morituris poteſt adeſſe ſomnus, hora tertia poſt noctis medium, cum Chriſti paſſio alte coram ſe recitaretur, deuentumque eſſet ad id, vt Joannes Euangeliſta dicat Chriſtum inclinato capite ſpiritum emiſiſſe, Cæſar Deo altiſſimo animam deuotiſſime commendans, poſt pauxillum temporis & ipſe ſpiritum emiſit. Patientiæ tantæ in omni ea infirmitate fuit, vt nedum verbo, ſed nec geſtu, aut nutu quicquam impatientiæ oſtenderit. Diſcretionis tam enixæ vt vsque in vltimum tempus vitæ omnes agnoſceret, perciperetque plane quæcunque ſibi a circumſtantibus dicerentur. In vltima quoque mortis hora dum ex cleto multi ſibi aſtarent, ſigno admonuit ne circa ſe ſtarent, ſed ſederent potius. Nam ea, dum viueret, ſempet ſibi conſuetudo erat, vt nullum ex ſacerdotibus coram ſe ſtare, ſed ſemper præ modeſtia ſibi aſſidere fecerit. Deuotione vero tanta mortus eſt, vt à nemine facile vnquam exprimi poſſe crediderim. Pudicitiæ talis ac tam ingenuæ, vt & in hora mortis vltimique agonis, illius non fuerit oblitus, panneolo quem manibus tum forte moriens geſtaret, pudenda (ne à quoq'am ſe mortuo videri poſſent) obtexit. Deo, matri genitrici, ſanctisque ſuis patronis, S. Georgio ac diuo Andreæ, frequentiſſime ſimul ac deuotiſſime plurimum ſeſe moriens commendauit. Mortuus eſt infra tertiam & quartam horas die XII. menſis Januarii, Anno ſalutis M. D. XIX. Poſteaquam vixiſſet annos LIX. menſ. IX. dies vero XIX. Regnaſſetque annis XXXIII. Tali quidem moriendi genere, vt Chriſtiano homini vltra id ad bene ac Chriſtiane moriendum non facile quidpiam addi poſſet. Sepulturæ locum delegit in ciuitate Noua Auſtriæ, in capella ſumptuoſiſſime à Federico tertio parte illic in caſtro ampliſſimo conſtructa. Credo, ob id illic eum delegiſſe ſepulturæ locum, quod in eo Caſtro ſit genitus, in ea capella per ſacramentum baptismi regeneratus. Mater quoque Leonora Imp. Aug. quam vnice dilexit, in ea etiam ciuitate ſepulta. Inhibuit autem (dum adhuc viueret) ne præter communem hominum ſepeliendi modum ſibi pompa adhiberetur. Balſamo noluit condi, cum tamen principibus Germaniæ, maxime autem Auſtriæ, id ſit conſuetum atque

Qui affuerint tum Cæſari.

Vox ſpei plena.

Patientia magna.

Modeſtia.

Mortuus die 12. Jan. Anno 1519.

Sepulturæ locus.

commune. Neque voluit ob pudicitiam illam innatam (etediderim ego) exenterari, ſed iuſſit, vt corpus mortuum calce repleretur. Sacco quintuplici & diuerſo eſt inuolutus, ſubque ſigno crucis quod militares fratres S. Georgii deferunt, ſepulturæ traditus. Corpus mortuum biduo cunctis cuiuscunque ac quantumuis infimæ ſortis hominibus paſſim (priusquam ſacco obtegeretur) palam vt conſpiceretur permiſſum. Ita enim iuſſerat viuens, quatenus homines vel ſuo exemplo viderent, cogitarentque, cuiuscunque ſtatus eſſent ſe mortales fore, quamque nec diademata, nec opes, nec regna, aut imperia, à morte præſeruare hominem queant.

Et ſi omnia quæ in Cæſaris morte ac vita plane ſint miranda, id tamen præ cæteris admirandum magis, quod cum Cæſar noſter natus ſit Anno M. CCCC. LIX. vixerit quoque LIX. annis, menſ. IX. diebus XIX. Obieritque anno Chriſti M. D. XIX. Regnauerit vero 33. annis, quod omnes ſcil. numeri huius Cæſaris in nouenarium, qui in ſe ter reductus ternarium cauſat, qui omnium eſt perfectiſſimus, terminentur. Hoc enim numero (ternario ſcil.) inquit Ariſtot. ſacrificamus Diis. Habet certo certius is numerus annorum, menſium, atque dierum Cæſaris aliquid in ſe diuini. Quid vero illud ſit, Deo manifeſtum, nobis vero abſconditum, niſi his forte quibus DEus reuelare dignatus. Id tamen plane ſperamus, quod ex huius Cæſaris familia, ſalus atque protectio cum incremento ſanctæ fidei Catholicæ, ac ſanctæ eius Eccleſiæ ſalute, ſit futura. Quod Deo relinquimus, cuius altitudinem diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ comprehendere nemo poteſt. Vt vero tandem orationis noſtræ finem faciamus, dicimus Cæſarem noſtrum glorioſiſſimum Maximilianum vt mortuum non eſſe deflendum, ſed potius tanquam viuo maximopere congratulandum, viuunt etenim virtutes Cæſaris clariſſimæ, viuetque per eas Cæſar perpetuo. Nullum enim ſæculum eſt futurum, quod non admirabitur vitam innocentiſſimam, atque Chriſtianiſſimam mortem huius Diui Cæſaris. Quid prudentiam, fortitudinem, magnificentiam, liberalitatem, iuſtitiam, temperantiam, modeſtiam, religionem maieſtatemve commemorem? Putabunt tum ſelices ſeſe principes, eum Maximiliani facta, geſta, atque virtutes eximias poterunt imitari. Viuunt inſuper nepotes Maximiliani, neptesque clariſſimi, & quidem tam glorioſe, vt neſciam ſi glorioſius vllum viuendi detur genus. Europam pene vniuerſam repleuit ſobole ſua Cæſar: Regna etenim Caſtellæ, Arragoniæ, Legionis, Granatæ, Nauarræ, Siciliæ, Neapolis: Principatus item ampliſſimos, Sardiniæ, Valentiæ, Catheloniæ, Tholetæ. Inferioris Germaniæ pene totius, ſuperioris vero tertiæ partis hæreditario iure, Carolus nepos Catholicus ac potentiſs. Rex potentiſſime poſſidet illisque plane dominatur. Quid quod Romanum Imperium ipſum expectat? Vbi Europa, Affrica, atque ipſa Aſia, depulſo Turca immaniſſimo ipſum præſtolatur futurum ſui dominum. Ferdinandus quoque inæſtimabilis ingenii ac indolis Hiſpaniarum princeps num non viuit? Elizabetha quoque quæ Regi Daciæ potentiſſimo eſt nupta: Maria Hungariæ Regi Ludouico deſponſata: Leonora Portugaliæ Regi copulata: Caterina vero (quæ omnium ætate minor eſt) adhuc potentiſſimo cuidam reſeruatur principi. Quis igitur diceret Cæſarem non viuere, qui tot tantaque & regnorum & virtutum ſuarum incomparabilium præclariſſima atque chariſſima poſt ſe pignora reliquit? Viuat igitur Cæſar Maximilianus nobis Germanis perpetuo nullaque ſit ætas, quæ Maximiliani nomen non celebret, veneretur atque excolat. Viuant apud Aſſyrios Semiramis, Ninus, Aſcades, quod ſi cupiant, & ſuus Sardanapalus. Habeant & Latini Janum, Saturnum, Æneam, Aſcanium, Albani, Siluium atque Numitorem. Apud Hebræos quoque viuant Dauid, Salomon, Joſias, Ezechias, atque Oſeas. Venerentur Medi Aſtyagem ſuum, Cyaxarem & Arſacem. Viuant Romanis Romulus, Numa Pompilius, Tarquinii, Scipiones atque Fabii ſui. Excolant Perſæ ſuos Darios, Xerſes, Cambyſes, cum Arthaxerſe. Afficiant honore perpetuo Macedones, Antigonos,

Quid ſperandum ex Cæſ. familia.

p. 420

Nepotes ac neptes.

Ferdinandus.

tigonos, Demetrios, Philippos, & Alexandros. Habeant & Græci Themiſtoclem, Epaminundam, Cimonem. Glorientur Galli vt ſolent in Clodoueis, Ludouicis, Pipinis & Carolis ſuis. Placeant & Saxonibus Vitikindus atque Othones ſui. Admirentur Sueui Federicos, atque ſuum Philippum, vnicus tamen Maximilianus Cæſar nobis Germanis immo Chriſtianis perpetuo viuat, ſitque vnus pro decem millibus. Cuius beneficio quoad vixit, pie, ac ſingulari quadam beneuolentia & humanitate gubernabamur. At mortuus tales nobis poſt ſe reliquit filios hæredes, vt non tam ipſius videamur deſtituti ſolatio, quam perpetuam per potentiſſimum Carolum Regem Hiſpaniarum principem atque Ferdinandum affuturam ſperemus nobis conſolationem, quietem ac diuturnam pacem. DIXI.

p.421

AD AUGUSTOS PRINCIPES, CAROLUM, IMP. ROMANORUM ELECTUM, ET FERDINANDUM GERMANUM, POST MAXIMILIANI CÆSARIS OBITUM

ORATIO

GEORGII SAUROMANI.

Ad Lectorem.

Magnus Haldenberger Lantſperga.

Perlege, quid ceſſas? Oratio culta placebit.
Et ſua Germano palma repoſta Joui.

GEORGIUS SAUROMANUS OPTIMIS AC ILLUSTRISSIMIS PRINCIPIBUS, FRANCISCO SFORTIÆ BARRI DUCI, ET BERNARDO GLESSIO, EPISCOPO TRIDENTINO S. P. D.

POSTQUAM *Diis ita viſum eſt, vt Cæſari, cui iampridem Italia triumphos, plauſus, & latos honores meditabatur, præter omnium expectationem & voluntatem parentandum fuerit: non alienum & à temporum & ab amicorum rationibus duxi, tanti luminis oceaſum atque tam graue orbis terrarum deſiderium quoquomodo teſtari. Quod quidem cum nullis honeſtioribus lachrymis, quam his ipſis quæ penitus ex animo viua voce emanant, neque vnquam exareſcunt, fieri poſſe exiſtimarem, ſubito mecum orationis ſuſcipiendæ conſilium, fortaſſe haud quaquam improbandum iniui, ſi quid modo conſilii aut bonæ mentis in tanta communis doloris magnitudine eſſe potuit, quæ vel ſummi ingenii vires debilitare & facile obruere potuiſſet. Veumque Cæſaris manibus, more veterum miſimus inferias, & hac oratione parentauimus, qua demortui res geſtas, quæ iam ab omni inuidia & adulationis ſuſpicatione abeſſe debent, modicis quidem ſed longe veriſſimis & iuſtiſſimis laudibus perſtrinximus, ne poſthac vlla de eo ſuſpicio vel tenuiſſima in eorum animis relinquatur, qui ſæpe (quæ horum temporum eſt maleuolentia) fortunam in culpam conuertere ſolent. Auxit ſuſceptam orationem conſtans adhuc illius in Auguſta conuentu electionis fama, ad cuius ſpem Italia atque omnes Cæſariani tantis ſtudiis conflagrarunt, vt prope id prius votis declararint quam quicquam promulgatum fuerit. Quorum & hic nunc nonnulli orationem mœſto dolore & recenti lætitia ac deſiderio redundantem, atque ſimul vniuerſa Italiæ vicem apud Reges ſuos lugentem mihi pene inuito extorſerunt. Hanc ego*

vobis

vobis, Principes ornatiſſimi inſcripſi, qui ſuperioribus annis hac Romam tranſeuntes me tum huius vrbis gymnaſiarcham, nulla non amoris & benouolentiæ ſignificatione coram complexi eſtis, ne ea nunc me vobis abſentibus vsquam interim ex animo effluere patiatur. Atque vt ſplendore veſtro illuſtrata, eius rationem facilius tantorum Regum iudiciis probemus, quorum Auguſtiſſimum conſpectum cum veſtra opera forte ſubierit, ſi cætera non admodum probanda videbuntur, certe ſtudium & pietas non omnino improbabitur. Valete Bononiæ Kal. Februar. M. D. XIX.

ORATIO.

SI quando antea in rebus humanis animaduerſum eſt, Mortales vno eodemque tempore, & ſummo dolore, & pariter gaudio affici, atque eorum animos diuerſis ac prorſus repugnantibus ſenſibus fluctuare conflictarique, id potiſſimum hoc tempore videri debet, quo vos Auguſti Principes, in celſiſſimam fortunæ & honoris ſedem, tot gentium votis atque populorum adclamationibus ſublati, & ad imperii orbisque terrarum gubernacula tractanda moderandaque nuper rite lecti, atque deſignati eſtis; Et rurſus, quo Maximilianum Cæſ. auum veſtrum, quo ſol vno neminem vnquam principem meliorem vidit, neminem pietate præſtantiorem, importunis paulo ante fatis nobis ereptum deſideramus. Non quia aut Reſp. Chriſtiana eodem funere elata ſit, aut nobis eam orbatam & penitus gubernatore ſpoliatam reliquerit: verum quoniam alieniſſimo tempore à nobis digredi viſus eſt. Etenim quo cum maxime egentibus & forte laborantibus rebus, ſapientia & officio ſubuenire potuiſſet, tum quod facile nunc tandem omnis anteactæ vitæ ſuæ fructus, non tam per ſeipſum quam per vos nepotes ſuos percipere debuiſſet. Quos haud dubie eo vberiores ruliſſet, quo p. 422 iam pridem in præclaram atque diuinam illam contra Turcas expeditionem ardentiori ſtudio ineubuerat. Quid enim (Dii boni) ille recuſabat, quod ad id pertinere videretur, vt id non ſummis laboribus ac etiam vitæ dimicationibus experiretur? atque nuper adeo quid ei antiquius erat, quam ea de re ad orbis terrarum principes in conſilio referre, Reges ipſos ad communem concordiam omnibus rationibus cohortari, finitimas ſollicitare nationes, populorum animos vndique prehenſare, exercitus cogere, arma expedire, & quacunque terrarum obuolitare, omniaque per ſe obire. Itaque non iam illum vel in extremo ſpiritu vis hyemis, non itinerum difficultas, non ætas, non denique morbus ipſe ingraueſcens, atque illa ipſa, quæ ei perſpicue interitum maturaſſe videntur, retardarunt, quominus omnibus cogitationibus, omnibus & corporis & animi neruis contenderet, vt tandem aliquando, quemadmodum iam antea plæraque è deuictis maximis & fortiſſimis nationibus ac ferociſſimis gentibus immortalia trophæa conſtituiſſet, ſic poſtremo vndique cæſis fuſisque immanibus Chriſtiani nominis hoſtibus atque abunde vltus ſanguinem maiorum noſtrorum, clariſſimos triumphos in oculis Italiæ, in ipſo illo celeberrimo orbis terrarum theatro duceret. Verum inuidit hoc nobis quædam fatalis & nimis crudelis neceſſitas, atque animos interim noſtros ad optimam ſpem erectos improuiſa & indigniſſima clade funeſtauit, ac ſubito miſerabilem in modum proſtrauit. Quamobrem ſi cuiusquam antea principis funus mœrore & luctu publico proſequendum fuit, quantum nunc nobis in tanto Reip. vulnere lachrymarum profundendum eſſet, quantum in eo mœroris exhauriendum; qui ſe nunquam ſatis de imperio Chriſtiano bene meritum putaſſet, niſi etiam tum cum ei in tranquillo & periucundo ocio adquieſcendum erat, tantaque fœlicitate & gloria floreret, omniumque regum & heroum fauore circumfunderetur, vt vel nutu cuncta regere poſſet, vltimum ſpiritum in communi omnium ſalute, in complexu Reip. exhalaſſet. Sed cum nemo vnquam ſapiens mortem fortis & boni principis lugendam exiſtimauerit; quantopere nobis cauendum eſt, ne committamus, vt aut parum grati erga eum fuiſſe, aut minus fortiter eiusmodi caſum

Cæſar alieno tempore vita functus.

Cæſaris animus in Turcas.

Mors boni principis haud lugenda.

tuliſſe

tuliſſe videamur, Non quod æquo animo à quoquam ferendus ſit; ſed (quod optimum quenque conſolari debet) illi nihil acerbitatis per mortem accidiſſe; immo potius illius animum recti & æqui conſcientia, lubenter & vltro é cuſtodia vinculiſque corporis, ad illud diuinorum animorum concilium cœtumque euolaſſe, præſertim cum id fati agentis neceſſitate, & potius DEorum immortalium ad meliora vocantium voluntate, quam caſus alicuius, aut fortunæ violentia eueniſſe ſciamus. nihilque iam per vos nepotes eius relictum ſit, quod nobis incommodo, detrimentoque noſtro admodum dolendum putemus, ſiquidem quicquid & in eo mali erat, veſtra ſucceſſione mitigatum, & abunde compenſatum eſt. Proinde feramus vtcunque, quod nobis amplius reuocare integrum non eſt, & plane ſic animati ſimus, ac ipſe ſi adeſſet, qui nulli vnquam fortunæ ſuccubuit, qui in nulla calamitate ne animum quidem demiſit: neque eius manes ſqualenti mœrore & triſtibus lachrimis, ſed potius exquiſitiſſimis quibusuis honoribus, monumentis, gratæque memoria, in qua mortuorum vita poſita eſſe ſolet, proſequamur. Ac in ea parte Reipublicæ Chriſtianæ in primis gratulemur, quod ille non ſolum effecerit, vt ſe viuente nobiſcum feliciter ageretur, ſed etiam per vos poſteritati proſpexerit, vt quam diutiſſime bonis & optimis principibus nobis perfrui liceret. Quapropter mihi in præſentia hæc qualiscunque non tam publico, quam meo priuato nomine ſuſcepta eſt oratio. Cur enim & nobis non liceat, quod adeo tacitis iudiciis probamus, clara etiam aliquando voce teſtari? Quandoquidem omnes eam ſententiam tenere debemus, vt in Imperii veſtri ſalute ac felicitate, ſalutem quisque ſuam & vitæ tranquillitatem contineri, atque inde pendere arbitretur: Vel ſi id ad communem tantum ſalutem pertinet, non quauis etiam præcipue chariorem æſtimare, nemo (credite mihi) hoc tempore aut à rebus publicis ita animo abhorret, aut ſuas priuatas ita negligit, qui dum intelligit, (quis autem iam non intelligit) quam præclarum de omni republica in illa ſapienti electione ad bene ſperandum ſignum ſublatum ſit, quamque ſalutare rebus humanis tandem ex imperii veſtri faſtigio ſydus affulſerit; qui non protinus omnem dolorem à ſe excludat, cui non lachrymæ vltro exareſcant, quiue non penitus ex animo recreetur, factumque illud ſubinde gratulatione & plauſu proſequatur. Cuius rei vel ego vobis maxime locuples teſtis videri poſſum, qui & ſi neſcio fortunæ an facundiæ tenuioris ſim, nequaquam tamen facere potui, quin hoc iuuenili ardore ſuccenſus, meam, & aliorum quoque ſententiam, ac ſimul ſpem, quam toto pectore concepimus, oratione ſimplici quidem, p.423 ſed (niſi fallor) ingenua & plane ſyncera recudere ſtatuerim. Verum antequam eo prolabatur oratio, oſtendendum mihi prius videtur, electionem illam Maximiliani Cæſaris meritis eſſe debitam; tum communi omnium ſaluti neceſſariam fuiſſe, tum fructuoſam futuram, ſi eius inſtituti, & ſupremæ voluntatis rationem habendam quamprimum duxeritis. Vnde quod proprium huius orationis eſſe debet, vtrinque per ſe vltro exiſtet. Nam commemoratione rerum ab eo geſtarum vos facile ſolabimur, omnesque lachrymas recenti adhuc dolore profluentes abſtergemus; & ſimul animos veſtros iam ſua ſponte ad eius imitationem nitentes excitabimus. Neque enim vereor vos Principes humaniſſimos eo æmulandi ſtudio, quo olim Alexandrum Macedonem, exarſuros, quem veteres paternas laudes parum æquo animo admiſiſſe commemorant: ſed multo eas lubentius quam veſtras proprias agnituros. Et quia auitæ ac cum veſtris communes ſunt, & quod vltro iure quodam hæreditario in vos redundare videantur; nec aliunde vobis exemplar, ad cuius imaginem viuendi rationem inſtituatis, & omnes vitæ veſtræ actiones formetis, petendum ſit. Atque vtinam mihi eſſet ea felicitas ingenii, tantaque dicendi vis & copia, vt res eius geſtas ſi non admodum verborum & orationis inſignibus exornare, ſaltem pro dignitate abunde enarrare poſſim.

Propoſitio.

Electio quibus ex cauſis fructuoſa ſit.

Alexander Macedo.

Nihil equidem in votis optatius haberem, quam me eo totum conferre, & quicquid ſtudii ac induſtriæ eſſet, in tam Auguſto & perenni fonte conſumere. Nunc vero quando virtutibus illis nulla oratio par inueniri poteſt, riuulos tantummodo aliquos ab ipſo capite & fonte ducere, atque eos ſummis (vt dicitur) labellis delibare mihi in animo eſt. E quibus eluceſcat, res eius geſtas, nusquam cum fortunæ artibus, quo nihil in Imperatore præſtabilius fieri poteſt, coniunctas fuiſſe. Fecerat enim (vt iam inde exorſus orationis meæ proficiſcatur) Virtus tandem Maximiliani Cæſaris & diuina illa in rebus gerendis animi moderatio, vt mortales, qui antea longe maximam vim in Fortuna eſſe vel ſecundas ad res vel aduerſas arbitrabantur, quique nihil tam in Imperatoribus requirendum quam fortunæ erga eos propenſum fauotem perpetuamque blandientis quaſi matris indulgentiam ſtatuebant; nunc ſane multorum conſpiratione atque tacito quodam conſenſu eius auctoritatem labefactari & dignitatem obſoleſcere paterentur. Porro quam paulo ante rerum humanarum reginam diuinis prope honoribus coluiſſent, iam eandem vllo vsquam in numero putarent, plærique vix virtutis miniſtram aut pediſſequam quanpiam agnoſcerent: Alii, ſi optio daretur, iratam atque plane aduerſantem quam ſecundam experiri glorioſius ducerent. Quanquam ea multa ſæpe ingentiaque cum virtute, penes quam nam foret rerum ſumma, certamina edidiſſe viſa eſt, & plærunque victotia poſt veteres illos & optimos quosque Romanos ſeu Græcos ſiue Germanos Imperatores, à fortunâ ſtetiſſe, qui nullas omninò res arduas fortunæ auſpiciis, ſed ſolo virtutis ductu gerendas putarunt: quæ nunc ea inprimis de cauſa aqud vos viuunt, ſemperque quotienscunque fortium virorum mentio orietur, æterna in laude vetſabuntur. Nam quotus deinde quisque non auerſatus virtutem, ſolum arridentis fortunæ ipſius inſidiis res magnas aggredi auſus eſt? Quos tantum abeſt cum illis conferam, equidem vt vix in laude aliqua ponendos exiſtimauerim: Quid enim indignius videri poteſt, quam eam quæ etiam cæca ab vniuerſa antiquitate fingitur, ducem rerum gerendarum extitiſſe, in ipſos Imperatores imperium habuiſſe, atque vltro in tantarum laudum communicationem veniſſe? Eam (inquam) quæ fere ſemper obſcurorum, ignauorum & (quod præcipue deteſtandum) improborum hominum impenſius quam bonorum votis fauit & eorum gloriam aluit. Cuius præterea cum illecebras inſidioſas, ſucceſſus fallaces, tum quoque conſtantiam laudis commendatione nonnunquam catuiſſe animaduertimus. Quippe plærosque magnos Imperatores, & alioqui omni poſteritate dignos, quorum fortuna ob diuturnam, & nimiam erga eos facilitatem veluti dormientium rete trahere viſa eſt, non aliunde verum illum ſolidæ laudis fructum percipere nequiuiſſe, niſi quod nunquam alteram & vertentem experti è vita deceſſerint, in qua nimirum fortes & iuxta ſapientes ab imbellibus & temerariis tanquam in aliqua gladiatorum arena non obſcure dignoſci ſolent. At virtutis cum ſemper alia ratio fuerit, quod nullis vnquam aut ignauis, aut improbis ad eam aditus patuit, quodque bonos ſolum bonis cumulare, honoribus complecti, immortalitatisque gloria ſouere ſolet; non ſocordiæ, temeritati, corruptioni, fauori, largitionibus, popularibusue auris obnoxia, pauci admodum mortalium ad eam curſum tenuerunt: Ita vt iampridem ab omnibus pene rurſus deſtituta & neglecta, haud multum abfuiſſe videatur, quin fortunæ penitus concedere & victas manus dare coacta ſit, ſi non ocyus per Maximilianum Auguſt. dignitatem ſuam recuperare atque priſtinum omnem p.424 ſplendorem recipere cœpiſſet. Nihil certe (vt omnium iam fert ſententia) poſt hac Virtuti à Fortuna reliqui factum eſſet. Cum enim conſilia, res, rationesque illius, ab ineunte ætate animo & cogitatione paulo altius complectimur, non ſolum nihil vnquam ab eo domi militiæque ſuſceptum inſtitutumque intelligimus, in quod fortuna meram illam poteſtatem ſuam

Narratio.

Maximil. laus à fortunæ contemtu atque victoria.

Fortuna cæca.

Per Maximilianum fortunæ virtus ſuperior.

ſuam oſtentare potuerit, quin id antea animo prouiderit, ſeque aut ad fortiter excipiendum, aut ſapienter declinandum præparauerit: verum etiam videtur in prælijs ipſis (vbi illa eximia auctoritate pollere creditur) ſemper ſimul vna eademque victoria & hoſtes & fortunam ſuperaſſe. Quæ quidem non tam à fortitudine & rei militaris ſcientia, quam ex interioribus animi & ſapientiæ fontibus naſcatur, indeque omnis principium & originem ducat neceſſe eſt, eius ſola vere & proprie victoria vocari poterit, aliorum caſus & euentus fortuitus. Cuius quod illuſtrius (ne ſuperiorum temporum memoriam repetamus) argumentum ſumi poteſt, quam quod ætate hac noſtra, qua ille rerum gubernacula feliciſſime moderatus eſt, viderimus interim tot Reges & principes fortunatiores quam prudentiores, temere demum in pericula perlatos, aut amiſſis exercitibus in hoſtium veniſſe poteſtatem aut in acie turpiter cecidiſſe, alios tumultu & ſeditione militari oppreſſos, alios ſuorum ciuium fœda conſpiratione propriis & auitis regnis excluſos, alios inſidiis exceptos & crudelem in modum è medio ſublatos. Quoniam ipſe iam inde vsque à teneris (vt aiunt) vnguiculis, non vt illi ad magnum fortunæ ſplendorem, ſed verum virtutis cultum educatus & quaſi in ipſis cunis, formatus fuerit; atque pubertatis annos egreſſus (in quo flexu ætatis, natura profundere ſolet omnes adoleſcentiæ cupiditates, præſertim in eo ſaſtigio vbi facile lieet quod libet, ipſæque ob potentiam & omnium rerum affluentiam minus compreſſæ conſtrictæque eſſe conſueuerunt) tum multi vndequaque ad deprauandam parati obrepere, qui ſplendore falſi honoris obiecto, ſæpenumero aciem bonæ indolis perſtringunt, & plærunque flebilem adhuc ætatem illam, iam fortunæ blandimentis ineſcatam, iam adulationibus obrutam, variis voluptatum illecebris à recto deuocant, generoſumque illum principis animum, aliorſum quam oportet ducunt ac violenter deflectunt; eos ille tanquam ſcopulos aliquos in illo annorum decurſu præterſectus, ſemper in bonorum & ſortium conſuetudine adquieſcere contenderit, deditus optimis diſciplinis, iisque artibus quibus principes ad vſum rerum publicarum, ad capeſſendum imperium, ad honorem, gloriam, dignitatem inſtruuntur. Quamobrem quam primum paulum roboris animi eius ornamentis acceſſit, tantum de ſe ſubito, apud omnes populos adultæ iam virtutis ſpecimen præbuit, vt eorum principum, quorum ea poteſtas eſt iudicio, quo nihil fieri poteſt rectius aut exactius, ac non modo omnium ampliſſimorum imperij ordinum conſenſu, ſed miro totius orbis terrarum adplauſu, viuente adhuc patre & id minime ambiente, imo potius (quæ illius erat modeſtia & animi candor) repugnante, Imperator renunciari meruerit, ne tum fortaſſis quod aliquando fortunæ arbitrio ſubiacere videbatur, eos diutius ſpe dubia torqueret. Voluerunt ſcilicet principes prudentiſſimi, in ea parte Fortunæ varietatem & petulantiam, ſapientia & certa inuenta ratione anteuertere. Maximilianum tempore ab eius procacitate vindicare, atque vniuerſo humano generi mature conſulere. Imperator itaque declaratus, quod tempus pueritiæ extremum, principium habuit bellorum atque imperiorum maximorum, in quibus virtutes quoque eius Imperatoriæ longe lateque in omnium gentium ora ſeſe diffudere. Adoleſcens enim, nec dum integra ætate, patrem Fredericum tertium iam annis grauem omni Imperij & curarum mole alleuans, ſtatim famam indolis eius expectatio, expectationem omnium de ſe ſuſceptam virtus admiratioque vicit. Quin (quod mirum auditu) ſolus iam tum eos gloriæ fructus percepit, qui antea vix aliis Imperatoribus prope acta decurſaque ætate obtigerunt. Proinde nouem continenter annis nusquam è caſtris ne quidem pedem digrediens, bella illa grauiſſima cum Gallis, Eburonibus, Sicambris, Batauis, atque Morinis, nationibus accerrimis, quæ olim toties Romanorum arma fatigarunt, totque finitimorum Regum opes attriuerunt, eius tum prima militiæ rudimenta videri poterant, non ſolum nòn profligauit, ſed ita confecit, vt gentes illæ quamuis efferæ nunc

Regibus fortunatis quæ acciderint.

Max. educatio.

Electio, Imp.

Max. electus Imp.

Max. quando bellum gerere cœperit.

Bellum cum Gallis, &c.

pacatæ omnes conquieſcant, & illius victoria Imperioque veſtro lætentur. At quibus in bellis quemadmodum plæraque illuſtria eius facta non modo ante aliorum res geſtas eximie lucent, ſed inter ſe etiam mirifice certant, ſic non facile eſt conſtituere plus ne pietatis aut admirationis apud poſteritatem ſint habitura. Atque adeo ante alia, an quod Carolo Belgarum Rege rebus geſtis quidem florentiſſimo, ſed tum neſcio quo miſero funeſtoque fato à Leucis & Heluetiis oppreſſo, infelix qui ſibi paulo ante illud fortaſſe animo præſagiens vnicam filiam Maximiliano vxorem deſtinauerat, prius patriæ eius ſe vindicem quam generum præſtiterit, dotaleque regnum iam antea à Gallis occupatum parua ſubito manu, at magnis animis ingentique ſpiritu irruens victis & fuſis innumerabilibus hoſtium copiis liberauerit, ac regias nurus indigniſſima fortuna proſtratas, è ſqualore, lachrymis, & crudeli ſeruitute ſubleuauerit? An quod Friſios populos illos bellicoſiſſimos armis adortus poſt tam multa egregia & plane immortalia à ſe edita facinora, eos Imperio veſtro, qui antea nihil niſi effrænatam libertatem & arma fremebant, adiecerit? Vel quod Morinos finitimorum ſcelerata coniuratione excitos, & ei iam ingentibus viribus rebellantes tanta virtute, aſſiduitate, conſilio, poſt longam tandem & memorabilem obſidionem fregerit, eosque æternis non tam armorum quam clementiæ vinculis aſtrinxerit? In quo vno quoque illo bello nondum facile liquet, vtrum ei honorificentius fuerit, num quod populos ferociſſimos atque vrbes munitiſſimas in deditionem receperit, an quod præter omnium expectationem ſibi à cæde temperauerit, illisque qui eum adoleſcentem patri ciuili conſpiratione ademerant, & rurſus qui ab eius amplexibus filium vnicum patris pignus aliquandiu diuellere non dubitauerant, ignouerit. Vnde adhuc in omnium memoria & admiratione extat præclara illa & ſane regia vox, qua rogantibus plærisque: Cur male de ſe meritos non ocyus male deperderet, reſpondiſſe ferunt: *Quin parcendum eſſe, vt rurſus victis ſæpius ignoſcere ſibi integrum eſſet.* Sed ne omnium eorum bellorum ſeriem retexere videamur, quibus laudibus poſteriora illa bella redundarunt, traducto fere eodem tempore protinus in Pannonias exercitu, quo multarum gentium difficillimis præliis victor, rot pene victoriis, quot paſſibus itinera illa virorum fortium virtute & dextera vndique obuallata, tantisque armorum ſtudiis paſſim flagrantia, peruaſit, atque citerioris Pannoniæ auitum patriumque principatum, patri eius per ſuorum inſidias à gentium illo terrore Matthia rege ademptum, maiori gloria, quam alii poſſederant recuperauit. Et rurſus ne virtus militaris, quam ipſe plane ad priſtinum decus tam diuturna exercitatione excitauerat, ocio elangueret, atque eius militibus vsquam ab armis reſpirandi locus foret. Non tum Cæſar Fortunam ipſam aperte prouocaſſe videtur, dum bellum cum Heluetiis longe omnium atrociſſimum, quod nemo vnquam ante eum auſus eſt, tanto ſtudio ſuſcepit, vt ad eorum ſedes, qui antea ob loci naturam, & alpium quædam quaſi clauſtra, & rupium repagula auii, inacceſſi, & ex omni aditu clauſi credebantur, penetrauerit, victricesque Imperii aquilas eo vnde toties Romanæ quondam rerum dominæ repreſſæ fugatæque fuerant, intulerit. Quod quidem bellum quamuis diu magnis vltro citroque luctibus funeribusque redundauit, ei tamen haud dubie immortalitatis gloriam ſummopere augebit, quid id non ſolum tanta animi magnitudine tam conſtanter, in alieniſſimo loco, inter alpium anguſtias, niuium oppoſitus, torrentium & rapaciſſimorum fluuiorum veluti obices, rem prope contra rerum naturam geſſerit: verum quod populos & nationem plane factam & natam ad libertatis propugnationem, reique bellicæ ſcientiſſimam, quam alii Imperatores refutandam potius bello, quam laceſſendam putauerunt, domuerit, eique pacis & perpetui fœderis conditiones dixerit, imperioque parere aſſuefecerit. At ne tum quoque poſt tot grauiſſimos exhauſtos Martis labores & ærumnas, feſſa Virtus Fortunæ cedere, & veluti in curſu lampada tradere videretur, eique aliquando parta quies eſſet, an non (quæſo) bellum etiam illud,

Caroli Belgarum filiam duxit.

p. 425

Friſios denicit.

Morinos.

Adoleſcens à Morinis captus.

Bellum in Pannonias transfert.

Matthias Rex.

Bellum Heluetianum.

Heluetii.

bellum

bellum exemplo grauius excepit, quod cum principe Palatino Rheni ipſius tyranno opibus & armis inſtructiſſimo, eo prope inuito gerendum fuit. Inuito, dico: ſemper enim pro natura ſua, quantum nemo alius princeps, à ciuili ſanguine abhorruit. Sed quando id ita caſus tulerat, & hominis præpotentis importunitas & inſolentia indies magis ac magis progrederetur; Fortunæ & tempori ſeruiendum fuit: opinor, vt inde quoque nomini eius aliquid claritudinis acceederet. Nam breui eum non minus inſigni induſtriæ eius fama, quam armorum laude, ad pœnitentiam compulit, ad officium reduxit. Quis vero ignorat, quanta id temporis in imperio procella excitata, quam facile eius prudentia & vigilantia confederit: quandoquidem bellum (vt ſæpe ſolet) ex bello natum maximum: quia ille ſtipendiorum largitate, & ingentium præmiorum ſpe, & profuſione, finitimas gentes vndique in eum exciuerat, atque poſtremo virtute & diſciplina militari florentiſſimum Boemorum exercitum conflauerat, qui cum niſi Cæſar commiſſo acerrimo prælio memorabile admodum edidiſſet documentum, quanti exteris in fines Germanos arma ferre conſtaret, ſalus & fortunæ nonnullorum ſæpe non in leue diſcrimen adductæ eſſent. Verum ipſe tantum ex eo bello laudis ductando exercitum, inſtruendo acies, pro primis
p426 ſignis neſcio melior dux imperando, an miles pugnando reportauit, quantum vix alii ex longiſſimis quibusque bellis non ſolum non ſperare, ſed ne quidem optare auſi fuiſſent. Mittam interea quoties influentes in Italiæ fines Turcas repreſſerit: quoties ſociis & fœderatis vrbibus opem laturus eum capitis dimicatione aduolauerit: quoties ad Sequanos per ferrum & ignem, totque confertiſſimas hoſtium telorumque acies penetrauerit. Et rurſus quanta celeritate quam infeſto agmine Pannonias repetiuerit, cum Rex Vladislaus (quo nemo natus erat melior, iuſtior, aut ſanctior prineeps) ſine hærede regnum relicturus videretur; & eum tanquam diſceptatorem & ſimul ſucceſſorem acceerſiuiſſet, quia plerosque regni proceres ad id largitione & pernicioſis factionibus anhelare compertum eſſet. In qua expeditione præter militarem laudem, animi eius quoque æquitas inſigniter enituit. Nato enim regi in ipſo rerum motu præter omnium ſpem diuinitus filio Ludouico (cuius nunc adoleſcentis virtus tantum ſuperare cœpit ætatem, vt breui vnus & idem eius annorum & imperiorum progreſſus futurus videatur) eum ipſum inquam Cæſar primum hanc lucem aſpicientem, coram regni hæredem vltro agnouit, ſumma pietate pronunciauit, auctoritate armata conſtituit, confirmauit, atque (quod pauci admodum feciſſent) pedem non dubitanter ex tot regnorum quaſi poſſeſſione retulit, ſimul omnem exercitum prouinciæ innoxium reduxit. Etenim Cæſar bella illa, non facile dixerim difficiliora an iuſtiora, ita ſemper ſuſcepit, non vt regnandi cupiditate ea inuaſurus videretur; ſed quia prouocatus recuſare non liceret, non prædæ ſtudio, non quæſtus aut præmiorum aliqua ſpe, non vt finibus eius aliquid accreſceret, nec quia humanum ſanguinem vt plærique iam principes ſitiret, latrocinia (me hercle) non bella molientes, quos poſteri non immerito piratarum aut nefariorum prædonum nomine, ex cauſis bellorum, & eorum rebus geſtis, potius quam iuſtos & æquos bellatores cenſebunt. Præclari enim iſti Imperatores, præterquam quod ſemper ab initio iniuſtas bellorum cauſas prætexunt, aut nonnunquam ne quidem de more bello indicto, tanta impietate & furore, in Italiam (vtpote quæ ante alias maxime prouincias finitimorum incurſionibus patet) aut in ſuorum agros feruntur, vt non tam cum mortalibus quam tectis, aruis, & rebus prorſus inanimis, ferro & flammis digladiari videantur; quaqua verſum populabundi, nulla ſociorum populorum habita ratione, incendentes, perinde ac ſi rerum natura tum quoque abolenda eſſet. Jam quoties ab illis legatos, fœciales, & Regum caduceatores (quorum ſanctitas apud veteres etiam nec verbis aut vultu lædebatur) non tantum contra ius gentium violari, ſed etiam per contumeliam plane enecari vidimus? Quinetiam quot icta ſubinde rumpi fœdera, vt noua graſſandi cauſſa oriretur? quoties deditios

Bellum cum Palatino. Vide Auſtriad. Ricard. Bartolini.

Turcæ.

Sequani.

Panno. Vladislaus.

Italorum tyranni.

tios poſt datam acceptamque fidem aut protinus crudeliter obtruncari, aut aſſiduis exactionibus, omnibus fortunis, quæ plærunque ſpiritum & ſanguinem ipſum nobis ſuppeditare videntur, exhauriri: Atque in eum modum quot miſeros, antequam periiſſent, perire iam vidimus. Quid inquam vidimus. An non quotidie his oculis videmus, & multa truculentiora? vt iam non abs re miremur ſuperos tam diu in tantis hominum ſceleribus conniuere, & præſentium fraudium pœnas in diem reſeruare. Ipſe quidem Cæſar etſi ſacrarum legum, quarum conditor erat, catenis ſolutus eſſet, voluit tamen vltro legibus viuere, & ſemper ſe arctiſſime earum religioni obſtrictum videri: ac præcipue in eo cæteris principibus exemplo eſſe, non minus iura belli ſancta ac inuiolata cuſtodiri quam pacis oportere. Vnde arma illa ſemper plena officii, plena quocunque penetrarunt pietatis, eo potiſſimum ſpectarunt, vt ſuorum contumeliam propulſarent. Ratus haud minus princeps eſſe à ſuis quam à ſe ipſo iniurias arcere, ſuperbos deprimere, ſubleuare calamitoſos, lapſos erigere, lenire iratorum animos, & iuſta imperia detrectantium ad officium reuocare. Quippe qui communis vniuerſorum diſceptator, conſtituendarumque mundi rerum diuinitus arbiter, quos officiis inter ſe conciliare nequirer, armorum vi compelleret, omnia diſſidentia membra incongruentis ſpiritus cogeret, concordia orbem terrarum colligaret. Nam quis vnquam Imperatorum, Dei illius Opt. Max. cuius in terris imaginem & perſonam gerebat, verius dignitatem & decus ſuſtinere, quam ipſe nuper viſus eſt? Cum omnia ita bellis turbari, & armis fremere, non ſolum hinc apud Gallos, Britannos, illinc apud Heluetios, Inſubres, iſtinc apud Hiſpanos, Luſitanos, Germanos & Sarmatas, cœperant. Sed in arce ipſa orbis terrarum Italia, in religionis noſtræ ſacrario, in Chriſtianæ Reip. viſceribus & medullis, tantum incendium conflari alique, vt breui omnia collidi, & machina ipſa mundi in antiquum ac confuſum chaos mox labefactari, atque omnibus compagibus diſſolui videretur. An non quemadmodum DEus rerum princeps & architectus, elementis quibus hæc omnia conſiſtunt temperiem, motum, & ſuum cuique curſum, inæquabili quodam p.427 firmamento contulit, atque ea quamuis natura diuerſa commiſcuit, & æternis vinculis conglutinauit; ſic ipſe Cæſar in tanta rerum diſiunctione ac perturbatione, vndique fluitantibus & laborantibus rebus humanis ſubuenit, omnibus æquabilitatem reſtituit, & Reges qui tanquam elementa inter ſe concurrere confundique videbantur, partim auctoritate & armis ad concordiam reduxit, partim comitate & beneuolentia in mutuam gratiam & amorem repoſuit. Primum quidem Venetos, qui nimia potentia ad ſociorum exitium intemperantius abutebantur, & veluti agitata procellis maria vltra littora in proxima quæque efferueſcebant, erumpebant, cunctaque miſerabili finitimorum ſtrage inundabant, icto cum Pont. Max. Julio II. fœdere eos repreſſit, & in notos Adriæ ſinus compulit. Jam vero & Pontifice magnitudine & mole Imperii laborante, mox ei abſens quidem & tanquam aliud agens, temperamentum circa omne Chriſtianæ Reipublicæ detrimentum attulit. Ludouico quoque Gallorum Rege interim, qui belli ſocius fuerat, grauius atque inſolentius in Italiæ ceruicibus debachante, Hiſpanis atterendum, tum deinde Heluetiis debellandum tradidit, & incredibili ac pene diuino artificio Italiæ libertatem architectatus eſt. Quo pulſo, rurſus Heluetios nimio rerum ſucceſſu ferocientes, ſuarum alpium finibus circumſcripſit. Donec tandem (vt id aliquando dicam, quod omnes boni ſentiunt) Cæſar ſuarum rerum iactura, Italiæ iam latus danti naufragium amolitus, pacem gentium atque rerum conſtituit. O clementiam & virtutem admirabilem atque omnium linguis, literis, monumentisque decorandam. Quis verius vnquam ſalutem hominum quæſiiſſe videri debet, ipſe Gallum vt communi ſeruiret tranquillitati, à communium hoſtium iugulis auertit. Eundem multis ei bellorum offenſionibus obnoxium, Henrico Britannorum Regi iamiam illius regno & populis excidium intentanti conciliauit, eiusque in gratiam poſuit.

Max. obſeruantiſſ. legum.

Max. mundi arbiter.

Cæſar Dei imago.

Initium belli Veneti.

Veneti.

Julius pont. max.

Lud. Gallorum Rex.

Heluetii.

Henr. Angl.

ſuit. Vsque adeo iniuriarum oblitus, vt hoſtes nouis officiis demereri cogitaret, illis ſalutem daret, quibus ſua inuiſa fuiſſet.

An non cum ad extremum ventum eſſet, & Julius Pont. iam vtrinque deploratis rebus alio cogitaret vtramuis ad partem adhæſiſſet, ſibi victoriam, aliis exitium attuliſſet? An non niſi ocyus Gallum è medio victoriæ curſu retraxiſſet, omnia inclinabant, procumbebant? Quotus quæſo quisque ſe continuiſſet, & non hanc ſuam occaſionem omnia turbandi aduerſariorumque vires labefactandi ratus, aut labenteis in præcipitium propuliſſet, aut ſaltem eam mortalium cladem lætis & conniuentibus oculis aſpexiſſet, quo minori deinde negocio inimicos & iuxta amicos oppreſſiſſet omnesque demum in poteſtatem ſuam redegiſſet? Sed noluit clementiſſimus Imperator tantum illorum temporum indignationem, & inuidentis alicuius Nemeſis furorem, & grauiſſimam, vt ſi quando antea, in res humanas iram progredi. Commodum ſubuenit, eam repreſſit, Italiam præcipitantem excepit, corruere non ſiuit, ſulſit, ſuſtinuit, hodieque per vos ſuſtinet. Atque omne incendium ſapientia potius extinguere, quam armis & ferro rem in diſcrimen adducere maluit. Quas igitur victorias, cum illo eius tam diuino facto conferam? ſuas ne illas ſuperiores, præclaras quidem, ſed ſaltem vni aut alteri fructiferas prouinciæ. Huius ſalutares fructus ad omnes pertinuerunt, omnes ſaluos præſtiterunt. An veterum illorum Imperatorum & Cæſarum; à quibus hoc nomen Imperii & decus ad vos demigrauit, triumphos aut trophæa, fæde ciuili ſanguine madentia, comparem? Abſit à nobis, quicquam ei præter militare ſtudium cum illis commune exiſtimem: & ſi magna quidem plæraque (vt re vera magna ſunt) longe tamen alia factorum ſuorum ratio eſt. Nam illorum bona pars largitionibus, vi, armis, factionibus, inſidiis, & nonnunquam per ſcelus & flagitium ad principatum ſibi aditum aperuerunt: ipſe nobis cælitus datus princeps, & omnium mortalium liberis ſuffragiis Deo inſpirante conſtitutus erat. Illi hominum cædibus regna fundabant, ſuorum ciuium ſanguine firmabant, metu & formidine muniebant: Ipſe firmiſſimum ſemper principum munimentum hominum erga eos beneuolentiam exiſtimans, quantum fines regnorum ſuorum, tantum & mortalium in ſe amorem propagauerat. Vt ſane nunc in dubium veniat, vtrum eum plus ſui amarint, an exteri, an victi ſuſpexerint, cum quibus eorum etiam confeſſione felicius iam agitur quam ſi eos nunquam viciſſet. Veterum præterea illorum virtutes in plærisque æquabant vitia, & in multis (vt eorum teſtantur monumenta) eminebant, ſuperabant. Denique quicquid aggrediebantur, fortunæ quodam flatu ad ea ferebantur, quæ ſi ſecunda cadebant, protinus mentis impotes voluptatibus diffluebant: ſi aduerſa, penitus animo frangebantur, & plærunque (quod plurimorum exitus nobis documento fuerint) Fortunæ prorſus impares aut ſe Imperii abdicabant, aut è propriis regnis profugi, ſibi manus deſperanter afferebant, ſibique ipſis vitam ferro aut veneno exhauriebant, & omnem tandem vitæ ſplendorem alicuius ſacinoris turpitudine commaculabant. Ipſe vero omnes virtutes ſine labe, ſyncere & puriter complexus, in fortuna ſecunda temperatus, in aduerſa erectus, nusquam de ſtatu ſuo declinauit, nunquam ne transuerſum quidem vnguem loco ceſſit: imo quo illa in eum grauior & infeſtior incubuit, tanto præſentiori animo eam tulit, aut maiori impetu repulit. Nempe illa quod de eo periculum non fecit? Patti eius Frederico paternum principatum ademerat, vt ei armis rurſus, qui aliis ex teſtamento obuenire ſolet, redimendus eſſet. Eum Brugis adoleſcentulum impiorum ciuium ſceleri obiecerat, vt & à ſuis aliquando vinciri & contra hoſtibus victis ignoſcere diſceret. Jam vero florenti ætate, & animum paulum lætioribus adiicienti, ei nouam nuptam & ſimul regnum dotale auferens, in hoſtium detulerat poteſtatem, vt quod aliis vltro dotis nomine cedere ſolet, ei per tot rerum diſcrimina petendum eſſet. Scilicet vt pro genialibus gaudiis, pro laſciuis puellarum choreis cruenta Martis prælia conſererentur, vt claſſica

Max. incomparabilis.

Frider. 3.

Brugis.

Sponſa ad empta.

eius

eius hymeneum canerent, vt loco nuptialis pompæ fulgentes ære acies, ordines militares & passim triumphi ducerentur, nec prius sponsum, quam victorem inclytum ageret. Probanda certe si vsquam alibi in ea parte, quod omnia ea ad eius laudem pertinere visa sunt, si non mox deinde sibi nimium de eo permisisset, omnemque inuidiam in vnico illo eius filio Philippo, quem honoris amplitudinisque gratia nomino, patre vestro exprimere voluisset. Sinite hoc loco, Principes optumi, me aliquantisper eum immiti atque implacabili nouerca illa expostulare, & facti illius acerbitatem vicissim apud vos, quoquomodo illius dici recordatione in inuidiam vocare, quo equidem credo Solem ipsum mæstissimum & sane inuitum mortalibus luxisse, neque antea quicquam vidisse vnquam in terris aut grauius aut indignius. Quis enim tum fuit tam inhumanus, quis tam agresti aut duro pectore? qui non ex florentissimi illius adolescentis tam immaturo interitu acerbissimum hauserit dolorem; cum è sinu, è complexu eius paterno abstraheretur, qui ea indolis præstantia, ea morum suauitate, illis diuinis corporis & animi dotibus, ad imperium non natus sed plane de cœlo demissus videbatur. Cum terris eriperetur indignissime à sæuienti fortuna, in quem prius ipsa tot ornamenta contulerat, vt iam ei addi nihil possit atque extra omnem eius aleam crederetur. In quem præterea omnes boni non dubias spes collocauerant, fore, vt per eum cum immortalitatem quandam adipiscemur, tum nobis propediem prorsus aurea illa sæcula restituerentur. Ignari illius liberalitatem non alio spectare, nisi vt tandem quale nunquam antea, impotentiæ suæ ederet exemplum. Ergo & tuum illud Fortuna fuit facinus, tuum scelus? Quis tibi deinceps mortalium fidem habere velit? Hæc sunt ludibria tua. Siccine iuuat in rebus humanis lasciuire? Quæ (malum) ista maleuolentia, optumis quibusque grauissime inuidere, & subito data exprobrare ac repetere munera? At vtinam tua solum tuo iure repetiisses, nobisque illo, omnibus tuis insignibus nudato, & veluti exautorato, frui diutius permisisses. Et non simul fatales illas, quas antiqui haud iam falso fingunt sorores, * ad tam acerbum ac flebile funus concitasses. Cui certe illachrymarunt omnes exteri populi, quod etiam fleuerunt hostes, quo indoluere certatim prouinciæ, & totus denique orbis terrarum graui pressus desiderio, vix sibi adhuc à lachrymis temperaret, nisi pauloante (quæ eius vicissitudo est) omnes in spem vocasset, breui tantam patris iacturam per vos Principes clarissimos, liberos eius, restitutum iri. Sed ne forte veteris doloris cicatrices recenti renouare & hae commemoratione refricare videar, quis itaque tanto animo filii mortem, & eius filii qui magis in funere è luctu puer, quam alii in longæua vita claruit, tulit? Quid Cæsare magis exercitum dici aut fingi potest? Cui vnquam fuerunt in tanto fastigio eiusmodi bella cum Fortuna pugnanda, qui se non ei postremo summiserit, qui se non supplicem ad eius pedes abiecerit? quam ipse demum solus tumultuantem posse comprimi, & quantumuis volucrem & inconstantem, quasi vinculis nectere docuit. Quippe bellum hoc recens Venetum, cuius classica adhue in auribus atque eorum clangor in intimis hominum sensibus hæret, tametsi hactenus difficile diiudicatu fuerit, quod eo nullum post hominum memoriam, æque inexecrabile, totque regum ac principum (dicam enim libere quod sentio, & quod mecum sentiunt omnes) non tam armis quam perfidia implicitum à quoquam gestum est; nihil tamen ex eo sibi casus aliquis fortuitus decerpit, nusquam fortuna in istius societate gloriæ se offert. Ei quicquid id est eedit, suam esse fatetur hanc diu quidem virentem lauream: sed quo serius adolescentem, eo gloriæ fertiliorem futuram. Gessit nimirum hoc bellum, vt suo iure, sic sua propria virtute, suis armis & opibus, non regis, non Cæsaris nomine, sed vt principis priuati: si quid modo priuati in principibus fingi aut cogitari potest. Sed noua quadam belli gerendi ratione, vt hostium vires citra aliorum quantum fieri possit, offensionem affligeret, & eorum opes subinde cunctatione attenuaret: veruntamen simul vellet nollet

Philippus.

In Fortunam inuehitur.

** Parce.*

Redit ad Max.

Bellum Venetum plenum perfidiæ. Quibus auspiciis bellum hoc gestum fuerit.

P. 429

nollet, & Cæſaris dignitatem, & innocentium ſalutem ex omni parte tueri videretur. Cum enim in hoc bello tam diuturno, tam longe lateque diuiſo, & diſperſo, nullo non aperto prælio victor extiterit, parta victoria vti noluerit, quin etiam nonnunquam eam vltro è manibus dimiſerit, abiecerit, fugientes ſæpe hoſtes aut perſequi noluerit, aut pulſos & ſeptis incluſos, iamque deditionem facturos obſidionem ſoluerit, ac etiam vt ſæpe ſolent generoſi leones, fortaſſe imbellem & ignobilem prædam peroſus victor, vltro Italia exceſſerit, & ita exceſſerit, vt ſine vllo mortalium & agrorum incommodo iter faceret, tantaque innocentia exercitus dueeret, vt ne arbor, ne viticula pene vsquam deſideraretur: quid aliud voluiſſe videri debet, quam Italiæ ſalutem & bonorum incolumitatem. Porrò illorum tyrannis cum multorum iamdudum fortunis coniuncta, & penitus cohærens, qui fieri potuiſſet, quin tanta ruina vno eodemque caſu bonam partem Italiæ ſecum in eandem traxiſſet calamitatem? Noluit committere vsquam illud, quod iam adeo multi probarunt, ipſe quoque probaſſe videretur. *Pereant amici, dum vna inimici intereant.* Qua voce nihil fieri poteſt (vt ille inquit) inhumanius, nihil principe homine indignius. Neque vnquam putauit lauream illam magnis florentem periculis, longo temporis interuallo, viriditatem amittere, modo hoſtes ſeorſum à bonorum calamitate, quoquo modo mulctaret. Quamquam erat quodam tempore tanta hominum animis offuſa caligo, vt eius inſtituti rationem & manſuetudinem nonnulli non intelligerent, alii diſſimularent aut non agnoſcerent. Fuit enim, fuit iamdudum huius ſæculi labes quædam & macula, Virtutis fructus ſortibus atque bonis inuidere, eorumque gloriæ florem carpere, & impiis obtrectationibus infringere. Quin etiam multorum adhuc tanta eſt inuidia, vt non deſint qui ea, quæ in priſcis laudibus proſequantur, eadem in noſtri temporis hominibus nonnunquam multo illuſtriora aſpernentur, ac in finitima quæcunque virtutum vitia maligne detorqueant, aut eis omnino lucem adimant. Etenim ipſe (ita me Dii ament) quoties his auribus hauſi, eos qui cum aperte virtutibus obtrectarent, iam liberalitatem Cæſaris nobis vitio vertere, iam clementiam probro dare, iam iuſtitiæ æquabilitatem, mali conſulere & deteſtari non verentur. At illi neſcii tum fortaſſe Jouem ſero quidem diphrhæram, illam quam antiqui omnia hominum facta continere crediderunt, ſed aliquando non ſine magno mortalium malo intueri, non ſine fulminibus malcuolorum nomina excutere. Nunc vtinam reuiuiſcerent veteres, illi ipſi Fabricii, Maximi, Pauli, Marcelli, Scipiones. Equidem credo (abſit inuidia verbo) alios potius quam plærosque ciues ſuos verum genus & Romanum ſanguinem agnituros. Viderent enim quo imperii ſui dignitas & gloria commigraſſet: quibus gentibus ſplendor ille lucerer, atque ea de re æquiori forte animo occaſum imperii ſui tolerarent. Dicerent dolenter quidem, ſed paulo incorruptius ſententiam, vtra gens plus à maiorum moribus degenerauiſſet, vtra remotius à veterum & eorum inſtitutis receſſiſſet, apud quosnam eſſet minus deprauata virtutis, integrior fides, viuendi conſuetudo ſyncerior, religio ſanctior, apud quos diſciplina ipſa militaris cultior. Puderet fortaſſe Alexandros & Cæſares plærosque fortunæ ſuæ, quam olim tantopere admirabantur, & tanquam vnicam filiolam exoſculabantur; ſi eam virtutis non comitem amplius, ſed miniſtram & mancipium quoddam intuerentur: atque (niſi fallor) ſummum acciperent dolorem, quod eis hoc temporis veſtro imperio, quando æquo pulchrum vinci ac vincere fuiſſet, naſci non contigiſſet. Enimvero illi faterentur, hac ætate non ſolum ſui ſimiles eſſe, ſed quos etiam libenter imitari non ob fortunæ artes at virtutis verum decus, velint & iure optimo poſſint, quin reor interim non tam obſtupeſcerent ad nonnullorum ingentia facta & præclara inuenta, quam animo perhorreſcerent ad tam infractum robur, & tantam adhuc in eis qui ſuarum legionum quondam toties firmamentum fuerant, laborum tolerantiam, vitæ

Prouerbium.

Quæ vitia data Mar.

Romani non Romani. Germanorum laus.

contemptum. Fidem non quandoque in vno aut altero vsque ad aras, ſed omnium ad perſpicuam mortem, ad apertiſſimum interitum, promptam ac paratam; audientes inſuper machinas & tormenta bellica Iouis fulmina imitantia, á quibus primum excogitata, ſolum eorum virtuti & animo, præ omnibus gentibus inferiora. Pigeret haud dubie eorum plærosque Imperatores, in tanta viciſſitudine rerum, tot olim labores in veſtibulo Alpium incaſſum recidiſſe, tantum Romani ſanguinis nequicquam aç Rheni ripas exhauſtum eſſe. At eſto, hæc iam plærique diſſimulauerint, mirabitur ea tanto magis aliquando poſteritas. Non enim erit hæc inter eos qui naſcentur, ſicut inter nos eſt, diſſenſio atque tanta animorum diſtractio. Nempe P. 430
Cæſaris laus. iudicabunt ſine odio, ſine inuidia, & cupiditate. Nemo in Cæſare iracundiam, nemo implacabilitatem aut crudelitatem requiret. Omnes vno ore animi eius moderationem, conſultam conctationem, in ſumma poteſtate rerum omnium modum. certatim laudibus ad cœlum efferent. Atque eum, vt in aliis bellis Imperatorum ſortiſſimum, ſic in iſto vno, in quo multorum ſcelus & furorem cedendo quam reſiſtendo (ne omnibus ſine diſcrimine obeſſet) frangere maluit, certe omnium ſapientiſſimum prædicabunt. Vulgo iam quidem
Fab. Max. apud omnes bonos eum Fabium Maximum, ob hanc inſignem belli adminiſtrationem, celebrari audimus: cuius quondam cunctatio & prudentia, Hannibalis iuueniliter exultantis emolliuit audaciam inſolentiamque fregit, & qui nunquam vanis rumoribus ſalutem ciuium ſuorum præuertit. Quid ſi eius facta diligentius expendere, & huius tenebricoſiſſimi belli latebras atque inextricabiles nodos diſcutere & penitus eruere vellemus: quantum ſe vndique ſapientiæ eius lumen offunderet? quæ conſiliorum exactiſſimæ rationes oborirentur? quam longo interuallo Fabium illum à ſe poſt terga omnium iudicio, relinquere videretur? Non enim temerarium iuuenem, magis generoſos quam vtiles ſpiritus præ ſe ferentem, eum viciſſe animaduerteremus, ſed eos hoſtes vectigales feciſſe, qui antea vix naturam & conditionem vt vinci poſſent habere videbantur.

Proinde quod omnium quidem ſententia admirabilius, quæ & quanta interim dum hoc ipſum bellum adminiſtrauit, geſſerit; quod difficillima itinera, tam corpore, quam animo indefeſſus, ſumma celeritate (quando & id ad præſtantem pertinet Imperatorem) confecerit: quot ſæpe aduentu ſuo iam labanteis Reſp. erexerit, vacillantes populos in officio retinuerit, quoties feſſis rebus ſuccurrerit: quot ſeditiones apud Heduos, & Pannones atque in ipſa ſua Germania reſtrinxerit. Dederunt enim non pauci, inflammati inuidia operam, quæ nimirum (vt Solis radii) altiſſima quæque ardentiſſime ferire ſolet, vt ei per ſuorum aut finitimorum clandeſtinas factiones, aliquando parum felicia tempora inciderent. Quæ ſemper ab eo ſapienter præuiſa, ſumma conſtantia ſuſtentata, incredibili virtute depulſa, non modo non imminuerunt clariſſimam eius gloriæ exiſtimationem, ſed etiam honeſtarunt atque cumularunt. Age vero ad hæc non inter poſtremas laudes connumerandum, quod nemo eo interea ſæpius de Reipubl. Chriſtianæ ſalute & commodo ad orbis terrarum principes in concilio retulerit, nemo eo crebris Regum congreſſibus clarior extiterit. Non ſolum enim ad eum, vt olim ad Auguſtum Cæſarem ferunt, omnes fere principes terræ munera & legatos miſiſſe, verum ipſi Reges, principes, tetrarchæ, dynaſtæ, ad eum ab vltimis Britannis, è Pannonis, & penitiſſima Scythia ſummo ſtudio contenderunt, vt coram Auguſto eius conſpectu colloquioque fruerentur, vt eum communem omnium patrem certatim conſalutarent: quos ipſe non ſolum liberalibus inuicem officiis deuinciendos, ſed perpetuis propinquitatis & neceſſitudinum vinculis obſtringendos, gentique ſuæ arctiſſime copulandos cenſuit. Gnarus ea tandem eſſe iuſta, diuturna, certaque & firma Imperia, quorum in poſſeſſionem vi ſanguinis & iure quodam hæreditario inducimur.

Cætera

Cætera quemadmodum violenta, ſic lubrica, fluxa atque odioſa. Hæc itaque cum quis audit, nullum eum interea bellum geſſiſſe; ſi bellorum molem ac ſeriem reuoluit, nullam earum rerum curam potuiſſe habere exiſtimat. Magni hoc certe fuit hominis, tot vndique circumfrementibus fluctibus atque procellis armorum, nunquam de ſana mente deturbatum eſſe, non animo concidiſſe ac ſemper rectum in omnia & inconniuentem vultum tenuiſſe: verum in hoc ancipiti bello Veneto animum viciſſe, iracundiam cohibuiſſe, victoriæ ferocitatem temperaſſe, id non ſummi herois, ſed potius DEI alicuius iudicandum eſt. Quapropter hic mihi dicenti ſplendor ex improuiſo eius numinis oboritur, & quaſi luminibus aciem animi perſtringit, quo minus me plura dicere parantem, ſperem tantam gloriæ altitudinem verbis aut oratione poſſe conſequi. Mittam itaque in præſentia has tantas, incredibilesque virtutes, atque eo lubentius, quod quaſi maioribus theatris omnibus propoſitæ ſunt, & per ſe nitent. Tum cætera quoque ſtudia illa regia tacite exiſtimanda relinquam, tot exquiſitiſſimarum artium ornamenta, etiam illarum quæ in vmbra ſine ſummo ocio non facile diſcuntur; tam diuerſarum linguarum ſcientiam, vt omnibus populis ſine interprete iura dixerit & reſponderit, tamque propenſum erga bonas & liberaleis literas amorem. Quas ipſe viciſſim non minus regio ſplendore illuſtrauit, quam eum ipſum ornarunt, ſemperque quoad in hominum vſu erunt, ornabunt, cui certe tantum debent, quantum vel omnis poſteritas eo celebrando promereri vnquam poterit. Nam quando natura ita comparatum eſt, vt omnes maxime velint ſuos imitari principes talesque videri, quales ipſi ſint; atque ob id ſæpe à magis hominibus obſeruatum ſit, qualescunque ſummi ciuitatum viri fuerint, tales & ciuitates fuiſſe, quam facile ſui imitatione factum eſt, vt Germania, quæ antea nihil niſi horrentia Martis ſtudia colebat, nihil niſi arma tractabat, nuper in ea non aliter rectæ ingenuarum literarum diſciplinæ effloreſcere, eximiaque ingenia excitari cæperint, quam vt fruges aeris temperie liquidioreque cœlo vberius prouenire ſolent. Vnde iam illud audimus crebris vbique, quod olim de Alexandro Magno, vſurpari ſermonibus, *excellentis ingenii & virtutis viros non tam ſub Maximiliani tempora quam propter Maximilianum extitiſſe.* mittam & peculiares & quasdam quaſi domeſticas ac proprias eius virtutes, vitæ innocentiam, in omnibus rebus temperantiam, pudorem, voluptatum abſtinentiam: & miram quandam morum ſuauitate temperatam bonitatem, atque erga omnes liberalitatem, iam Regibus ac præpotentibus viris inuſitatam. Quarum virtutum optimi teſtes ſunt plærique Chriſtianæ Reipublic. ſenatores & viri patritii, qui Cæſari longa & intima conſuetudine deuincti, tandem eius interceſſione in ſacroſanctum patrum ſenatum cooptati ſunt. Sunt etiam teſtes tot exulum millia, quos Italia aut vndecunque terrarum profugos liberaliſſime in regia ſua alebat, fouebat, ſpe ſimul & re ſuſtentabat atque locupletabat. Quocirca non cum paucis eorum plærunque præclarius actum eſt, quam ſi nunquam exulauiſſent; illudque Themiſtoclis vere & ex animo dicere poſſint: *Perieramus niſi periiſſemus.* Relinquam denique quod primus Germaniæ veterem rei militaris diſciplinam, quantum temporum ratio paſſa eſt, reſtituerit: primus Imperatorum eam vndequaque latrociniis purgauerit. Nec iam attingam religionis noſtræ dignitatem per eum toties amplificatam, nouosque & ampliſſimos ordines orthodoxæ fidei contra Turcas propugnatores fundatos atque inſtitutos. Hoc ſolum nos in præſentia contenderimus, per Maximilianum Auguſtum, qui quantum nemo alius Rex temporum bellorumque motibus iactatus eſt, tandem perfectum eſſe, vt mortales Fortunam ſine Virtute parum aut nihil, Virtutem vero ſine Fortuna plurimum poſſe intelligant. Laudarint alii Reges, quod in perpetua rerum felicitate nunquam cum aduerſa fortuna ſint conflictati. Hunc à laboribus, ab ærumnis, à fortunæ & inuidiæ telis commendabimus, & ei non prius de deuictis hoſtibus quam de vtraque

Germani do-ctiMax. beneficio.

P. 431

Peculiares Max. virtutes.

Ordines.

fortuna acriter ſuſtentata quam de inuidia fortiter profligata, denique quam de ſeipſo, de victoria illa pulcherrima, qua toties ſeipſum vincere voluit, æterna trophæa erigemus, atque hunc vnum eſſe ſemper clara voce ipſo orbe terrarum exaudiente prædicabimus, à quo in ſummo rerum faſtigio, nihil vnquam nec temere nec crudeliter factum ſit. Quæ eum ita ſe habeant, atque omnes eius ætatis gradus iis & propriis ornamentis redundauerint, ſolusque omneis boni & perfecti Imperatoris numeros per labores plusquam (vt aiunt) Herculeos, tam pacis quam belli artibus abſoluerit, quid dubitandum, quin ei maius atque auguſtius ipſa Fortuna præſens ſemper numen affuerit, & nuper manifeſto & claro lumine in frequentiſſimo illo orbis terrarum conuentu, inter mortales cætus verſatum ſit, in quo de expeditione in Turcas ſuſcipienda diuinum conſilium initum eſt, & quo ſimul ipſe & Principes electores, vos in Imperii ſocietatem admittere, tam certis animis, tamque conſentientibus ſenſibus deſtinauerunt, vt prius prope id ab omnibus, quam fama ipſa ea de re ad nos aduolauerit, intellectum ſit. Quid vero iam quæſo vsquam aliud ſpei in tanto tamque communi Reipublicæ periculo, quod vndequaque à ſæuiſſimo Turcarum tyranno imminebat, nobis reliquum erat, niſi vt illi ampliſſimi conſilii Principes electores, penes quos eſt ſumma iſtie rerum poteſtas, quorumque maxime intereſt, Rempubl. ſaluam eſſe in tempore more veterum de Romanorum Rege, tanquam de dictatore, in rebus dubiis decernendo cogitarent, non tam conſilium quam præſentiſſimum rebus humanis remedium afferentes. Debebatur id quidem iam dudum diuinis & immortalibus Cæſaris meritis, atque omnes principes iam pridem nihil antiquius habebant, quam vt eam bene merendi rationem, qua ſola ei ſoluendo videri poterant, non tam dignam gratiam & mercedem, quam ſempiternam virtutum ſuarum teſtificationem tandem admitteret. Verum ille ab omni ambitione alienus, & omnium datorum beneficiorum immemor tergiuerſari, atque vt ſolent beneuoli & liberales creditores, vltro ſtatum diem iamque cedentem rurſus diffundere, & creditum proferre ſolebat; vel quia adhuc officia cumulare officiis cogitaret, vel qui nullam aliam virtutis mercedem præter illam laudis & gloriæ deſideraret. Ad intellectum hoc eſt ab optumis gratiſſimis principibus, qui quamprimum fieri potuit, ad eum de conſilii ſententia inuitum, & moras ſubinde ex mora nectentem, pla- p.432
neque ſubterfugientem de vobis principibus Imp. deligendis retulerunt, DEI certe non tantum occulto inſtinctu, ſed aperto & violento iuſſu atque impulſu. Nam quid fieri potuiſſet opportunius, quid optatius, quid omnium ſaluti ſalubrius? Verebamus antea, ne DEus nobis iratus grauius aliquid, & nuper ſane de humani generis exitio ſtatuiſſet. Siquidem non obſcure agnoſcebamus adeſſe tandem deam illam vltricem ſcelerum noſtrorum, quibus iam eos facile æquaremus, quos antea ea de cauſa Deo magis, quam nos inuiſos ſperabamus, vel pleraque etiam vitia noſtra quam apud ipſos Turcas grauiora & atrociora. Etenim æque iam dudum apud nos, vt illos conſpiciebamus nullum amplius mortalibus Dei metum aut reuerentiam, nullum religionis cultum, aut fidei ſanctitatem; iam iuxta ſacra ac prophana tractari, templa cum diuis dilapidari & tanquam ſub haſta paſſim venundari; mortales impune & ferro, & fœnore contrucidari, aliena aperte rapi, virgines & pueros certatim pro libidine cuiusque ex parentum amplexibus ad opprobrium diuelli; ipſos ſacrorum antiſtites cupiditate, ambitione, libidine longe ante alios flagrare: nihil integri, nihil vsquam ſancti eſſe; bonos mores vbiuis locorum, quauis gentium, ſed maxime apud eos, quos nobis æqui rectique imaginem præbere par eſſet, exoleuiſſe. Quamobrem quid non metuendum erat? vix bella domeſtica atque inter nos plusquam ciuilia conquierant, & tempeſtatum illarum turbines remiſerant. Nec dum recentium vulnerum cicatrices obduruerant, aut aliqua in parte obductæ erant. Ecce iam rurſus vndique arma prorumpere, & veluti rebus humanis iudicium indictum

dictum eſſet, omnia ſilere, cuncta trepidare, atque ob oculos obſeruari, communium fortunarum noſtrarum direptiones, raptus coniugum, cædes liberorum, incendia, vaſtitas, ruinæ. Nullum nobis belli auertendi aut quoquomodo ſuſtinendi conſilium erat, nulla vsquam declinandi ratio, nulli ſuſcipiendi duces. Reges, & principes mutuo ardentes odio, partim cupiditate & inuidia, partim ambitione & diſcordia diſtrahebantur. Plena itaque omnia erant deſperationis, plena terroris, iamque vincebat timorem dolor. Quid inquam faciundum erat? ad ſuperorum auxilium, vt ſit in rebus perditis, ad DEorum immortalium templa ſupplices confugiebamus: ſed non erat per quos DEum placari, aut quorum interceſſione tantum malum amoliri poſſe ſperaremus. Latebras procul circumſpiciebamus, fugam quærebamus quæ ipſa exitum non habebat. Dandæ dandæ nimirum ceruices erant crudelitati nefariæ. Quis ergo vobis tum Principes electores, quis tibi Maximiliane Cæſar hanc mentem dedit? quis tandem labanti Reip. Chriſtianæ obtulit diuinos adoleſcentes? quis nobis hæc duo fulmina Imperii? DEus, qui cum omnia ad interitum noſtrum immani illi tyranno paterent, non vsque adeo genus Chriſtianum exoſum habuit, vt tantum vellet diuo ſui nominis hoſti de nobis licere. Nos ſubito reſpexit, placati ſigna animi dedit, & hac vna vtriusque ad commune Imperium vocatione teſtatus eſt & omnibus declarauit, quid furori illius opponendum, quæ ratio nobis belli propulſandi ineunda eſſet. Jam quidem antea homines non dubiis Deorum immortalium ſignificationibus, non more veterum ex alitis volatu, non ſiniſtro oſcinis cantu, aut ſoliſtimis tripudiis, ſed ſertis ſyderum decretis, vos ſceptro auito & ſolio deſtinatos eſſe, animis præſumpſerant, & vt id quam primum felix fauſtumque fieret certatim vota nuncupabant, volebantque vos omnino Imperii inſignibus exornari. Quod volebant, id proculdubio DEus inſtinxerat: nunc vt fieret, eo tempore perfecit, quo nobis id maxime optandum erat, & vtrinque nobis non prius dedit, quam re Carole tot pulcherrimorum Hiſpaniæ regnorum, te vero Ferdinande tot florentiſſimorum populorum acceſſione, ornatos, auctos, cumulatos tales haberemus, qui iunctis viribus hoſtium effrænato furori, non ſolum reſiſtere, ſed ſupplicia, cruciatus, probra, ſeruitutes, & omnia dedecora, quæ illi in nos iamdudum male cogitabant atque ſubinde crudeliter meditabantur, in eorum capita retorquere facile poſſitis. Quis enim ignorat, aut tuam Carole, aut tuam Ferdinande potentiam? vterque opulentus, populoſus, vterque Diis charus, vterque imperat iis populis, * qui olim etſi à Romanis rerum dominis triumphati, nunquam tamen debellati ſunt; atque à quibus cruenta quidem inſignia victoriæ, nunquam vero victoriam retulerunt, verum qui eis plurimum ſemper præter alias nationes negocii exhibuerunt, antequam illos fœderatorum aut ſociorum nomine agnoſcerent. Vterque earum nationum legitimus Rex eſt, quibus nunc ætate noſtra in re bellica, terra mariue res gerenda ſit, omnium iudicio longe primæ deferuntur. Altera naualibus bellis, altera terreſtribus ac ſtatariis pugnis exercitaſſima, vtraque ad vtrunque, vbi res poſcit, promptiſſima. Cuius vtinam iam tot fortia in ſanguine Chriſtiano documenta non dediſſent. Sed quando id non eorum, ſed hoſtium culpa accidit, quæramus & ex noſtris malis contra communem hoſtem gloriæ & virtutis, exiſtimationem; quandoquidem vehementer ad bella adminiſtranda pertinere obſeruatum eſt, quid hoſtes de aliis ſentiant, intelligent illi aliquando rem ſibi futuram, non cum mollibus Phrygibus & Aſiaticis, non cum fugacibus Perſis, aut Arabe vnguentis delibuto; ſed qui vel fortiter vincere vel pulchra per vulnera mortem oppetere velint. Atque imprimis Reip. Chriſtianæ gratulemur, quod Maximilianus Cæſar, cui etiam poſtquam vita exceſſit, quotidie tam multipliciter obligamur, duas fortiſſimas nationes quæ ferè vniuerſam Europam ſecum trahent, ad tam arduam expeditionem ſuſcipiendam coniunxerit, quarum alterutra fortaſſe non dubiam victo-

Digreſſio ad Carol. & Ferdinand.

* *Germanis, Belgis, Hiſpanis.*

P-433

riam feciſſet. Nunc quando cum induſtria opibus, dexteritate Hiſpanorum, Germana fides, virtus, atque robur coiuit, & quaſi in vnum corpus conſpirauit, Diis bene iuuantibus & vobis principibus vigilantibus, certiſſima ſutura eſt. Sed vt tandem eo vnde iamdudum noſtra defluxit oratio redeat, atque in eo finiat; cum tot ac tanta aui veſtri in omneis ſint merita, eique vitam ipſam quam viuimus, ſpiritum quem ducimus, quemque DEorum benignitate & Imperii veſtri præſidio, in poſterum ducemus, acceptum feramus; atque adeo etiam illud, quod ſapientes de mundi (vt ſic dixerim) infantia ſenſiſſe animaduertimus, quodam tempore rerum naturam tuliſſe, anteaquam terra nondum concretis inter ſe corporibus coaluiſſet, nec iuſtum pondus ac magnitudinem in ſe concepiſſet, vt rerum omnium moles, veluti æſtu diu multumque iactaretur, tandem poſt longos errores, vim æquabilem nacta, tanquam anchoram iaceret & cæteris quoque rebus firmamentum & fixam ſedem præberet; ſic prope modum quod aui veſtri opera factum ſit, vt orbis & ipſa moles Imperii huc illuc diu iactata, poſtremo & maiorum & eius potiſſimum virtute coalescens, atque ex omni parte iam ſuis viribus nitens, ſe in familiam veſtram contulerit, & ad immortalem Auſtriæ domum adhæſerit, idque ipſe vobis tanquam pulcherrimam hæreditatem, cum tam illuſtribus titulis, & ipſo Auguſti nomine teſtamento reliquerit, quantopere nobis conſiderandum eſt, ei meritam gratiam debitamque referamus, quod à nobis omnibus honoribus, qui poſt mortem, vita honeſte glorioſeque functis tribui poſſunt, ac perpetua & perhonorifica virtutum ſuarum ſemper recordatione, tum à vobis Principes ornatiſſimi, ſumma pietatis commendatione fiet, ſi eius (vt facitis) vltimæ voluntati & ſupremo inſtituto, quo nihil poſt hanc lucem illi gratius aut acceptius eſſe poteſt, animum quam primum adieceritis. Quod autem inſtitutum ei fuiſſe antiquius omnium iudicio videri debet, quam vt recepta Italia & libertati reſtituta in Turcas bellum ſuſciperet. Hoc certe volebat, hoc vt ei aliquando liceret, omnibus votis expetebat: hoc vobis non teſtamento, ſed omnium hominum tacitis iudiciis ſcriptum, omniumque animis ſculptum reliquit, quod etiam tot ſæpe magnis & difficillimis in Italiam expeditionibus, & nunc maxime his vltimis conatibus, clara quodammodo voce teſtari viſus eſt. Neque enim credendum, eum nobis quidquam aliud recenti & ſalutari illa electione innuiſſe, quam quos Italiæ Reges creaſſet, eos vellet & aliquando eſſe. Intelligebat nimirum prudentiſſimus Imperator, expeditionem in Turcas, niſi ſimul Italiam recuperaſſet, & tandem à grauiſſimo tyrannidis iugo vendicaſſet, plane inutilem & forſitan multis pernicioſam futuram. Nam præterquam quod ea diutius non ſine multorum exiſtimationis labecula à ſacroſancto Imperio diuulſa eſſe poſſit, videbatur etiam id ſuſcepti in Turcas belli ratio poſtulare; quoniam ea maxime ante alias prouincias illorum excurſionibus expoſita & vndequaque obuia eſſet, atque nulla non in parte factionibus & diſcordia inteſtina laboraret. Quamobrem hoſtis facile in eam irrumpere, & prima quauis impreſſione ita ad eam adhæreſcere poſſit, vt eius deinceps non facilis nec incruenta ſoret recuperatio: quin inde tanquam ex munitiſſima arce adiacentes finitimorum fortunas aſſiduis eruptionibus eſſet labefacturus & concuſſurus. Tenebat porro memoria, quotienscunque ea labes quotam Italiæ partem contigiſſet, quanto deinde rurſus labore & quam multo noſtrorum ſanguine, inde depulſa fuiſſet. Et crebro (opinor) ea de cauſa, ei maiorum in mentem veniebat, quorum virtutum imagines ſubinde ob oculos occurſare ſolebant, Othonum illorum, Henrici, aut Conradi, atque ipſius Caroli magni, qui quondam veſtri Imperii author fuit, cuius nunc vt alter veſtrum nomen refert, ſi virtutem vterque breui præſtabit, quod eorum Imperatorum nemo in Affricam, in Aſiam transmiſiſſet, nemo in Parthos, aut ipſos Turcas, niſi prius in Italia rerum potitus mouiſſet. Non quia eam tam Imperii perpetuum decus & firmamentum, quam exterorum

Regreſſus.

Comparatio.

Auſtriæ domus.

Vltima voluntas Max.

Italia ab Imperio diuiſa factionibus tenet.

Othones, Henrici, Conradi, Carolus.

rum bellorum propugnaculum quoddam exiſtimarent ; vnde frumentaria ſubſidia , vnde ſupplementa , atque vbi opus foret , bellorum nerui ſubminiſtrarentur. Italia quæ tametſi ſemper (neſcio quo ſuo infelici fato) rebus nouis
p.434 ſtudens ſæpenumero ſe exterarum gentium & factionum ſtudiis , ab Imperio diſiunxerit , & caput iuſtis ſceptris ſubduxerit ; rediit tamen ſuperiorum Imperatorum officiis, ſubſidio, crebro & armis ad officium , atque quantum per finitimorum ei incurſiones licuit , in Imperio veſtro lubentius , quam in cuiusuis alterius aequieſcere voluit. Nunc vero tam domeſticorum , quam exterorum tyrannorum immani dominatu ita oppreſſa iacet , vt nullo non in membro debilitata , nullo non articulo luxata , propediem niſi per vos ſubuentum fuerit , ingenti gemitu atque ruina collapſura videatur. Maxima quidem eius paulo ante mortalium pars , quibus nondum penitus dulce quondam Imperii nomen ex animo excidit , & quibus adhuc iuſta Imperii cordi ſunt , ſpes ſuas in auum veſtrum omnes defixerant , certumque habebant breui fore , vt eis tandem per eum tam diu deſiderata libertas redderetur. Quod iam cum vident , in tanto temporum motu , atque rerum conuerſione , crudeli quodam fato interceptum eſſe , & ſe vndique nouis calamitatibus circumueniri , examinati & veluti doloris fluctibus obruti , animis paſſim conciderunt. Itaque nunc vniuerſa in Italia, vna vbique voce , quoniam eis nec libere dicere nec lugere licet , gemitur. Audiretis vtinam clementiſſimi Principes , eorum occultas querimonias, & gta- *Italiæ conditio.*
uia ſuſpiria. Aſpiceretis vtinam tot bonorum lachrymas, tot innocentium vulnera , tot diras Cæſarianorum proſcriptiones , tot nobiliſſimarum familiarum diſtractiones , tot denique principes auito principatu deiectos , fortunis , & liberis omnibus mulctatos , quibus ne quidem exilii iam locus in Italia vsquam relictus eſt. Verum quidquid iis in rebus , tam egenis adhuc ſpei ſupereſt , id *Epilogus ad Carol. & Ferdinand.*
omne paulo ante in vos collocarunt ; in vos omnes animorum oculorumque contuitus contulerunt ; vos Auguſtos appellant , implorant , & depreeantur calamitatem ſuam ; vos libertatem Italiæ vno ore flagitant ; vos duo lumina in tantis rerum tenebris cæcisque nubibus & procellis , tanquam in medio mari naufragantes illa gemina & ſalutaria periclitantibus ſydera adorant : vobis vota concipiunt , vos abſentes Reges ſuos ſalutant , & qui Maximilianum vultu , ore, moribus , animo, inſtitutisque refertis , certatim animis requirunt. Quapropter cum prudentiæ , fidei , pietatisque veſtræ ſit , Auguſti Principes , omnibus gentibus declarare , quam memores , quamque grati ſitis , inſiſtite per DEos immortales auitis veſtigiis , ſubleuate eos , quorum calamitas ab Imperio veſtro ſeiuncta eſſe non poteſt , prohibete à ſcelere , à contumelia , à ſeruitute, morte ipſa , tantum nobiliſſimorum exulum numerum, qui vltro Cæſaris partes ſecuti , extorres ſe chara patria , coniugibus , dulcibusque liberis priuarunt : & incumbite toto animo & ſtudio omni in eam rationem , qua non ſolum ſalus & libertas Italiæ , Reip. Chriſtianæ auctoritas , ſacroſancti nomen Imperii , & vtriusque nationis honor & dignitas, eorum etiam omnium ſecuritas defendetur. Nunquam enim amplius Scytharum , Parthorum , immaniſſimarumque gentium illarum colluuio in Italiam cogitabit, neque inſidias in Chriſtianos meditabitur , ſi Italiam factionibus & diſcordia inteſtina liberatam , veſtræ poteſtatis intellexerit. Abſoluite telam, quam auus veſter & pater Philippus iamdudum contexendam exorſi ſunt : atque pronidete veſtri conſilii prudentia , ne hoſtes quibus cum Cæſar tot ab hinc annis grauiſſima bella geſſit , pacis & inducíarum nomine bellum inuolutum tegant. Bella ſiquidem illa affecta, & pene confecta ſunt , ſi extrema perſequi volueritis : ſin minus , verendum , verendum inquam eſt , ne aliquando inſtauratas maximi belli reliquias ac renouatas audiatis. Etenim quotiens iam res hoſtium abſciſſas , ſe efferre & ad renouanda bella reuireſcere vidimus : quos nunc attritos & tot cladibus pene exangues , perfacile eſſet ſine illorum incommodo & periculo , ad quos hactenus

Cæſar

Cæſar reſpectum habuit, in poteſtatem veſtram redigere, ac penitus comprimere. Magnus eſt vobis, Principes fortiſſimi, vbique campus, magnus vbique curſus ad laudem apertus, præſertim qui id ætatis tanto animi impetu, vincendi cupiditate, atque mentis ardore ad gloriam exarſiſtis, vt iam tanquam in herbis, incredibili omnium admiratione ſignificetis, quæ virtutis veſtræ maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ.

Nullus vero (credite) vobis vsquam amplior aut glorioſior patet, quam in Italia, quam in hac luce hominum, in oculis ipſis orbis terrarum, quam in hac arce regum ac nationum exterarum, in qua olim Imperii maieſtas primum adoleuit, eius ſplendor, primum eluxit; qui fortaſſe nunquam tam late radios ſparſiſſet, niſi ei in ea, diuino quodam ab initio conſilio, domicilium obtigiſſet, vnde commode omnibus gentibus & populis iura dici cunctaque regi poſſint. In Italia inquam, in qua denique ſemper maxime maiorum veſtrorum virtus & decus, tanquam in theatro totius orbis terræ plauſu floruit, atque vbi poſt hoc breue & plenum ſudoris & ærumnarum vitæ curriculum, in quo nos tot vndique fata circumſtant, immortalitatem conſecuti ſunt. Qui nunc vbicunque in æterna illa domo, beatorum conſpectu & conſuetudine fruuntur, p.435 non modicam certe & ex eo voluptatem percipiunt, quod iam antea (qui eorum eſt diuinus animi ſenſus) intelligant, Imperii dignitatem, quæ iamdudum ipſorum in terris ſtudiis late propagari, & radices agere cæpit, iam tandem vberrimos ex nepotibus ad communem omnium ſalutem immortalis glotiæ fructus ſit prolatura.

JACOBUS SPIEGEL, JOANNI LUCÆ VIRO NOBILI, AC OPTIME MERITO, S. D.

VNus & alter interceſſit dies, quo tu enixe cupis, ſi quæ in pium pii Maximiliani obitum epicedia apud me forent, tu horum eſſes particeps. Laboraui magis ac magis, vt deſiderio tuo aliqua ex parte ſatisfaciam. Inter cætera vidi multa, quæ & ſi bono conſilio à viris grauibus ſcripta ſint ac exſcribenda, chalcographis minime videbantur. Verum ne tu plane tepulſam videare pati, θρηνῳδίαν ſiue lamentationem Petri Ægidii Delphi, viri etiam primis adſcribendi, ac diui Cæſ. Maximiliani Ang. laudum præconis vocaliſſimi, nuper, inter funeralia eius præponere effuſam, ad te mitto. Philippi item Brettani * orationem funebrem, quæ luculenta ſatis, & affectum vt mouet penitiſſime, ita & gloriæ famæque Maxil. eſt buccina. Ea omnia tu fronte læta ſuſcipies, tibique hæc vera ſeruabis funeralia. Ægidii carmen viuidam venam in promptu habet, ac lamentationem integre mouet. Acceſſit D. D. Jo. Geyler Keyſerſpergii, olim à ſacris huius vrbis nobiliſſimi, epiſtola ad Auunculum meum, quam inter chartaceam meam ſuppellectilem (iam aulicis leuatus moleſtiis) inter legendum forte reperi, qua viuentem adhuc Cæſarem indicat. Quam ego ſupprimere nolui.

* *Melanchthonis. Hæc deſideratur.*

D. Keyſerſpergius.

Ouidius.

Scilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Alias huius enchiridii apendices tu in triumphatorem fælicem, patrem patriæ Cæſ. Maximil. eodem vultu lege, lecta ſpero placitum iri. Pauxillum ſcholiorum adiunxit, vt carmen id lucernam olens, tibi elucidatius redderetur: quum tibi Græca non admodum ſit lingua familiaris, neque niſi meliore ſydere natis placeat. Vale, & D. Jacobo Villingero (dum fuerit integrum) me commendes. Ex Argentorato, Calendis Maij, Anno Chriſtiano M. D. XIX.

PETRUS

PETRUS ÆGIDIUS D. JACOBO TUTORI, JURECON. AC INSIGNIS ANTVERPIEN. OPPIDI ADVOCATO, PRÆCEPTORI VNICE OBSERVANDO

S. D.

QVAM grauem & acerbam plagam, ex diui Maximiliani Cæſ. interitu animo acceperis, Tutor amiciſſime, nemo eſt mortalium qui expertius nouit, quam ego. Præſertim quem ſic viuum veneratus ſis, vt credam hoc vno nihil tibi poſt DEum Optimum Maximum fuiſſe charius. Equidem quum nihil ſit Deo ſimilius, bono principe, quisnam ex tot principibus noſtro Imperatori, tum bonitate, tum manſuetudine conferendus? qui omnium fuit & optimus & clementiſſimus, & (ſi fas ſit dicere) Deo ſimilimus. Impiæ ſane ingratæque mentis exiſtimo, ſi talem nobis heroem ademptum non lugeamus, tam ſapientem, tam iuſtum, tam omnium virtutum generibus expolitum. Itaque quum nuper poſt tot funereos Regum honores, tot lugubres ciuitatum apparatus, tot exequiarum pompas, gratiſſima omnium Antuerpia iuſta illi magnificentiſſime perſolueret, ſcripſi Threnodiam ſub perſona Genii maieſtatis Imperatoriæ, cum præficis D. Maximilian. mortem lachrymantis, additis aliquot Epitaphiis, quæ tibi tametſi non bona, tamen hoc nomine placere debent, quod in gratiam Imperatoris quantum in nobis fuit, effuſa ſunt, á quo non mirum, ſi tu ſæpenumero humaniſſime acceptus, non indonatus diſceſſiſti, quum fuerit in omnes tam beneuolus, tam mitis, tam benignus, vt neminem vnquam triſtem vel anxium á ſe dimiſerit, quemadmodum tute non minus feſtiuiter quam diſerte narrare ſolebas, quamquam ille orbem vniuerſum morte ſua triſtiſſimum, afflictiſſimumque reliquit. Verum excutiendum eſt iſtud animi vulnus, quod ex nimio dolore nobis incuſſum eſt. Meminiſſe enim debemus, hanc eſſe conditionis humanæ ſortem, quæ quo magis omnibus æqualis, eo fortiore animo perferenda eſt. Nam quem nos ex hoc carcere
p.436 ploramus ereptum; is nunc pro ſumma, qua præditus erat pietate, renatus apud ſuperos, in diuorum numerum relatus eſt. Bene vale ſuauiſſime Tutor, & me quod ſemper feciſti, amare perge. Antuerpiæ. VI. Calendis Aprileis. Anno Chriſti M. D. XIX.

Petri Ægidii θρηνῳδία, ſiue lamentatio, qua Genius diui Maximiliani Cæſ. inter præficas in pompa funerali, mortem eius deplorat.

Primi treis verſus ſunt Choriambici Aſclepiadei tetrametri. Quartus trimeter Gliconicus.

GENIUS.

O me, me miſerum, quis lachrymas meas,
Quis planctus, gemitus? quisue vlulamina
Sedabit mea? vah, fluminis in modum
Exundant oculi graueis.
Quo me proripiam, ter miſerum & quater?
Ecquo? quo fugiam? vah, mea lumina
Me fallunt, perii, lux tenebræ mihi,
Et nox atra dies mihi.

En me deſtituunt organa ſenſuum,
Vires deficiunt, mens alacris cadit,
Et greſſus titubant, cor tremit, algidus
Sudor corpore profluit.
Clauſis ſpiritibus viſcera congelant,
Vena non ſaliunt, angitur halitus,
Et vox aridulis languida faucibus
Hærens guttura deſerit.
Ah tecum moriar, maxime Cæſarum,
Et te ad ſydereos vsque polos ſequar.
Poſtquam te Lacheſis ſuſtulit improba,
Vltra viuere non licet.
Dictum eſt, interii, nunc vbi maximus
Ille? ille Æmilianus ſacer occidit.
Heu me, mille (Prob dolor, ô nefas)
Mors hæc vna mihi parat.
O qualem miſeri perdidimus virum:
Orbati patriæ heu patre nos ſumus
Quod terris potuit noxa vel Eumenis
Inferre omen acerbius?
Et quis non doleat, non grauiter ferat,
Damnoſum capitis tam venerabilis
Occaſum? cecidit gloria principum,
Et flos nobilium ſimul.
Nam quis ſplendidior, quisue benignior,
Et quisnam integrior, quis melior fuit,
Ecquis tam ſuperis æquiparabilis,
Cæſar quam fuerat meus?
O quis tam vigilans, tam bene perſpicax?
Quis tam munificus, dapſilis, & pius,
Aut quis tam patiens? quis tolerantius
Sortem pertulit aſperam?
Cui tam larga fuit promptaque dextera?
Quis ſic pauperibus fauit & indigis?
Quis tot diſtribuit munera egentibus,
Quis plureis alimonias?
Quis feruentius & religioſius
Ex tot Chriſtigenis regibus aureis, p437
Sic quondam coluit numina? deditus
Noſtra quis fidei magis?
Quid? quod barbarica preſſa tyrannide
Tot regna, & populos reddere liberos
Eniſus, rabidis bella parauerat
Chriſti nominis hoſtibus.
Sed mors inuidia filia lurida,
Tam ſanctum vetuit propoſitum exequi,
Conantem imperium tollere Turcicum,
Mors hunc è medio rapit.
Orbis quadrifidi lux fuit & caput,
Vrbis Romuleæ perpetuum decus,
Et princeps hominum, vidit ab igneo
Nil ſol clarius æthere.

Vt mittam proauos, vt ſileam genus,
Vt caras, titulos, ſtemmata, imagines,
Auguſtus fuerat, magnus & inclytus,
Regum & magnanimum parens.
Quid nunc commemorem munera corporis?
Vultus perplacidos? membra decentia?
Quid corpus ſolitum, mobile, ſtrenuum,
Nec torpore iacens pigro?
Nil natura potens, finxit amœniùs,
Nil perfectius, & nil ſpecioſius.
Quid plura? abſoluit dotibus omnibus
Nil vnquam cumulatius.
Maieſtate fuit perſimilis Ioui,
Titanique coma par fuit aurea:
Aſpectu nitidum vicit & Heſperon,
Cœleſtemque Cupidinem,
Linguam Atlantiades melleſluam dedit,
Qua dulcem poterat vincere Neſtorem
In labris habitans Suada corallinis
Prompſit flexanimos ſonos.
Et Pallas validum ſenſibus imbuit
Pectus mirificis, addidit indolem
Virtus eximiam, vos Etheoclides
Riſum, lumina, gratias.
Marti conſimilis robore bellico,
Sed clementior & ſanguinis abſtinens.
Nulli vnquam nocuit, profuit omnibus,
Vindex haud fuit, aut ferox.
Sanctis fœderibus, concilio & fide,
Bellona rabiem ſæpe cohercuit.
Hoſteis ſæpe feros, & ſine cœdibus,
Et vicit ſine ſtragibus.
Olim & Caſtalio fonte Aganippides
Rores Ambroſios in pueri oſculum
Stillarunt, amor hic fluxerat in viros
Lauru & carmine nobileis.
Mecum ô vos igitur turba binerticis
Parnaſſi, miſeras fundite nanias:
Promant luctiſonas plectra monodias,
Et cantus miſerabileis.
At vos ante alios quis manibus ſacris
Cæſar contribuit ſerta virentia.
Nunc triſteis elegos, nunc epicedia
P438 *Vos (inquam) edere condecet.*
Quis tam marmoreus, tamue adamantinus,
Qui mecum haud lachrimet, lugeat, & fleas?
Nimirum columen, præſidium, & ſalus
Sacri concidit Imperii.
O iactura grauis, naufragium nocens.
Qui tranquillus erat ſoſpite Cæſare
Mundus, nunc rapidis fluctibus æſtuans,
Turbat ſingula funditus.

Quantum Parca furens, quantum erat obſecro
Paulo ſerius, vt ſtamina Cæſaris
Truncaſſes? nimirum es, heu nimis inuida,
Et mortalibus æmula.
Jam pacatus erat mundus, & aurea
Hoc ſub pacifico Cæſare ſæcula
Florebant, ſophiæ dogmata, littera
Criſtas extulerant bonæ.
Peſſum nunc abeunt pax, ſimul ocium,
Et tranquilla quies, Mars gladios atrox
Stricios exacuit, cladibus omnia
Commiſcent furiæ truces.
Ate virus edax liuida nunc vomit,
Ate contemſerat barbara litteras,
Ate iniuſta bonos opprimit, impii
Aſſiſtunt cacodæmones.
Sed quo progrediar? mens abit, occidi.
Heu vos exanimem tollite præfica,
Sub terras miſerum condite, mortuo
Sum cum Cæſare mortuus.

SCHOLA SPIEGELLIANA.

Vos Etheoclides.) Gratiæ, quæ græcis Charites dicuntur. Etheoclides, quia ſtatuerit eis primum templum Etheocles rex Orchemeniorum. Gratias tres poſuit Heſiodus, referente Seneca lib. de beneficiis, Aglaen, Euphroſinen, & Thaliam. Finguntur ſe complecti arctiſſimo nexu: Pinguntur & hilares, quoniam dantes accipientesque hilares eſſe debeant. Virgines, quoniam dandum eſt ſine ſpe munerationis. Juuenes præterea, quia beneficiorum memoria apud gratos nunquam conſeneſcat.

Monodias,) μονῳδία, breuis eſt laus defuncti, quæ apud veteres in defunctorum funeribus ad tibiam cantari ſolebat à præfica.

Stabius. Reſch. Speſſhcymer.

Cæſar contribuit ſerta virentia,) Vt præteream Joannem Stabium, Stirianum, Thomam Velocianum Auſtriacum, Joannem Cuſpinianum Francum orientalem, ac complures alios eruditos, ſat erit hos recenſuiſſe: qui ſub id temporis quo ego in aulicum munus adſcitus ſui, in venerandum cætum immortalium vatum, Maximilianeo calculo probati diſceſſere.

Vlricus de Hutten, eques Germanus.
Richardus Bartholinus Peruſinus.
Joachimus Vadianus Heluetius.
Caſpar Vrſinus Sleſita.
Richardus Sbrulius Foroiulianus.
Joannes Dantiſcus Polonus.
Joannes Pinicianus.
Vrbanus Regius Germanus.
Alexander Braſſicanus Sueuus.

Epicedia,) ἐπικήδιον, carmen funebre, quod & Seruius in Bucolicis epicedium vocat: & habetur cadauere nondum humato. Epitaphium vero ipſi ſepulchro inſcribitur.

Qui tranquillus erat ſoſpite Cæſare mundus.

Quando

p439 Quando enim vnquam Germania fuit pacatior, quam ſub Maximiliano eſſe vidimus? *Quoties ſub Carolis* (vt Philippus ille Brettanus tam eloquenter quam vere dixit) *vniuerſa commota & labefactata eſt ſeditionibus inteſtinis? Dabimus aliquid Othonum felicitati, & gentilitiæ laudi: ſemper enim Saxonia pacis amans fuit. Certe Francorum Heinricos tragica etiam mala affixerunt, quum aliquandiu pars Germanorum filio, pars patri ſtuderet: vt reliqua præteream. Ab eo vero tempore quo imperauerunt Sueui, quæſo quid fuit in Sigismundum vsque læti in vniuerſa Europa, nedum Germania? Prudenter Fridericus primus, qui belli molem in Italiam, ac deinde Aſiam vertit. Qui hunc ſecuti ſunt, omnia infeliciter, regnum pariter vindicarunt, Philippus Sueuus, Otho Saxo, deinde Adolphus Naſſaenſis, & Albertus Auſtrius, poſt hos Ludouicus Bauarus, & Fridericus Auſtrius. In hac, ne quid deeſſet mali, quot pontifices vrbis Romæ diſſidia, quot item Germaniæ deuotiones inciderunt, quibus ſemper aduerſa fuit huius regni tranquillitas, ne ſua in Italia tyrannis minueretur? Nam præter id quod aliquoties vniuerſa Germania diras pontificias pertulit, non raro priuatim quoque vrbes ac ditiones aliquot deſeratæ ſunt, ita nunquam non bellorum ſemina miniſtrabant pontifices Germanis: quæ hoc imperante nulla fuerunt. Nunquam Germania vniuerſa commota eſt, nunquam labefactata hoc imperante religio: quæ niſi admirabilis quadam ſapientia, & plane cœleſtis, integra & ſalua conſeruare non potuit. Et hunc principem ereptum terris non doleat Germania?* Hæc ille. *Philippus Brettanus.*

Litera eriſtas extulerant bona.)

Quæ multis ab hinc annis mortuæ iacebant, orbe prope vniuerſo bellico furore occupato. Nihil enim æque contrarium eſt ſtudiis, quam Mars. Vnde non abs re cum Pallade acerbis odiis pugnat apud Homerum. Quare vel hoc diuum munere, Maximilianea tempora maxime felicia cenſenda ſunt, quibus tot literarum theſauri, iam tempeſtate multa abditi, in lucem prodiere beneficio Roterodami, Capnionis, Birckheymeri, Zaſii, Budei, Copi, Vadiani, aliorumque, quos recenſere alterius fuerit operis. Quod autem Cæſar & fouerit literas, cumque doctis frequenter differuerit, quum de eo tota aliorum extent teſtimonia, meum vero ceu mutuum addere, eſſet abſurdum forte & obſcurum.

Peſſum nunc abeunt.) Huic ſubſcripſit ſententiæ ille in vniuerſo literario orbe nobilis Peutingerus in epiſtola ad me recens ſcripta: *Audio apud vos peſtem graſſari. O miſera Germania, quæ Maximiliano viuente, pace atque tranquillitate fruebaris, tota nunc tumultuaris. Erat pax vbi Cæſar, ibi bellum & dira lues.*

Ate virus edax liuida nunc vomit.)

Homerus Aten deam facit (vt magnus ille Erasmus adnotatum reliquit in Chiliadum opere ſane aureo) quæ noxias ac turbas ſolet immittere rebus mortalium, atque ipſam quidem acribus oculis ac præuelocibus pedibus. Cæterum poſt eam multo interuallo conſequi Litas deas, quæ quod Aten turbauerit ſarcire moliantur. Has & ſtrabis oculis fingit, & pedibus claudis, illud nimirum innuens, offenſas eſſe citas, reconciliationes vero tardas. Propterea, quod iniuriæ meminiſſe ſolent homines. Quod (vt Auunculus meus in adoleſcentia adnotauit) vulgo trite iactatur verſiculo:

Puluere qui ledit ſcribit, ſed marmore læſus.

INVICTISSIMI IMP. CÆS. DIVI MAXIMILIANI AUGUSTI, EPITAPHIA, PER EUNDEM PETRUM ÆGIDIUM.

Auſtrius hic iaceo Cæſar Maximilianus, *Wimpheling.
Qui genitore ſatus Friderico Cæſare, matre
Luſitana olim, quam dixerunt Leonoram
Vxores geminas duxi, quarum altera Carli

Vnica Burgundi Maria eſt, iuuenilibus annis
Filis ducta mihi, primo qua enixa Philippum,
Et mox Margaritam, Franciſcum deinde tenellum
Magna mihi fuerat ſoboles ventura, ſed ô ſors
Inuida, fœcundam rapuit mors ſæua parentem.
Inde, velut turtur viduatus coniuge, vidi
Bella, ſimultates, rixas, populique tumultus.
Poſt ducis Anguigeri Maria altera iuncta cubili
Filia Blanca meo, quam poſtquam fata tuliſſent,
Cælebs poſtrema deduxi tempora vita.
Quantus eram bello, quantus victricibus armis, P.440
Non referam, quantus fuerim virtute, togaque,
Talia commemorent quibus eſt laus nulla ſuperſtes,
De me poſteritas, & viuax fama loquatur.

Aliud epitaphium, Jambico trimetro.

Hoc oſſa nobili cubant ſub marmore
Maximiliani Cæſaris clariſſimi.
Nil ſanctius, nil clarius, nil dignius
Hoc vidit orbis vniuerſus principe.
Quid ſeculi attinet prioris Cæſares
Referre? ſolus iſte vicit ſingulos
Benignitate, comitate, gratia,
Ac cæteris heroicis virtutibus
Quid plura lector poſtulas? nempe omnium
Hic maximus Cæſar quieſcit Cæſarum.

Aliud de eodem Cæſare epitaphium.

En pacis bellique potens, ter maximus hic eſt
Cæſar, & ingenio clarus & eloquio,
Eximia pietate nitens, virtute refulgens,
Quo nil poſſedit mundus amabilius.
Qui imberbis dextro nudatis Marte lacertis
Exigua fudit Gallica caſtra manu.
Vt taceam Heluetios, Morinos, forteisque Boemos:
Semper enim eaſo victor ab hoſte redit.
Qui iam pacatis tot bellis, totque ſubactis
Gentibus, in Turcas verterat arma truces,
Sed pax deſpiciens cœlo ſublimis ab alto
Bella futura, virum ſuſtulit ad ſuperos.

JO. GEYLER DE KEYSERSPERG, ECCLESIÆ ARGENTINENSIS A CONCIONIBUS SACRIS, D. JACOBO WIMPHELINGO THEOLOGO.

S. P. D.

IN Conſtantia dies XI. manſi, vt recepto nuncio à Regia Maieſtate, intelligere poſſem quo ad eam diuertere deberem. Interea Argentinam nuncium miſerat cum quinquaginta florenis, qui me non reperit: mihi autem ſignificauit, vt mox é Conſtantia in fauces alpium Juliarum, quod noſtra lingua *Fieſſen* appellatur, me reciperem: Quo dum veniſſem feria ſecunda ante Magdalenæ, die ipſa Magdalenæ Rex in eccleſia S. Magni, vbi diuina audierat, me acclama-

uit vbi eſſem. Ego autem in cella eius monaſterii, deliteſcebam. Vocatus ergo ante ſores eccleſiæ, me ſalutauit, & excepit, & vt patientiam haberem voluit. Itaque craſtina Magdalenæ, dominica ſcilicet, poſt prandium me vocauit, & ita familiariter confidenterque mihi ſoli cum ſolo cor ſuum aperuit, ita vt ipſe mirarer quod homini ignoto, cum quo nullos vnquam ſermones, neque familiaritatem miſcuerat, tantum confideret. Plane omnem maieſtatem ſepoſuit. Et quum aliquando byrretum de capite ob refrigerium, quia æſtus erat, ponerem; putans id per me ſibi in reuerentiam fieri, operire caput cogebat. Duo ſubſellia in ſacratiſſimo loco æqualia poni iuſſit: ibi conſedimus: & locutus eſt, quæ mihi plane loqui non licet. Neque temere me vocauit: voluit autem vt nemini pateſacerem, ſed quaſi ſub ſecreto confeſſionis retinerem. Finito itaque colloquio, ſed & dialogo inter nos ſcriptis incepto, S. R. maieſtas ſcripto ſententiam ſuam poſuit, & vt ego é regione reſponderem voluit. Quo facto, alterum diem ſtatuit, vt in id ipſum rediremus. Latinus bonus, ſed ſcripto melior quam verbo. Inter loquendum quum fieret de ſuis æmulis ſermo, inquit: *Dudum putridus ſi hæc & hæc*, &c. Interea prædico omni die feſtiuo in eodem loco, vbi dicunt Regiam Maieſtatem iam aperte, iam occulte intereſſe. Scripſit autem & mihi D. meus Auguſtenſis, & inſtanter rogauit, ne redeam Argentinam, niſi prius eum propter cauſas quas pateſecit, inuiſerim. Hoc efficiet, ne tempeſtiue ſicut paraueram, redire poſſim. Vale & Deum pro me ora. Ex Fieſſen ſecunda Auguſti. Anno Chriſti M. D. III.

p.441 *IACOBVS WIMPHELINGVS THEOLOGVS, IACOBO SPIEGEL, NEPOTI, IURECONS. S. D.*

SI non ex animo dolerem, Iacobe nepos chariſſime; vicem patriæ noſtræ, totiuſque Germaniæ, ob caſum Cæſaris, fibra (vt aiunt) ſane cornea merito iudicarer: quum nemo Romanum Imperium clementius & iuſtius mihi gubernaſſe videatur. Quam pie vero & chriſtiane viuis exceſſerit, nedum ex teipſo qui præſentiſſimus aderas, ſed & clariſſimis ſummæ auctoritatis & fidei magnatibus intellexi. In primis ex generoſo D. Ioanne Bartholomæo de Titionibus comite Deciane, cuius eloquentiam magis admirer quam humanitatem & ſapientiam prorſus ignoro, cuius magnificentia ſupra quatuor luſtra fertur Cæſareæ maieſtati inſeruiuiſſe. Cum vero multorum præſtantiſſimorum teſtimonio, nulla virtutum Maximiliano defuerit, nihilominus fuere (vt iis auribus audiui) qui cenſebant in aula ſua, doctos & prudentes fuiſſe deſiderandos. Tanquam Cæſaria ſua Maieſtas ſolos cantores, aucupes, venatores, tibicines ſibi habuerit familiares. An non ſumma prudentia & eloquentia præditus eſt generoſus ille comes de Titionibus? An non eloquentiſſimus fuit Ludouicus Brunus, mihi familiariſſimus? Petrum Bonomum epiſcopum Tergeſtinum, ſcripta produnt ſua. Collaurum Iureconſ. fama ſuperſtes, vt Spernatium eruditi commendant. Ioanem Stabium doctorum ſchola celebrat. Peutingerum, ſtudiorum ſtudioſorumque omnium cultorem præcipuum, vniuerſa literaria reſp. iampridem recepit. Nonne Matthæus Langius Cardinalis, doctrinam cum facundia coniunxit, doctoſque in precio habet & fouet? Quis legum notitia, & omni dicendi genere, morumque ſuauitate, & fide integra præſtantior fuit Con. Sturtzelo, epiſtolarum magiſtro, meo præceptore atque patrono? Quis in omni philoſophia, & in diuinis literis acurior Gregorio Rieſchio Carthuſiano? quo nedum alioqui conſultore vſus eſt, ſed & vt animæ ſuæ mederetur, dudum priuſquam eam exhalaret, deſiderantiſſime longo viarum interuallo accerſiuit. An vero Cæſareæ maieſtati in ſuis Viennenſ. & Friburgiano gymnaſiis, inque Oeniponto & Enſisheymio iureconſulti defuere? Quamuis Imperator in conſultando nullis obnoxius ſit legibus, ſed eas interpretandi atque moderandi

Jo. Barth. Titionius Comes.

Brunus. Bonum. Collaurus. Spernatius. Stabius. Peutingerus. Cardin. Curcenſ. Sturtzelus. Rieſchius.

di ſummam ac plenam habeat auctoriratem. Vt interim taceam, pio Cæſari noſtro Maximiliano tam mirificam, nec de Mithridate minorem linguarum peritiam fuiſſe. Regum legatis, oratoribusque ſuo cuique patrio ſermone, imo etiam Cardinalibus á Roma miſſis, latino per ſeſe reſpondere potuit. Quis vero in ſacris literis eruditior Petro de Mota? Quis vel ſapientia, vel integritate vnquam excelluit Jacobum de Banniſſis? Mœrorem vero meum temperat, quod Cæſar hanc vitam cum illa perpetua & beata commutarit: tantoque minus lugeo, quod firmiter confido & ſpero, ſicut apud ſuperos beatitudinem, ita & in terris ſummam ei gloriæ & famæ dignitatem perpetuo manſuram, vt obſtruatur os loquentium iniqua, & ponant cuſtodiam ori ſuo, ſi qui detrahere conſueuerunt: quos (ni deſtiterint) iudicabit DEus iuſtus iudex. Hæc, mi fili, pro qualicunque conſolatione tua legere velis, tumultuarie & obiter à me conſcripta. Vale, ex communi patria noſtra, quæ iuſta Cæſari fideliter perſoluit, ſicut & iſtam vrbem Argentinam glorioſiſſime illi inferias ſoluiſſe intellexi. Iterum vale, & Paſſerenum ac Gebuilerum noſtros, nomine meo reſaluta.

P. Mota nunc Epiſcopus Paccnſ. Banniſſius.

ORATIO GERMANIÆ.

SUMME DEus, vosque ſummi terræ meæ Principes, ad Romanum & meum aſpirare fertur imperium, qui à moribus meis diſſidet, quem natura editis montibus à me diſiunxit: cuius maiores nedum meipſam, ſed & meos principes, & ipſam aquilam per ludos ſcænicos ſæpe ludibrio habuere: qui terras meas iampridem vaſtarunt; multosque tum apud meam Baſilæam meos Heluetios neci dederunt: quorum ſuperbiam ac libidinem magnanimi Siculi amplius ferre nequeuntes, nullo ſexus habito diſcrimine, ipſos vna hora trucidarunt: qui iuſtitiam ac fidem nonnunquam frigide ſeruant. Nam in primum meum chalcographum, qui libros in eorum terris vendidit, precio apud ſe vi detento, tyrannidem exercuerunt. Qui in Cæſarem meum pium & iuſtum, orationem ſpurciſſimam, gloriæque ſuæ & famæ detractricem (cuius caput eſt, *Inſolentis dimiſſique animi*) ex ſummo liuore, cum ſua ipſorum ignominia diſſeminarunt. Quorum vnus Friderico pacifico Cæſari, ſponſam Leonoram præripere & abſtrahere molitus eſt: quorum alter pii Maximiliani filiam, ſeſe dignam appetiit, & pro conſtantia a maiorum abiecit: eiusdemque ſponſam ex Britannia per terras ſuas ad me proficiſcentem rupta fide publica pellexit, præripuit, p. 442 abduxit. Dii prohibere nefas, prohibete & vos ſupremi Antiſtites & duces mei, ne de hac gente, & ex tali maſſa quispiam regno meo potiatur: quum extent de meo, hoc eſt, Germanico ſanguine, qui mihi & meis non ſuperbe & contumelioſe dominari, ſed ſancte & modeſte absque tyrannide præeſſe non poſſint; quique à populis meis malint amari quam timeri.

Dialogus Maximiliani Cæſar. & Cardinalis Gurcenſis.

CARD. *O lux, ô noſtræ Germanæ gloria gentis,*
Quo fugis, & quo nos deſtituis miſeros?
MAX. *Quæ mihi tam mollem rumpunt lamenta ſoporem?*
Parce precor lachrymas fundere, quisquis ades.
CARD. *O qui fortunæ fueras pars maxima noſtræ,*
Cæſar perpetuo tu mihi flendus eris.
MAX. *Tune ibi es Matthæe, meæ ſolatia vitæ?*
Agnoſco vocem, candide Lange tuam.

CARD.

CARD. *O Cæſar, felix genitor, quo viuis in orbe?*
Sentio in hoc ſacrum numen adeſſe loco.
MAX. *Magnus eram mundo, riſus fuit, optima nunc me*
Regna poli clemens iuſſit habere DEus.
CARD. *Ergo colis ſuperùm ſine ſollicitudine campos:*
Diue pater, ſed nos anxia cura premit.
MAX. *Pone graues curas, ſenior prope deſeret auras,*
Et tibi rex cœli regna ſuperba dabit.
CARD. *Nunc etiam cura tibi ſum? ſit gratia Chriſto,*
Sit tibi: cœlicolas Maxime Cæſar adi.

Dialogus Maximiliani Cæſ. & Vatum.

MAX. *Qui gemitus? & quæ lachrymæ? namque audio ab imo*
Et mea ſunt fletu buſta rigata pio.
VATES. *Adſumus ô Cæſar, vates tua cura, dolentes.*
Viuis adhuc: an te triſtior vmbra tenet?
MAX. *Viuo equidem, nec me cruciant loca tetra baratri,*
Ætherea ſedis regna beata colo.
VAT. *Ergo vales, requie optata, fatisque benignis,*
Anxia nec te vltra prælia ſollicitant?
MAX. *Vani hominum ſunt conatus, res pendet ab aſtris,*
Vnica conſilium diſpulit hora meum.
VAT. *O felix anima ſuperis inuecta choreis,*
Quem chorus Aonidum debet habere patrem?
MAX. *Succeſſor regni ſupereſt, mea magna voluptas,*
Carolus, à vobis ille canendus erit.
Viuite, ſed memores noſtri, memoresque futuri
Judicii vates. Jamque Valete, abeo.
VAT. *I decus eximium, cœli noua ſtella, refulge,*
Atque ferant populi vota, precesque tibi.
Sit requies cineri, tumulo violaria creſcant.
Perpetuum ſpiret ver tibi, Cæſar aue.

Epitaphium eiusdem Max. Cæſ.

Maxmiliane iaces? te ne hæc monumenta recondunt?
Ah tantum licuit mors truculenta tibi?
Non ſat erat natum nobis rapuiſſe Philippum
Te ni etiam magnus concideret genitor.
Pax tecum, tecum arma ruunt, ô maxime Cæſar,
Fracta eſt imperii pulchra corona tui.
Non tamen extincta eſt virtus atque inclyta fama,
Quæ celebrat toto nomen in orbe tuum.

Jo. Pinicianus.

VDALRICI ZASII ORATIO, FRIBURGI IN FUNERE MAXIMILIANI IMP. AUG. HABITA, ANNO M. D. XIX. VII. IDUS FEBR.

FUerat ſane in primis dignum, generoſi, nobiles, egregii, prudentes, & præſtantiſſimi Viri, vt acerbum & lamentabilem iſtum occaſum illuſtriſſimi & inuictiſſimi Cæſaris & Principis noſtri MAXIMILIANI, quem omnes, vt par eſt, dolentiſſime ferimus, funebri oratione ſummi oratores, diſſerendique arte elariſſimi viri proſequerentur; quando tanta ſit rerum dicendarum copia, quæ non niſi a ſummis ingeniis tractari pro dignitate poterat, vt ſic ſeni mihi mediocris alioqui doctrinæ homini vacare non iniuria licuiſſet. Sed quando id à me muneris, non tam poſtulatum, quam iniunctum eſt, (quamuis parum ſelici euentu ea res ceſſerit, vt qui ſuperioribus annis ſereniſſimæ reginæ Blancæ Mariæ, nunc illuſtriſſimo noſtro principi eius marito funebria iuſta perſoluere ſim coactus) obſtrepere tamen nec potui, nec debebam, patrum enim iuſſis quomodo refragarer? Itaque compreſſo pauliſper dolore, in publicum lugubris tamen & mœſtus prodeo, onus impoſitum vel qualicunque ſermone obiturus. Neć enim id ago, vt quas ter maximus prineeps laudes meritus eſt, aſſequi pergam, adeo tota mea oratio capita certe & veluti faſtigia rerum complectetur, quæ dum breuibus abſoluero (nec enim anguſtiæ temporis, & vel maxime doloris acerbitas prolixum eſſe ſinent) precor & obſecro, benignas ſitis & aures & mentes adhibituri. Sed quo me vertam? quid primum vel dicam, vel præteriero? luctu omnia complere dolor iuber, e diuerſo dicendi ſeries otdinem poſtulat. Sed quis inſumi ordo poſſit in ea re, in qua omnia ſunt acerba, triſtia, confuſa, contorta, fletu, luctu, lamentis, lacrymis referta? an ignoramus, affectam mentem, ſieuti ſibi ipſi non conſiſtit, ita variare omnia, alternare, miſcere conſueuiſſe? Cæterum vt priores partes diuo noſtro Principi tribuamus, partim amor, partim qualiscunque ordo efflagitat. Qua in re non videbor abſurde facturus, ſi generis nobilitatem præmiſero, quæ profecto, ſi ullis unquam ſummis viris ſplendida fuit, diuo noſtro Principi ſplendidiſſima iure cenſeri debebit. Nemo enim eſt qui neſciat, ab illuſtriſſimis Auſtriæ Archi-Ducibus diuum noſtrum Cæſarem eſſe progenitum, quæ præcelſa domus, ſiue in Herculem, vt nonnulli, ſiue in Priamum, vt alii volunt, ſanguinis lineam referas, veruſtiſſima eſt heroum proſata origine; quæ & ab ipſo heroico ſeculo per plurimas ætatum ſucceſſiones, integerrimos, iuſtiſſimos, & omnino optimos principes, quod laudatiſſimum puto, produxerit: qui pro fide Chriſti aſſerenda, ſanguinem admirabili conſtantia effuderint, id quod pulcherrima eorum arma demonſtrant; qui ſanctitate vitæ in diuos relati ſunt, & qui ſuorum ſaluti & commodis ita conſuluerunt, vt beatum ſe quisque exiſtimarit, qui ſub ſaluberrimas tantorum principum alas confugere, eorumque vel manu ſubiici, vel fœdere iungi potuiſſet. Ab iis principibus, a ſelectiſſimis illis virtutum cultoribus, diui noſtri MAXIMILIANI natales proceſſiſſe, non poteſt non eſſe ampliſſimo præconio dignum. Quid enim præclarius fuerit, quam ſumma generis nobilitas, ſummis coniuncta virtutibus? Jam mirari ceſſabimus, quî fieri potuerit, vt tot innumeræ virtutum dotes in noſtro principe reluxerint, quæ enim in nobiliſſimis maioribus ſuis ornamenta per partes diffulſerunt, ea collecta, & quadam generoſi ſanguinis propagata ſerie, in diuum noſtrum Principem ſe tota infuderunt, vt ita princeps genuina illa virtutum ſemina propria illuſtrare animi rectitudine, inſignibus factis proficere quodam naturæ inipulſu contenderit. Hine eximia illa in Chriſti religionem Principis noſtri deuotio & pietas, cuius rei ſumma ſemper oratio, ſumma

ſumma authoritas fuit, quam & intentiſſimo ardore proferre deſiderabat, inceſſata vigilantia conabatur. Erat in Chriſtianæ fidei augmentum ita feruidus, vt per omnes vitæ ſuæ dies, nihil tam mente verſaret, quam quo pacto pacatis inter ſe principum ſimultatibus inimici Chriſti Turcæ profligarentur, ſuoque eccleſia ornatui reſtitueretur. Quapropter diuina in laudariſſimum principem clementia euenisſe non dubitatur, quod ſub eo, in eius præſentia, ſacroſancta Saluatoris noſtri toga, quæ trecentis & amplius annis Treueri latuit, reperta potius quam inuenta fuerit, vt ſic non hominis induſtriæ ſed diuinæ dignationi hoc grande donum acceptum referatur. Denique qua in S. ſedem Apoſtolicam veneratione diuus Princeps noſter fuerit, ex eo non obſcure comprobatur, quod ſummus Pontifex non ſolum præcæteris, tanquam verum Eccleſiæ aſſertorem vnice obſeruauit, ſed inſuper coronam Imperii, quod nullis ante Imperatoribus contigit, Auguſtam, quo loco celeberrimus erat principum conuentus, honeſtiſſima legatione demiſit, pompaque ceremoniarum exquiſitiſſima Imperatorem coronauit. Quod ſi de Juſtitia dicere perrexero, iam in immenſum noſtra ſe oratio effundet. Ea enim virtus cum vltro late pateat, & præſertim diui Cæſaris actus omnifariam ſit amplexa, neceſſe fuerit, vt qui eam recenſere velit, omnem quoque Cæſaris vitam percenſeat, quod cum non ſit noſtri inſtituti, multa præclara tranſeunda mihi eſſe video. Vno tamen hoc argumento iuſtiſſimum fuiſſe liquido apparebit. Cum enim vniuerſi eſſet Orbis Princeps, atque ita ſolutus legibus, tanti tamen conſtitit ei eſſe iuſto, vt ad exemplum optimi Principis Theodoſii, & legibus ipſe ſe ſubiiceret, vt contra legis æquitatem nihil vnquam ſciens indulgeret. Vidimus nos ipſi, cum nonnulli ex principalibus reſcriptis aduerſus ſe extortis grauari ſeſe ac premi quererentur, diuum Principem, vel contra propria diplomata accuratis etiam cautionibus munita, iuſtitiam adminiſtrari iuſſiſſe, qua dexteritate ne in Traiano quidem, quamlibet laudato principe, quicquam prædicari poſſit illuſtrius. Doctrina porro diuus noſter Princeps eminenti ornabatur, vt qui ingenio eſſet acutiſſimo, ad omnemque ſcientiam prompto. Memoria erat incredibili, nam & hiſtorias probatiores in numerato habebat, & per Juris Ciuilis capita, ſi quando neceſſe erat, erudite decurrebat: cum doctis viris varia certabat eruditione, proponebat quæſtiones, & tam ſcite philoſophabatur, ſiue moralia, ſiue naturalia occurriſſent, vt in nullo non literarum genere verſatum eſſe fateretur. Hinc egregius ille in literatos fauor emerſit, hinc præſtantia in viros doctos collata præmia, quos tanti fecit, vt eos etiam quibus vel umbra vel opinio doctrinæ fuerat, manu adiuuaret. Quæ res non mediocrem cauſam dediſſe exiſtimatur: vt in noſtra Germania exploſa barbarie, quæ ducentis & amplius annis fœda tyrannide patriam inuaſerat & oppreſſerat, diſciplinæ cultiores prope omnes pulchre introducerentur, feliciterque increſcerent, & magnum in modum amplificarentur. Non hic dico variarum linguarum peritiam, quas Princeps noſter ita habuit cognitas, vt aduenientibus plurimarum nationum, complurium regnorum legatis, ſiue Latine agerent, ſiue Gallice, Hiſpane, vel Italice, ſuam cuiusque linguam, quod in Mithridate admiratur antiquitas, intelligeret, & ſine interprete reſponderet. Quid dicam, qua integritate, qua prudentia, quo indefecto vigore vaſtam illam Romani Imperii molem ſuſtinuerit? Ad hoc omnis ſua intentio dirigebatur, vt publice & priuatim omnibus prodeſſet, omnium commodis intenderet, oppreſſos ſubleuaret, coerceret rebelles, bonos iuuaret, omnibusque ſua iura & æquaret & æquo libramine diſtribueret. Erat tamen ad omnem moderationem ita compoſitus, vt nec a rectitudinis ſcopo deerraret, nec culpata ſeueritate efferueſceret, ſed omnia ſuaui quadam comitate temperaret, vt adeo non imperator, non Dominus, ſed patronus, ſed Pater Patriæ per latos Imperii fines nominaretur. In ſuos vero prouinciales Domui Auſtriæ ſubiectos, qua fuerit clemen-

tia, qua benignitate, qua manſuetudine, qua fide, fletu magis quam verbis vllis prædicari conueniet. Quod enim officii genus humaniſſimus princeps nobis non impertiuit? quod non maximum noſtri amore præſtitiſſet? Veſtram o nobiles dignitatem quo ſtudio defenderit, protulerit, auxerit fortunata illa veſtri ordinis conditio pronunciat. Vos autem, vos o Viri Friburgenſes, qua memorabili beneficentia, quo ſincero fauore proſecutus fuerit, nemo quam vos ipſi prædicare vel poſſit verius, vel cupidius velit. Ciues ſuos fideliſſimos nominare ſolebat, quoties de vobis loqueretur, & ſi quam male forte fauentes aquam ſubfundere frigidam, mentem ipſius auertere aggrederentur, conſtanti grauitate compeſcuit: vt interim præteream ampliſſimos Romani Imperii conuentus, quos pro euidenti veſtra vtilitate, pro veſtra immortali fama in hac ciuitate celebrauit: vt obmittam ciuilia veſtra ſtatuta ad reipublicæ augmentum non ſine labore meo compoſita, qua animi promptitudine inſtaurari, ſuppleri, erigi & confirmari curauerit. Nec minori affectu famigeratam noſtram Vniuerſitatem fauentiſſimus Princeps fouendam ſuſcepit, quam & ſingulari ſemper gratia affecit liberalique munificentia honeſtauit. Sic omnes ſuarum prouinciarum ſubditos ingenti beneuolentia, ſolidiſſima fide, & paterna omnino dilectione complexus eſt, eorum profectibus, commodis, quieti, & omnibus omnino fortunis vigilantiſſimè proſpexit, operoſiſſime conſuluit, omnem prouinciarum ſtatum ita compoſuit, vt & optimatum dignitatem non minueret, & populares a potentum violentis concuſſionibus tueretur, omnemque eis ſecuritatem compararet, id quod non ſolum homines, ſed ipſa etiam oppida & terræ, ipſa etiam pax placidiſſima proteſtaretur. Hinc factum eſt, vt quoties in hæc noſtra, aliaue prouinciarum loca, deſideratiſſimus Princeps aduenire nuntiaretur, effuſi omnis ſexus, omnis ætas, paruuli, iuuenes, ſenes, pendere ex domibus, ex pergulis, ex protectis, ex ſuggrundis, vias, compita, diuerticula complere, vt benigniſſimum Principem conſpicerent, communemque omnium parentem vel geſtu vel nutu ſalutarent. Erat omnium par lætitia, quando iucundiſſimo ſuo aduentu omnium ſalus aduenerat. Et hæc in Toga. In bellicis vero rebus quantus fuerit, hic ſuperſedemus, quando ea res modica concludi oratione non poteſt, ſed iuſtum videtur opus exigere. Tametſi nemo ignorare poſſit, rei militaris peritia, caſtrenſium laborum tolerantia, amore in milites, robore, fortitudine, audentia, interrito in hoſtes congreſſu, glorioſis victoriis inſignem fuiſſe, & ita inſignem vt vix vllos dare vel fortiſſimos principes poſſis, quos Cæſar noſter vel non anteierit, vel æquarit certe. Has prærogatas, has illuſtres aliasque immenſas Principis noſtri dotes qui memoria reperent, quomodo non fatebitur honeſtiſſimum fuiſſe, vt in extremam usque ſenectam vir tantus Chriſtiano Orbi præfuiſſet? Sed o diram fatorum ſeriem, o inexorabiles Parcas, o immitem mortalium ſortem, moritur virtutum decus, illa lucerna recti, quæ optimis ſemper exemplis præluxerat, extinguitur, diſceſſit è viuis prouinciarum defenſor, vnicum Romani Imperii columen concidit. Heu nos miſeros, heu nos infelices, te viuente, diue MAXIMILIANE, in altiſſima ſedimus tranquillitate, a te pendimus, a te conſtitimus, tu propugnator noſter, tu aſylum noſtrum, tu vnus eras noſtræ ſalutis ſeruator, nunc lamentabili tuo occaſu in dubium ſtatum, in incertam, in calamitoſam conditionem omnia abuertuntur. Nunc vt emortuum corpus, quod ſanguine, quod ſpiritu, quod anima orbatum eſt, proiecti iacemus inimicorumque noſtrorum inſidiis, inſultibus prædis incurſionibusque exponimur. Quis a planctu ſe temperet? quis a fletu, a lachrymis & veris & ſpirantibus abſtinere poſſit? Amiſimus Principem fideliſſimum, Principem quem olim poſteritas admiratura potius ſit, quam alium vnquam ſimilem habitura. Sed video præſtantiſſimi Viri eſſe quo reſpiremus, quo animum colligamus: nec enim videmur tam deſolati, quin meliora ſperare liceat, quando illuſtriſſi-

illuſtriſſimus noſter Princeps non totus abierit, ſed bonam ſui partem, ornatiſſimos duos nepotes CAROLUM poſt ſe & FERDINANDUM, duo virtutum decora reliquerit, vtrosque potentiſſimos reges, in quorum fidem & ſyncritatem ſpes, fata, ſucceſſus noſtros collocare tuto & poſſumus & debemus. Denique ſi meminerimus, communem naturæ legem quæ nobis iniuncta eſt, ſiquidem neceſſe ſit vniuerſa, quæ orta ſunt, rurſum occidere, & ita neceſſe, vt pro Senecæ ſententia is qui moritur nullo a nobis differat, niſi quod eò proceſſit, quo nos ſequi oporteat, quando ſuus cuique terminus eſt defixus, quem transire, quem egredi nemo poſſit, ſi præterea hanc qua voluimur mortalem vitam expenderimus, quæ miſera eſt, quæ caduca, quæ fragilis eſt, quæ vel momento durat, quæ pluribus eſt caſibus obnoxia, vt quæ nihil ſit aliud quam libertatis carcer, tentationum ſentina, altrix cupiditatum, carnificina honeſti, officina ægritudinum, omnisque infortunii diuerſorium. Quæ ſi reuoluamus, credo a luctu abſtinebimus, ſcientes fruſtra deplangi, quod reparari non poteſt, & ſimul exiſtimantes, non infeliciter agi cum his qui virtutibus ornati, bonis referti operibus, mortem obierint, vtpote quod calamitoſam hanc vitam effugerint, & ſpe bonæ operationis aliti finem optatum attigerint. Diuus noſter MAXIMILIANUS ſexaginta iam annos & amplius multa cum laude vixit. Iuuentam honeſtam exercuit laboribus, virilem ætatem illuſtribus factis adornauit, ſenium optimis muniuit conſiliis, filios & filias pulcherrimam ſobolem ſuſtulit, quos & ampliſſimis illuſtres regnis vidit: viciſſim aduerſa compluria paſſus eſt: nouit quibus ærumnis vita mortalis agitaretur: & ita vtramque fortunam expertus, pari animi magnitudine vtramque ſub iugum miſit: nam nec periculis hic ullis ceſſit, nec ſuccubuit, nec vlla felicitate intumuit. Hoc felici progreſſu laudatiſſimus Ptinceps ad conſtitutam omnibus metam decurrit: & cum gliſcente iam valetudine corporis viribus deſtitueretur, infracto tamen animi vigore perſtitit, imminentemque ſibi mortem interritus exſpectauit, quam & diuino, vt creditur, oraculo præmonitus, prædixit: teſtamento omnia quæ prouidenda fuerant, deliberate cauit: ſacroſancta eccleſiæ ſacramenta, ſalutis noſtræ viaticum deuotiſſime ſuſcepit, religioſis aliisque honeſtæ vitæ conſpicuis viris ſeptus, cum omnem ſeculi curam abieciſſet, de contemnenda morte, de vitæ miſeria, de æterna beatitudine, de DEI beneficiis pulchre diſſeruit, ſicque vitam ſanctiſſime finiuit: & vt in vita fuerat omni modeſtia placidus, ita in mortis pugna, ſumma decedentis tranquillitas cernebatur. Si igitur virtus animi, ſi obſeruatio recti, religionis, iuſti, æquitatis cultus, ſi fides, ſi integritas, ſi quæ cum pietate aguntur, beatam prætioſamque mortem efficiunt, nihil eſt quod dubitemus, quin ſelecta illa anima, corporis nexum feliciter reliquerit, & ad cœleſtes ſedes, ſempiternis fruitura gaudiis, recta euolauerit. Cohibeamus igitur Viri præſtantiſſimi, cohibeamus lachrymas, ceſſemus a gemitu, mentem a luctu abſtineamus, quin & felici animæ congratulemur, ne vel noſtra doluiſſe cauſa vel eius felicitati inuidiſſe videamur. Dulciſſimus noſter princeps etſi fato ad momentum occubuerit, viuit tamen, viuit in cœlis æterna DEI viſione beatus, viuetque apud poſteros, rerum geſtarum gloria. Siquidem præclariſſimarum virtutum memoria, nullo vnquam tempore intermoritura celebrabitur.

DIXI.

VDALRICI ZASII ORATIO FUNEBRIS, IN FUNERE ILLUSTRISSIMÆ BLANCÆ MARIÆ CONJUGIS CÆSAREÆ.

SI præſentem hanc opinionem, Viri præſtantiſſimi, mea ſponte ingrederer, iure a vobis me accuſari poſſe non negarem, vt qui mediocri ſim eruditione tenuis, & pro ea quæ nunc eſt, prouecta ætate, nec ingenii ſatis viribus valeam, nec ſuccurrat memoria. At porro quando non vltro, ſed ſuperiorum iuſſis parendi neceſſitate hanc dicendi prouinciam ſuſcepi, eſt quo mihi ſit danda venia, ſiquidem cum obedientia meam inertiam, quam cum renixu contumaciam exhibere malui. Rogo itaque & obſecro, hoc, quodcunque ſit oratiunculæ, æqui & boni faciatis, & ſi quid incultum impolitumque dixerim, partim exiguitati meæ, partim temporum anguſtiæ & breuitati acceptum feratis. Sed ad rem ipſam accedamus. Quamuis non ignorem maiorum noſtrorum moribus receptum, vt Viri duntaxat, non etiam fœminæ pro concione laudarentur, at quando mulieres in Romanorum neceſſitatibus, detractis a corpore ſuo aureis ornamentis reipublicæ ſubuenerunt, parem cum viris, vt ipſæ quoque poſthuma ornarentur oratione, honorem meruerunt. Quem morem cum mulierum virtus introduxerit, in ſereniſſimæ Imperatoris noſtræ obitu cur non ſeruauerimus? Cuius ſiue generis ſplendorem, ſiue admirabiles diuinasque virtutes memoria complectamur, copia dicendi non poteſt non exhiberi ubertima. Natalium ſuorum ſplendorem ex hoc colligimus, quod nobiliſſima ipſam ducalique Sfortiadum familia deſcendiſſe conſtat. Magnum illum & rerum geſtarum gloria decoratiſſimum principem Franciſcum Sfortiam Mediolanenſium ducem avum habuit. Habuit & patrem virum optimum Galeatium, qui & ipſe eius dominii dux erat. Matre porro, quam re & affectu Bonam nominauerunt, admodum illuſtri ornabatur, quæ & ipſos Francorum reges ſanguinis neceſſitudine contingebat. Quid fratrem nominauero, ſummæ ſpei adoleſcentem, & qui, niſi fata ei vitam inuidiſſent, nulli maiorum ſuorum inferior futurus ſperabatur? Quid patruos? quorum alter Aſcanius Romanæ ſedis purpuratis inſertus, Cardineo præfulgebat honore; alter Ludouicus & ipſe princeps, qui niſi ſe fortuna vertiſſet, feliciſſimus & inter Italiæ regulos primus iudicari potuit. Taceo cetéros præclaros viros, qui tanquam ex equo Troiano illuſtres Græci, ita ex hac generoſiſſima familia emerſerunt. His tam præcellentibus ſtemmatis, ſua quoque pulchritudinis dona natura adiecit; inſigni enim formæ venuſtate princeps noſtra totiusque & corporis & membrorum elegantia mirifice enituit, vt ſicut nomine, ita & veritate rei Blanca Maria, id eſt pulchra diceretur, quæ inſignes & generis & naturæ dotes nimirum meruere, vt ipſa orbis terrarum Domino, Diuo Maximiliano principi inuictiſſimo, matrimonii nexu iungi digna haberetur: quo excelſiorem illuſtrioremque maritum non ſolum ſperare, ſed ne optare quidem potuit: maritum inquam qui & pace & bello nulli clariſſimorum priſca ætate Imperatorum concefferit. In pace quippe Romanum Imperium admirabili ſua prudentia, iuſtitia ſolertiſſima, vigiliis indefeſſis ita gubernat, vt nec vlli labori parcat, & ne ſomno, quieti, cibo, aut vlli voluptati indulgeat, dum in publicum proſit. Bello vero tanta gerit ſe animi acrimonia, tanta rerum militarium experientia, tam inuicto robore, vt quoties manu conſerendum fuerit, hoſtes ipſos infeſtiſſimos profligarit, ingentes fuderit exercitus, atque ita plurimis victoriis incomparabilem famam, gloriam immortalem ſit conſecutus. Huius tanti Imperatoris tam præclarum connubium quamuis noſtram principem feliciſſimam redderet, diuina tamen illa virago, hoc illuſtri culmine

ne non contenta, ſuis etiam ſe fecit virtutibus monſtrabilem. In DEum enim, in ſanctos, in noſtram Chriſtianam teligionem impenſiſſime ferebatur. Inter ſuos vero quamuis comitate, manſuetudine, modeſtia, petquam humanam ſe præſtaret, hoc tamen inſtitutum quadam velut clementi grauitate ita temperabat, vt & manſuetudinem colerent & maieſtatem in ea venerarentur. Caſtitatis denique & continentiæ, omnisque matronalis verecundiæ tam tenax erat cuſtos, vt verbum impudicum coram ea ne nutu quidem ſignificari, nedum proloqui fas eſſet, vt quæ cum ea conueniſſent nobiles puellæ, non tam in regali gynæceo, quam in ſchola pudicitiæ verſari dicerentur. Et vt ſemel finiam, nihil non fecit, nihil non omiſit, quod fieri vel omitti a laudatiſſima fœmina reuerendiſſimaque matrona potuerit, vt iuſte illud Prophetæ ad Cæſarem noſtrum accommodari poſſit: Aſtitiſſe reginam a dextris ſuis in veſtitu deaurato circundatam varietate. Hanc tantam principem cum is ipſe diuus Cæſar, quoniam multis Imperii & bellis & negotiis implicitus diu non viderat, inuiſere deſtinaſſet, ecce tibi triſtis adfertur nuncius, luce defunctam naturam ſoluiſſe. O duram fatorum acerbitatem. O inexorabilem Parcarum ſeriem. Siccine fatalia abtumpi fila debuere, vt in medio velut progreſſu floris detruncaretur amœnitas, & optimus maximus Cæſar ſua thalami conſorte, quo minime tempore expectauit, priuaretur? Profecto, ſi flendum eſt cum flentibus, ſi Lazarum Saluator noſter fleuiſſe legitur, ſi quoque duodecim tabularum leges funebrem luctum recipiunt, meritiſſimo fieri exiſtimarem, pro eo qui integerrimus in amantiſſimum noſtrum principem nobis amor eſt, vt & nos vehementer lugeremus, & lachrymas vbertim profunderemus. Sed quando meminiſſe poſſumus, ea nos lege natos eſſe, vt aliquando moriamur, pallida enim mors æquo pulſat pede pauperum tabernas regumque turres: vt & nobis quoque dura iſta, ſed tamen terenda via ſit, operæ erit pretium ſi luctum morabimur. Nouimus enim quam fallax, incerta, vana & inſtabilis noſtra ſit vita mortalis, quæ inſtar tapidiſſimi fluminis, inſtar amentati jaculi, & ſicut ſagittæ ex manu potentis, ita ad mortem, decurrit, impellitur, excutitur. Quod adeo verum eſt, vt pro Euripidis ſententia, nemo viuens de craſtino ſit ſecurus. Hoc eſt, quod vitam noſtram Sophocles, ſimulachro, pulveri, & vmbræ comparauit. Hoc denique eſt, quod Varro Vir doctiſſimus eleganter (vt omnia) hominem bullam nominare conſueuit. Sicut enim in aquis agitatis bullulæ & velut tubercula erumpunt, ſed mox euaneſcunt, ita, quo momento naſcimur, mortis caſibus ſumus expoſiti: vt merito Auguſtinus dubitarit, hoc quod viuimus æuum, mortalemne vitam, an vitalem mortem appellatet. Et Plinius, hominem aut non naſci, optimum eſſe dixerit, aut natum quam ocyſſime aboleti. Adeo natura non tam parentem, quam ſeueram ſe nobis nouercam exhibuit. Accedit ad hæc incommoda, incerta qua voluimur rerum conditio. Aut enim ægri viuimus, aut ſani. Ægtos imperioſa, ne dicam periculoſa medicorum iuſſa conſtringuut, ſub quorum manu (vt Plato voluit) viuere miſerrimum eſt. Cæterum ſanos mille vincula circumueniunt, hunc ſupercilioſæ ſuperbiæ faſtus, alios cretata ambitio, quosdam inuidiæ liuor, impura Venus multos nectit & colligat, & in ſumma, quot ſenſuum affectionibus, quas paſſiones vocant, homo comprimitur, tot laqueis miſere catenatur. Atque adeo vndique nobis anguſtiæ ſunt, & vt cum Propheta loqnar, tot nos laquei præuenerunt, in medio tot laqueorum ingredimur, vt Diuus Antonius mundum totum plenum laqueis eſſe quondam exclamauerit. Grandis error mortalium, qui ementitam lenocinantis vitæ felicitatem mirantur, & velut ſetuos, vel mancipia, tot grauibus ſe vinculis obüciunt: cum tamen neſcire non poſſint, ſicut libertas eſt res inæſtimabilis, ita ſeruitutem eſſe miſerrimam. Plebs olim Romana ære alieno oppreſſa, cum a creditoribus graui nexu ſtringetetur, in montem ſacrum pro conſequenda libertate confugit. Nos ad quem fugi-

mus

mus montem, vt tot vinculis, tot laqueis liberemur? nempe ad montem Domini pinguem atque coagulatum, cuius tamen conſcendendi nulla nobis patebit facultas, niſi ingrediamur ſine macula, operemur iuſtitiæ, & aliquando a grauiſſimo vinculorum catenarumque pondere colla excutiamus. Id quod in hac pura anima, cuius hodie funebreis pompas celebramus, euenisſe ſperandum eſt. Neque enim mala mors eſſe poteſt, quam bona vita præceſſit: vt iam non ſolum a luctu ceſſandum, ſed etiam ei gaudendum ſit, quam tot liberatam malis, hoc glorioſo monte potiri, geſtire lætitia, & ſuo creatori gratificari pie credimus, quod ipſa erepta ſit de laqueo venantium. Quod ſi in via adhuc & carcere preſſa detineatur, non quidem luctu mœreamus, non ſitu deficiamus, ſed redemptorem humani generis DEum, pro eius ſalute, precibus, eleemoſynis, aliisque piis operibus deuote comprecemur,

DIXI.

Z 1.4.241

1. 4. 241

BIBLOS S.N.C. - FIRENZE 1997

1.4.241 (v.II)
restauro carta, imbrachettatura (tylose MH 300p; carta e velina giapponese). Guardie F(Ingres 20231 e pelle uovo). Cucitura su 5 nervi (nervi canapa;fili lino).Capitelli naturali (lino),passanti sotto catenella a centro fascicoli; capitelli ornati doppi (cotone ritorto fiorentino). Quadranti segnoneti incartonati (cartone fibrato e L.C. Fabriano). Indorsatura in pelle naturale scarnita (pelle capra,tylose MH 300p, Vinavil 59). Coperta in tutta pelle (pelle capra; tylose MH 300p).

Digitized by Google